

WILD, Johann (O.F.M.)

Reuerendi Patris D. Ioannis Feri...
Annotationes in Exodum, Numeros,
Deuteronomium, Lib. Iosue, Lib.
Iudicum... – Coloniae Agrippinae : Apud
Haeredes Arnoldi Birckmanni, 1574
[23], 472+ h., *-2*8, 3*7, B-Z8,
2A-2Z8, 3A-3O8+ ; 8°

Según Palau, 87723 Ioannis Feri es
seud. de Johann Wild. -- Marca de imp.
en port. -- Apostillas marginales

1. Biblia. A.T.-Comentarios 2. Biblia.
T.Z.-Iruzkinak I. Annotationes in
Exodum, Numeros, Deuteronomium, Lib.
Iosue, Lib. Iudicum II. Título

R-6510

REVERENDI

PATRIS D.
IOANNIS FERI, EC-
CLESIASTAE OLIM MOGVN-
TINI, NON MINVS ERVDITAE,
QVAM CATHOLICÆ ANNOTA-
TIONES,

IN { EXODVM.
NUMEROS.
DEUTERONOMIVM.
LIB. IOSVE.
LIB. IVDICVM.

Adiectus est Rerum & Verborum memo-
bilium Index ditissimus.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Haeredes Arnoldi Birckmanni.
ANNO M. D. LXXIII.



TYPOGRA- PHVS CANDIDO LECTORI S. D. P.



RAVIS SIMORVM
fanè virorum censura
est candidissime le-
ctor; nihil esse pul-
chrius, nihil præcla-
rius, nihil deniq; ad
veram gloriam & lau-
dem illustrius, quàm omnes suas actiones,
omnia sua studia ita instituere, vt pluri-
mum iade Republica percipiat ad bene-
feliciterq; viuendum adiumenti. Hinc ma-
gnam ineūt gratiã, qui in Poetarum tam
Græcorum, quàm Latinorum monumen-
tis explicandis oleum (quod aiunt) et ope-
ram suam omnem indefesso labore impen-
derunt. Admiramur eos, qui præter con-
suetum rerum ordinem, sanitatis humanæ
conseruandæ ac sarcindæ rationem in-
dagarunt. Celebrantur passim, quorum
consilio, industria, legibus, pacem & tran-
quillitatem (sine qua hæc vita suavis aut
iucunda esse nequit) conseruari cernimus.

PRAEFATIO

Nó minus complectimur eos, qui in Heroum præclaris facinoribus atque rebus gestis describendis, omnes ingenij vires atque animi nervos intenderunt, nec eo inficias, quiniure optimo hãc à nobis gratiam repetant. Quo igitur loco eos habendos putabimus, qui solerti cura, assidua meditatione, laboribus immensis, ac humanã propemodum imbecillitatem trãscendentibus, eam nos philosophiam edocere gestiunt, eam conantur vitæ persuadere rationem, quæ sola cum Deo coniungat? quæ sola beatos efficiat? sine qua cætera oïa fallacia sunt & vana? Inter quos, principẽ penè locũ obtinet vitæ integritate pariter ac eruditionis gloria insignis, & plurimũ Reuerendus vir D. Ioan. cognomine quidẽ Terus, sed moribus alioqui placidis, atq; ad rarã animi ipsius virtutẽ exprimendam admodum compositis, reuera vnicum Germaniæ ac singulare ornamentum. Cuius tanta est nominis æstimmatio, licet merito suo adhuc longè inferior, vt si illius laudes breui aliqua præfatiuncula complecti annitar, si nominis illius splendori, mea, vt ingenuè fateor, rudi vena, aliquid luminis addere cupiam
veluti

AD LECTOREM.

veluti si illustrissimi solis radijs lucernam præbere velim, ridiculus planè haberi merear. Quis enim calamo facile cōpræhendat, aut consequatur verbis, quatum non dico Germaniæ, non Europæ, sed Christiano orbi vniuerso hic noster, què tamè & vestrum fieri cupimus, non sine magna honoris præfatione nominandus. Ferus lucubrationibus suis splendoris, lucis, utilitatis, & præsidij inuexerit? Cuius etiamnum post funera de nobis benè merendi studium quodammodo viget, dum ad cumulum beneficiorum, etiam in Exodum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, commentaria post se haud pœnitenda reliquit, quibus absolutis, veluti exposita Iudaici populi peregrinatione, iter suscepit & perfecit populi Dei. & dū Abramidarum transitus ab Aegypto, in terram promissam profunda mysteria feliciter explicasset, feliciter ipse ab hac mundi heu plusquam Aegyptiaca seruitute, in terram promissionis veram, ac vnicum absolutæ libertatis locum Cælum profectus est. Et quoniam tam nihil est inhumanum, quàm committere, vt quo sumus affecti beneficio videamur indigni,

PRAEFATIO

Agite, qua pars est gratitudine Ferum veteris instrumenti mysteria ad confirmationem fidei Christianae, ac morum formationem accommodantem complectamur, exosculemur, diligamus, veneremur nec minus pertinaci studio legamus, inque nostrum usum conuertamus. Hic etenim veteris legislatoris hucusque si non omnino, magna tamen ex parte velatam ac obductam faciem, adeo aperte huiusce commentarij suis detexit, ut clarè admodum vel mediocriter intendenti Evangelicae veritatis gratia veluti fulgidissimus splendor reluceat. Hic itidem hordeaceos quibus Deus Optimus Maximus populum suum pascere voluit panes, ita demulsit, comminuit, ac contriuit, ut ad ipsissimam medullam palato admodum congruam facili momento peruenire posse huiusce adiutum annotationibus non temerè credidero. Nec est, quod nominis austeritate aut feritate quisquam ab illius complexibus deterreri se sinat, cum nullus ad hanc peregrinationem (vitae Christianae expressissimum exemplar) persequendam ac explicandam vel sola nominis ratione videatur inueniri posse accommodatior.


datior. siquidē, vt feris vastæ solitudinis atq; horridæ heremi sinus, amfractus, sal-
lebræ, cuniculi, saltus deniq; omnes co-
gnati sint ac peruij, ita nemo hæctenus fe-
licius, nemo succinctius, nemo pede ad-
eò inoffenso, nemo inquam Iudaicæ pe-
grinationis arcana ad mores forman-
dos explicauit cōmoditate tanta, nedum
utilitate maiore nostro Fero. Utilitatem
intelligo eam, quæ cum verborum sua-
uitate coniuncta est adeò clara, adeo-
que admittenda ac celebri, vt omnem
Moseos linguæ ruditatem atque tar-
ditatem, blando suo eloquio condi-
uisse, & quasi grata verborum conso-
nantia mitigasse atque compensasse non
immerito videri possit. Hic solus est, qui
omnium orthodoxorum Patrum expo-
sitiones tanto labore collegit, tamq; ad-
mirabili artificio coniūxit ac contempe-
rauit, vt solum eum ad horū librorum ex-
plicationē si quis affirmauerit sufficere,
profectò nihil dixerit à veritate alienum,
sine quo omnes alij infinitas dubitandi,
inuestigandi, quærendi, hæsitandi mo-
ras, & vt semel dicam ignorationis veluti
nebulas obijcient atq; post se relinquent.

PRAEFATIO AD LECT.

Hunc itaq;, si sapitis, paruo ære redimite,
atque hanc meam operam in excudendo
vobis nauatam pro uestra humanitate &
beneuolentia boni consulite. Vale

Le&or optime, ex officina
nostra Typogra-
phica.

INDEX



**INDEX RERVM ET
VERBORVM MEMORABILIVM
IN HOC OPERE CONTENTORVM, SVM-
ma cum diligentia, & accurata industria conge-
stus: in quo numerus paginam; litera verò**

A. priorem paginæ columnam: **B.**
posteriorem denotat.

A.

- A**ron de quatribu vxo 116.a
rem acceperit. 46. **A**bysſi quando congregata.
b. mysticè quem desig- 104.a
net. 153.b **A**chan propter furtum lapi-
Aaronis sacerdotium è medio datus fuit. 219
quando sublatum. 48.b. **A**da filios vnus iustus
miraculo cõfirmare Deus fuit, & hunc quis curaue-
cur voluerit. 278.b rit necare. 5.b
Abiron à terra cur deuora- **A**da peccatum quando dele-
tus. 138.b tum. 85.b
Abraham quot annos natus, **A**dam primus noster parens
cũ acceperat Isaac. 87.b terram promissam quanda
Absalon, quia patrem non ho- acceperit. 3 a
norauit, paruo tempore **A**donisedek rex Hierusalem.
vixit. 212. b 364.b
Abundantia & nimia prospe- **A**duersa nobis Deus cur im-
ritas temporalium, Dei ob- mittat. 121.b. Sanctis non
liuionem inducunt. 24.b sunt maledictio, sed bene-
Abundantia victualium oc- dictio. 298.b
casionem peccandi prebet. in **A**duersis quomodo cogite-

I N D E X

- mus. 110. a
- in** Aduersis consistere, Dei do-
num est. 277. b
- in** Aduersitate solus relin-
qui gravissimum est. 74. b
- Adulari anitorū mos est. 72.
- Adulatores qui principes ad
bella instigant, vno impetu
tria homicidia commit-
tunt. 216. a
- Adulterio mortis pœna statu-
ta. 218. a
- propter Adulterium tribus
Beniamin deletur. ibid.
- Aegypti languores qui sint.
108. a
- Aegyptiorū corda Deus quo-
modo conuertisse dicatur.
6. a. b. malitia. ibid. abo-
minations spiritualiter
quid sint. 62. a. primoge-
nita quomodo spirituali-
ter moriantur. 77. b
- Super Aegyptios decem pla-
gas Deus cur miserit. 51. b
- Aegyptus quid designet. 51. b
- Affectum Deus audit, non vo-
cem. 56. b
- in** Afflictionibus quid maxi-
mè soletur. 4. a. & con-
- tra, quid maximè affligat.
ibid. quales orationes com-
ponente. 156. b
- Agag à Samuele occisus. 303.
- Agnum nostrum quomodo im-
molemus. 80. a
- Agnus verus quis sit. 79. b.
quando manducādus. 81. a
- Alexander pro Deo adorari
voluit. 196. a
- Altare nostrū mysticè Chri-
stus est. 146. b. lapideum
quid. 146. b
- Amalech contra Israel quo-
modo pugnauerit. 124. b.
gentiū principium cur dica-
tur. 306. a. allegoricè quid
significet. 127. a
- Ambitio. 294. a. multorum
malorū causa. 268. a. Rō.
Imperiū destruxit. 268. b.
quomodo fuganda. ibid.
- Ambitiosorū conuersiones quo-
modo debeāt dirimi. 279. b
- Ambitiosus. 7. a
- Anabaptistæ in iudicio iurare
peccatum esse putāt. 201. b.
- Angeli quo cibo vescantur,
115. a
- Angelis et alijs creaturis Deus
ple-

I N D E X.

- plerumq³ cur vtatur. 19.b
 Angelorum cura propijs ho-
 minibus. 295.b
 Angelus natura videri nō po-
 test oculis corporalib. 295.
 b. quis fuerit, quem Deus
 Israeltis post datam legem
 promisit. 147.b
 Anima cib. quis sit. 129.a. ve-
 stimēta quæ sint. 138.a. eaq³
 quomodo mundanda. ibid.
 Animalium irrationaliū obe-
 dientia. 55.a. rex quis sit.
 301.b
 Animus vnde pendeat. 149.
 b. quibus rebus pascatur.
 157.a
 Anniculus quid sit. 79.b
 Antichristi tyrannidis tempus
 presinitum. 202.a
 Apis Aegyptiorum summum
 numen. 164.a
 Apostoli cur crabrones dicti.
 150.a. cur Ecclesie colina.
 158.b. in exordio Ecclesie
 ministros Ecclesie quomo-
 do designarint. 159.b
 Apostolis à Deo potestas signa
 faciendi cur data. 123.a
 Apostolos, & eorum scripta
 qui contemnunt, Deum
 contemnunt. 31.b
 ex Aqua omnia generantur.
 53.b
 Aqua quando sint cōgregata.
 104.a. eius nomine scriptu-
 ra quid intelligat. 149.a.
 341.a
 Aquilarum & ciconiarum
 pietas in parentes. 211.b
 Arbitri cur necessarij. 131.a
 Aristotelis sententia ad pro-
 bandum vnum esse Deum.
 195.a
 Arma Dei quæ sint. 28.a. pio-
 rum quæ sint. 56.b. quibus
 Deus Moysen in praelium
 armavit, quæ sint. 32.b
 Arrius rana fuit. 56.a
 Asina locuta est. 296.b. &
 cur. ibid.
 Asini immunditia vitanda.
 91.a
 Avaritia. 40.a. 297.a
 Avarus. 7.a. 294.b
 Auditus duplex corporis &
 cordis. 324.a
 B
B Aculo ad quid vtamur.
 83.a

Balaam

I N D E X.

- Balaam** typus pseudoprophetarum. 304. a. eius auaritiis. 295. a. peruersitas. 297. a
- Balach** rex cur occisus. 307. b
- Balthasar** vbi interfectus. 306. b
- Balthus** pro qua re vsurpetur. 160. b
- Baptismo** ascendētibz quid primum appareat. 107. a
- Baptismus**. primum Ecclesie sacramentum est. 1. b. unde habeat virtutem. 81. a. quid prae se ferat. 98. b
- Beelphegor** 308. b
- Bella** fugienda. 125. a
- Bellator** verus, Deus est. 702. b
- Bellatores** quid faciāt. 103. a
- Bello** nihil sceleratius. 125. a
- in Bello** quid maximè curandum. 125. a quorum exempla imitanda. 125. a. qualis prudentia adhibenda. 291. b an liceat insidijs vii. 359. b
- Bellum** non temerè gerēdum 215. quando iustum sit. 359. b
- Benedictio** quibus medijs assequenda. 300. b
- Beneficia** Dei ppetuò in memoria habenda. 78. b
- ex Beneficijs** Dei quid discernendum. 91. a
- Beneficium** acceptum exigit gratitudinem. 17. b
- Bestiarū** quid proprium. 65. a
- per Bibere** scriptura quid intelligat. 153. a
- Blasphemia** in Deum pijs nihil grauius. 166. b
- Blasphemiae** punitae exempla. 204. a
- Bonitas** Dei. 28. b. 54. a. 68. a
- à Bono** non cessandum. 280. a
- C**
- C**eremonia circa consecrationem sacerdotum diuinum spectaculum est. 159. b. quid sint. 91. a
- Ceremonijs** quomodo vii debeamus. 91. a
- Calamitates**, quas patimur propter peccata, admonitiones sunt. 54. a
- Captiuitatis** decem tribuum causa quae fuerit. 164. a
- Carnalia** desideria militant aduersus animam. 218. a
- Carna-

I N D E X.

- Carnalium natura.* 28. b
Carnis natura qua. 107. a.
 109. b
Caro Christi in altari quo igne affetur. 81. b
Caro quàm immorigera sit. 30. b. infirma verbo Dei sustentanda. 83. a
Castitas maximè decet Christianos. 66. a. sacerdotibus necessaria. 159. b
Castra fidelium quæ sint. 133. b
Causa quæ sit, quam ob rem homines tam temerè peccent. 37. a
in Causa Dei non amor priuatus attendendus, sed Dei preceptum agendum. 171. a
Causa malorum, cultus Dei neglectus 193. b
Chanaan quot habuerit filios. 286. b
Charitas. 17. a. de nullo desperat. 70. a
ex Charitate arguendus proximus. 223. a
Charitatis exemplum. 173. b
Cherubin quid significet. 156. a
Christi carnem spiritualiter edere quis dicatur. 81. b
humanitas in colubrum quando versa. 51. a. unde sumpta. 30. a. officium. 305. a. passionis memoria quomodo celebranda. 82. b. mors, præcipuum in Christianismo est. 1. b. sacerdotium in quo præfiguratum. 1. b
per Christi sanguinem solum habemus accessum ad Deum. 153. a
Christiani adultis cur compareretur. 26. b. quales esse debeant. 285. b. sponte faciunt quod metu Iudæi faciebant. 190. b
Christiani hominis est tegere peccata proximi. 224. b
Christianis quomodo omnia possibilis sint. 24. b
in Christianismo quid sit præcipuum. 1. b
Christiano semper proficiscendum. 121. a
Christianorum auxilium à Deo pendet. 17. b. officium. 319. a
Christianus in fide quàm firmus esse debeat. 298. a. non est dicendus, qui fidem non habet.

I N D E X.

habet. 189.
 in Christo nulla est distinctio
 vel acceptio personarū. 2. a
 Christum spiritualiter quomo-
 do edamus. 113. a. corporali-
 ter quomodo edamus. ibid.
 Christus ubi natus & passus.
 44. b. quibus armis dan-
 na eiecerit. 56. b. quando
 incarnatus & passus. 79. a.
 Ierosolymanam quando in-
 trauerit. 80. a. Bethaniam
 quando venerit. ibid. qua-
 re dicatur agnus. 79. b.
 quando immolatus. 80. a.
 & 81. a. totus sumendus.
 82. a. in sacramento qui-
 bus datus. 89. a. corpora-
 liter nobis in sacramento
 semper adest. 93. a. pijs
 quid sit. 97. b. quotuplici-
 ter nos liberauerit. 100. b.
 quotupliciter nobis datus.
 119. a. quibus dulcem se o-
 stendat. 119. b. quomodo
 nobiscum sit vsq; ad con-
 summationem seculi.
 120. a. cur dederit Aposto-
 lus potestatem signa fa-
 ciendi. 123. a. in scriptu-

ra frequenter nomina-
 tur lapis & petra. 123. b.
 euangelium Apostolis cur
 dederit. 137. a. quibus mi-
 tis apparuerit. 140. a. re-
 fectione quibus promiserit.
 145. b. cur missus. 148. a.
 infirmitatem à nobis quā-
 do abstulerit. 150. a. om-
 nes tentationes cur non si-
 mul abstulerit. 150. b. quot
 sacramenta nobis sangui-
 ne dedicauerit. 152. a. ad
 omnes gētes quomodo ge-
 stetur. 156. a. inchoaturus
 suum ministeriū cur prius
 baptizatus. 159. b. Aposto-
 lis gladium cur interdixe-
 rit. 171. a. vnde conceptus.
 289. b. crucifixus cui pro-
 fit. 290. a. discipulos suos ad
 orationē quando maximè
 admonuerit. 291. b. est sol
 iustitiae. 302. b. oēs gentes
 quomodo sibi subiecerit.
 305. b. vt electos suos ducat
 ad patriam. 341. a. in Ec-
 clesia tria hominum gene-
 ra habet. 363. b. Aposto-
 los suos contra regnum
 Diabo-

- Diaboli pugnaturos, quib. à** *Concionibus Ecclesiasticis*
armis instruat. 28. a. à qui-
bis immolatus. 81. a. quo-
ties immolatus. ibid. quo-
modo māducari velit. ibi.
quot modis manducetur.
61. b. cur dicatur columna.
93. a. cur dicatur ignis &
nubes. ibidem. quos illumi-
net. ibid.
- Cibus non sumendus cum e-**
brioso. 230. a
- Clerici quid considerare de-**
beant. 233. b
- Clamore quando opus sit. 18. a**
- Clementia Dei erga peccato-**
res. 26. b. 166. a
- Colloquij diuini qui sint capa-**
ces. 182. b
- Coloniensibus primum quis**
predicauerit. 213. a
- Coluber in virgam quā de re-**
derit. 30. a
- Columna nubis, quæ filios Is-**
rael illuminabat, allegori-
cè quid significet. 97. b
- Comonatoris officium. 8. b**
- in Concionibus quid maximè**
spectandum. 1. a. non osten-
tanda scientia. 236. a
- Concupiscentia, radix om-**
nium malorum. 143. b. ab
externis sensibus proficisci-
tur. 226. b
- Confessio frustra fit, si non**
adsit bonum propositum.
73. b
- Cōscientia. 141. a. mala mor-**
tem facit terribilē. 314. b
- Conscientiā sentire, Dei gra-**
tia est. 62. a
- Consideratio beneficiorū Dei**
quā sit utilis. 134. b. Dei
ad quæ conducat. 128. a.
iudiciorum. Dei timorem
incutit. 256. a
- Consilia bona non contēnen-**
da. 132. b
- boni Consiliarij in aulis Prin-**
cipum quantum boni assi-
cere possint. 72. b
- malis Consiliarijs nulla pestis**
maior. 72. b
- Consolatio nostra in Christi**
sacerdotio consistit. 1. b.
quibus utilis. 145. b
- Consortia malorum fugien-**
da

I N D E X.

da. 56. a. 274. a. 308. b

Consuetudo vnde fiat. 48. b

Contritione in horribilibus quid
excitet. 4. a

ex Corde omnia mala proce-
dunt. 30. a

Cordis humani durities. 69. b

malitia. 161. a. impietas.
56. a. instabilitas. 109. b

Corpus aggrauat animam.
239. a

Crapula. 130. a. 308. b

Crapula plures, quàm gladio
intereunt. 242. b

Creaturas transmutare, solius
Dei opus est. 50. a. 53. a

Credere, primus ad salutem
gradus. 195. a. in tentatio-
ne, quàm sit arduum. 122. a

Crescens discipulus Pauli Mo-
guntinis & Coloniensibus
primum predicauit. 213. a

ad Cultum Dei quæ requiran-
tur. 159. a

verus Cultus Dei in quo con-
sistat. 154. b. quis sit. 164. a

Cultus internus gratior Deo
est, quàm externus. 146. b

Cultus pernecessarius ad ter-
ram promissionis tenden-

ribus. 228. b

Cupiditas, radix omniũ ma-
lorum. 117. a. 132. a

D

Dathan à terra cur de-
uoratus. 138. b

David cur dictus stella. 304. b

cur virga. ibid. fide ora-
leonum obturauit. 98. a. in

bello fortis factus est. 98. b.

quibus armis processerit in
pugnã cõtra Philisthæum.

34. a. propter adulterium
è regno pellitur. 218. a

Davidis summum studium in
lege Domini. 191. a

Debitorum rapinam faciunt.
221. b

à Decalogo quomodo simus li-
berati. 143. a

circa Decalogum tria obser-
uanda. 188. a

Decalogum scribendum Moy-
ses precepit in postibus a-
dium. 189. b

Decalogus promulgatus, vt p̄
ipsum peccata & damna-

tionem nostram agnosce-
remus. 189. b. tanquã spe-

culum

I N D E X.

- tulū proponitur. ibid. est cōpendium bonorū operū, quæ Deus requirit. 191.a. cognitionem legis naturalis adiuuat. 191.b. est legum summa. 189.b. est altera pars Christianismi. 189.b.*
- Decimæ & primitiæ ad sustentationem Leuitarum; pauperum, et ad alienarum offerenda. 324.b.*
- in Delitijs viuentes, perditioni proximi sunt. 18.b.*
- Dei conditio. 23.b. nomen creaturis commune fecit error. 24.b. propriū quid sit. 27.b. fortitudo. 31.a. potentia. 58.a. 59.a. 61.a. 65.b. 68.a. mandata sine mora implenda. 59.b. bonitas. 97.a.b. 45.a.b. 52.a.b. natura quæ sit. 94.a. operum fructus & vsus verus quis sit. 100.b. vera laus quæ sit. 104.b. gloria quæ. 112.b. 181.a. dona quomodo accipenda. 118.b. presentia quibus sit utilis. 176.a. voluntas; non*
- essentia inquirenda. 182. beneficia cum gratiarum actione accipienda. 245. a. prouidentia iustitiæ suæ opera quomodo ordinet. 291.a.*
- Dei & hominum iudicia diuersa. 372.b.*
- à laudē Dei nemo tacere debet. 105.b.*
- Deo quomodo canendum. 106.b. quot & quæ debeamus. 143.b. 195.a. mundum præponere, stultissimum est. 4.b. nihil factū impossibile. 43.a.*
- à Deo relictus nunquam poenitet. 39.a.*
- Deo subiectis omnia feliciter cedunt. 361.b.*
- Deos cur dixerit Deus, et non dominos. 196.a.*
- Detrectatores homicida. 216.a.*
- Detractor homini pio obesse non potest. 252.b. vipera similis est. ibid.*
- Detractio detrahenti semper plus nocet, quàm ei cui detrahitur. 253.b.*

**

Dumē

I N D E X.

Deum habitare cū hominib.
 quid sit. 155 in sua natura
 aut essentia videre quibus
 concessum. 139. b. derelin-
 quētibus omnia cedunt in
 perniciē. 53. b. videre, sicut
 est, vita etern. est. 180. b.
Contra Deū si quid propria te-
 meritate, agimus malè suc-
 cedit. 370. a
Ad Deum qui temerè acce-
 dant. 20. b
Ad Deum accessuri à licitis
 se tēperare debēt. 139. b. a.
Deus quā sit verax in pro-
 missis. 2. b. solus vnicus &
 verus rex est. 5. b. dona
 sua quibus det. 7. a. cur
 permittat, vt mali princi-
 pes opprimant subditos.
 7. a. à suis vbique inueni-
 tur. 19. b. inuisibilis est. 19.
 b. hominibus quomodo ap-
 pareat. ibid. cur appa-
 ruerit Moysi in igne &
 rubo. 19. b. 20. a. suos quo-
 modo cognoscat. 20. b. suos
 cognoscit etiam sub cruce.
 21. b. non mortuorum Deus
 est, sed viuentium. 21. a.
 vult cognosci. 21. a. cur se

appellet Deum Abraham.
 ibid. nō habet principium,
 nec finem. ibid. quando
 videatur nobis de celo de-
 scēdere. 22. a. medijs cur
 vtatur. 22. b. perpetuus
 est. 25. a. quare se Deum
 appellet. 25. b. quare se Do-
 minum dicat. ibi. cui pri-
 mūm commiserit verbum
 suum predicandum. 28.
 b. cur faciat signa. 29. b.
 cum hominibus quomodo
 loquatur & agat. 30. a.
 quibus irascatur. 32. a.
 cor Pharaonis quomodo
 indurauerit. 34. b. indu-
 rare quando dicatur. ibi.
 pergentibus in obedientia
 Dei interdū cur resistat.
 39. b. iram suam in ali-
 quibus cur ostendat.
 59. a. dona sua variè &
 mirabiliter distribuit. 48.
 a. populum suum quibus
 committat. 49. a. vbique
 est. 52. b. statim temporibus
 externè colendus. 59. a.
 qualia bona suis promiss-
 rit. 61. b. à peccatore quid
 exigat.

I N D E X

exigat. 62. b. medijs cur
 utatur. 68. b. opera sua fa-
 cit in numero, pondere, &
 mensura. 76. b. quomodo
 transeat. 83. a. ad patrem
 quando transferit. 83. a.
 ades nostras quādo tran-
 seat. 83. b. qua sibi velit
 sanctificari. 90. a. quibus
 terribilis, & contrā, qui-
 bus mansuetus. 93. a. non
 verborū strepitus, sed cor-
 dis affectum exaudit. 97.
 a. statis temporibus lau-
 dandus. 101. a. gloriosius
 magnificatus est in redē-
 ptione humani generis, q̄
 in creatione. 101. b. dia-
 bolū in mare quando pro-
 iecerit. 101. b. verus à dijs
 gentiū quid differat. 102.
 a. non est acceptor perso-
 narū. 102. b. fortis & san-
 ctus est. 104. b. populum
 suum quò portet. 105. a. p̄
 beneficijs suis quid exigat
 ibid. omnia bona promit-
 tit obedientibus verbo suo.
 107. b. bona nobis cur lar-
 giatur. 111. b. quando no-

bis adsit. 113. a. dona sua
 quomodo largiatur. 114.
 b. 116. a. omnium Deus est.
 116. a. verbum suum non
 per seipsum, sed per Apo-
 stolos cur dederit. 119. b. à
 nobis honorem cur exigat.
 129. b. cur exigat seruitiū.
 ibid. cur exigat laudem. i-
 bid. cur exigat timorem.
 ibid. plus respicit ad offe-
 rentem, quā ad oblatio-
 nem. ibid. in suo descensu
 omnia elementa cur com-
 mouerit. 139. b. quomodo
 appareat. 139. b. pijs quo-
 modo respondeat. 141. b. in
 terris terribilia cur faciat.
 145. b. in lege est ignis de-
 uorans. 154. a. in euāgelio
 est ignis illuminans. ibid.
 quomodo colendus. 164. a.
 quibus rebus teneatur, vt
 non puniat. 166. a. pro po-
 pulo suo quos agnoscat.
 175. b. quomodo sit ubiq̄.
 ibid. quos exaudit. 179.
 a. quomodo se praebeat ho-
 minibus videndum in hac
 vita. 180. a. quomodo di-

**

2

catur

IN D E X.

- catur ascendere & descen-
 dere. 183. a. quid signifi-
 cet. ibid. à dando dictus:
 ab eo, qđ nihil desit: à thio
 mo. 194. a. quomodo dica-
 tur misericors. 183. b. quo-
 modo dicatur multa mi-
 sericordia. ibid. quomodo
 dicatur verax. ibid. quo-
 modo dicatur custodire
 misericordiam in millia.
 ibi. quomodo dicatur au-
 ferre scelera. ibid. quot &
 quibus modis ostendat no-
 bis suam misericordiam.
 ibidē. vnde velit agnosci.
 184. a. thesaurus est om-
 nium bonorum. 281. b. Diaboli currus electi qui fue-
 qualia det signa. 290. a. rint. 95. a. malitia contra
 ad laborē hominem crea-
 uit. 207. a. non querit ca-
 nos capillos, sed canā men-
 tē. 244. b. cū punire vult
 dat malos prepositos. 256.
 a. pronior ad miserēdum,
 quàm puniendum. 264.
 b. veritatē interdum ma-
 lis reuelat. 293. b. 298. b. Diabolo errores & falsa si-
 peccata odit & punit. gna ostendere Deus cur
 323. a. vbi irascitur, se-
 quitur statim poena. 330.
 a. cur poenas differat. 330.
 a. in Sina, Setr, & Pha-
 ran quid fecerit. 331. b.
 cur olim tot miracula fe-
 cerit. 340. b. populum
 Israeliticum per desertū,
 cum miraculis deduxit.
 340. b. item cum mira-
 culis introduxit in terram
 promissam. ibid. est initiū,
 medium, finisq; nostrae sa-
 lutis. 340. b. præcepta sua
 non in perniciem hominū,
 sed in salutē instituit. 344.
 b. quid faciat cum populū
 aliquē veli punire. 346. a.
 Diaboli fortitudinē in terris
 nihil equale est. 300. b
 sub Diabolo quādo simis. 6. a
 Diabolo errores & falsa si-
 gna ostendere Deus cur
 permittat. 50. b

Diabo-

I N D E X.

- Diabolū in mare Deus quan-** **Dies, qui nobis maximè sacri**
do proiecerit. 101. b. in ore
qui habeant. 31. b. esse debeant, qui sint. 79. a
- Diabolus quorum rex sit.** **Digitus & manus Dei in scri-**
5. b. eius potestas in terra. ptura quomodo accipian-
ibi. cur vocetur nouus rex. tur. 59. a
- ibid. cur dicatur rex Ae-** **Dij falsi à vero Deo quomodo**
gypti. ibid. eius conditio differant. 25. a
- qua. ibi. homini cur inui-** **Dilectio à Christianis quanta**
deat. ibid. subditos suos ad exigatur. 173. b
- quomodo op primat. 7. a.** **Dilectionem veram requi-**
erga homines quomodo sit ritur sinceritas & religio.
affectus. 8. b. 171. b. 281. a. 208. b
- non nisi in vno loco esse po-** **Diluuiio propterea Deus perdi-**
test. 52. b. per quas figuras dit mūdum, quòd filij Dei
adumbratus. 292. b. po- filias hominum voluptatis
testatem in hominē quan- causa cupiebant. 217. b
- do acceperit. 289. b. con-** **Dionysius discipulus Pauli**
tra veros Israelitas quid missus in Galliam. 213. b
- conetur. 307. b. quare tan-** **Discipuli Christi sacramen-**
tum non possit nocere, quā tum quomodo comederint.
tum cupiat. 97. b. homici 82. a
- da fuit ab initio. 215. b** **Diuinatiōes prohibita. 293. a**
- Die heræ quot sint. 52. a** **Diuites auari ex omnibus suis**
Dies immolationis agni nostri diuitibus quid consequan-
quomodo celebrandus. 83. tur. 116. b. in cibis fastidiū
b. noctē vincere quando in- habent. 245. b
- cipiat. 78. b. sextus quid sit.** **Diuitijs nihil instabilius.**
112. a. dominicus quare 310. a
- institutus. 205. b** **Doctores apud Paganos quā-**
to in honore habiti. 297. a

I N D E X.

Doctrina Evangelica sola vitam habet & prestat. 279.b

Doctus in eodem opere grauius peccat, quàm indoctus: clericus grauius, quàm laicus: senex plus, quàm puer. 261.a

Dominator quid significet. 183.a

Dominus quid significet. 183.a

Domitianus pro Deo se adorari voluit. 196.b

de Donis Dei non gloriandum aut superbiendum. 53.a

Dubitationis nostrae causa potissima quae sit. 300.a

boni Ducis exemplum. 72.b

Ducum conditio. 107.b

E

Ebrietas. 130.a. incitamentum ad libidinem. 218.b

Ecclesia quomodo & quando in totum mundum disseminata. 3.a quando creuerit; & contra. quando decreuerit. 6.a. vna est si-

de. 17.b. quales gignat filios Christo. 18.a. filios suos quando circuncidat.

36.a. noctem Dominicae resurrectionis cur celebret. 88.b. quot habeat fontes, & quot palmas.

109.a. accessurus ad Deum & in opere Dei ministraturis, determinatas vestes, & à prophano cultu semotas cur ordinauerit. 137.b. quando maxime floruerit. 146.b.

per quem habeat abundantiam veri spiritualis panis. 150.a. à quibus coeperit. 150.b. quot habeat distinctiones. 158.a. peccatores absolutos ad poenitentiae & satisfactionis operam inuitet. 174.b.

licet desormis, non spernenda tamen. 313.a. in principio habuit fortissimos bellatores. 253.b. nouissime verò pueros. ibidem. fulcitur docendo, orando, & sanctè viuendo.

234.a

I N D E X.

- Ecclesia verus est Israel.* 302.
- b. est generatio querentium.* *ibid* in illa est umbra diuina protectionis. *ibidē.* in ipsa sunt flumina & aqua consolationis. *ibid.*
- in Ecclesia quamdiu manendum.* 83. *b.* ordinem quis instituerit. 121. *b*
- in Ecclesia tria idola maxime regnant.* 199. *b.* *thurificationes cur maneat.* 277. *b*
- in Ecclesia quot sint genera Christianorum.* 87. *a*
- Ecclesie fundamentum firmissimum.* 68. *b.* eiusdem fundamenti lapis Christus est. 68. *b*
- Ecclesie vnitas commendatur.* 89. *a* termini qui sint. 150. *b.* facies in principio qualis fuerit. 303. *a*
- Ecclesie ministris quid debeat.* 375. *a*
- ad Ecclesie purgationem, que necessaria.* 162. *a*
- Ecclesiam quis instruxerit.* 1. *b.* vnusquisque pro facultate sui doni diuinitus concessi adiuuare debet. 155. *a*
- ad Ecclesiastica officia obeunda nemo se intromitat, nisi vocatus.* 370. *a*
- per Edere scriptura quid intelligat.* 153. *a*
- Electi primogeniti Dei cur dicatur, et sint.* 34. *b*
- Eliezer quomodo inrepreetur.* 17. *b*
- Eloquentia, Dei donum est.* 31. *b*
- in Episcopum qualis eligendus.* 34. *a*
- ad Episcopum que pertineat.* 235. *a*
- Episcopus qualis esse debeat.* 17. *b.* 26. *a*
- Ethnicorum mores tempore Moysis.* 7. *a*
- Euangelij officium.* 29. *a*
- Euangelij doctrina, quam accepimus, verbum Dei est.* 50. *b*
- Euangelij predicatio à Christo nunquam seiungenda.* 16. *b. a*
- Euangelij sonus dulcissimus est.* 160. *a*

I N D E X.

- E**uāgelij predicatione Christi ad omnes gentes portatur. 156. a
- E**uangelij et legis differentia. 140. b
- i**n Euangelio quæ audiamus. 148. a.
- E**uangelium quibus predicandum. 71. b. in māsuetudine cur detur. 140. b. quot & quos habeat effectus. 145. a. quibus utile sit. 145. b. quæ nobis pponat. 148. b. varijs modis & figuris quando explicādum. 157. a. lex amoris est. 171. a
- E**xcusatio non tollit, sed auget peccatum. 179. a
- E**xodus de quibus rebus tractet. 1. a
- E**xploratores qui mysticè dicendi. 256. b
- E**zechias regem Assyriorum quibus armis ab obsidione repulerit. 56. b. fide de infirmitate conualuit. 98. a
- F**
- F**acies Domini quid sit. 178. a
- F**omes in deserto maxima est tentatio. 110. a
- F**esta Dei cum omni frequentia celebranda. 72. b
- F**estinare quot & quæ nos faciant. 82. a
- F**estis qui primi adesse debeant. 85. b
- i**n Fide consistere, in tentatione, arduum est. 42. a
- F**ide omnia possumus perire. 97. a. Samson ora leonum obturauit. 98. a. tres pueri extinxerunt impetum ignis. ibid. Ezechias de infirmitate conualuit. ibi. David, et Machabæi in bello fortes facti sunt. 97. b
- F**ideles nullis tētationibus opprimuntur. 98. b. cur baptizandi. 159. b. ab incredulis quomodo discernantur. 288. b
- F**idelibus, per mare huius seculi ad promissā patriam contendentibus de cibo spirituali quare potissimū prouidendum. 1. a. ad patriam tendentibus quid omnium primò auferatur. 107. a. nihil de futurum quam

I N D E X

- quamdiu in vocatione per-
sistunt. 114. b.
- Fidelium castra qua sint. fol.
133. b.
- Fides absque bonis operibus
non iustificat coram Deo.
100. a. & 318. b.
- Fides vera qua sit. 94. a. ve-
terum & nostra eadē fuit.
290. a. ex auditu est.
324. a.
- Filij Heli infeliciter perierūt,
212. a.
- Filij Israel allegoricē quid si-
gnificent. 2. b. & 3. a. mo-
raliter quid significēt. 3. a.
- Filij in pueritia in timore Dei
educandi. 71. a
- Filiorum curam non habere
Deo quātooperē displiceat,
35. a.
- Fornicatio & quacunque lu-
xuria aufert sensum. 218.
a. damnificat corpus. ibid.
aufert famā, pessundat sub-
stantiam. ibid.
- Fornicatio. 309. a. apud gen-
tiles non reputabatur esse
peccatum. ibid. morte pu-
nita est. 309. b.
- propter Fornicationē percuss-
si sunt in Israel 25. millia.
218. b.
- Fornicator non habet haredi-
tatem in regno Christi.
218. a.
- Fortitudo hominum apud De-
um quam contempta sit.
292. a. nostra unde pen-
deat. 149. b.
- Fraus quomodo committatur
221. b. 222. a.
- Furta multis modis Deus pu-
nit. 223. a.
- in Furto qua includantur,
69. a
- Furtum quid sit. 219. b. cer-
tos gradus habet. 219. b.
est contra legem natura,
& cōtra legem scriptam,
& grauiter punitū à Deo
in veteri testamento. 219.
b. dupliciter committitur.
220. a. personarū grauius
quàm bonorum tempora-
lium. 220. a. in proprijs bo-
nis committi potest. 220. a

G

G Ad quomodo interprete-
tur. 320. a

** 5

Gen-

I N D E X.

Gentiles multos Deos habuerunt. 196. a
Gentilium quorundam erga parentes pietas. 211. a
Gerson quomodo interpretetur. 17. b
Gerrā Gessen à muscis liberam Deus quare fecerit. 60. b
Græcis litteras quis dederit. 167. b

H

HAERETICI in Christum quidem irruunt, sed vincere nequeunt. 367. b
Hereticorum varia opinionones de Christo. 82. a. quid proprium. 104. a
Hairex suspenditur. 360. a. b
Hebraeorum primus mensis quando incipiat. 78. b
In Hebron quatuor Patriarchæ sepulti, & qui sint. 372. a
Helias aquam & panem ab Angelo tantum accepit. 241. a. ferre non potuit impietatem Prophetarum Baal. 243. a

Helim quid designet. 109. a

Herodes. 8. a. Ioannem circum non occiderit. 77. a

Homicidium est contra naturam. 214. b. etiam aliena manu committitur. 215. a. tripliciter committitur. 215. a

Homines quàm variè conuertantur. 51. b. immūdi qui sint. 56. a. mali quare tantum non possint nocere, quantum cupiant. 97. b

Homini quid maximè fuerit necessarium. 32. b. pro quid maximè iucundum. 118. b. quando pugnare liceat. 125. b

Hominum corda in cuius manu sint. 77. a. salus vnde pendeat. 181. a

Homo ex natura mendax & mutabilis est. 28. b. 31. b.

Homo specis & figura à bestijs cur differat. 165. a. rationem cur habeat. 66. a

Homo iustus, quàm illustris creatura sit. 48. a. 78. a. internus quo pane viuat. 86. a

Homo moriturus quæ cogitet. 95. b. cap.

I N D E X.

95. b. carnalis qua sapiat. 102. b
- Homo sibi relictus deuiat à præceptis. 193. a. 271. b
- Homo ex qua re cognoscatur. 178. a
- Homo nullum membrum habet nociuum. 214. b
- Homo ab adolescētia ad malum pronus. 217. a
- Homo impius omnia præfert spiritualibus. 242. b
- Honor triplex. 210. a
- Hor quid significet. 286. a
- Horeb, mons Dei cur appellatus. 19. b
- Hostes qui habendi. 311. a
- Hostes Christi qui. 368. a
- Hostium multitudo nō timenda. 96. b
- Hu, Hebraicè quid sit. 115. b
- Humilitas cordis Deo quàm grata sit. 47. b. scētanda. 146. b
- sine Humilitate nihil prosunt reliquæ virtutes. 234. a
- Hyssopus quid designet. 152. a
- I
- I**acob, cū in Aegyptum venit, quot annos natus. 87. b
- Idololatria radix omnium malorum. 192. a. duplex est. 196. a. in corde etiam committitur. 196. a
- Idololatriam qua via Diabolus primò in mundum introduxerit. 298. a
- Idumæi è quorum semine nati. 284. a. quos significant. 284. b
- Idumæis similes qui sint. 284. a
- Ignis quale elementum. 20. a
- Ignorantes docere tenemur. 225. b
- Imaginum abusus tollendus, non imagines. 198. b
- Immolatio agni filiorū Israel quid significet. 78. a. 81. a
- Immunditia operū nostrorum quando maximè fiat leprosa. 29. b
- Imperatorum conditio. 107. b
- Imperium esse hereditarium prædecessores nostri cur noluerint. 315. b

I N D E X.

- I**mpietas super talentū plum-
bi sedere dicitur. 104. b
- I**mpietatis obstinata finis quis
sit. 100. a
- I**mpij nulla memoria digni
sunt. 2. a. donis Dei ad ma-
lum utuntur. 4. b. non ti-
ment Deum. 21. b. Dei po-
tentiā non credūt, nisi ex-
periātur. 27. b. solus terro-
rib. mouētur. 35. a. potētiā
Dei quādo agnoscāt. 49. a
verbū Dei cur fugiāt. 60.
a. quando humiliētur. 62.
a. & anima & corpore pe-
reunt. 65. a. quae peccata
agnoscant. 69. b. verbum
Dei ad suos affectus ac-
cōmodāt. 75. b. in nocte cur
iudicētur. 84. a. quādo eui-
gilēt. 86. a. quādo maximē
insaniant. 94. a. quando
perdantur. 99. b. quomo-
do pereāt. 100. a. quomodo
cadant. 102. b. graues sūt.
104. b. oīa peruertūt. 122. a
- I**mpijs pœna cur differatur.
6. b. Deus quomodo irasca
tur. 32. a. Deus qualialo-
quatur. 67. a. quando pri-
- mum aperiantur oculi.
302. a. nullum est perfu-
gium. 306. b
- I**mpio nulla bestia crudelior.
41. a. in aduersis constitu-
to quid faciendum. 57. a
- I**mpiorum crudelitas & au-
dacia. 39. a. pertinacitas.
ibid. potentia quando per-
eat. 99. b. vltimum refu-
gium quod sit. 122. b. ca-
citas. 292. a. cōditiones. 4.
b. 296. a. 299. a. finis. 292.
b. malefacta nunquam ve-
niūt in obliuionem. 127. a
- I**mpios ad vitia quid impel-
lat. 3. b. Deus cur exaltet.
67. b. Deus quousque tole-
ret. 76. a. vt plerumque se
ipso in corporis & animae
discrimen conijciāt, quid
excacet. 99. a. Deus quo-
modo audiat. 22. a
- I**mpius semper est in periculo.
99. a. fugit quidem, sed nō
effugit. 100. a
- I**ndurari quid sit. 48. b
- I**n Inferno quae mala esse de-
beant. 74. b
- I**nfirmi cur pluribus incita-

I N D E X.

- inuentis opus habeant, quàm perfecti.* 106. a
Infirmities vnde sint. 149. b
Infortunij causa omnis, quæ sit. 149. a
Ingratitudine in Christiano homine nihil damnabilius. 239. b
Instrumenta, quibus Diabolus veros Israelitas in luxuriam præcipitat, quot & quæ sint. 308. a
Invidia. 6. a
Invidia proprium quid. 34. b
Inuidum quid maxime cruciet. 94. b
Inuidus. 4. a
Ioab moderatè vsus victoria. 216. a
Ioannes ab Herodè cur non occisus. 77. a
Ioseph post ingressum fratrum in Aegypto quamdiu vixit. 87. b
Iosue in bello fide fortis factus est. 98. b. *cur angelus dictus.* 147. b. *typus fuit Christi.* 153. b. *cur minister Moysis dictus.* *ibid.* *saluator interpretatur.* 333. a.
pater quis. 333. a. *ex qua tribu fuerit.* *ibid.* *successor Moysi.* *ibid.* *fuit Prophetæ magnus & secundum nomen.* *ibid.* *fuit sanctus.* 333. a. *in Ecclesiastico dicitur Iesus.* a. 335. a. *Deo cõfortatur.* 335. a. *altare Domino edificauit, & quare.* 360. b. *de quibus lapidibus.* *ibid.* *tria genera hominum sub se habuit.* 363. *mortis suæ tempore cur populum conuocat.* 379. a. *in persona Dei populum alloquitur.* *ibid.* b. *quo in loco sepultus dicatur.* 382. a
Ira phibetur à Christo. 217. b. *quotuplex.* 168. a.
Iram Dei quæ auertât. 278. a
Iratorum forma. 44. b
Israel in Aegyptum descendere cur coactus. 1. b
Israelita in deserto cur fame tentati. 110. a. *in deserto quadraginta annis cur fuerint.* 119. a. *ex idololatria sua quid consecuti sint.* 169. a. *triplici cibo vsi sunt in profectiõne.* 347. a
Israe.

I N D E X.

- Israelitarum liberatio** quid designet. 52.a
- Israelitis pristinus nitor** quando restitutus. 29.a. terra Chanaan cur data fuerit. 370.b
- Iudeorum penitentia.** 70.a
- Iudeorum incredulitas.** 28.b. templum quando destruendum. 286.a
- Iudaici cultus institutio** quod spectet. 154.b
- Iudex sedendo ferre** debet sententiam. 130.b. nullas personas in iudicando attendet. 169.b
- Iudices cur necessarii.** 131.a. quomodo iudicare debeant. 131.a. quibus conditionibus pollere debeant. 132.a
- Iudicium Dei** quam graue sit & horribile. 54.b. quam seuerum. 273.a. illis manet horrendum, qui benignitatem eius contemnant. 323.a
- Iudicium librorum** auctor quis. 383.b. cur liber iudicium dicatur ibi. item scopus quis. ibid. & 384.a
- Iumenta** quò largius pascuntur, eò magis recalcitrant. 329.b
- Iuramenti religio** sacrosancta cur esse debeat. 92.b
- Iuramentum**, finis est controversie. 201.b
- Iurista** semper aliquid ingerunt, ut ius protrahatur. 221.a
- Ius dicere** quam sit difficile. 131.a
- Iusti hominis felicitas.** 91.b
- Iustitia** per quem nobis contigerit. 88.a. vera nemini contingit, nisi per fidem in Christum. 154.b. sine misericordia, crudelitas est. 170.b
- Iustitia** multis modis impeditur. 224.a
- Iustitia** per quem contingat. 314.b
- Iusto iura** subuenire debent. 221.a
- Iustorum ultimum** refugium in tribulationibus quod sit. 122.b
- Iustus** in principio sui accusator est. 30.b

I N D E X

L

- L**aus vera nostri Dei, qua fit. 104.b
- Laus vera Christiani hominis, qua. 252.a
- Legis officium. 29.a. precepta per quem sustententur. 126.b. effectus quotuplex. 143.a. 145.a. transgressio quomodo expiatur. 152.a.
- Legis impletio quis sit. 156.a
- Legis proprium quid sit. 282.a
- Legis & Euangelij differentia. 140.b
- ad Legislatore tria pertinent. 193.a
- Leo animal fortissimum est. 301.b
- Lepra à quo curetur. 29.b
- Leuita ad quid ordinati. 374.b
- Leuita cur per omnes tribus dispersi. ibid.
- Lex sine Euangelio quid agat. 40.b
- Lex ubi data. 80.b
- Lex quibus data. 144.a
- Lex cur data. 145.a. 134.a, 136.a. homini carnali amara est. 107.b. in terrore cur data. 140.b
- Lex per Moysen lata, per Euangelium Christi abrogata est. 142.a
- Lex quotuplex precepta habeat. ibid.
- Lex terrorem cur incutiat. 145.a
- Lex poterat quidem ostendere bonum, sed non conferre gratiam. 32.b
- Lex quid exigat. 187.b. pedagogus est ad Christum. 191.b
- Lex nulli parcit. 319.a. si tantum literalis esset, gloriantur utique hypocrite. 324.a
- Lex Decalogi & à Deo, & à natura est. 182.a
- Lex natura omnibus est communis 142.b
- Lex vetus, lex timoris erat. 171.a
- Liber Dei quis sit. 173.a
- Liberatio ab hostibus, Dei donum est. 124.b. à Deo petenda. ibid.

à Libe-

I N D E X.

- Liberatis quid exigatur.** Malorum consortia fugienda. 56. a
 91. a
Lingua prohibenda, ne loquatur malum. 74. a. homini cur data. 101. a
Literarum præstātia. 167. b. primus author quis. 167. b
Locustarum genera varia. 74. a
Luxuria mundi quem finem sortiatur. 248. b
Luxuriosus. 7. a
 M
Machabei in bello fide fortes facti sunt. 98. b.
Magistratus. 313. b. noxios occidendo nō peccat. 171. b
Mahu quid significet. 115. b
Mala vnde procedant. 30. a. Deus per quem immittat. 84. b
Mala et aduersa quare infligantur. 108. a
Maledictio quibus medijs fugienda. 300. b. vtrum parua, an verò magna res sit. 327. a
Maledictionis sequela que sit. 172. a
Man quid sit. 118. b
Manasses quid significet. 320. a
Mandata Dei nō differenda. 31. a. citò implenda. 36. a
Mādatum in lege maximum quòdnam. 146. a
Manducare coram Domino quid sit. 130. a
Manè quid significet. 112. b. surgendum. 182. b
Manichei quintum præceptū ad animalia trahūt. 254. a
Manna filijs Israel vbi primū datum. 109. a. quando datum. 109. b. Deus cur dederit. 119. b. fuit figura Christi. 119. a
Manna vsus quis. 120. b
Manus leprosa moraliter qd significet. 29. b
Maternus discipulus Petri Treuiris docuit. 213. a
Matrimonium cum sanguine iunctis non contrahendum. 217. b
Medium quid dicatur. 104. a
Mendacij pœna in Anania & Sapphira.

I N D E X

- Sapphira. 223.a*
- Mendacium & precepto prohibetur. 223.a. contra hominis naturam. ibidem. Diabolo similem facit. 223.a*
- Duplex publicum & priuatum. 223.b*
- Mendacium vnde proueniat. 223.b. priuatum triplex. 224.*
- Mendacio adherere relicta veritate magnum est peccatū. 257.b*
- Mens quò magis eleuatur, eò magis homo extra se rapitur & obstupescit ad colloquium Dei. 31.a*
- Menses quomodo cõputemus. 78.b. Hebræi quomodo cõputent. ibi.*
- Mente cantare quid sit. 101.a*
- Militaribus copijs trãsitus ob qua negari soleat. 284.a*
- Ministros. Deus quales cupiat. 37.a*
- Miraculis Dei quid sit accipiendum. 279.a*
- Misericordia sine iustitia pusillanimitas est. 170.b*
- Misericordia diuina effectus. 183.b*
- Missã. 80.b*
- Morientes vltima voluntate non fraudandi. 92.b*
- Moriturus in montem quomodo ascendere debeat. 314.a*
- Mors duplex. 51.a. maledictionis prima sequela est. 172.a. quibus nõ sit grauis & contra, quibus grauis. 285.a*
- Morte nihil terribilius. 77.b*
- à Morte anima quomodo liberemur. 51.a. corporis quomodo liberemur. ibid.*
- Mortis pœna constituitur ijs, qui cum brutis contra naturam peccant. 218.a*
- Moysem qui contemnit, Deum ipsum contemnit. 31.b*
- per Moysem & Iosue quid significetur. 333.b*
- Moyse & Aaron aterna memoria cur digni. 47.a*
- Moyse pascens oues Iethro soceri sui, interiora & solitaria loca cur quæserit. 19.a. legis typus. 29.a. cur dicat se incircuncisũ labijs. 46.a. descripturus genus*

I N D E X

- Aaron** cur incipiat non à tribu Leui, sed à tribu Ruben & Simeonis. 46. b. qua in re magnus fuerit. 77. a. fidelis prædicator verbi Dei fuit. 112. b. Prophetam se ostendit. 329. b. moriturus benedixit populum. 331. b. in monte solus moritur. 332. b. à quo sepultus sit. ibidem. bis ieiunauit quadraginta diebus. 186. a. quid inde discendum. ibidem. non fuit cornutus. 186. b. nihil nisi populi cōmodum quæsiuit. 242. b. moriturus populum ad obseruantiam legum admonuit. 289. b. omnia præcepta ad dilectionem Dei proximique refert. 324. a. lapidari præcipit puellam, que nuptui tradita, non inuenta est virgo. 325. a.
- Moyse** cur Deus nõ reuelauerit sepulchrum. 132. b.
- Moyse** humilitas. 23. b. 30. b. prudentia. ibid. 29. b. manus cur leprosa facta. 30. a. mansuetudo. 96. a. 122. a.
- virga qd sit. 98. b. allegoricè quid. 30. a. libri vbi scripti. 133. b. vltimum refugium. 235. a.
- Moyse** officium qui habet, qd facere debeat. 70. b.
- Mulier** bona creatura Dei, ad auxilium viri creata. 308. a.
- Muliebris** sexus pronus ad rixas, et emulationes. 250. b.
- Mulieres** misericordia et auxilio quando maximè opus habeant. 8. a. quas imitari debeant. 308. b. quid querere debeant. 313. a. cur pluribus incitamentis opus habeant, quàm viri. 106. a.
- Mulierum** honor maximus qui sit. 280. b.
- Mulierum** ornamenta. 313. a. mos. 313. b.
- Multitudo** vt plurimum mala amplectitur. 256. a.
- Mundani** vbi putet esse Deum. 313. b.
- Mundi** primum malum quod est. ibid. gaudia interitu obno-

I N D E X.

- obnoxia. 58. a. letitia vana. ret nomē Dei Israel. 246. a
 est. 61. b. ingenium. 3. b. Natura diuina incommuni-
 4. a. 110. b. 304. a. malitia. cabilis est in se. 48. a
 72. a. salus quis sit. 305. a. Natura nostra peruersitas est,
 & Mundo quomodo exeūdum. vt citius mala accipiamus.
 37. b. 257. a
 in Mundo nulla securitas. in Necessitatibus de Deo quid
 306. b. sentiendum. 282. a
 Mūdum Deo præponere, stul- Nemo tam sanctus, quin cade
 tissimum est. 4. b. re possit in hac vita. 256. a
 Mundus fugiēdus. 85. a. qua- Nemrod impiorū principum
 le det premium. 7. a. quot pater. 221. a
 diebus factus. 112. a. qua Nomen eternū quomodo as-
 admireretur. 139. b. sanctos sequamur. 8. b
 quando agnoscat. 285. a. Nomen magnum sine re non
 Murmura impia quare inter commendabile. 353. a
 dum exaudiantur à Deo. Nomen Dei sanctum. 202. a.
 245. b. hodie sine honore p̄fertur.
 203. b. multipliciter bla-
 Murmurare non detet filios sphematur. 201. b. 202. a
 gratia, & fideles. 110. a
 Murmuratione malum dupli Nomina iustorū in calis scri-
 catur. 107. a. pta. 262. a
 Murmurare contra Deum Nomine Dei non est vtendum
 nihil permissius. 239. a. ad incantationes. 203. a
 Musarum genera quot. 60. b. Non facies tibi sculptile, quo-
 mode intelligendum. 198. a
- N
- N** Abuchodonosor p̄ Deo Nullus cultus placet sine fide
 se adorari voluit. in Christum. 324. b
 196. a. edictū proposuit, vt Nunciū in aduersis ad Deum
 occideretur, q̄ blasphemā. qui mittendi. 364. b

I N D E X.

- O**bedientia. 172. a. vera
 quaesit. 41. a. 62. a.
 Deo quam sit grata. ex
 136. b
- O**bedientia Dei nos ad salutem
 promouet. 263. a
- O**bedientia & fides simul esse
 oportet. 246. a
- O**bedientibus Deus & Angeli
 adsunt. 347. a
- O**cium. 131. b. 207. a. 218.
 b. 308. b. 320. a
- O**culorum nostrorum fragi-
 litas. 180. b
- O**dij proprium quid. 34. b
- O**dor bonus in pijs cuius culpa
 malus fiat. 57. b
- O**fferentium bonitas, non ob-
 lationum quantitas à Deo
 attenditur. 155. a
- ad** Officia qui sumendi. 316. a
- O**fficium sanctum, sancta et-
 iam labia & corda requi-
 rit. 47. b. à Deo commissum
 non deserendum aut omit-
 tendum propter malos.
- O**nus quantum uis magnum, à
 Deo nobis impositum non
 reijciendum 24. a
- O**pera Dei perfecta sunt. 51. a.
 ratione nostra non possunt
 peruestigari. 58. a
- O**peribus Dei quid discen-
 dum. 342. b
- O**perum Dei ratio. 110. a
- O**ratio quando necessaria. 18.
 a. qualis in caelum ascen-
 dat. 18. b. tempore tribu-
 tionis quantum proffit.
 42. b si solis gemitibus fiat,
 longè fortius sonat in au-
 ribus Dei, quàm clamor vo-
 cis. 56. b. piorum etiam im-
 pijs proficit. 56. b. ex fide
 proueniens quid possit. 97.
 a. vera quaesit. 97. a. in ad-
 uersis unicuique est reme-
 dium. 107. a. sine operum
 pietate nihil prodest. 126.
 a. pijs hominis quantum
 valeat. 166. b
- O**rationis virtus. 56. b. 57. a.
 264. b
- O**randum in secreto. 56. a.
 19. a. b
- O**rdo quam sit necessarius.
 127. b.
- O**rdo ad populum Dei exigi-
 gitur. 228. a. in Ecclesia
 seruan-

INDEX.

- seruandus. 237.a*
- in Ore diabolum qui habeant. 31.b*
- Ornamenta externa cur in cultu diuino adhibeantur. 361.a. quomodo Deo placeant. ibid.*
- Ouis innocētia imitāda. 91.a*
- P
- P***anis vitæ quis sit. 156.a. non cibatur, sed Dei benedictio. 149.a*
- Panis nomine scriptura quid intelligat. 149.a*
- Parentes filios suos & familiam quò ducere debeant. 34.a. Dei locum in terris tenent. 143.b. quæ liberis prestare debeant. 210.b. quomodo honorādi. 211.a*
- Parentibus honorem non exhibētes veluti muscæ breui pereunt. 61.b*
- Parentum nomine qui dicantur. 209.a*
- Paruuli baptizandi. 35.b*
- Pascha nostrum Christus est. 79.b*
- Pascha quot tempora in scriptura ponantur. 109.a*
- Pastores quo affectu debeant complecti oues suas. 173.b. quinque portare debent. 234.a*
- Pastoribus non dormiendum. 52.a*
- Pastoris exēplum. 75.b. 96.a*
- Pastoris officium. 34.a. 37.a. 49.b. 66.b. 172.b*
- Patris nomen Deo proprie conuenit. 209.a*
- Patroni & tutores parentum nomen obtinent. 29.b*
- Pauci cur multos sepe superant. 330.b*
- D. Paulus quomodo nos salfactos dicat. 105.a*
- Pauperum oppressio in calum clamatur. 18.a*
- Pax, Dei donum est. 124.b. à Deo petenda. ibid.*
- Peccata cauenda. 27.b. in spiritum sanctum nunquam dimittuntur. 39.a. quousque nos sequantur. 96.b. breuiant vitam. 275.a. sapius iterata maiorem pœnā merentur. 377.b. peccata aliorū tenemur extenuare. 225.b*

I N D E X.

- P**eccati initium quod sit. 165. **P**ertinacia unde fiat. 48. b
a. stipendia qua sint. 69. b. **P**etro Christus gladium cur
interdixerit. 125. b
- P**eccator duplici poena obno- **P**haraotypus diaboli. 5. b. 38.
xiu. 358. a a. 39. a. 50. b
- P**eccatorem iustificare quan- **P**harao Moysen cur non occi-
tum opus sit. 27. b derit. 77. a
- P**eccatorum transgressio om- **P**haraonis pertinacia. 37. b.
nia mala inducit. 280. a. a 65. a. cecitas. 76. a
- P**eccatum. 151. quantum ma- **P**hilosophorū opinio de Deo.
lum sit. 64. b. nos separat 24. b
- à Deo. 165. b. citò transit. **P**ietas vera ad omnia valet.
poena non item. 265. a. ma- 372. a
- ximum quod. 274. a. quid **P**ij aeterna memoria digni
faciat. 275. b. quid sit. sunt. 2. a. peripsima huius
289. b. unde ortum ha- mundi sunt. 6. b. ab auditu
buerit. ibidem. quomodo verbi Dei quomodo disce-
deleatur. ibid. dant. 33. a. apud Deum
quanta sint astimationis.
56. b. cum impijs quomo-
do patiantur. 60. b. pro
quibus libenter orent. 63.
a. quomodo irascantur.
168. a. in solo creatore ha-
rent. 179. a. ad tempus vin-
cuntur. 287. b. ab impijs
quid differant. 300. b
- P**eccatum originale quomo- **P**ijs omnia feliciter succedūt.
do deletum. 78. a. 85. b 6. a. afflictiones Deus cur
immittat. 6. a. Deus quo-
modo
- P**ecora in eius usum creata. 64. b
- P**edes Dei quid. 332. a
- P**elagius rana fuit. 56. a
- P**eregrini praecipua conditio
qua. 285. a
- P**erfectionē à quo consequamur. 79. b
- P**ericulis nobis quid agen-
dum. 98. a

I N D E X.

- modo irascatur. 32.a. ab impijs quid expectandum. 41.a
- Pio in aduersis posito quid faciendum 57.a
- Piorum obedientia. 20.a.b. 29.b. gemitus efficacissima orationes sunt apud Deum 44.a. fortitudo vnde sit. 300.b. mors quae sit. 314.a. conditiones. 291.a
- Pios Deus quomodo flagellet. 60.b
- Pius nunquam est sine tentatione. 124.b. cum Deo quomodo loquatur. 141.b
- Plaga Dei cur sagitta dicantur. 330.a
- Pluuia omnibus est communis. 111.b
- Pœna cū culpa nō simul semp dimittitur. 253.b. 260.a
- Pœnitentia qualis perseueret. 57.a. sola delet commissa. 200.b
- vera Pœnitētia in corde consistit. 177.a
- Pœnitentia, quam extorquet timor pœnae aut mortis, nō est vera pœnitentia. 277.a
- ad Pœnitentiam quid maxime nos prouocet. 175.b
- Pœnitentia proprium quid. 82.a
- Populi instabilitas. 377.a
- Populo Dei praeesse quàm sit periculosum, maxime verò in spiritualibus. 23.b
- Populum nihil aequè mouet, atque praelatorum exemplum. 26.a
- Populus Dei qualis esse debeat. 301.a
- Populus solo impetu, non ratione ducitur. 26.a. placencia libèter audit. 269.a
- Potentia Dei nullis modis alligata est. 64.a. humana quid possit, cū se diuina ostendat. 55.b. & 58.b
- Potestas, Dei minister. 358.a. duplex. 36.a. & b. 48.b. spiritualis, debet esse Propheta. 48.b. secularis quorum vindex esse debeat; 48.b. externa Deo cura est. 264.b
- de Potestate non gloriandum aut superbiendum. 151.a
- Potestati nō resistendū. 113.b

I N D E X.

- Præcepta ceremonialia** quid. **Præceptorū consideratio** necessaria. 189.a
- 142.b. **moralia ad legem naturæ** pertinent. *ibid.*
- Præcepta decalogi** à quo venerint. 143.b. **diligenter obseruanda.** *ibid.* cur omnia serè **negatiuè** posita. 144.a
- Præcepta sua Deus non solum** verbo, sed & **scripto** dare cur voluerit. 167.a. **Dei digito** cur scripta. 167.b. **ubi contemnuntur** ibi nihil boni expectari potest. 188.a. **ubiq;** magnas habet **promissiones annexas.** 189.a. **corporales** habent **promissiones.** *ibid.* **æternas** habent **promissiones.** 189.b. **non sunt grauias.** 190.a. **nō sunt impossibilia.** *ibid.* **quot modis attendenda.** 192.a. **affirmatiua & negatiua.** 193.b
- Præcepta Dei inculcare** necessarium est. 196.a
- cuiuslibet Præcepti transgressio** suam habet **pœnā.** 51.b
- in decem Præceptis** qui **ordas obseruatus.** 143.b
- Præceptores parentum nomine** continentur. 209.a. **exbruto hominem** faciunt. 212.a
- à Prædicatione verbi Dei** non cessandum, **ubi spes fructus affulserit.** 338.b
- Prædicator certus** esse debet de eo, quod docet. 24.b. **quæ docere** debeat. 52.a
- in Prædicatore** si nō sit **authoritas,** facile contemnitur. 123.a
- Prædicatori quæ necessaria.** 31.b. 37.a **quæ obseruanda.** 52.a
- Prædicatoris officium.** 8.b 310.a 319.a. **condicio difficilis.** 42.a
- Prælati quomodo** sint arguendi. 169.b
- Prælati** nunquam otia dum. 45.a
- Prælatorum exempla** populū quantoperè moueāt. 26.a **impietas** quam pernitiōsa. 26.a. **pericula.** 96.a. 276.b. **officiū.** 59.b. 60.a. 137.b
- b gloria

I N D E X.

- h gloria in quo consistat.* 136. b. 117. a. 168. b
 165. b *pj Principis exemplum.* 122. b
in Pralatorum institutionibus quæ observanda. 316. a *Principum castra cuius sudore & labore edificentur.* 5. a. *conditio.* 117. a
quilibet Pralatus columna esse debet, & qualis. 98. a
Preparatio vera in quot consistat. 14. a *in Principum aulis quid videatur & audiatur.* 56. b
à Presidentibus maior iustitia et perfectio requiritur, quàm à subditis. 28 3. a *Priuato quando liceat uti gladio.* 171 a
Præsidiũ siue pralatorum officium. 312 a *Promissiones implere Deus cur differat.* 94. a
Primogeniti Dei q. sint. 34. b *Propheta quid significet.* 48. a
Princeps cur gladium portet 246. b *Prophetare quid significet.* 246. b
125. a. 167. a. qualis esse debeat. 41. b *falsi Propheta quibus annunciant Euangelium.* 71. b
in Principe quæ requirantur. 49. a *veri Propheta verbum Dei in corde & ore habet.* 298. b
ad Principes quæ pertineant. 66. b *Prosperitas obliuionem Dei inducit.* 121. b.
Principes boni & mali à quodentur. 18. a *Propitiatorium cur factum.* 156. a
Principes quare constituti. 131. b. *non ipsi modò peccabunt, sed etiam peccata prohibebunt, quid mouere debeat ad iustitiam exequendam.* 358 a *Proximum quotupliciter ledamus.* 143. b
Principis officium. 125. a. *Pseudoprophetae lata semper nunquam tristia annunciant.* 265. b
Pseudoprophetae nulla maior pestis. 51. a

I N D E X.

Pulchritudo, fallax gratia est. Rhinoceroti nullū animal resistere potest 303. b.

280. b.

R

Racha quid sibi velit. 217. b

Ranarum nomine quid intelligendum. 56. a.

Rapinam qui committant. 221. a.

Ratio nobis à Deo cur data. 56. a

Reconciliationis diuina signū certissimum quod sit. 179. a

Rectoribus quæ maximè cura incumbat. 107.

Regibus malis & discolis obediendum. 26. b

Rei arduitas non consideranda, sed verbum Dei. 94. a

Religio Christiana quid doceat. 126. vera per quem sit. 278. b.

Religionis summa quæ 149. a

Renes accingere quid sit 82. b

Resurrectio prima quod sit. 88. b. secunda quid sit ibi. d.

Rex coram Deo quantum valeat. 67. a.

Rhinoceros quomodo capiatur 301. a.

S.

Sabbatum quid. 204. a.

quomodo sanctificandum. 118. a. quare Iudæis institutum. 204. b

Sacerdotem summum quis eligi debeat. 311. a.

Sacerdotes quales esse debeant 279. b

Sacerdotes Dei ministri sunt. 297. a. apud paganos in

quāto honore habiti. 297. a. in primitiua Ecclesia cur

dicebatur presbyteri. 370. a. in Ecclesia solēnibus qui-

busdā ceremonijs cur instituantur. 123. a.

Sacerdotij, & spiritualis regiminis vindex, Deus est. 275. b.

Sacerdotio quod digni sint. 172. a

Sacerdotiū vbi institutū. 80. b. quomodo institutū. 159. a

publicum suas habet tentationes & afflictiones. ibid.

ceremonijs quare institutum. 159. b.

Sacerdotum officium. 319. a

SACER-

I N D E X

- Sacerdotum est scire legē Dei* 327.b.
- Sacramenta cur instituta.* 290.a.
- Sacramentum primum quod sit.* 1.b. *cum lactucis quando comedamus.* 28.a. *cū a- quis qui comedant.* 82.a. *quomodo sumendum.* 82.b.
- ad sacramentū quomodo ac- edendum.* 81.a. 82.a.
- Sacrificiū, quod sit extra vni- tatem Ecclesie, non est ve- rum sacrificiū.* 89.b.
- inter Sacrificia veteris legis quōdanam perfectissimum* 79.a.
- Salus à Deo quibus promissa.* 312.b.
- Salutis nostre summa quæ sit* 1. b. *spes in quo consistat.* 173.a. *initia quam graua sint.* 40.a.
- Samaritani præter vnum Deū etiā suos deos colūt.* 144.a.
- Samson ora leonum fide obtu- rauit.* 98.a.
- Sanctificare quid sit.* 90.a.
- Sancti in veteri testamēto ora uerūt.* 32.a. *qua virga vsi sint in periculis.* 98.a. *in ora- tione etiam externos gestus ostenderūt.* 126.a. *non ag- noscunt gloriam propriam* 180. *inuocādi, ut pro nobis orent.* 197.b. *quāta sint esti- matiōis coram Deo.* 285.b.
- Sanctis aduersa quacunque nō sunt maledictio, sed bene- dictio.* 298. b.
- Sanctitas vera qua in re con- sistat.* 137.b.
- Sanctorū memoria apud Deū perpetua est.* 21. a. *timor, quid sit.* 21. b. *triumphus* 319. a. *mors sancta est.* 299.a.
- Sanctos impugnare Deo quan- toperè displiceat.* 127.a.
- Sanctum quid sit.* 136.a.
- Sapientia Dei* 64.a.
- Sapientia mundana erga sa- pientiam Dei quæ sit.* 31.a. *cuius fide vincatur.* 59.a.
- Saul regno cur priuatus.* 303.b.
- Scientia à Deo est.* 31.b.
- Scriptura de quibus, & pro- pter quos loquatur.* 2.a. *de impijs quomodo loquatur.* *ibid. cur inuenta* 186.b.

I N D E X.

- Scriptura primus author* q̄s. 167.b.
- Senes honorandi.* 213.a
- Sennacherib vbi interfectus.* 306.b
- Sermonis Domini vehemētia.* 31.a
- Serpens aeneus Israelitis cur in signum datus.* 290.a
- Sichem cū ciuitate percussus propter stuprum.* 218.a
- Signa linguam habēt.* 30.a. à veteribus instituta, quibus ipsi & posterì admonerentur Dei & operum eius. 325.b
- Simōis Magi pœnitētia.* 70.a
- Socob quomodo interpretetur.* 92.b
- Sodomitas Deus qua plaga puniuerit.* 275.a
- Spiritu cātare quid sit.* 101.a
- Spiritus bonus quando probetur.* 221.a
- Spiritus que præcipiat.* 29.b
- Spiritus sanctus dari non potuit, nisi Christus prius cruce & passione percuteretur.* 124.a. quando datus. 133.b. ad edificationem corporis Christi datur. 245.b
- Stella vbi oriatur.* 305.a
- Subditi vt opprimātur à malis principibus, Deus cur permittit.* 7.a
- Subditorum laus qua.* 376.a
- Superbia vltimum peccatum.* 270.b. mater est omnium litium. 278.a
- Superbum quid maximè cruciet.* 58.b
- Superhumorale vnde dictum.* 160.a
- Syn quid significet.* 101.a
- T
- T** *Emerarijs resistendum est.* 52.a
- Temeritas in rebus bellicis quantum obsit.* 291.b
- Temporalia quot casibus exposita.* 61.b
- Tenebra vbi nam sint.* 3.a. quare dicantur palpabiles. 74.b
- Tenebras Deus quādo immitat.* 75.b.
- Tentatione quid cogitandum.* 43.b. non solum respiciendum quid Deus circa alios,

I N D E X.

- et alios, sed etiam circa nos fecerit. 44.a. non attendenda rei difficultas, aut nostra indignitas, sed Dei promissio. 44.a. credere quàm sit arduum. 122.a.*
Tentationes ad quid prosint. 150.b. 287.a.
Testamētum vetus vbi datum. 153.b. à quo datum. 153.b. nouum vbi datum. ibid.
Testamentū nouum vnde dictum. 152.a (325.b)
Testamentum vetus à nouo in quo differat. 19.b. 113.a. 152.a.
ad Testamentum quot requirantur. 152.a.
Testis vnus non audiendus.
Thurificationes in Ecclesia cur maneant. 277.b.
Thurificatio vera et Christiana qua sit. 278.a.
Timor Dei vbi est, ibi omnia bona. 325.b.
Timor Domini peccatum expellit. 275.a.
Timor filialis. 141.a.
Transgredientibus primum praeceptum cur aqua in sanguinem vertatur. 53.b.
Tribulatio quid sit. 121.b. homini quid sit. 20.a.
in Tribulatione quid faciamus. 95.a. quodnam remedium certissimum. 95.b.
per Tumultum nihil agendum. 313.a.
Tyranni cur omnia frustra moliantur. 5.a.
Tyrannorum condiciones. 4.b. 41.a. 38.b.
contra Tyrannos' seditiones non mouenda. 7.a.


V


Verbi Dei propriū quod
 46.a
Verbi Dei crebra predicatio populo quàm necessaria. 161.b.
Verbum Dei impijs videtur mendacium. 39.b. quomodo audiendum. 113.a. omnibus preferendum. 144.b. pijs est in cōsolationem, impijs in testimonium contra ipsos. 327.b.
Verbum, quo subsistit cibi & potus sacramētum, non ad fastios sensus trahendū. 89.a.
Veri-

I N D E X.

- Veritatem agnitã blasphema* *Vita nostra quid sit.* 92.a.vii.
re, peccatum est in spiritũ *de pēdeat.* 149.b. *per quẽ*
sanctum. 39. b *nobis contigerit.* 88. a
- Vesperis quid significet.* 112. b *Vita iustorum impijs insania*
Victoria nõ armis, sed Dei ad- *est.* 39. b
- iuutorio constat.* 126. a *Vita bona, optimum medium*
unde pendeat. 149. b. *est consequẽdi felicem exi-*
Victoria nostri regis clangor *tum.* 2277. a
- quis sit.* 301. a *pro Vita hac temporali nõ*
Vitulum superfluitas & a- *laborandum.* 117. b
- bundantia occasionem pec-* *Vita panis quis sit.* 156. a
- candi præbent.* 116. a *Vita mūdane speculum.* 111. a
- Vinea in Deuteronomio quid* *Vitia omnia expugnanda.*
designet. 330. b *388. b*
- Vinum in Deuteronomio quid* *Vocem Dei carnales cur fu-*
designet. 330. b *giant.* 145. b
- Vir non induetur veste mulie-* *Vocem Deus nõ audit, sed af-*
bri, nec contrã. 325. a *fectum.* 56. b
- Vir sanguinũ in scriptura quo* *Vocis diuine efficacia.* 144. b
- modo accipiatur.* 36. a *Voluptas.* 307. b. 308. b. 309. a
- Virga unde nascatur.* 305. a *in Voluptatibus viuentes, per-*
Virga Aaron in colubrũ ver- *ditioni proximi sunt.* 18. b
- sa quid sit.* 51. a *Vua in Deuteron. quid desi-*
Virtutes regia quæ sint. 23 b *gnat.* 330. b
- ad Visionem Dei quis admit-* *Vota Deo qualia placeant.*
tatur. 152. b *287. b*

F I N I S I N D I C I S.





REVERENDI PATRIS
D. IOANNIS FERI ANNO-
TATIONES IN EXODVM
MOYSIS.



Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, vt eamus viam trium dierũ in solitudinẽ, & sacrificemus Domino Deo nostro, nè fortè accidat nobis pestis aut

Exod. 16

gladius.

Quoniam fidelibus per mare huius seculi & solitudinem pœnitentiæ ad promissam patriam contententibus, potissimùm de cibo spiritali prouidendum est, ne in via deficiant, congruè post finitum primũ librum Moyse, Exodum, qui secundo loco ponitur, enarrandum suscepi. Quamuis enim aliàs satis prouisum sit fidelibus de cibo spiritali in Euangelijs & Epistolis, quæ in Ecclesia publicè leguntur, melius tamen sapiunt, & minus generant fastidium, si plura & varia apponantur. Hinc est, quòd ego iuxta Euangelia & Epistolas semper etiam aliud quiddam ex scriptura sacra proposui, non tamen sine delectu. Hæc enim quatuor semper spectavi: Primò, vt materia prædicanda esset certa, cui tutò quilibet confidere posset. Secundò, vt non esset subtilis, sed amœna, quam etiam rudiores percipere possent: nam & illis debitor sum. Tertio, vt esset materia utilis ad ædificationem. Hoc enim maximè in concionibus spectandum est. Quarto, vt etiam tempori & festis cõueniret. Omnes autem has condiciones Exodum noster habet. Primò enim certus est: nam & ipsum descripsit Moyse. Secundò, facilis & amœnus est, quia historias continet. Tertio, utilis etiam est. Quantumuis enim videatur de solis Israelitis dicere, reuera tamẽ in ipso fermè omnia sacramenta, quibus Ecclesia instruitur, figurali-

Rom. 16

ANNOTATIONES

ter exprimuntur. Summa salutis nostræ est, quòd per Christum è diaboli tyrannide liberati sumus. hoc autem figuratum fuit in illa eductione Israelitarum ex Aegypto. Primū sacramentū Ecclesiæ est Baptismus, hic autem, vt Paulus testatur, figuratus fuit in mari rubro. Præcipuum in Christianismo est mors Christi, hæc autem in hoc libro præostensa fuit in agno paschali, vt idē Paulus testatur. Christiani iubentur carnem Christi manducare & sanguinem eius bibere, hoc autem præfiguratum fuit in Manna & aqua de petra, vt Christus ipse testatur. Summa nostra consolatio consistit in sacerdotio Christi. atqui hoc ipsum Christi sacerdotium expressè figuratum fuit in sacerdotio Leuitico, vt in epistola ad Hebræos docet. Ecclesiam Christus construxit, cuius pars adhuc in terra, pars iam in cælo est. hoc autē figuratum fuit in tabernaculo, cuius constructionem hic liber habet. **Quis** igitur dubitet hunc librum vtilem esse etiam nobis, qui fermè omnia mysteria fidei nostrę cōtinet? Postremò, pulchrè etiam facit ad hoc tempus quadragesimæ: hinc enim discemus, quid sit mundus, quid peccatum, quā miserum sit sub diabolo esse, quā difficile sit resurgere à peccato, & deniq; quibus medijs è peruersitate diaboli tandem eripiamur. Hæc autē omnia ad quadragesimam pertinent. **Qua** hunc librum, DE O fauente, enarrandum duxi, non tamen ad finē vsq;. Nam post vicesimum caput incipit Mosaica lex & ceremoniæ, quæ nihil ad nos pertinent, nisi omnia velimus spiritualiter intelligere. Nec arbitror opus esse longa præfatione in hunc librum, quandoquidē omninò condeperdet priori. Vbi enim ille finitur, hic secundus incipit ab eadem scilicet materia: In hoc tamen differentia est, quòd primus liber docet, quomodo Israel intrauerit in Aegyp̄tū: hic autem quomodo exierit, vel potius quomodo eductus fuerit. Peccatū in Ioseph cōmissum causa erat, quòd in Aegyp̄tū diuino iudicio descendere cogerentur: veritas autem & misericordia Dei causa fuit, vt inde liberarentur.

Vtrius.

2. Cor. 10.

1. Cor. 5.

Ioan. 6.

Hebr. 9.

Vtriusque libri summam, David pulchrè & breui. *Pfal. 104*
 ter in quodam psalmo compræhendit: Deus, inquit,
 vocauit famem super terrâ, &c. Misit ante eos virum,
 &c. vsq; ibi, Et intrauit Israel in Aegyptum. Hæc est
 summa primi libri. Postea subdit: Et auxit populū suū
 vehementer, &c. Conuertit cor eorū, vt odirent popu-
 lū suum, Misit Moysen seruum suum, &c. vsq; ad finē
 præsentis. Hic igitur habes summam eorum, quæ in
 hoc lib. cōtinentur. Omissa igitur alia præfatione, aut
 etiam diuisione, huius libri textum ipsum audiamus.

*Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in
 Aegyptum cum Iacob.*

Hoc libri principiū, periti Historiographi egregiā
 laudem possidet, qui quod in præcedenti lib. latius di-
 xerat, hoc ipsum breuiter hic repetere idoneum ratus
 est. Deinde, vt integrū exhiberet corpus huius libri,
 præmisit eximium caput, nominibus filiorum Israel,
 veluti quibusdā stellulis illustratū. Præterea etiā ideo
 nomina filiorū Israel præmittit, vt ostēdat de quibus
 loqui velit. De solis enim pijs, & ppter solos pios scri-
 ptura loquitur. Quòd si interdum de impijs quoque
 nōnulla interferit, hoc per accidens est, & quasi præ-
 ter intentionem. Nulla enim memoria digni sunt
 impij, nisi quantū ex ipsorum supplicio pij admonen-
 tur: digni autē sunt impij, vt memoria eorum pereat *Pfal. 9.*
 cum sonitu. Contrā autem in memoria æterna erit *Pfal. 11.*
 iustus, Et nomina sanctorū viuent in secula. *Eccl. 44.*

Ruben, Simeon, Levi, &c.

Non seruat hic ordinem natiuitatum. Nam Ben-
 jamin, qui natu minimus fuit, quasi in medio posuit.
 Ideo autem non seruat ordinem, quia iam omnes à *Rom. 16*
 patre benedicti erant: omnes vnus populus erant, &
 in hoc omnes æquales erant. Eodē modo & in Chri- *Galat. 3.*
 sto nō est distinctio vel acceptio personarū. Non enim
 hic queritur quis primus vel nouissimus venerit, quis *Eph. 4.*
 mas vel scæmina sit, quis seruus aut Dominus, &c.
 sed tantum, vt quilibet contendat vocationi suæ di-
 gnè ambulare.

ANNOTATIONES

*Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de
femore Iacob, septuaginta.*

Suprà duodecim filios Iacob enumerauerat, nūc & alios connumerat, & summā colligit eorum, qui in Ægyptum intrauerant. Non sine causā autem hoc tam diligenter describit, sed vt hinc discamus quā verax Deus in promissis sit. Promiserat ipsi Iacob, quòd facturū esset eum in gentem magnam: quā perfectè autem hoc impleuerit, facilè videbit, qui has septuaginta animas confert cum sexcentis illis milibus, qui Ægyptum egressi postea memorantur. Scire curè igitur diuinis promissionibus, quantumcunque arduis credamus. Non fallat Deus, si tu non fefelleris. Animæ autem hic accipiuntur pro toto composito, vt & suprà.

Ioseph autem erat in Ægypto.

Hoc ideo dicit, quia quā diu Ioseph viuebat, benè erat Israelitis, & longo tēpore post mortem eius, quā diu scilicet memoria beneficiorum eius durabat.

Et nobis benè est, quā diu Christus in nobis viuit, memoriaque beneficiorum eius.

Mortuo autem Ioseph, & vniuersis fratribus eius, omniq̄e cognatione sua: filij Israel creuerunt & quasi germinantes multiplicati sunt.

Observandum, quòd omnes filij Israel extra promissam terram moriuntur. Benè igitur dicit Paulus, quòd à longe eam salutauerint. Nec nobis durum videatur, si extra patriam moriamur, Domini enim est terra, &c. Moriuntur autem omnes, qui eo tempore vixerant. Sic tempora mutantur, sic generatio vadit, & generatio venit. Suprà modum autem crescunt filij Israel, quia benedictio Domini erat & promissio. Non igitur mirum, quòd eos dicit quasi germinantes creuisse, quemadmodum & in Ezechiele dicitur: Multiplicatum quasi germen agri dedi te.

ALLEGORICE.

Filij Israel genus humanum significant. Sicut enim illi in promissa quidem terra erant, sed tamen coacti,

Gene. 46.

Hebr. 11.
Psal. 23.

Ecc. 1.

Ezech. 16.

coacti, propter peccatum in fratrem, in Aegyptum descenderunt, ubi longo tempore sub saeuissimo tyranno oppressi sunt, & planè pereundum ipsis erat, nisi Deus ex gratia subuenisset: sic primus homo tunc terram promissam accepit, cum in paradysum collocatus fuit. Postquam autem peccauit, statim secuta est fames, dicente Domino: Maledicta terra in opere tuo. Hæc fames, hæc maledictio eiecit eum è terra promissa. hinc coepit descēdere in Aegyptū, id est, tenebras. Vbi enim Deus non videtur, illic tenebræ sunt, illic sub potestatem crudelis tyranni, id est, diaboli, peruenit, a quo nunquam liberari potuisset, nisi Christus ex mera misericordia subuenisset.

Per filios etiam Israel in Aegypto figurata est ecclesia fidelium in mundo, & sub dominio tyrannorū. Sicut enim filij Israel pauci erāt in principio, imò tantum 12. filij, & septuaginta animæ in totum: sic Ecclesia in exordio parua fuit. Solos enim duodecim Apostolos, & postea septuaginta duos discipulos habebat, per quos postea in totum mundum disseminata fuit, verum non nisi post mortem Ioseph, id est, Christi. Sic enim & ipse prædixerat: Nisi granum frumenti mortuum, &c. Quantumcunq; autem cresceret Ecclesia, tamen adhuc in Aegypto erat, & est, donec tandem in cælū trāseratur: quod nō nisi post iudiciū fiet.

Moraliter etiam per filios Israel quilibet peccator intelligitur. Sicut enim filij Israel facilè quidem descenderunt in Aegyptum, difficulter autē redierunt, imò per seipsos intrarunt, sed per seipsos nō poterant exire: Sic peccator facilè quidem in peccatum cadit, & gratiam amittit, sed difficulter restituitur, imò per seipsum redire non potest, nisi desuper adiuuetur. Deinde sicut Israelitis primum pulchrè arridebat, sed finaliter omnibus malis affligebat: sic peccatū primò quidem blandum videtur, sed nouissimè mordet vt coluber, & perpetuam relinquit confusionem. Præterea, sic Pharaob benignè suscepit & allexit Israelitas, sed postea omninò perdere conatus est; sic diabolus

ANNOTATIONES

&c. Insuper, sicut Israelitæ in tempore prosperitatis obliuiscébantur terræ promissæ: sic peccator, &c. Postremò, sicut filij Israel creuerunt in Aegypto, sed postea filij eorum necabantur: sic peccator crescit quidem in mundo temporaliter, sed in fine omnia perdit.

Surrexit interea rex nouus super Aegyptum.

Gen. 45.

Iure nouus rex dicitur, qui tam dissimilis erat ei, sub quo Israel intrauit in Aegyptum. Is enim sapientes etiam è carcere sumptos exaltauit, & iustos etiã è longinquis regionibus magnis promissis inuitauit, vt patet de Iacob: hic autẽ iustos etiam in regno suo constitutos nedum non honorauit, sed insuper etiam persecutus est. Non mirum igitur est, quod diuersa illis acciderunt. Priori enim illi omnia prosperè cedebant: huic autem ingentes plagæ inferebantur, donec tandem in totum periret. Sic verificatum est in priori illo verbum Christi: Qui accipit iustum in nomine iusti, mercedẽ iusti accipiet. In hoc autem rege, illud propheticum: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Cæterũ, illa mutatio regni, prima causa fuit afflictionis populi Dei. Vt plurimũ enim vbi nouus rex, ibi noua lex, & plerũque deteriora sequuntur.

Matth. 10

Qui ignorabat Ioseph.

Luce. 21.

Hæc est secunda causa afflictionis populi Dei, quia rex ignorabat beneficia ipsius Ioseph. Imò etiã hodiẽ nihil adeò impellit impios in omnia vitia, quã quòd ignerant Ioseph, nesciunt Deum omnia videre, omnia iudicaturum; non cogitant Dei beneficia; deniq; nesciũt quid faciunt. Hæc tamen ignorantia non excusat eos, vt plurimum enim nolunt scire, audire. Summa, vbi Deus ignoratur, & beneficia eius non cogitantur, proteruiunt mali, affliguntur boni. Hinc Moyses nihil adeò populo suo inculcauit, quã vt nunquã beneficiorum Dei obliuiscerentur.

Gen. 47.

Mirum autem, quòd rex ille Iosephũ ignorare potuit, cum etiam tunc beneficijs eius frueretur. Nam Ioseph instituerat, vt quinta pars regibus solueretur. Verũ sic agit mundus, quòd facilẽ obliuiscitur beneficiorum.

fiorum, & maximè Principes. Item quòd bonis quidem vitur, eius autem obliuiscitur, qui dedit. Sic nos Christi & Dei obliuiscimur, vnde omnia tam spiritua- lia, quàm carnalia accepimus. Filios, inquit, enutriui & exaltaui: illi autem spreuerunt me, &c. Et iterum: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit. Dereliquit Deum, &c. Non igitur est, quòd Aegyptios illos accu- semus, sed nos ipsos in illis cognoscamus. hoc enim vel maximè cōtritionem in nobis excitabit, si consi- deremus Dei beneficia, & è regione nostram ingrati- tudinem, superbiam, malitiam, &c.

Ecce, populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est.

Tertia causa afflictionis populi Dei, fuit inuidia: In- uidus enim facilè ad nocendū alijs mouetur, maximè si potestas adsit. Pulchrè autem naturam inuidi hīc videmus, qui semper videtur vicinum pecus grandius vber habere, vt Poeta ille dicit. Sic rex ille cū pro se multa Dei dona haberet, tamen tantū vidit quid alijs haberent, & inuidit eis bona, quæ ipse non dederat, sed Deus.

Verum quidē erat, quòd populus Israel multus e- rat & fortior Aegyptijs, maximè spirituali fortitudi- ne: vnde & non Israel ortum habet: imò etiam corpo- re fortiores erant, vt qui frugaliter viuerent, & labori- bus assueti essent, cū interim Aegyptij delitijs difflic- rent, ac idè molles essent. Non tamen hoc eis inui- dere debuit rex, sed mirari, imitari, quemadmodum & nos bona aliorum mirari & imitari debemus, imò ex hoc in laudē Dei con surgere. Cæterū sicut veraciter de carnali Israel dictum est, quòd multi fuerint, & fortes: ita nobis quoque, qui spiritualiter Israel su- mus, ad hoc conandum, vt non tantū numero, sed etiam & maximè merito & fortitudine spiritus cre- scamus. Væ enim nobis, si pauciores & firmiores AE- gyptijs simus.

Venite, sapienter opprimamus eum.

Hoc est præmium, quod mundus dat. Nec aliud et- iam diabolus suis seruatoribus in fine dabit. Stultissi-

ANNOTATIONES

Ios. 7. mū igitur est, mundū præponere Deo, qui solus & certum & æternum præmium dat seruatoribus suis, vt patet. Vide autem hic cōditiones impiorū, quomodo sic mutuò instigant: non contenti sunt proprijs peccatis, sed insuper etiam alienis se onerant, miserimi omnium, vt qui prius plus satis peccatorum habent.

Videmus item conditiones tyrannorum. Primò, quòd nihil aliud cogitāt, nisi oppressionem. Nihil hic dicitur quòd filij Israel hoc meruerint, quòd peccauerint, quòd rebelles fuerint, &c. Nullam iustā causam rex ille habet, &c. sed tantūm vi agit, non cogitat DEVM, non videt se hominem esse, non scit potestatem sibi datam ad laudem & defensionem bonorū, sed tantūm, Venite, inquit, opprimamus. Non talis princeps erat Ioseph. Poterat & ipse opprimere totam Aegyptum: nam & se, & sua illi vendiderant Aegyptij: tamen bona illis reddidit: insuper & fructuum maiorem partem reliquit, tantūm quinta parte pro regib. reseruata. hic salutarē principem se exhibebat.

Rom. 13. **Gen. 47.** **Ier. 4.** Alia conditio tyranni, quòd nedum potentia vtitur ad oppressionem aliorum, sed etiam astutia. Sic impij sapientia, vel prudentia, quæ donum Dei est, tantūm ad malū vtuntur. Sapientes sunt, vt faciant malum, benè autem facere nescierunt. Sic etiam adhuc impij tantūm seipso curant, & quæ sua sunt, per fas nefasq; quærunt. An nō & inter nos huiusmodi sunt, qui alios opprimūt, & sapienter opprimunt, subinde excogitantes noua retia, quibus aliorum bona ad se trahant? Hoc nedū principes, sed & negotiatores, & opifices, alijq; faciunt. Itaq; cum Israelitas nos esse putamus, Aegyptijs simillimi inuenimur, & nisi emendauerimus, cum ipsis etiam puniendi.

Ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis e-
grediatur de terra.

Quarta causa afflictionis populi Dei, erat vanus, vel potiùs prætensus timor. Nihil enim minus cogitabant Israelitæ, quàm hostibus Aegyptiorum se iungere.

gere Sic igitur trepidat impius, ubi non est timor. Cæterum, quod timent impij, accidet illis. Sic quod Psal. 19. hic timuit, præuenire vel præcauere non potuit, nè scilicet Israel egrederetur ex Aegypto: malis enim medijs hoc præcauere conabatur. Sic Caiphæ timuit, Ioan. 11. nè per Christum periret gens Iudæorum, cum Christus nihil minus cogitaret, quam ipsos perdere. Itidē timuerunt tyranni, sed tamen frustra timēt, frustra omnia moliuntur: quia malis medijs vtuntur.

Præposuit itaque eis præfectos operum, vt affligerent eos oneribus:

Satis iam peccauerat tam immantia proponendo, & alios alliciēdo, etiam si propositum suum ad effectum non perduxisset. Verum vrgebat eum iudicium diuinū, idcō festinat complere mensuram iniquitatū suarum. Cæterum, ubi nos legimus, Præfectos operū, alij legunt, Præfectos tributorum. Vnde patet, quòd nedum laboribus, sed etiam tributis conferendis eos premebat, omnibus modis cauens, nè vel numero, vel pecunia crescerent Israelitæ. Laboribus autem eos opprimere studebat, vt fatigati per diē, ab opere generationis cessarent. Sed frustra hoc agit: Benedictio enim Domini erat, vt semen Abrahæ cresceret. Imo iam decretum erat, vt in tantam multitudinem cresceret, quæ arenæ maris & stellis cæli comparari posset. *Ædificaruntq; vrbes tabernaculorū, Pharaon, Phiuō, & Ramesses.*

Potest intelligi, quòd Israelitæ has vrbes coacti sint ædificare. Melius autem intelligitur indefinitè. Q. D. tunc autem, cum rex hoc proponeret, ædificabantur ciuitates hæ, &c. hoc est: Inde accepit ansam opprimendi & spoliandi eos, quemadmodum etiam nūc principum castra & ciuitates ædificantur sudore & sanguine pauperum. Hinc & contra Nabuchodonosor similia facientem dicitur: Væ qui congregat non sua, &c. Væ qui cōgregat auaritiā malā domui suæ, &c. Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, &c. Væ qui potum dat amico mittens sel suum, &c. Ideo tamen Moyses tam diligenter descripsit huius regis malitiā & tyrannidem, nō quòd tantam voluptatē

ANNOTATIONES

haberet aliena peccata euulgandi, nec etiam ut suam propriam iniuriam in rege vindicaret: sed ob id maxime, quod per hunc regem diabolus præfiguratus fuit. Huius veri tyranni, id est, diaboli conditiones cupit omnibus esse notas, ut diligentius eum vitent. Et quidem veri & exercitati Christiani non ignorant cogitationes eius: alij autem non sic. Ideo qui nescit qualis tyrannus sit, cui hastenus subditus fuit, is hunc regem attendat, & ipsissimū diabolum videbit.

Primò enim etiam diabolus rex est super omnes filios superbix, & princeps mundi, nec est potestas super terram, quæ ei comparari possit. Novus autem rex est, quia se ipsum eleuauit. Ascendam, inquit, in cælum & similis ero altissimo. Verus enim & vnicus rex solus Deus est. Tertio signâter rex est Aegypti, id est, tenebrarum, & omnium eorum, qui in tenebris ambulant. Est & hæc diaboli conditio, quod ignorat Ioseph, id est, Christū. Nūquam enim voluit filio Dei subdi, imò omnibus modis eum perdere conatus est. Præterea inuidus est, maximè homini: inuidia enim diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Videbat homini data esse, vel danda, quæ ipse perdiderat, ideo inuidit. Maximè autem conatus est impedire, nè genus hominum maximè electorum multiplicaretur. Vndè cum Deus homini benedicēs, dixisset, Crescite, & multiplicamini (quæ benedictio ad prædestinatos pertinebat. Nā quo ad impios, postea dixit: multiplicabo conceptus tuos) statim curauit hominem in peccatum precipitare, ut vel sic benedictio illa cessaretur: quod, quia factum non est, postea alijs medijs conatus est impedire, nè iusti multiplicarentur. Hinc cum inter filios Adæ vnus tantum iustus esset, curauit ut occideretur.

Sic cum tempore Enos & deinceps cœpisset inuocari nomen Domini, vsq; ad tēpora Noe; suis fallacijs egit, ut filij Dei seducerentur per mulieres, sicque perirēt in diluuiō. Idē conatus fuit filijs Israel in Aegypto crescentibus, &c. item in primitiua ecclesia, &c.

Sed

2. Cor. 2.

Job. 41.

Esa. 14.

Sap. 2.

Gen. 1:

Gen. 3.

Gen. 4.

Gen. 6.

Sed cur hoc ita conatus est? Primò, quia timebat futuram hominum fortitudinem: timebat & erubescerat, quòd homo terrestre animal fortior futurus esset, quàm ipse, id quod per Christum contigit. Deinde sciebat futurum contra se bellum: sciebat filium Dei venturum. Omnibus modis igitur pręuenire conatus fuit, nè homines Christo iungerentur, sicque fortiores diabolo effecti egrederentur è potestate tenebrarum.

Ad hoc autem non solùm angelis malis, sed etiã hominibus malis vsus est, qui præfecti eius sunt. Plerunq; enim tyrannos concitauit contra fideles: interdum etiam persecutiones excitauit per infirmos. Summa, omnibus modis studebat, & etiam nunc studet roborare atrium suum, multitudinemq; suam, vt scilicet in pace esse possint, quæ rapuit. Huiusmodi tyrãno subiecti fuimus, imò spõte ei nos subiecimus. **Luc. II.** Sub hoc tyranno sumus, quã diu in peccatis iacemus, cùm tamen meliora nobis contingere possent. Nam **Prou. I.** Deus stat, & vocat nos in regnum suum, expanditque sinum & brachia sua ad suscipiendum nos. Quanta igitur cæcitas & insania nostra, qui tantam felicitatẽ excludimus & rejicimus? O quàm poenitebit nos huius negligentię. Qui igitur habet aures audiendi, audiat, & fugiat nunc, dum potest, dum Dominus suscipere vult, &c.

Quantiò autem opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.

Sic enim non est fortitudo, non est consilium contra Dominum: Et pijs omnia cedunt in bonum. Sic pijs in tentatione crescunt, in prosperis autem decrescunt, quod apparet in Ecclesia, quæ tempore persecutorum creuit: à tempore pacis redditę decreuit, donec in omnia vitia degenerauit, quẽadmodum est dies hæc. Hinc igitur videmus, cur Deus pijs afflictiones immittat, nimirum ne decrescant.

Oderãt filios Israel Aegyptij, et affligebãt illudẽtes eis & inuidẽtes.

Sic inuidia semper sequitur alienam felicitatem. **Cæterum** in præsens dicitur, quòd Deus conuertit corda

**Prou. 24.
Rom. 8.**

Psal. 104

ANNOTATIONES

corda **A**Egyptiorum, vt odirent populum suum: non tamen sic intelligendum est, quòd Deus cor eorum de bono in malum conuerterit, sed quòd benè faciendo Israelitis **A**Egyptios exasperauerit, vt magis inuiderent. Ad longū autem describit **A**Egyptiorum malitiam, vt videamus meritò ipsos cū rege perijisse, quando quidem cum ipso peccauerant. Primò, inquit, Obediebant: in Hebræo habetur, Nauseabant, & abominabantur. Sic pij homines fabula, imò peripissima huius mundi sunt: Eijcient, inquit, nomen vestrū tāquam malum. Secundò, affligebant eos. Tertiò, illudabant eos. Sic mundus in pace viuens, nedum non compatitur pijs in afflictione positis, sed in super illudit. sed age rideant dum licet: suo enim tempore & ipsorum luctus veniet. Affligebantur Israelitæ primò: iudicium enim incipit à domo Dei: statim autem post afflictio ad **A**Egyptios perueniebat. Nunc quidem rident, nec putant tanta mala super ipsos ventura: sed finis omnia declarat.

Deinde iustorum afflictio deseruit ipsis ad dilectionē peccatorum, denique & non diu durat, & sequitur æterna consolatio. Quòd autem impijs pœna differatur, signum est, quòd non temporaliter tantū, sed æternaliter puniendi sunt: Fecem enim calicis Domini bibent omnes peccatores terrę, quemadmodum in **A**Egyptijs videbimus. Signanter autem dicitur, quòd affligebāt operibus duris & etiam vilibus, luti scilicet & lateris, alijsq; vilibus operibus, quæ nemo alius dignabatur facere. Ideò autem Deus tāta permisit: Primò, vt puniretur propter peccatum in Ioseph factum, cuius pœnam æternam, in hanc temporalem commutauerat ex gratia. Deinde, ideo hæc permisit, vt **A**Egyptijs ipsis vilesceret, maximè autem vt desiderare inciperent promissam terram. Iam siquidem tempus erat implendæ promissionis, iam peccata Amorrhæorum completa erant, iam non volebat Deus diutius ferre impietatem eorum. Vnum autem adhuc obstabat, quòd Israelitæ **A**Egyptiaca prosperitate illecti, nō eu-

piebant

Cor. 4.
Matth. 5

Psal. 74.

cuplebant aut desiderabant aliam terrā. Igitur vt excitaretur in ipsis desiderium, hanc tentationem super ipsos permisit. Non enim dona sua dare vult, nisi de- Luc. 1.
siderantibus & querentibus. Esurientes, inquit, imple-
uit bonis, & diuites dimisit inanes. Et Christus. Qui Luc. 11.
petit, accipit: & qui querit, inuenit, &c. Sic igitur etiā
nūc Deus permittit, vt mali principes opprimant sub-
ditos: Primò, vt sic puniantur pro peccatis. Si iustè &
piè viuerent, mutare sciret & Deus corda principū.
Deinde ideo permittit huiusmodi oppressiones, vt sus-
piremus ad cælestem patriam. Non igitur est, quòd se-
ditiones moueamus contra tyrannos: non quid pa-
tiamur, cogitemus, sed quid meruimus. Item non
quid homines nobis imponant, sed quid Deus per
hæc sibi velit.

MORALITER.

Diabolus etiam suos subditos duris & pudendis
oneribus opprimit. Quot enim peccata super te ha-
bes, tot onera portas. Quodlibet enim peccatum, ta-
lentū plumbi est, miserè premens conscientiam: quā- Zach. 5.
tumuis pleriq; pondus hoc nondum sentiant, suo ta-
men tempore sensuri sunt. Hinc Christus: Venite ad
me omnes, qui onerati estis. Et Dauid: Peccata mea
tanquam onus graue grauata sunt super me. Nec so- Matth. 23.
lūm duris, sed & pudendis laboribus peccatores op- Psal. 37.
primit: imò talibus, de quibus, postquam illuminati
fuerint, erubescunt; hinc Paulus: Quam, inquit, mer. Rom. 1.
cedem tunc habuistis in peccatis, in quibus nunc eru-
bescitis, &c. Quot & quā indigna facere cogitur aua-
rus; donec diuitias congreget? Eodem modo & luxu-
riosus, donec libidini suæ satisfaciat. Quam indigna
facere cogitur, q̄ honores ambit? is enim nunc huic,
nunc illi adulari cogitur, &c. nunc hæc, nunc illa pa-
ti, &c. & sic de alijs. An non pudenda hæc sunt, etiam
si tantū rationem in iudicium vocemus? Sic igitur
diabolus peccatores operibus luti & lateris oppri-
mit, qui ad longè digniora creati erant. Tandem igitur

ANNOTATIONES

Ier. 3.

tur oculos aperiamus, & videamus vbi prostrati sumus, &c. reuertamurque ad Dominum.

Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebraeorum: quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua.

Pergit Moyses describere peccata Aegyptiorum, & maximè regis, tum vt videamus iustè ipsum à DEO postea punitum, tum vt hinc discamus, quomodo diabolus erga nos affectus sit. Quatuor autem ingentia scelera de hoc tyranno scribuntur. Primò, quòd filios Israel operibus oppressit, vt voluptate generandi e. mortua filij non procrearentur. Secundo, quòd obstetricum dolo agere nititur, vt nati paruuli clam interi mantur. Tertio, cum aperta persecutione sæuiens, paruulos in flumen projicere iubet: Quarto, quòd Moysè præceptū Domini ipsi prædicante dixit. *Quis est Dominus, vt audiam?* Omnia hæc diaboli propria sunt, vt infra per ordinem patebit.

Rex igitur Aegypti frustratus in primo conatu, aliud quiddam molitur, quod, quia & aspectu horrè dum erat, & per seipsum hoc facere puderet, per obstetrices hoc fieri præcipit, vt scilicet paruuli quidem perirent, nemo tamen regem insimulare posset. Sic tyranni plerūque hypocrisi tegunt suam tyrannidem, multa mala occultè procurantes, quorum tamen nolunt videri auctores. Sic David occultè iubet interfici Uriam.

2. Reg. 11.

Sic itè tyranni semper ad manum habent aliquos, quorum audacia nihil nō malorum perpetrent. Iam quòd rex hic tam impia molitur, non valdè mirandum est, erat enim rex nouus, id est, iuuenis, ignorans Ioseph & Deum, inuidus & avarus. hæc quatuor si in principe conueniunt, væ populo.

Quando obstetricabilis Hebræas, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eū: si fœmina, reseruate.

Plures leguntur fuisse tyranni, vix tamen quisquam tam immaniter egit, vt hic. Primò enim admodum crudele est occidere pueros, cui ætati etiam nonnullæ bestię parcent: immaniùs autem est eos pueros occi-

occidere, qui nondum viderunt lucem: immanissimū autem est tēpore partus hoc facere: tūc enim mulieris sexus maximē opus habet misericordia & auxilio. At tyrannus eo tempore ipsis & misericordiam & auxilium aufert.

Crudelior igitur fuit Dionysius Phalaride, Nerone, imò & Aſcalonita. Herodes is quidē etiam occidit pueros, sed iam natos, atq; adeò sine periculo matrū. Summa, quantumuis natura horreret hoc facinus, tamen impius rex audeat hoc præcipere, tantū ob avaritiam & dominandi libidinem. Vbi hæc duo hominem ceperunt, ad omnia scelera propellitur.

De avaritia dicit Paulus: Radix omnium malorum cupiditas: hæc enim ad furta, rapinas, homicidia, prodiones, &c. hominem propellit. Ex libidine autem regnandi, Joab duos viros proditoriè occidit, & Absolon proprium patre persecutus est, & Iulius omnem terram sanguine replevit. Eadem regnandi libido etiam nunc omnia bella excitat. Væ autem his, qui civitates ædificant in sanguinibus, ait Propheta, &c. Summa, ignorans Deū, nihil nō audeat facere.

Matt. 2.

1 Tim. 2 Reg. & 20.

2 Reg.

Abac. 2.

Esa. 14.

Eccle. 1.

Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Aegypti, sed conseruabant mares.

Hic iterum diuino nutu impeditur regis conatus. Non enim est consilium contra Dominum. Dominus decreuit, quis poterit infringere? Hæ autem omnes mulieres omnes Aegyptios confundūt, & damnant, cū enim tot viri essent, tot sapientes, tot docti: nullus tamen audebat tyranno contradicere aut arguere, imò omnes obſequebantur contra conscientiam, imò naturam præcipienti. Solū hæ mulieres malū præcipienti non obediunt, in quo & multis Christianorū iustiores sunt. Sed quomodo id aulse sunt? Timuerunt, inquit, Deum. Sic enim verissimum est illud Sapiētis: Timor Domini expellit peccatum. Sciebant istæ mulieres ethnicae, quòd nullum malum erit impunitum: & hoc didicerant solo naturæ ductu, quòd nos vix credimus, etiam post tot scripturæ testimonia, &c. Me

ritò

ANNOTATIONES

ritò igitur Moyses ad perpetuam memoriam dignas
 eas cēsuit, quarum nomina in scriptura sacra, poneret
 (quòd alàs non consuevit) ad exemplum, imò con-
 fusiones omnium posterorum. Aeterna enim memo-
 ria digni sunt, qui misericordiã præstant miseris, qui
 innocentiam tuentur, qui Deum timent, qui denique
 potius pati volunt, quàm malum facere. Discant hinc
 homines, quo pacto æternum sibi nomen faciant.

Quod de hoc rege dicit scriptura, hoc idem diabo-
 lus & fecit & facit. Is enim ab initio, quantũ in se fuit,
 egit, vt nullus Israelita verus verbo prædicationis spi-
 rituales Deo filios gigneret, vt suprã dictum est. Quod
 ibi impedire non potuit, hoc egit, vt natos filios DE I
 obstetricante hæretica manu occideret. Per obstetri-
 ces enim prædicatores signatur, quorum officium est,
 fideles ad vitam perducere, & ad lumen veritatis.

Huiusmodi prædicatores si timore Domini vacui
 sunt, multos & facilè, imò & occultè occidere possunt,
 & omnib. modis agere, ne populus Dei crescere pos-
 sit. Possunt & per obstetrices, principum consiliarij
 intelligi, qui & ipsi, si Deum non timeant, multa mala
 facere possunt. Hoc sciens diabolus, potissimùm præ-
 dicatores corrumpere nititur. Sic in veteri testamen-
 to falsos prophetas excitauit, in nouo hæreticos, quo-
 rũ auxilio & runc, & nunc multos occidit. Nec minus
 principum consiliarios corrumpere studet.

Maximè autem masculos occidere studet, id est, re-
 ctiores, doctos, sapientes, potentes: his enim seductis,
 facilè sequitur populus. Hinc Moyses præcipit, vt rex
 semper secum habeat legem. Vel masculos, id est, in-
 ternum hominem, spiritum scilicet & gratiam Dei in
 nobis, & virtutes occidere studet: his enim masculis
 occisis, certus est, quòd scēminam, id est, carnem sibi
 consentientem adulterari possit. Summa, in nobis o-
 dit, & perditum cupit, quidquid virile & virtuosum
 in nobis: quod autem molle, effœminaturn, & malum
 est, hoc diligit, hoc cupit augeri. Verùm hic cuilibet
 pro sua vocatione faciendurn est, quòd fecerunt hæ-
 obste

Eccl. 5.

Deu. 17.

obstetrices, nempe nō obedire. Si enim illæ aufæ sunt regi non consentire, multò magis audeamus nos diabolo contradicere.

Vocauit autem rex obstetrices, & ait illis: Quid nam est hoc, quod facere voluistis, vt pueros seruares?

Adhuc perstat in sua impietate, ac peccata sua auget, donec tandem omninò induretur. Fili mi, inquit, **Eccl. 5.** peccasti, nè adicias peccatū. Nè dicas, Peccaui, quid mihi accidit triste? &c. Vides autem hīc conditiones impiorum: Primò, quò magis conatus eorum impediuntur, eò magis insaniunt. Non sic faciunt pij, sed etiam si aliquando malū quid cogitauerint, gaudent tamen si impediuntur. Sic Dauid gaudebat, quòd **1 Reg.** Abigail in occursum suum veniens, præuenerat, nè sanguinem effunderet. Secundò, impij cū mala perpetrauerint, & impij conatus eorū processerint, gaudent. **Prov.** Lætantur inquit, cū malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Pij autem post peccatum pœnitent, lugent, plorant, vt in Dauide patet. Tertiò, apud impios vitio datur. & pœnam meretur virtus & timor Dei: contrà autem impietas præmiatur. Si gutta pietatis in hoc rege fuisset, mulieres has commendasset, imò præmiasset, quòd tam iustè fecissent, sed in super eas punire conatur. Quartò, impij volunt sua iussa seruari, quantumuis legi diuinæ, imò & iuribus naturæ contraria sint, quemadmodum hic rex facit. Quintò, impij non contenti sunt, quòd ipsi mali sint, & nihil boni faciāt, in super volunt oēs esse malos nec patiuntur vt alij benè faciāt. Noli prohibere, inquit **Prov. 3.** Sapiēs, eum, qui benè facit: sed & tu si potes, benè fac.

Non sunt Hebrææ, sicut AEgyptiæ mulieres.

Colligitur ex hoc verbo, quòd hæ obstetrices fuerunt AEgyptiæ, alioqui nō sic locutæ essent. Nec enim Hebrææ mulieres scire poterant, quomodo dispositæ essent AEgyptiæ mulieres, vt quæ nullam cum eis consuetudinē habebant. Imò nec verisimile est, quòd rex Hebræas obstetrices ad hoc facinus elegerit, quas sciebat hoc minimè facturas in populū suum. Eò maior

ANNOTATIONES

ior autem est laus harum obstetricū, quòd Aegyptiæ fuerunt, & Ethnicię, & tamen tam piæ fuerunt: Econtra eò maior est confusio nostra, quòd etiam Ethnicis inuenimur deteriores. Cæterùm quod corā rege præ-tendunt, fortassè verum fuit: quia enim Hebræę mulieres castiores erant Aegyptijs, non dubium, quin & fortunatiores fuerunt in partu, maximè Domino in ipsis complente quod promiserat.

Quia tamen suprà dictum est, quòd propter timorem Dei regis mandatum non perfecerunt, videtur quòd hoc loco excusationem hanc finxerint, tamen vt regis iram effugerent, tum vt rex eò faciliùs à cœpta insania cessaret, quam videret frustraneam esse. Nec est, quòd ob hoc damnandæ sint, cùm non fuerit mendacium perniciosum, sed officiosum (si tamē mendaciū fuit.) Deinde excusat eas charitas, quæ etiam multitudinem peccatorum operit. Hæc charitas excusat etiam ipsam Raab à mendacio: itemq; ipsam Iudith, & alios.

Benè ergo fecit Deus obstetricibus his.

Videmus hïc, quòd Deus nullum bonum irremuneratum permittit. In omni enim gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, Deo acceptus est. Benè fecit autem eis non propter mendacium, sed propter misericordiam, timorem Dei, & fortitudinem animi. Videmus etiam hïc, quòd nullum officium tam humile est, in quo homo non possit mereri magna, si cum timore Dei illud exequatur. Humile erat officium obstetricum, & tamē eo ipso officio Deo complacuerunt: quia cum timore Dei executæ sunt. Si tam humili officio Deum sibi demereri, & proprium facere potuerunt, quanto magis id possent qui magna illa officia habent nempe, Pastores, Principes, Iudices, &c. si ea, quæ officij sui sunt, cum timore Dei exequerentur?

Dum igitur tempus habemus, operemur bonum. Quilibet enim in suo statu magna mereri potest.

Et creuit populus, confortatusque est nimis.

Hoc

a Pet. 4.

Ios. 2.

Iudit. 10.

11.

Act. 10.

Gal. 6.

Hoc crebrò repetit, vt videamus, quòd nihil possint consilia & conatus hominum contra consilium Dei: Et vt cessemus contra Deum erigi & pugnare. Durum est enim contra stimulum calcitrare, & in petram solidam impingere. Act. 2.

Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos.

Hoc aliqui referunt ad Israelitas, quòd Deus ipsos ædificauerit & multiplicauerit, propterea quòd obstetrices timendo Deum paruulos seruauerint. Sed melius refertur ad obstetrices, quibus Deus dicitur domos ædificasse, nò externas. Scriptura enim verbo ædificandi aliter vtitur. Nam Sara cupiebat ædificari ex Agar, id est, progeniẽ habere & filios. Et de Rachel & Lia scriptum est, quòd ipse ædificauerit domũ Israel, id est, fuere potissimè matres eius populi. In Ieremia dicitur de iustis, quòd ædificabuntur in medio populi Dei, hoc est, exaltabuntur, conseruabuntur, &c. Ad eundẽ modum & hic intelligitur: Aedificauit illis domos, id est, suscepit eas, prosperauit eas, exaltauit, benèfecit. Vel secundũ Gregorium: Dedit illis gratiam & virtutes, quibus ad æternas illas mansiones peruenirent: de quibus Christus in Ioanne dicit. Gen. 16.
Ier. 12.
Ioan. 14.

Præcepit ergo Pharao omni populo suo dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiecite: quidquid fœminini, reseruate.

Hætenus occultè & sapienter opprimere voluit filios Israel, nũc manifestam violentiam addit, ac omnibus modis insanit. Sic enim impij insaniunt, quamdiu eis licet. Suo tẽpore, & citò cessabit insania huius regis cum maximo ipsius malo. Omnem igitur nunc populum ad impia illa mandata excitat & cogit. Nullus autem hic legitur regis præceptum declinasse, iuste igitur cum ipso omnes perierunt, quando omnes in tam impium facinus consenserunt.

Cæterum quòd fœminas reseruare iubet, non ex misericordia factum est, sed vt suæ voluptati consuleret, ipsisque abuteretur. Sic impij etiam in his, quæ benè facere videntur, tantum sua quærunt, & seipsos.

ANNOTATIONES

Ad cōsimilem modum & diabolus eos, quos nec impedire potest, nec per errores decipere, studet submergere vel nimia prosperitate huius seculi, vel aperta persecutione. Sic Ecclesiam apertè persecutus est. Sic ipsum Iob, cū aliās non posset, multipliciter (hoc permittente Deo) afflixit, &c. Signanter autem hoc studet, vt, dum adhuc pueri sumus, submergat nos, id est, in adolescentia nos præcipitet in vitia. Scit enim, quòd adolescens iuxta viam suam, etiam cū senuerit, non recedet ab ea. Studet insuper, vt bonum propositum, dum adhuc recens est, extinguat, ac semen verbi Dei curis & sollicitudinibus huius vitæ suffocet. Igitur cū non ignoremus cogitationes eius, curemus, vt impijs eius conatibus obstitamus.

CAPVT II.



IN hoc secundo capite incipit Deus opus suum, quod diu proposuerat, nēpe liberare & educere populum suum ex Aegypto. Incipit autē à longè, & ita vt nihil min⁹ videatur. Lōgo post tēpore ea liberatio facta est, nēpe cū Moyse octoginta esset annorū. Interim tamē nasci & educari eum facit, per quē decreuerat populum suum liberare. Nec tamen apertè indicat, quid per ipsum facturus sit. Nō enim cōducebat hoc eo tempore velari, ne Rex magis exasperaretur, & filij Israel deiectioni animo fierent. Vidētes se tam longo tempore adhuc in tribulatione futuros, donec Moyse iā primū natus adulesceret: interim tamen tam mira circa Moysen puerū adhuc operatur Deus, vt dubitari nō possit, magnum quid olim per ipsum perpetrandum esse. Sicut igitur superiori capitulo descripsit persecutorem Israelitici populi, sic hic describitur prouiso ducis liberātis. Persecutor fuit Pharaos: liberator fuit Moyse. Hos igitur duos inter se committit Deus. Est autem non alius Moy.

roue. 22.

acc. 8.

Exod. 7.

Moyſes, de quo hîc fit mentio, quàm is, qui hunc librum descripsit. Is, inquam, est puer ille, qui in hoc capite describitur. De seipſo enim scribit.

Nec mirū, quòd tam exactè describere potuit, quæ ipsi in infantia, imò quæ antè, quàm ipse conciperetur, contigerunt. Is enim spiritus, qui ei manifestauit creationem mundi, aliaque, quæ ab exordio & bonis & malis contigerunt, is & ei hæc reuelauit.

Egressus est post hæc vir de domo Leui. Et accepit filiã Leui.

Vir ille fuit Amram, pater Aaron, Moyſi, & Mariæ. Vxor autē eius fuit Ioabeth. Nō autem eò eos hîc nominat Moyſes, quòd puderet eum parentum suorum, sed nē præproperus ostentator videretur generis sui. Ob eandem causam nec quidquam hîc dicit, quando nati sint Aaron & Maria: infra tamen omnia hæc ponit. Cæterùm nō sic intelligendum, quòd Amram post hoc crudele edictum regis primū vxorem acceperit: iam enim ante triennium natus erat Aaron ex eadē vxore, imò ante decennium nata erat Maria, quæ in natiuitate Moyſi iam iuuēcula erat. Imò quis tam insanus esset, vt eo tempore vxorem acciperet, cū sciret filios tam crudeliter necãdos? Itaque refert Iosephus, quòd Amram quidem iam dudum vxorem suã duxerat, sed post edictum regis ab ea se continuerat, interim orationibus vacans, vt Deus genti suæ miseretur, vbi admonitus, vt vxorem resumeret, inde enim nasciturum, qui populum liberaret. Sic igitur egressus accepit vxorem suam, id est, iterum ei copulatus est. Quòd autem eiusdem stirpis fuerit, signū est, quòd iusti multa seruãrunt ante legem, quæ post in lege præcepta fuerunt. Inter alia fuit hoc vnum, nē tri- Exod. 6.

Quæ concepit & peperit filium.

Non potuit Pharaos agere, vt nulli pueri saluarentur, quemadmodum nec tyranni persecutores agere potuerunt, vt nulli Christiani remanerent, quantūuis omnes perditos cuperent. Quantumuis igitur insaniret rex, ipso tamen inuito nascitur futurus liberator. Num. 16.

ANNOTATIONES

Et multos alios pueros submerferat, hunc autem submergere nō potest: imō cogitur in propria domo educare. Quē admodum & Herodes multos pueros occidit, eū autem, quem maximē quærebat, inuenire non poterat. Sic Deus deludit impios conatus hominum. Qui habitat, inquit, in cælis, iridebit eos, &c.

Vide autem Dei præsentissimam manum. Cū maximē affligerentur Israelitæ, nec vllam spem euadendi viderent, tunc nasci fecit liberatorem. Vbi enim cessat humanum auxilium, incipit diuinum. Idem contigit in natiuitate Christi. Cū enim mundus in pessimo statu esset, & maximē Iudæa, nec vlla amplius esset visio & propheta, &c. tunc venit Christus. Vnde Sapiens: Dum medium silentium tenerent omnia, &c. Omnipotens sermo tuus, Domine, venit à regalibus sedibus.

Et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque iam cælare non posset, &c.

Hac elegantia iam præfigurabatur futura eius gloria, imō claritas illa faciei, quam ex colloquio diuino contraxerat, adeò vt non possent filij Israel intendere in faciem Moysi. Ultra tres menses autem eum abscondere non potuit, quia secundum Hebræos semper in tribus mensibus fiebat inquisitio in domibus Hebræorum, nē scilicet occultè educarent filios.

Quid igitur hic facerent parentes, si diutius absconderent, non solū puerum, sed & seipsos periculo exposuissent? Minus igitur malum eligunt, ac puerum exponunt, ac Deo committunt, benè confidentes de Dei prouidentia circa puerum, quē Deus prædixerat liberatorem populi futurū. Nec in hoc tentârūt Deū: Omnia enim, quæ via humana poterant, adhibuerāt. Interim facilè quisq; intelligit, quid animi habuerint, cū proprium filium cogerentur exponere. Tanta erat tyrannis eius temporis. Quemadmodum autem Noe summa diligentia Arcam fabricauit & liniuit, ne periret spes residua generis humani: ita mulier hæc summa diligentia liniuit fiscellam hanc Deo id suggerente,

rente,

att. 2.

l. 2.

ap. 11.

rod. 34.

Gen. 6.

rente, ne spes populi Israel periret. Eodem Deo suggerente & Maria soror pueri, puerum secuta est. Ad eò Deus suorum curam agit.

Ecce autē descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, &c.

Videntur hæc casu facta esse, sed reuera Dei ordinatione & prouidentia facta sunt: quemadmodum & Saul quærens asinas, casu videbatur venisse ad ciuitatem Samuelis, interim tamen Deus dicebat Samueli: Cras mittam eum ad te. Ex eadem Domini ordinatione fiebat, vt puer vagiret, cum aperiretur cistella, vt vel sic filia regis ad misericordiam moueretur, id quod & factum est. Sic Deus gratiam dat pueris, ne molestia educandi parentes conficiat. Vbi interim obserua, tantam fuisse regis crudelitatem, & Israelitarum miseriam, vt etiam filia regis eis compateretur: nec dubium, quoniam & alij multi eis compassi sunt. Sic etiam Christianorum olim tâta erat persecutio, vt etiam paganicis compaterentur, imò & ipsi iudices, vt patet de Plinio secundo tempore Traiani, & de quodam præfecto tempore Valentis Imperatoris: qui iussus à Cæsare orthodoxos occidere, vidēsque eos tam alacriter ad mortem currere, ad Cæsarem dixit: Mori, si iubes, possum: quod autem imperâsti, perficere non possum.

1. Reg. 9.

histo. tri
par. lib. 7
cap. 32.

Vis vt vadam, & vocem tibi Hebræam mulierem, quæ nutrire possit infanulum?

Tradit Iosephus, quòd Moyse puer admotus mammillis Aegyptiarum, mulierem noluerit sugere, idè puella ansam accepit hæc loquendi. Dei autem ordinatione factum fuit, vt propriæ matri educandus restitueretur. Quid igitur mirabilius contingere potuit? Quæ cum dolore puerum exposuerat, nunc cum gaudio eum recipit, & sine omni timore, imò cum præmio & mercede alit. Vides quanta sit Deo cura pro suis? Mirabile & hoc, quòd rex in aula sua cogitur eum educare, qui Israelitas olim educturus erat. Moyse autem nominatur à verbo Mascha, quod significat eduxit, extraxit, mulsit, hinc Mosche,

1. Pet. 5.

ANNOTATIONES

extractus, vel eductus dictus est. In omnibus autē his pulchrè præfiguratus est Christus, verus dux & liberator populi sui, imò generis humani. Is enim, vt supra dictum est, tunc natus est, cum populus Iudaorum in pessimo statu esset, nempè sub tyrannide Herodis.

Iact. 2.

Deinde etiam Christus in pueritia sua mortem fugere coactus est. Præterea Christus à filia Pharaonis, & ab Ecclesia gentilium inuentus & retentus est. Inuenitur autem iuxta aquam Baptismi. Iacet in fiscella cordibus, scilicet fidelium charitate conglutinatis.

Cor. 3.

Mythicè. Moyse elegans ille infantulus in fiscella positus, spiritus legis est, in cortice litteræ contentus. Hunc spiritum nemo inuenit, nisi qui corticem litteræ aperit. Inuenit autem eum Ecclesia de gentibus: Nam Iudæis etiam nunc clausus iacet in fiscella. Adhuc enim non vident faciem reuelatam Moyse.

101. 13.

101. 23.

Moraliter. Sicut multi pueri submerguntur, solus autem Moyse seruatur, sed cura & diligentia parentū: sic apud nos multos in adolescentia mergit diabolus in voluptatibus huius mundi. Qui igitur filios suos saluos velit, curam eorum agat, abscondat, in fiscellā ponat, id est, coerceat disciplina, & educet in timore.

Eccl. 42.

Qui enim parcat virgæ, odit filium suum. Et iterum: Si virga percusseris filium, non morietur, & tamen animam eius à morte liberat. Item: Super filiam vagam constitue custodiam.

In diebus illis, postquam creuerat Moyse.

Nihil amplius de infantia, pueritia, & adolescentia sua scribit. Eius enim intentio est ea sola scribere, quæ ad gloriam Dei faciūt, & ad liberationem populi pertinent. Nec quicquam scribit, quid in aula regis habuerit & gesserit. Nihil enim ea pertinebant ad liberationem populi, nec vnquam sibi placuerant huiusmodi mundana. Quanquam Iosephus lib. 2. antiquitatum cap. 5. plura de ipso scribat. Denique nec illud saltem scribit, quod Stephanus commemorat, eū institutum fuisse in omni sapientia Aegyptiorum. Nihil enim facit Aegyptiorum sapientia ad salutē, imò magis im-

101. 7.

gis impedit. Vbi autem Dei sapientiam edoctus fuit, illic omnia quàm diligentissimè scribit.

Cæterum quòd hic dicitur, in diebus illis, &c. non sic intelligèdum, quòd statim, postquam creuisset, hoc perfecit. Nam Stephanus dicit eum hoc fecisse, cùm quadraginta esset annorum. Obseruandum, & illud, quòd vbi scriptura dicit de sanctis quòd creuerint, nò tantum intelligendum de corporali augmento, sed etiam, imò potius de spiritali, ad quod Paulus nos sepe admonet. Creuit igitur Moyses corpore, viribus, virtutibus, gratia, &c. quemadmodum & de Christo dicitur: Proficiebat sapientia, ætate, & gratia. Infra. cap. Eph. 4. Luca 1.

Egressus est ad fratres suos.

Innuit hoc vnum, quòd quasi abominabatur vitã impiam Aegyptiorum, qui nihil nisi terrena & voluptates quærebant, cùm tamen homo ad maiora sit creatus. Ideo quasi amplius videre nolens egreditur. Huc egressum Paulus mirificè extollit, cùm dicit, fide Moyses grandis effectus, negauit se filium Pharaonis, &c. Sic igitur egressus est: Primò, nolens amplius dici filius filiaë Pharaonis. Secundò, nolens temporalè peccati iucunditatem habere. Tertio, contemnens omnes thesauros Aegypti. Quarto, volens pati cum populo Dei. Quintò, improbrium Christi, summum thesaurum æstimans. Ad hæc autem præstanda magna fide opus habuit. Vnde dicit eum fide hæc fecisse.

Vide igitur piã eius mentem. Omnia, quæ nos in mundo quærimus, & quæ captiuos nos tenèt, ipse semel & simul contempsit: & omnia, quæ nos fugimus, ipse spontè amplectitur, diuitias, honores, potentiam, voluptatem, fauorem regis contempsit: paupertatem, laborem, pericula, opprobria, &c. spontè elegit. Quàm paucos in hac re imitatores inuenies, etiã inter Christianos.

Ad hoc autem permouit eum, quia respexit in remunerationem. Sciebat Aegyptiorum mala impunita non remansura: sciebat filios Israel habere promissiones. Scimus & nos sententiam damnationis iã diu Heb. 4. Ioan. 12.

ANNOTATIONES

latam esse in mundum & principem eius; & quòd im-
 p. j nihil aliud sunt, nisi grex seruatus ad victimam, &
 tamen dubitamus fugere. Scimus item iustis ma-
 gna præmia promissa, & tamen grauamur de modico
 labore.

Quòd autè dicitur, Egressus est ad fratres, signū est,
 quòd etiam in diuitijs, & potentia constitutus, non
 oblitus fuit fratrum, imò, quòd corpore tantūm fuit
 in aula, animo autē apud fratres. Discant hic diuites
 & potentes, cum benè ipsis fuerit, cogitare de paupe-
 ribus, & ipsos agnoscere vt fratres. Nec solū Moyses
 de fratribus cogitauit, sed etiam ad ipsos egressus est:
 nihil eum puduit eorum, quāuis essent despectissimi.
 Cum iustus conuersari te non pudeat, si cum ipsis glo-
 rificari vis. Sic Hester regina Iudæis in afflictione se
 cōmemorauit, Dati sumus, inqt, ego & populus meus
 in perditionē, &c. Omnia hæc exempla damnant no-
 stram superbiam & duritiam erga fratres.

*Vidæque afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutien-
 tem quendam de Hebræis fratribus suis.*

Ex hoc patet, quā indignè tractati fuerint Israeli-
 tæ. Nedum enim opprimebātur laboribus, nec solūm
 corū occidebātur filij, sed insuper etiā percutiebātur.
 Quia enim sciebant Aegyptij regem infensum esse Is-
 raelitis, impunè illis insultabant, gratum in hoc obse-
 quium regi præstantes. Idem cōtingit Dauidi, cui cum
 Saul infensus esset, etiam alij in gratiam regis eū per-
 sequebantur, aut insidiabantur ei, vt Doeg Iduuæus
 Ziphari, & habitatores Ceilæ. Idem contigit Christo,
 quò in gratiam Domini seruus quidam in faciem per-
 cussit, Sic, inquit, respondes Pontifici?

Deinde etiam ideo Aegyptij tam viliter tracta-
 bant Israelitas, quia videbāt eos pauperes, seipso vindicare
 non valentes, nec quenquam vindicem habentes.
 Ob eandem causam etiam adhuc impij facilè pios
 damnificant, quia neminem vident vindicem. Nō ta-
 men cogitant, quòd Deus pater sit orphanorum, & iu-
 dex viduarū, qui dicit: Mihi vindicta, & ego retribuā
 eis in

1. Reg. 12.

Hester 7.

1. Reg. 22.
& 23.

10. 17.

1. Reg. 167.

Deut. 32.

eis in tempore. Item que, Gentem cui seruiuerint ego
 iudicabo. Vidit igitur Moyses Aegyptium percutien- Gene. 15.
 tem. Discant hic Principes officij sui esse, vt non dor-
 miant, non voluptatem sectentur, sed egrediantur. O-
 mnia circumspiciant, nè iulli opprimantur; nec expe-
 ctent, donec oppressi conquerantur.

Percussum Aegyptium abscondit sabulo.

Hoc primum est, quod Moyses pro liberatione po-
 puli fecit. Non dubium quidem est, quin & prius au-
 xilia Israelitis præstitit occultè. Ideo enim Dei ordi-
 natione in aulam regis peruenerat, vt afflatis interdù
 adesset, quemadmodum & Hester. Vnum tamen hoc Heste.
 scribere voluit: primò, quia hoc factum quasi prælu-
 dium erat omnium, quæ Deus per ipsum factur⁹ erat.
 Sicut enim hic vnum Aegyptiū percussit, & abscondit:
 sic postea omnes Aegyptios percussurus erat, & in ma-
 ri abscondurus. Deinde ideo hoc factum scripsit, quia
 in hoc ostēdit veras & optimas conditiones boni prin-
 cipis, quæ sunt, Magnanimitas: iuxta illud: Noli quæ- Eccl. 7.
 rere fieri iudex, nisi valeas perumpere iniquitatē. Itē
 Zelus, & Amor iustitiæ, Misericordia erga oppressos,
 & Odiū omnis malitiæ. Omnia hæc in hoc factō Moy-
 sis ostenduntur ad exemplum aliorum. Sed quæritur,
 vtrum licuerit Moyfi Aegyptiū occidere? Ad hoc re-
 spondet Stephanus. Existimabat (inquit) Moyses intel- Acto. 7.
 ligere fratres, quòd per ipsum Dominus esset salutem
 daturus Israeli. Quibus verbis videtur dicere, q̄ au-
 thoritate Dei, & vt dux populi, hoc fecerit. Nō quidem
 adhuc expressis verbis declaratus erat dux populi, iam
 tamen ad hoc ipsum electus erat, & iam internè spiri-
 tus Domini eum ad liberationē Domini impellebat, Iudi. 15.
 quemadmodum & de Samson legitur. Non igitur
 homicidium fecit Moyses, sicut nec Samson, aut que-
 libet potestas gladio vtens ad vindictam malefactorū,
 vel etiam iusta bella faciens.

Non tamen hoc exemplum Moyfi imitandum est
 his, qui priuati sunt. Proximum quidem defendere Rom. 13.
 pium est, sed offensore occidere, ad solos magistratus
 perti-

ANNOTATIONES

pertinet, quibus Deus gladium commisit.

ALLEGORIA.

Philip. 2. Christus cum esset in forma Dei, quasi negavit se esse filiū Dei, exinanivit enim semetipsum, &c. egressus que est ad fratres suos, vidensq; Aegyptium, id est, diabolus, quosdam Israelitarum spiritualiter, quosdam etiam corporaliter infestantem, percussit eū verbo virtutis suæ, & potētia diuinitatis eum expulit. **Matt. II.** Abcondit que in sabulo, id est, cordibus impiorum, qui in arenam ædificant, donec tandem sanguine suo regnū eius totaliter destruxit.

Et egressus die altero.

Videmus hic vigilantiam & diligentiam Moyſi, quā sollicitus fuerit pro populo suo. Hoc enim ad principem pertinet, vt sæpè egrediatur. Egrediamur & nos sæpè ad pauperes consolandos. Non enim sufficit semel egredi, semel benè fecisse pauperibus, nisi subinde hoc faciamus, quemadmodum & nos quotidie indigemus gratia Dei. Imò discamus hic cum Moyſe, non diu manere in domo regis Aegypti, id est, diaboli, sed egredi, & sanctis & fidelibus in pœnitentia & cruce laborantibus coniungi, si volumus cum ipsis in cælo iungi. Si enim fuerimus socij passionum, erimus & socij consolationum.

Compevit duas Hebræos rixantes.

2. Cor. I. Bonus princeps suo officio satisfacere volens, semper inuenit quid agat. Si non opus est hostibus resistere, opus tamē est ab intra subditos pacificare. Sic enim diabolus semper congregationem fidelium infestat aut per externos hostes, aut per internā discordiā. Vtrunque autem ad principem pertinet, & prohibere hostes, & pacificare ciues.

Quare percutis proximum tuum?

Prudētia Moyſi hic describitur (que & ipsa ad principem requiritur.) Aliter enim arguit hostem Aegyptium, aliter ciuē vel fratrem: illum enim occidit gladio, hunc verbis tantum increpat. Discretionē opus est in punitione peccantiū. Aliter enim puniendi sunt, qui ex

qui ex malitia & incessanter peccant, & aliter, qui ex ignorantia vel humana fragilitate peccant. Pulchris autem verbis utitur, Quare, inquit, percutis? q. d. An non prius satis miser est? an non uterque miseri estis? Non satis est tibi, quòd ab hostibus affligimini, nisi & etiam fratres affligas, percutere vobis non competit, sed consolari, adiuuare, &c. Deinde non dicit, quare percutis illū, vel illū, sed proximū tuum ait: q. d. nō. ne proximus tuus est? eiusdem sanguinis & fidei? An non & ipse filius Abrahæ est? an non & ipse particeps est promissionū? &c. Hæc etiam nobis dicta sint. Atq; utinam verbum hoc cordibus infixū haberemus, &c. Paulus quasi eisdem medijs nos ad mutuam dilectionem hortatur. Supportantes, inquit, inuicem in charitate. Vnum enim corpus, & vnus spiritus, &c. In his igitur, quæ Moyses hætenus fecit, quasi specimen dedit Deus futuri ducis.

Videmus item hîc meritò eum in ducem populi electum, vt qui verè regias virtutes haberet. Cæterum, quod Moyses hîc manu & lingua fecit, hoc postmodū etiam in lege sua fecit. Nam impios maledicit, quod est occidere, & iustos ad dilectionem Dei & proximi inducit. Finis enim legis est dilectio, & in duobus præceptis dilectionis vniuersa lex pendet.

Mythicè. Moyses hîc figuram etiā Christi gessit, qui duorum populorum concordiam in se angulari lapide pacificare studuit. Is autem, qui iniuriam fecit, & pacificatorem contempsit, populus Iudaicus est, qui prædicationem Christi reconciliantis repulit, & credentis populi hostis extitit. Vnde dicebant cæco: Tu discipulus eius sis: nos Moyse discipuli sumus.

Quis constituit te principem & iudicem super nos?

Sic impij loquuntur, dum impietatem defendunt, neminem habere volunt iudicē vel magistrum. Oderunt, & abrogatum volunt omnem magistratum, cū hi soli egeāt magistro, quib. libertas pernicies est tam sibi, quàm alijs. Iustis enim non est lex posita, & magistratu nō indigent vindicāte, sed protegente. Aliàs aut

omnino

Eph.

Matt. 22.

Eph. 2.

Ioan. 9.

1. Tim. 1.

ANNOTATIONES

omnino commistio piorum & impiorum exigit in hac vita magistratum & gladium. Mauult aut impius ille Pharaonistyrannidem tolerare, quam Moyli mitena increpationem. Sic peccatores malunt sub regno diaboli manere, quam propter peccata corripi.

Nunquid me occidere vis, sicut heri occidisti Aegyptium?

Nedum argui non vult, sed insuper conuictum regerit: imo & bene consulente in capitis periculum adducit.

Sic semper domesticorum perfidia periculosior est, quam extraneorum. Sic mundus semper bene consulentibus pessima rependit premia, & quibus maxime opus habet, hos despectissime tractat. Sic etiam Christus in propria venit, & sui eum non receperunt. Et audiuit: Nolumus hunc regnare super nos. Itemque, qua auctoritate hec facis? Et tandem: Non habemus regem, nisi Caesarem. Imo & ipse Christus a suis quoque accusatus, & in mortem traditus est. Hoc premij dat mundus his, qui ei bene consulunt. Obseruandum autem, quod Stephanus in plurali dicit, Negauerunt eum dicentes: Quis te constituit principem super nos? Vnde apparet, quod non solus ille Moyli restitit. Quid minus sperasset aut timuisset Moyses a populo suo? Gaudendum ipsis erat, quod esset, qui ipsis copateretur, & bene vellet. Sed mundus non agnoscit bonum suum, nisi dum ablatum fuerit. Vnde Christus ad ciuitatem Hierusalem: O si cognouisses & tu bona, scilicet, quae nunc praesentia sunt, & mala futura, &c.

Timuit Moyses, & dixit: Quomodo palam factum est verbum istud?

Sic in mundo timere coguntur, qui bene faciunt, & iustitiam colunt, malis interim sine omni timore uentibus. Si Moyses centum Israelitas occidisset, nedum non timendum ei fuisset, sed insuper & regi placuisset. Nunc autem cum instinctu Dei impium punit, timere cogitur. Caeterum Moyses ingerentem conuictum non contra arguit aut conuiciatur, sed tantum miratur, quomodo hoc palam factum sit: imo cum sciret nullum Aegyptium hoc uidisse, miratur ingrati-
dinem

Ioan. 1.
Luc. 19.

Ioan. 19.

Act. 7.

Luc. 19.

dinem Israelitarum, qui in inuidiam eius hoc factum propalârant, imò etiam ad regem detulerant. Inimici enim hominis domestici eius, interim discimus nos, quòd nihil opertum, quod nō reueletur, neq; occultum, quod non sciatur. Matt. 10.

Audiuitque Pharaos sermonem hunc, & quarebat occidere Moysen.

Specimen ingenij Mosaici statim intellexit Pharaos. Iam dudum enim hoc de illo suspicatus erat, eum conaturum filios Israel liberare: verùm nō permissus est opprimere eum. Quod enim Deus decreuerat, homo impedire non potuit. Sic Saul impedire nō potuit, quò minus David regnaret. Sic nec Herodes Christum occidere potuit. Esa. I
Reg.
Mat.

Qui fugiens de conspectu eius.

Fugit Moyses nunc, quia nondum institutus erat dux populi: postea autem non fugit, sed constanter ingreditur ad regem. Mira autem iudicia Dei hic vides, liberator populi futurus cogitur fugere. Quis credidisset eum liberaturum populū? Poterant p̄ij nonnullam de illo sp̄e habere, cū tã mirabiliter à Domino præseruaretur à submersione: item cū tã potens esset in aula regis, irē cū tã potenter Aegyptium occideret. Nunc aut̄ cū fugere cogitur, & ad mortē quæritur, perit omnis spes eorum. Quemadmodū & discipuli in passione Domini non amplius sperare poterāt, ipsum esse, qui redimeret Israel. Verùm sic Deus incipit opera sua quasi per contrarium, sic etiam probat fidē suorum, & excitat ipsorum desiderium. Iam quòd Moyses fugit, videtur quidē timiditatis esse iudicium. At Paulus longè aliter hoc interpretatur: Fide, inquit, Moyses reliquit Aegyptum: non veritus animositatē regis, &c. Primò, non dicit eum fugisse, sed reliquiss̄e Aegyptum, & contempsisse, quæcunque terrena in Aegypto habuit, & habere potuisset, quod verè virtutis est. Lucz 24.
Heb. 11.

Deinde, Nō, inquit, veritus est animositatem regis, id est, nihil curabat eius iram, sicut nec curauerat eius fauorem. Non ideo Zelum suum deposuit. Est etiam hoc vir-

ANNOTATIONES

hoc virtutis iudicium & fidei. Tertio addit, Inuisibilem eum tanquam videns sustinuit, id est, non dubitauit Deum etiam in alia terra sibi affuturum. Sciebat Domini esse terram, &c. Omnem spem suam in Deum collocauerat. Ceterum Deus ideo permisit, ut Moyses ex Aegypto fugeretur: Primo, ut Israelitae non in homine, sed in Deo considerent. Secundo, ut Moyses perfecte ex impia domo Pharaonis amoueretur. Quia enim nostra sponte mala consortia non fugimus, permittit Deus aduersa, quibus cogamur ea relinquere. Tertio, ut Moyses disceret non suo gladio Israelitas liberandos, sed spiritu Dei. Quarto, permisit Moysen expelli, ut puniretur ingratitude populi, Multa bona praestare potuisset Moyses, sed quia ingrati sunt & oderunt, auferitur ab eis, remanentque ipsi miseri sine omni auxiliatore, iustum iudicium Dei est. Sic ingratitude nostra omnia bona nobis auferit. Item quadraginta annos expectauerat liberationem, tot enim anni fluxerant a natiuitate Moyse. Nunc autem cum liberare inciperet, ingrati sunt, ideo adhuc iusto Dei iudicio alios quadraginta annos expectare coguntur. Non tamen tam diu durauit mandatum illud de submersione puerorum: alioqui in egressu ex Aegypto nullus fuisset in toto populo infra octoginta annos, quod manifeste falsum est. Nam omnes illi sexcenta millia pugnatorum, qui exierunt, fuerunt infra septuaginta annos.

Moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum, &c.

Sancti libenter iuxta fontes habitabant, & magna etiam circa fontes ipsis contingebant. Sic Agar iuxta fontem inuenit angelum consolantem, seruus Abrahæ Rebecam, Iacob suam Rachelẽ, ipse denique Israel inuenit Deum iuxta fontem: sic & Moyse iuxta fontem prima arripit fortuna in terra Madian.

Mythicè. Fons est sacra scriptura, cui homines pii libenter insunt. Illic enim inuenimus sapientiam, gratiam, consolationem, fortitudinem, imò Deum ipsum.

Supruenerunt pastores, & eiecerunt eas.

Non casu, sed Dei ordinatione hæc facta sunt videtur.

te Moyses, vt scilicet haberet occasionem exercēdę virtutis. Sic enim Deus vbique occasiones benefaciēdi vobis obijcit, quamuis maior pars prætereat: quemadmodum Sacerdos ille & Leuita præterierunt vulnēratum illum ipsis oblatum. Et vix pauci imitantur Samaritanum, qui occasionem nactus benefaciēdi, statim vulneratum illum ad se perduxit. Lucę 108

Surrexitque Moyses, & defēsis puellis, ad aquam oues eorum.

Quia semel cœperat iustitiam fouere & iniustitię resistere, etiam hic iustam causam defendit: quanquā prius ob id periclitatus fuerat, & etiam nunc timere poterat, nē pastores conglobati ipsum opprimerent. Non tamen propter periculum desistit à bono, imò etiam non rogatus & ignotis auxiliatus est. Caritas enim nō est ociosa, nec attēdit personas aut merita, sed necessitatem præsentem. Vnde & Christus: Si tantum benefeceritis his, qui vos diligunt, quam mercedem Matt. 5 habebitis?

Vocate eum, vt comedat panem.

Mira Dei bonitas & prouidētia circa iustos. Eiectus erat Moyses ex aula regis, imo & à fratribus. Erat solus & inter externos: & tamē, quia virtutem sectatur, inuenit etiam inter ignotos, qui spontē eum vocat & beneficia offert, nimirum Deo sacerdotem hunc instigante. Atq; hoc est, quod David dicit: Spera in Deo, & Psal. 145 fac bonitatē, & ipse faciet. Et Christus: Primū quærere regnū Dei, & omnia adicientur vobis. Sic Moy Matt. 6 ses quod in Aegypto perdiderat, in Madian inuenit. Domini est enim terra & plenitudo eius. Nec solū in Psal. 24 Aegypto pascere potest Deus, sed etiā in alijs locis. Obseruandum autem hīc, quales fuerint mores eius temporis etiam apud Ethnicos. Primò, quòd filias etiam diuitum nō ad ocium aut luxum, sed ad labores educarunt. Sic filię huius sacerdotis cogebantur oues pascere. Secundò, Videmus verecundiā fuisse in virginibus, quæ cū septem essent, non ausę tamen sunt virum alienum inuitare aut introducere. Tertiò, videmus quòmodo parentes curauerint pro filijs. Stati

ANNOTATIONES

Eccl. 7.

Tit. 3.

tim enim pater interrogat, cur solito citius venissent. Sic Sapiēs; Pecora tibi sunt, artē de ea, &c. filij tibi sunt, erudi illos, &c. Quarto videmus, etiā apud Ethnicos, quōd sacerdotes fuerunt hospitales: id quod & Paul. docet & exigit ab Episcopo. Præterea videmus etiam Ethnicos cognouisse, quōd beneficium acceptū exigit gratitudinē, ideo sacerdos ille statim vocat Moysen. Damnatur hic ingratitude nostra erga Deum & homines. Cæterū, sicut Moyses non solū contra Aegyptium ille se posuit, sed etiam contra pastores aquas prohibentes: Sic Christus & contra diabolū pugnavit, & contra Phariseos & scribas, qui clauē scientiæ tulerant, nec tamen ipsi ingrediebantur, nec alios ingredi sinebant: inuidebant sitientibus poculum salutaris doctrinæ. Ideō Christus eis repulsis, per semetipsum sitientes animas adaquauit.

Acceptit que Sephoram filiam eius, uxorem: quæ peperit filium, quem vocauit Gersam.

Mansit Moyses apud Iethro: videbat enim eum iustum & morigeratum: Deinde videbat Dei voluntatem esse. Vide autem etiam hic prouidentiam Dei. Nunquam cogitauerat Moyses, inter Madianitas sibi à Deo præparatam uxorem, sed nunc veniens eam inuenit. Sic Deus nonnunquam etiam disunctissimos coniungit. Filijs autem nomina imponit, quæ eum admonerent, quid à Deo acceperat, nempe quōd ex Aegypto liberauerat eū, & quōd in exilia inuenisset hospitium & uxorem. Ideō primum filiū nominat Gerson, quod interpretatur aduena: secundum autem Elezer, quod interpretatur Dei mei adiutorium, vel Deus meus adiutor. Horum duorum etiam Christiani perpetuā deberent habere memoriam. nempe quōd sunt peregrini, & quōd à solo Deo pender auxiliū ipsorum. Auxiliū, inquit, meū à Domino, qui fecit cælum & terram. Allegoricè etiam Christus à Iudæis fugiēs, inuenit uxorem, ecclesiā scilicet de gentibus, quæ etsi munere spiritus sancti sit septiformis: na tamen est in fide. Vnde; Vna est columba mea, hæc Christo

Psal. 120.

Cant. 6.

no gignit filios, sed tales, qui se peregrinos agnos-
cunt, & à solo Deo pendent.

Mortuus est autem rex Aegypti.

Hęc appendix quasi præparatio est ad sequentē hi-
storiam de institutione ducis & liberatione Israelis. In-
gitur quantūcūq; rex ille filios Israel persecutus fuif-
set, tamen finaliter moritur ipsis adhuc remanentib.
Id quod summè cōsolari debet afflictos: nempe affli-
ctiōnē suam aliquādo & statim cessaturam, & impios
perpetuò perituros. Sic David: Vidi impium super ex-
altatum quasi cedrum. Transiui, & ecce non erat, &c. *Psal. 36.*
Quid ergo times ab homine mortali, ait Esaias, &c. *Esa. 51.*

Et ingemiscunt filij Israel, vociferati sunt.

Tunc enim opus est clamore & oratione, cū ty-
rannus quispiam moritur, vt Deus meliorem det: nā,
à Deo dantur principes boni & mali, iuxta illud: Da-
bo eis regem in furore meo. Cæterū quamuis filij
Israel etiam prius ingemuissent, nunc autem etiam vo-
ciferati sunt, hoc publicis conuentibus genuerunt &
clamauerunt, quòd viuente rege facere non sunt ausi:
hoc enim pro crimine audaciæ vel contumaciæ ipsis
reputatum foret. Sic quamdiu regnat in nobis pecca-
tū, non clamamus ad Deum: cū autem mori cœpe-
rit libido peccādi, ingemiscimus & clamamus. Adhęc
etiam ideo & meritò ingemiscunt filij Israel, etiā mor-
tuo rege, quia etsi ille mortuus erat, peior tamen suc-
cedebat, insuper & onera à priore rege ipsis imposita
remanebant. Sic enim tyranni posteriores non faciliè
grauamina ab alijs imposita auferunt, etiam si sciant
iniusta esse, hoc solo se excusari putantes, quòd ipsi ea
non instituerint. Contra huiusmodi clamat Esaias: *Isai. 52.*
Solue colligationes impietatis, dissolue fasciculos de-
primentes, &c.

Et ascendit clamor eorum ad Deum ab operibus.

Pluribus verbis hīc vritur Moyses, vt ostendat
Deum vel tandem filios Israel exaudisse: Primò: Cla-
mor, eorum ascendit. Pauperum enim oppressio
clamat in cælum. Vnde alibi dicitur: Pupillo & viduæ *Exod. 22.*

ANNOTATIONES

Psal. 56.
Ioan. 6.
non nocebitis, alioqui clamantibus illis exaudiā eos, &c. Vides hic quæ oratio in cælum ascendat, nimirum quæ ex spiritu contrito & humilitate procedit. Secundò, Exaudiuit, inquit, clamorem eorum Deus, non tamen statim liberati sunt, sed exauditi. Decretum erat eos liberandos. Sic & verè nos in nomine Christi orātes statim exaudimur, & certò: Deus autem scit, quando dare debeat, & quātum. Tertiò, Recordatus, inquit, est fœderis: **Q. D.** non propter populum hoc faciebat, sed propter patres, imò propter veritatem suam adimplendam. Nunquam oblitus fuerat eius fœderis, sed iam specialiter eius recordari dicitur, quia iam volebat implere promissa. Quartò, Respexit filios Israel, nimirum oculo misericordiæ. Quintò, Liberauit eos, id est, liberare decreuit. Alij legunt, Et cognouit videlicet tempus esse, vt & boni liberarentur, & malij punirentur.

CAPVT III.

Luc. 1.
LN hoc capite incipit Deus liberare Israel: ac primò ducē populi instituit ac docet. Quemadmodum igitur Lucas in primo cap. Euāgelij sui describit exordium generalis illius liberationis per Christum à seruitute diabolica, ita hic exordium describitur particularis liberationis populi Israel è seruitute Aegyptiaca. Et sicut illic nomen & conditiones liberatoris describuntur, ita hic Deus, qui verus liberator est (nam Moyses tantummodò seruus fuit) suum etiam nomen indicat.

Moyse autem pascebat oues Iethro, sœceri sui, sacerdotis Madian,

In aula regis educatus, nūc pascit oues, quod quantis miserum videatur respectu prioris fortunæ, reuertā tamen Moyses felicior erat pascens oues, quàm dū in Aegypto esset. Qui enim in delirijs & inter malos viuunt, perditioni proximi sunt, denique plurima incitamenta habent ad peccandum. Sub cruce autē
labo.

laborantes Deo appropinquant, & à vitijs elongantur. Et quātò satius esset & melius quibusdam nostrū, nedum oues, sed & porcos pascere, quā mundanis negotijs implicari, &c. Deinde quāuis coram mundo nedum miserū, sed etiā erubescendum sit è diuitijs & potentia in paupertatē & seruitutē peruenire; Moyses tamen de sua humilitate & paupertate nedū non erubescit, sed etiā gloriatur: ad hoc enim nō desidiæ aut prodigalitatē, sed virtutis causa peruenerat. Poterat enim & ipse abudare, sed omnia potius reliquit, quā impijs cōsentiaret in malum. Poterat etiam Dominus esse inter Aegyptios, vt adoptatus à filia regis, sed potius voluit seruire quā à populo Dei separari. Qui sic ad paupertatē & humilitatē peruenit, nō est quod erubescat: Hoc enim modo non necessitatis, sed virtutis causa: & Paul. ex libero factus est omniū seruus; imò & Christus ipse seposita forma Dei, formam serui suscepit. Nec solum nō erubescit Moyses crucem Domini, sed inde etiam gloriatur, quem admodum & Paulus: Si gloriari inquit, oportet; quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Nec ingloriū fuit Moyfi pascere oues, cum sancti patres, Abraham, Isaac, & Iacob idem fecerint, præcligentes videlicet eo labore victum conquirere quia-
 līs innocuus esset, vel sine aliorum iniuria fieret. Nec solus Moyses fuit è pastore ad regimen vocatus, nam & Dauidi idem contigit, imò & Romani nonnullos ab aratro ad summam potestatem vocarunt. Latet enim nonnunquā sub vili habitu sapientia, quæ admodum & plerunq; ue ingens stultitia occultatur sub preciosis vestibus, id quod facillè videbit, qui Dauidem & Roboam inter se comparat.

Cumque minisset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.

Interiora & solitaria loca quærit, vt & tutior esset ab hostibus, & remotior à consortio hominum, qui omnes idolatræ erant. Item vt mente quietior, quæ Dei erant, meditaretur, & cōmodius oraret pro populo afflictio: quemadmodum & Christus iubet, vt
 D 3 oratu.

Cor. 9.
Philip.

Cor. 11.

2 Reg.

1. Reg. 18.

Matt. 6.

ANNOTATIONES

oraturus secretum petar, & ipse re ipsa perstitit in horto, antequàm caperetur. Mortem autem Dei hîc nominat per anticipationem: nondum enim sic dicebatur, sed postea sic dictus fuit, eò quòd ibi lex data fuit, & Dominus ibidem Moyfi collocutus fuit.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.

Angelus erat, nò Deus ipse. In hac enim differt vetus à nouo testamento, quòd illud per angelum, hoc aut per ipsum filium Dei datum est. Quia autem angelus hic in persona Dei loquebatur, imò ipsum verbum Dei, ipsum filium Dei præsignabat, fit vt interdù Deus etiam nominetur. Cæterùm quamuis Deus ipse vbi que sit, & omnia operetur sua virtute, plerunq; tamē vtitur angelis & alijs creaturis, vt scilicet in omnibus ipsum agnoscamus. Mira autem res: Nunquã cogitasset Moyfes Deũ inueniri in tam horrida & inculta solitudine, verũ Deus vbiq; à suis inuenitur. Inuenit eũ Ioseph in carcere. Moyfes in solitudine, &c. Putant mundani illic solummodo esse Deũ, vbi diuitiæ & prospera omnia sunt. Beatum enim dicunt populum, cui hæc sunt: eius vbi crux & afflictio est, ibi putant Deum non esse, quemadmodum ipsi Iob improbatur ab amicis, imò ipsi Christo à Iudæis. Confidit, inquit, in Deo, liberet eum. Atqui Moyfes contrarium inuenit: in aula enim regis nec vidit, nec audiuit Deum: hic autem in solitudine & audit & vidit Deum. Igitur si audire cupis Deum, à terrenis te abstrahe: cùm enim mens ab exterioribus sopitur, verbum dei veracius penetrat. Aurem siquidem cordis cura terrenarum cogitationum perstrepens claudit. Non enim perfectè homo sufficit ad vtraque diuisus, quia si externis auditum aperit, interius obsurdescit. Non sine causa autem Dominus, hoc loco in igne & rubo apparet. Deus enim inuisibilis, qui nec loco circumscribitur, nec vllis sensibus corporis percipitur: quoties visibiliter hominibus apparet, rebus ipsis congruam assumit speciem, propter quas apparere dignatur.

Quia

Sal. 1.

39.

Matt. 27.

Quia igitur filij Israel in camine tribulationis erāt, & in medio spinarum pungentium, meritò in igne & rubo apparet. Quod enim ignis est rubo, hoc tribulatio est homini. Naturaliter rubus in igne permanere non potest, nec homo in tribulatione. Nō enim est fortitudo nostra fortitudo lapidū, nec caro nostra ænea, ait Iob. Deinde, quia filij Israel iam erant liberandi è seruitute, ideo Deus apparet in rubo ardenti, sed non comburente. Præterea, quia Deus manifestè, & coram omnium oculis potentiam & fortitudinem suā ostendere volebat in Pharaone, ideo apparuit in flamma ignis, quod elementum forte & lucidū est, omnia, quantumuis magna & fortia sunt, breui tempore cōsumēs. Postremò, per hoc ipsum Deus quodammodo naturā suam ostendere voluit, qui quāuis dicatur, & sit ignis consumens, longè tamen dissimilis est igni nostro elementario, qui propinqua & sibi applicata tantum cōburit, longe positus autem innoxius est. Deus autem contra sibi approximantibus & adhærentibus, & his, in quibus habitat innocuus est, imò ipsos illustrat, & fortiores reddit: longè autem positus peccatoribus & dignè appropinquare volentibus, nimium damnosus existit. De quibus in Psalmo: Sicut fluit cæra à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. In huius igitur figuram ignis ille rubum, in quo erat, illæsum seruauit, sed postea Aegyptios miserè consumpsit & perdidit. Iudæi volunt Deum ideo in flamma & veribus apparuisse, quia de utroque nulla possit imago fieri, nè scilicet filij Israel ad illum locum peruenientes aliquid facerent ad idolatriam pertinens, ratione dictæ apparitionis.

Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

Pij homines non negligunt quod diuinitus eis ostenditur, sed inuestigant, quid sibi velint. Sic Moyses statim surgit non tam curiositate ductus, quàm instinctu Dei. Verè autem magna visio erat: huius enim causa visionis si animaduersa fuerit, declaratio est

ANNOTATIONES

operis subsequenti, magnæ scilicet fortitudinis & potentiæ Dei, quam ostendit in Pharaone, adeo ut etiã hodiè mirantes dicamus: *Quis similis tui in fortibus Domine, & c.* Item: *Dextera tua, Domine, magnificata est in virtute, & c.*

Moyfes, Moyfes.

Quòd eum non semel tantùm, sed bis nominat, signum est familiaritatis & gratiæ: idem enim suprâ de Abraham & Jacob audiimus. Sic enim Deus suos cognoscit ex nomine. Miratur quidem Nathanael, vnde Christus eum cognosceret, sed audit: *Antequam te vocaret Philippus, vidi te sub ficu.* Verè enim vidit & cognouit nos Deus, etiam antequam nos vocaret, cùm adhuc essemus sub ficu paternæ transgressionis, imò ab æterno nos cognouit & elegit. Respondet autem Moyfes, *Adsum, vt paratus ad obediendum.* Sic pij semper obedire parati sunt: *Paratum, inquit, cor meum,*

Deus, paratum cor meum.

Ne appropies huc: solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.

Non temerè accedendum est ad Deum. Temerè autè accedunt, qui sine timore, sine reuerentia, sine humilitate aut deuotione accedunt: aut qui de sua iustitia præsumunt, aut de nuda & otiosa fide sibi blandiuntur. Hos repellit Dominus, quemadmodum & Pharisæum illum Euãgelicum. Iubet autem vt calceamentum soluat, tum quia cõsuetudo erat, sancta loca nudis pedibus ingrediendi, tum quia puocare eum voluit ad reuerentiã & deuotionẽ, imò & attentionem cum animi humilitate, qua suscipiendum erat Dei mandatũ. Super humilem enim & trementem ad sermones Dei, requiescit spiritus Domini. Sanctum autem dicit eum locum, propterea quòd magna illic acturus erat. Ideo & locum angustum & sacrosanctum habere volebat.

Moraliter: præcipitur nobis, vt calceameta, quæ sunt de pellibus animalium mortuorum, exuamus accessuri ad Deum, id est, mortuorum mortifera, & in peccatis suis morientiũ exempla non imitemur. Deus enim

noster,

Ezod. 15.

Gen. 22. & 46.

Eph. 1.

Gal. 104.

Luc. 11.

Isa. 66.

noſter, ad quem accedimus, non eſt Deus mortuorū, Matt. 22.
ſed uiuentium.

*Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac,
& Deus Iacob.*

Attentionem excitat hoc verbo, cūm dicit, Ego ſum Deus, nimirū, vt obediatur & diligenter attēdat. Quōd autem addit, Ego ſum Deus Abraham, &c. voluit eum admonere omnium magnalium, quæ cum illis tribus patribus fecerat, vt cogitans Moyses quāta bona ſanctis illis præſtiterit, & ipſe facilius obediatur ſpe præmiij conſequendi. Vbi enim Deus non rectè cognoscitur, nec amatur, nec timetur. Attende, qualem ſe Deus præbuit ipſi Abraham, & ſi bona vena in te eſt, amabis tam benignū Deum. Attende, quā ſeuerus fuerit erga impios, & niſi lapide durior ſis, timebis eum. Attende, quanta obedientibus ſibi præmia polliceatur, & facilè obediatur. Summa, Deus vult cognosci, id eo dicit, Ego ſum: Vult magni eſtimari, ideo addit: Ego ſum Deus: vult vt ſuorum beneficiorum non obliuſcamur, ideo addit: Ego ſum Deus Abraham. Deinde etiam ideo dicit ſe eſſe Deum Abrahamæ, &c. vt ſciamus ſemper eūdem eſſe Deum. Nec enim principium, nec finem habet, ſed eſt α & ω . Præterea, vt videamus San. Apoc.
ctorum perpetuam apud Deum eſſe memoriam, ſicq; ad ipſorum imitationem prouocētur, ante plures annos mortui erant Patres illi, & tamen adhuc dicit ſe eorum Deum eſſe. Insuper etiam ideo Deum Abrahamæ ſe dicit, vt Moyses ſciat non phantaſma aliquod eſſe, aut ſpiritum deceptorum. Ideo promiſſionum meminit Patribus factarum, vt facilius credat quando videat promiſſis Dei conuenire. Non enim omni ſpiri. 1. Ioan. 5.
tui credendum, ſed probandi ſunt: nam & diabolus ſæpè ſe transfiguratur in angelum lucis. Tunc autem 2. Cor. 11.
bonus ſpiritus eſſe probatur, ſi conuenientia ſcripturæ dicat.

Timuit Moyses, & abſcondit faciem ſuam.

Memor imbecillitatis humanæ, timet coram Deo
conſiſtens, in conſpectu enim eius non iuſtificabitur Pſal. 146.
viuens,

ANNOTATIONES

uiuens, si secundum suam iustitiam agere velit. Cæterum, Sanctorum timor nihil aliud est, quàm reuerentia quædam, imò timor filialis. Impij autem omninò non timent Deum, iuxta illud: Non est timor Dei ante oculos eorum: aut seruiliter timèt, non offensam scilicet, sed pœnam. Cæterum, quia Moyses sic se humiliat, meretur subleuari & exaltari: ideo subditur,

Vidi afflictionem populi mei in Aegypto.

Sicut temerè accedentē repulit, sic humiliato spontè exponit, quid sibi velit visio prædicta, nempe, quòd rubus populum, ignis afflictionem significet: quod autem rubus non comburitur, significat Deum ad liberationem descendisse. Quòd soli Moysi hoc ostendit, ideo fit, quia ipse mittendus erat. Sic igitur paruulis manifestat, quod superbis & temerarijs abscondit. Singula autem verba emphasim habent, & cōsolationem pro afflictis. Tria enim hic dicit, Vidi, audiui, & scio: quæ sicut pios maximè cōsolantur, sic impios meritò terere debent. Primò igitur in Hebræo non simpliciter habetur, Vidi, sed, Videndo vidi, quod vehementiam, certitudinem, & celeritatem indicat, q. d. Vidi, & certò, & seriò: Vidi, & ita vidi, vt amplius tacere nō possum: ita vidi, vt decreuerim adiuuare. Signanter autè dicit, Vidi afflictionē: ipse enim est, qui laborem & dolorem considerat. Cæterū, non quorumlibet afflictionem ita videt, vt eripere velit, ideo addit, Populi mei. Itaq; si vis, vt Deus afflictionem tuam vidēdo videat, cura, vt sis populus Dei, & ora, ingemisce, quemadmodum illi fecerunt. Emphasim etiam & cōsolationem habet, quòd eos agnoscit & nominat populum suum, etiam si magnis tribulationibus obruti essent. Nō igitur ideo neglectus es à Deo, si aduersa tibi contingut. Cognoscit Deus suos, etiam sub cruce.

Et clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsumunt operibus.

Non dicit orationem, sed clamorem audiui, quod vehementius est. Suprà autè audiuimus, quòd quædam peccata in cælum clament. Sicut sanguis Abel in cælū clamasse

Psal. 13.

Luc. 1.

Matt. 11.

Psal. 9.

Exo. 1.

Gen. 4.

clamasse dicitur: & peccata Sodomorum in cælum clamauerunt. Sic etiam hic clamorem audit Deus, non quod Israelitæ horrendum aliquod peccatum fecerint, sed quod ipsis talia inferebantur, quæ in cælum clamant, ut est occisio innocentium, & oppressio pauperum. Ideo non simpliciter dicit, Audiui clamorem eius, sed addit; Gen. 18.
 Propter duritiam eorum, qui operibus præsumunt; ut intelligas clamorem hunc, potissimum fuisse peccata Aegyptiorum, quanquam & Israelitæ in oratione ad Dominum clamauerint. Nedum pius igitur Deus audit & videt, sed etiam impios, sed dissimiliter: illos, ut cripiat: hos autem, ut perdat. Iac. 5.

Et sciens dolorem eius, descendi, ut liberem eum de manu Aegyptiorum.

Etiam hoc ad consolationem piorum facit, quod Deus scit mala nostra. Unde & Christus hoc verbo discipulos suos consolatur: Scit, inquit, pater vester, quia his omnibus indigetis. Vbi autem Deus videt, audit, & scit, non diu tardabit se ostendere, in bono erga pius, & in malo erga impios. Timeant ergo hi, illi autem gaudeant in tribulationibus, quia spes non confundet eos. Matt. 6.
 Descendisse autem dicitur Dominus, non quod prius non fuerit apud Israelitas, sed quia cum non liberaret, non putabant eum adesse. Tunc autem videtur nobis Deus descendere de cælo, cum adiuuat. hinc quod Esaias ait: Vtinam dirumperes cælos, & descenderes: nihil aliud est, quam vtinam nos liberares. Rom. 5.

Obseruandum autem, quod vbi Deus descendere dicitur, semper magnum aliquid sequitur. Sic descendit in ædificatione turris, & statim secuta est linguarum confusio: descendit in Sodomam, & secuta est ciuitatis perditio: descendit in montem Syna, & secuta est legis datio: sic hunc descensum sequitur mirabilis liberatio Israelis, & horrenda punitio Aegyptiorum. Signanter autem dicit: Descendi, ut liberem eum de manibus Aegyptiorum. Vbi duo iudicia Dei videmus, iudicium misericordiae erga Israelitas, iudicium iræ erga Aegyptios. Vtrunque iam definierat, hos scilicet perdere, illos autem

ANNOTATIONES

autem liberare: tamen neutri hoc sciebant. Non sciebant Israelitæ tam propinquam esse ipsorum liberationem: nec Aegyptij sciebant tam propinquam esse ipsorum perditionem. Vtrisque tamen ante ianuam erat, sic nobis cõtigit: pijs enim nihil tale cogitantibus, Deus cogitat cogitationes pacis: Econtra impijs securè agentibus fingit contra eos malum, &c.

Ier. 29.

Ier. 25.

Et educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam,

Et terram nominat, & gentes, quas inde expellere vult, vbi iterum duplex iudicium videmus: illos enim expellit, hos indicavit: illis aufert, his dat. Nec tamen cuiquam ipsorum iniuriã facit. Domini enim est terra & plenitudo eius. Cæterum gentes, quæ hic nominantur, fuerunt de maledicta stirpe Cham, qui patrè suum Noe illudit. Horum autem hora iã venerat, impleuerant peccata sua. Comminatus eis fuerat Deus ante quadringentos annos: diu expectauerat: Tempus longum ad pœnitentiam concesserat, sed frustra, ideo nunc expellere eos intendit.

Psal. 23.

Gen. 9.

Gen. 15.

Sed veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Aegypto.

Dixerat: Ego eripiam: nunc autem, Veni, mittã te. Poterat Deus per seipsum omnia facere, sed medijs vtitur, vt etiam in creaturis eius potentia & sapientia agnoscat. Vide autem qualem eligit, non potentem aliquem regem, sed pastorem. Ita fermè semper per humiles personas maxima sua opera perfecit. Sic per Dauidem puerum gigãtem illum Goliath occidit: Sic Amos pastorem in prophetã fecit. Sic Christus pisca- tores in Apostolos elegit: Sic Deus stulta mûdi elegit, vt confundat fortia. Ideo autem hoc facit, vt omnis gloria ipsi permaneat, alioqui si potentes ad sua opera eligeret, non Deo, sed ipsis attribuerentur. Signanter autem dicit, Veni, mittam te, præsens quidẽ erat corpore, sed vult, vt animi promptitudine & obedientia accedat. Omnia autem hæc, quæ circa specialẽ illã Israelitici populi liberationem cõtigerunt, postea etiã spiritualiter impleta sunt per Christum in generali redemptione

1. Reg. 17.

1. Cor. 1.

demptione

demptione generis humani. Omnes eramus in tenebris, & sub potestate diaboli, nec vlla spes erat de nobis ipsis, aut aliqua alia creatura. Interim omnes pijs clamabant, & suspirabant in cælum: Ostende, inquit, nobis Domine misericordiam, &c. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Huiusmodi clamorem audiuit Deus, Respexit, inquit, in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Nec solùm audiuit, sed & proposuit liberare. Propter miseriam, inquit, inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Primum autem, quod pro nostri liberatione fecit, est quòd ardentem rubum Moysi ostendit: hoc est, per promissiones & figuras patribus & prophetis præostendit, quid per Christum facturus esset. Signâter autem ipsis præostendit visionem illam magnam & miraculum, quòd Virgo Deum, qui ignis consumens est, conceptura & paritura esset sine læsione virginitatis. Hoc signum statim in paradiso ostendit primo homini, cùm de muliere, eiusque semine loqueretur caput diaboli contrituro. Postmodum etiã a pertis verbis hoc prædixit: Ecce, inquit, virgo concipiet, &c. Nec contentus Deus hoc, quod præostendit, sed cùm venit plenitudo temporis, etiam ipse descendit, ut è tenebris educeret & in terram bonam & spatiosam induceret, id est, in æternam felicitatem. Ipsemet, inquam, liberaturus nos in igne tribulationis & spinis afflictionis apparuit. Postremò etiam nobis Moysen destinavit, chorum, scilicet, Apostolorum & Prædicatorum, qui electos vsq; ad finem mundi non cessarent vocare, educere è tenebris peccatorum. Per hos igitur nobis succurrit, hos etiã ad nos misit. Nò igitur expectemus, ut denuò de cælo veniat prædicaturus nobis. Habet Moysen & prophetas, dicit Abraham, hos audiât. elegit autem etiam Christus ad hoc opus non potentes, sed pauperes, quos & penè eisdem verbis instruxit, quib. Deus instruxit Moysen, ut patet Matth. 10. &c.

Quis ego sum, ut vadam, & educam filios Israel de Aegypto?

Miratur Moyses consiliũ Dei, quòd non potentem
aliquem

Psal. 175

Psal. 107

Psal. 137

Gen. 3

Isa. 7

Gal. 4

Luc. 10

ANNOTATIONES

aliquem elegit ad hoc opus: itē quòd non potentem, imò nihil tale cogitantē elegit. Verūm hæc est Dei cōditio, q̄ opera sua per humiles exequitur: itē quòd eos potissimūm eligit, qui nihil tale cogitant. Eos autē, qui ad alta aspirant, reiecit. Sic Dauidem elegit, fratres autē eius reiecit: sic Christus aspirantem ad apostolatū reiecit: Vulpes, inquit, foueas habēt, & c. contrā autem

Matt. 8.

Matt. 19.

Acto. 8.

Matthæum in telonio nihil tale cogitantē vocauit ad apostolatū. Sic & Simon Magus aspirans ad apostolicam potestatem, reiectus est: Paulus autem assumptus. Deinde Moyſi humilitatem hoc verbo videmus, qui nedum non aspirauit ad potestatem, sed insuper omnibus modis se inidoneum fatetur. Habebat quidē verè regias virtutes, Magnanimitatem scilicet, Zelum, Amorem iustitię, Odium luxus & iniustitię, Cōpassio-

Reg. 7.

nem & tamen se humilem ostendit. Sic Dauid: Quis sum ego, & quę domus patris mei? & c. Præterea Moyſi prudentiam hic videmus, quòd tam diligenter oneris & officij grauitatem pensat. Egone, inquit, vadam ad Pharaonem? Egone educam Israel? Egone populū regam? Res enim periculi plena est, præesse populo Dei, etiam in temporalibus. Vnde dicit psalmus: Et nunc reges intelligite, & c. seruite Domino in timore, & c. Ad idem facit totus psalmus, Deus stetit in synagoga Deorum, & c. Huc pertinet etiam illud, Potētes potenter tormenta patientur, & c.

Psal. 2.

Psal. 31.

Sap. 6.

Multò maius periculum est, præesse in spiritualibus: huiusmodi enim præſidentibus dicitur: Si quis tua negligentia perierit, sanguinem eius de manu tua requiram. Deinde res magni laboris & sollicitudinis est, educere populū è potestate diaboli. vnde ter Petro dicitur: Simon Ioannis diligis me, & c. Postremò, magna fortitudine opus habet, qui contra diabolū pugnare nititur. Vnde Christus docet, vt prius expēdamus vires & sumptus, antequā pugnemus & ædificemus Petrus in pugnam procedebat, non prius pensatis viribus suis, ideo in fugam conuersus Dominum negauit. Hinc igitur est, quòd Sancti plerunque hanc prouinciam

Ezech. 33.

Ioan. 21.

Luc. 14.

Matt. 26.

ciam

ciam detractârunt. Sic Ieremias: A, a, a, Domine Deus: Iere. 17.
nescio loqui, &c. Imò Ionas fugit, ne prophetæ offi- Iona 1.
cium sumere cogeretur. Salomon ante omnia sapien- 3. Reg. 2.
tiam petit, &c. Moyses etiam hîc detrectat prouin-
ciam. Soli nos officia, prælaturas ambimus, tantùm
ob quæstum, luxum, & pompam, sicque perdimus nos
& alios. Obserua autem, quòd Moyses non temerè &
apertis verbis negat se facturum, quod iniungebatur,
sed humiliter & reuerentialiter se excusat. Quantum-
cunque enim magnum & arduum est onus, quod De-
nobis imponit, non tamen pertinaciter debemus il-
lud reijcere.

Ego ero tecum.

Q. D. etsi tu nullus sis, ego tamen Dominus sum, nō
oportet aspicere tuā insufficientiā, nō negotij magni-
tudinem & periculū, nec regis potentiā: sed me, & meū
mandatum, qui, quod iubeo, etiam gratiam dare pos-
sum, vt perficiatur. Non simpliciter autem dicit, Ego
te iuuabo, aut angelum mittam; sed, Ego ero tecum.
Quid fortius consolari possem? Eodem verbo & Iere- Ier. 1.
miam & Ezechielem consolatus est Deus, imo etiam Ezech. 3.
Christus Apostolis dixit: Cōfidite, ego vici mundum. Ioan. 16.
Item, Vobiscum sum vsque ad consummationem se- Matt. 28.
culi. Deo autem adiuuante nihil est impossibile.

Et hoc habebis signum, quòd miserim te.

Quidam hoc referunt ad id, quod præcedit: Q. D.
Rubus, quem vidisti non comburi, erit tibi signū. Me-
lius autem refertur ad sequentia: Q. D. res ipsa osten-
det, quòd ego miserim te, cū enim post educationem
ad hunc locum veneris, omnibus apparebit non tua,
sed mea virtute hoc factum esse.

*Ecce ego vado ad filios Israel & dicam eis: Deus patrum
vestrorum misit me ad vos.*

Omittit Moyses priorem excusationem, de sua im-
becillitate, & de oneris impositi magnitudine. Vbi e-
nim Deus dicit, ego ero tecum, non est, quòd cause-
mur oneris magnitudinē & grauitatē. Hinc Christus:
Omnia possibilia sunt credenti. Item: Si credideritis,
dicetis

ANNOTATIONES

Marc. 11. dicetis monti huic tollere, &c. Hinc Paulus: Omnia
Phil. 4. possum in eo, qui me confortat. Et Moyses: Præceptū,
 inquit, quod do tibi, non est supra te, &c. Errāt igitur,
Rom. 5. qui præcepta Dei dicunt esse seruatu impossibilia, etiā
Matth. 23. homini Christiano. Cū enim charitas diffusa sit in
 cordibus Christianorum, per spiritum sanctum om-
 nia ipsis possibilia sunt. Vnde & Christus, iugum suū
 dulce, & onus suum leue dicit. Omissa igitur impossi-
 bilitatis excusatione, Moyses suam ignorantiam alle-
 gat: egone, inquit, de Deo rebusque diuinis prædicē,
 cū harum rerum ignarus sum, aded, vt nec nomen
 Dei mihi cognitum sit? Non immeritō autem de no-
 mine Dei quærit, prædicator enim certus esse debet
1. Cor. 1. de eo, quod docet. Deinde, quamuis vnus tantūm sit,
 & esse possit Deus, quemadmodum Paulus dicit: Et si
 multi sunt, qui dicantur dii & domini, nobis tamen v-
 nus est Deus: imō etiam Philosophorum aliqui sanio-
 res sciuerunt vnum tantūm esse Deum. Vnde quidam
 eorum dicit: Entia nolunt malè regi, vnus ergo prin-
 ceptus. Error tamen nomen Dei commune fecit etiam
 creaturis. Meritō igitur Moyses quærit de nomine
 Dei, vt scilicet, non falsos Deos, sed verum & vnicum
 Deum prædicare posset. Præterea timet Moyses, ne
 etiam Israelitæ inter Aegyptios conuersantes Dei co-
 gnitionem amiserint. Fortassis, inquit, nouum illis vi-
 debitur de Deo audire. Fortassis interrogabunt irriso-
 riè quid sit Deus, &c. Sic dum nimis diu in Aegypto
 peccatorum versamur, obliuiscimur Dei. Et cū post
 longum tempus Moyses quispiam nobis de Deo &
 voluntate Dei prædicat, videntur omnia esse noua
 & insolita. Sic igitur impletur illud Moysi: In crassatus
Deut. 32. est dilectus, &c. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & ob-
 lita es Dei factoris tui, &c. Noli igitur in mundo re-
 manere, ne omninō obliuiscaris Dei. Abundantia &
 nimia prosperitas temporalium, inducunt obliuio-
1. Cor. 13. nem Dei. De qua Paulus: Ignorantiam, inquit, Dei ha-
 bent quidam. Alij tamen volunt, quod Moyses hic nō
 de nomine Dei, sed de modo liberationis quæserit, an
scilicet;

scilicet per occultas inspirationes & admonitiones cor regis mollire velit, an apertis signis & plagis eum aggredi. Est igitur sensus. Quod est nomen tuum? quasi dicat, quo modo liberabis populum? Mittis me ad liberandum & educendum populum, & non ostendis quomodo id fieri debeat aut possit.

Ego sum qui sum.

Mira Dei condescensio. Poterat Moysen arguere, quod curiose quæreret de nomine Dei, cum eius voluntatem audiret. Sic enim etiam Christus Petrum curiosa quædam interrogantem repulit. *Quid ad te? inquit, tu me sequere.* Poterat, inquam, Moysen arguere, sed condescendit ei: imò plus reuelat, quam petierat. Nō enim tantum vnum nomen, sed duo ipsi reuelat: nomen scilicet naturæ, & nomen gratiæ. Tam fortis erat humilitas ipsius Moysi, ut nihil illi denegare posset aut vellet Deus. Eadem enim humilitate Moyses postea in tantam fortitudinem excreuit, ut Deum iratum tenere posset, ne populum perderet.

Cæterum, quod hinc dicit, Ego sum qui sum, est nomen naturæ diuinæ, & essentiæ. Per hoc enim primo ostenditur, quod Deus semper est, nec enim incoepit, nec desinit esse. Nihil apud ipsum præteritum, nihil futurum, sed semper præsens, quemadmodum etiam Christus dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Secundò, ostenditur in hoc verbo, quod Deus à nullo alio est. Tertiò, quod omnibus esse dat, & conseruat. Hoc igitur verbum, differentiam ostendit: Primò inter verum & falsos deos. Hi enim dicuntur quidem dij, sed non sunt: ille autem & dicitur, & est Deus. Secundò ostendit naturam inter Deum & creaturas. Creaturæ enim incipiunt & desinunt esse: Deus autem semper est, & manet.

Hoc igitur de ipsa natura & essentia Dei scimus & scire sufficit, maiora ne quæramus. Hæc autem Dei essentiam significat sanctissimum illud nomen Domini tetragrammaton, id est, quatuor literarum. Deductum enim est ab essendo, vel subsistendo. Quia verò il-

ANNOTATIONES

1. Cor. 13. Iud in nominabile erat: significabatur per hoc, quòd Dei substantiam nulla creatura perfectè cognoscere posset in hac vita. Nunc enim cognoscimus ex parte; in futuro enim vita videbimus eum facie ad faciem sicuti est. Obserua autem quod in Hebræo dicitur, Ego ero qui ero: & tunc est sensus: Quid quæris de nomine meo? res ipsa indicabit qualis Deus sum. Tanta siquidem faciam, vt omnes cognoscant fortitudinem meam. Item, quid quæris nomen meum? Non audisti quòd tecum ero? Non audisti, quòd populum liberabo? igitur, Ero qui ero, hoc tibi satis sit.

Qui est, misit me ad vos,

Id est, Is Deus qui verè est, & à seipso est, & semper est, & omnibus alijs esse & vitam tribuit, is misit me ad vos.

Deus patrum vestrorum misit me ad vos.

Hic aliud nomen ponit, nomē scilicet gratiæ. Nam gratiæ est, quòd patrū Deus dici voluit. Obserua quòd nomen naturæ & essentiæ semel tantum exprimit, & non nisi rogatus: nomen autē gratiæ etiam supra, antequam rogaretur, expressit, cū diceret: Ego sum Deus Abraham, &c. Per hoc autem docemur, ne curiosè inuestigare conemur essentiā Dei, sed diligenter & sepe consideremus illius gratiam. Non enim vult Deus curiosè de sua natura disputari, sed vult amari. Non solum tamē amari vult, sed etiam coli & timeri. Idcò Deum se dicit, quod maiestatem indicat: & Dominū, quod potentiam ostendit.

Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.

Ad perpetuam memoriam & gloriam patrū sic nominari voluit: propter fidem enim, quā in Deum habuerunt, etiam ipse non confunditur vocari eorum Deus. Quòd autē dicit: Hoc nomen mihi est in æternū, ostendit se nedum in hoc tempore Deum esse, sed etiam post hanc vitam. Quòd autem addit, Hoc memoriale meum: ostendit quod ex gratia, misericordia, beneficij, &c. potius vult cognosci, quàm ex ira & potentia.

ventia. Quæ igitur Deus circa Abraham & alios patres fecit, ideo fecit, vt per hæc memoria eius celebrior esset apud homines, qua promouerentur & ipsi ad standam pietatem & cultum veri Dei, quãdoquidem tam benignus est suis seruatoribus.

Vade congrega seniores Israel.

Hic Deus modum futuræ liberationis Moysei ostendit: nam id secundum aliquos petiuit, vbi dixit: Quod est nomen tuum? Sic Deus in omnibus condescendit pijs. Voluntatem, inquit, timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, &c. Obserua autem quod non primò ad populum eum mittit, sed ad seniores, qui scilicet diuinas promissiones sciebant. Erat enim res ardua: & periculũ erat, nè populus solùm Moysen videns, illi se non crederet. Sic enim populus solo imperu, nõ ratione ducitur, & nõnunquam reijcit, q̃ sumere vtile erat, & eligit, quod certã perniciem affert: ideo senioribus prius res manifestatur, vt per ipsos paulatim animæ popularium præparètur, discerentq; Deũ olim hæc prædixisse, &c. Deinde primò iubetur conuocare seniores: nisi enim hi, qui alijs prælati sunt, quique & scientia & potentia clari sunt, præcedant, non facilè vulgus sequitur. Nihil enim eos magis mouet, quàm exempla prælatorum. Ideo vbi tales impiè viuunt, duplex damnum faciunt. Primò enim se perdunt. Secũdò, alios offendunt. Hinc Paulus episcopus & pastores Ephesiorum conuocat, & monet, vt verbo & exemplo præsent. Hinc idem vult episcopum esse irreprehensibilem, Summa si ex Aegypto liberari volumus, oportet vt primò surgant, qui alijs præpositi sunt, vt ipsorum & alij exempla sequantur.

Psal. 144

Act. 20.

Tim. 3.

Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens, visitans: visitauit vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Aegypto: & dixi, vt educã vos de afflictione Aegypti, in terram Chananæi. &c.

Eadem fermè verba senioribus dicere iubet, quæ suprã etiam Moysei dicta erant. Primò, iterum se nominat Deum Abrahamã: ita enim vult populo innotescere,

ANNOTATIONES

vt qui iustos diligit, si fortè per hoc etiam ipsi ad iustitiam permoucantur. Secundò, sicut supra dixerat: vidi, audiui, scio, sic hic quoq; tria verba ponit, visitaui, vidi, dixi: id est, proposui liberare. Omnia hæc toties replicat, vt sciamus omnia nuda & aperta esse oculis Dei. & quòd suorū non obliuiscetur in finē. Tertio, iterum eis proponit, imò commendat terrā Chanaan, vt magis alliciat, desideriumq; eorū accendat. Sic enim naturalis ille populus terrenis promissionibus trahendus erat, donec ex carnali spiritualis efficeretur. Christianos autem oportet esse perfectiores, i. deo enim nō paruulis, sed adultis comparantur. Ob id Christus nō terrena nobis promisit, sed spiritualia,

1. Cor. 3. et Gal. 4. vt patet in Euāgelio vbique, Carnales visibilibus trahuntur, spirituales inuisibilibus.

Ingredieris tu & seniores Israel ad regem Aegypti.

Videmus etiam hīc Dei clementiam erga peccatores. Iam dudum meruerat tyrannus hic puniri, imò de terra deleri, adhuc tamen Deus, antequam puniat, præmittit admonitionem, si fortè spontè faciat impius, quod postea inuitus facere cogitur. Idem etiam nobis facit Deus, quanquam plerique diuitias huiusmodi bonitatis & longanimitatis eius cōtemnant in suum ipsorum malum, vt Paul. dicit. Videmus etiam hīc quod sapienter Deus sua opera perficiat. Poterat omnia per solam potentiā perficere, verū non vult, sed ita opus suum incipit, vt nec impij quidē quicq; in eo reprehendere possint. Primò enim, nō iubet eos in salutato rege abire, nè seditionem moliri viderentur, & nè seditiosis ansa præberetur etiam similia facienda. Deinde iubentur regem accedere, vt videat eos non pertinaciter, sed honestè agere velle. Præterea nō vult vt prima facie inuehantur in tyrannidem regis, sed vt humiliter copiam abeundi petant, nihil causantes de regis tyrannide. Oportet enim etiam regibus malis & discolis obedire. Demū ipse eis verba præscribit, quibus regem alloquantur: & talia verba, quæ rationabiliter cōtemnere non poterat.

Dominus

Dominus Deus Hebraorū occurrit nobis, ibimus viam trium dierū in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.

Primò, iubentur nomen diuinum prætere, nè viderentur hæc propria leuitate mōliri. Deinde iubet, vt & Dominum & Deū ipsum coram rege nominent, nè rex suspicetur vulgarem aliquem Deum hoc præcipere: sciat eum Dominum hoc velle, qui & Deus sit, & eum Deum, qui & Dominus omnium sit, vt sic primo verbo timorem & reuerentiā illis incuriant. Tertio, vult Hebraorū Deus coram Pharaone dici, vt sciat rex, Israelitas proprium Deum habere, qui ipsorū causam agat, & acturus sit, sicq; timeat quicquā contra ipsos attentare, ne Dei iram in se prouocet. Quarto nō vult, vt manifestè ostendant, se ex toto recessuros, nè eum prouocent. Præterea iubet, vt trium dierum spatium abeundi detur, nè si longius spacium peterent, mali quid suspicaretur. Insuper vult, vt se testetur, nō aliò se ituros, quàm in solitudinem, quæ & ipsa sub ditione eius erat, ne suspicari posset eos alijs populis se velle adiungere. Postremò, iubet vt non aliam causam præterant, quàm quòd immolari velint Domino, id quod rationabiliter denegare non poterat. Ideò autē tanta modestia iubet eos regem accedere, non quòd ipse potentiam regis timeret, sed vt eò inexcusabilior esset, quòd ipsorum petitio rationabilior fuerat. Eodem modo etiam nobiscum benignè alloquitur Deus per suos Prophetas, cū posset solo nutu perdere. Nō enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertantur, &c. *Ezech. 18.*

cat igitur nos, & ad se vocat, & in solitudinē vocat, vt scilicet nec cū Aegyptijs, nec cum Philistæis nos coniungamus, sed soli simus populus sanctus Domini: hoc est, nec cum infidelibus, nec cū hæreticis. Vtrunq; enim, & ab vtriusq; imminet periculum. Corruptunt enim bonos mores colloquia praua. Et modicum fermentum totam massam corrumpit. *1. Cor. 11. 1. Cor. 5.*

Scio autem, quòd non dimittet vos rex Aegypti, vt eatis, nisi per manum validam.

Impij nō mouentur verbis, ideò Deum ad vltionē

ANNOTATIONES

Mat. 23. prouocat, & quasi cogunt eum alienū opus assumere, id est, punire, cū eius proprium opus sit, parcere & misereri. Deindē, impij potentiam Dei non credunt, nisi eam experiantur. Obseruandum hic, quōd Deus etiam malorum cogitationes præuidet, & præcognoscit: ipse enim scrutatur corda & renes.

Gal. 7.

Extēdam manū meam, & percutiam Aegyptū in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorū; post hoc dimittet vos, &c.

Luc. 1.

Manus Domini potentia eius est, iuxta illud: Fecit potentiam in brachio suo, &c. Est igitur sensus. Non curabit Pharaō verba, nisi addam verbera, & magna, & crebra. Percutiam igitur eum in cunctis mirabilibus meis. Cæterū sicut Israelitæ facillē descenderunt in Aegyptum, sed difficulter inde liberantur, imō non nisi per manum Dei: Ita & nunc facilis est descensus a uerni, sed reuocare gradum, hoc opus, hic labor est. Quilibet se in puteum præcipitare potest, sed non inde quilibet p se exire potest: Facillē labimur in peccatum, sed per nos ipsos nō possumus resurgere. Necessē est, vt adsit manus Dei, & valida manus: nā peccatorem iustificare maius opus est, quā cælum & terram creare, ait quidam. Cauēda igitur sunt peccata. Non facillē enim admittit diabolus quos semel apprehendit. Nec scimus, an Deus semper sic extensurus sit manum suā ad nos. Semel liberauit nos in manu forti per mortem Christi, quis scit si quotidie relabentibus, imō in peccato perseuerantibus semper passurus sit?

Virgilius.

Dabo autem populo huic gratiam coram Aegyptijs.

Exod. ii.

De hoc infra plenius dicitur, quare hic obiter trāsibimus. Cæterū quōd eius rei hoc loco mentionem facit, cū tamen fermē vltimum sit, quod ante egressum ex Aegypto factum sit: idē fit, vt Moyses in ipso statim exordio hinc disceret, Aegyptiorum iniustitiam perfectē puniendam, Israelitarumque miseras ad plenum remunerādas. Itemq; vt Moyses videret Deum omni genere signorū Aegyptios percussurum. Verē mirum est, magnumque diuinæ potentiae signum, quōd ita Aegyptiorum mutare potuit animos, vt his, quos

maximè oderant, & de quorū recessu audiebant omni hora, accommodarent preciosa quæque. Verùm quid Deus non potest? Sed de hoc infra.

CAPVT III.



Hactenus Moyses à Deo in ducem populi institutus fuit, in super & edoctus, quid, & quomodo loqueretur coram rege & coram filijs Israel: nunc in hoc capite, antè, quàm cum rege congregiatur, induitur armis, & gladium accipit, quo regem inuadat, & deiciat. Nihil autem hinc de externis armis loquitur, sed tantùm de verbo & mandato Dei & gratia miraculorum. Hæc arma Moysi dantur, imò eisdem armis etiam Christus Apostolos suos contra regnum diaboli pugnatueros iustruit: *Euntes, inquit, prædicate dicentes: Appropinquabit regnum caelorum.* Et subdit: *In firmos curate, mortuos suscite, &c.* Hæc sunt vera Dei arma, de quibus Paulus ait: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, &c.*

Respondens Moyses ait, Nō credēt mihi, neque audient vocē meam.

Hæc est tertia excusatio ipsius Moysi, qua præterit populi incredulitatem. Nec immeritò hoc præterit, nam & alij prophetæ de eodem conquesti sunt, & ubique conqueruntur. Sic Isaias: *Domine, inquit, quis credidit auditui nostro? &c.* & Hieremias: *Ecce ipsi dicūt, ubi est verbum Domini? veniat.* & Micheas: *Væ mihi, quia factus sum quasi qui racemos colligit, & cær.* & Helias: *Prophetas, inquit, tuos occiderunt, & relictus sum ego solus.* & Christus ipse: *Cantauimus, inquit, vobis, & non saltastis, &c.* & Paulus: *Non omnes, inquit, obediūt Euangelio.* Meritò igitur & Moyses hoc præterit. Primò enim sciebat ingeniū ipsorū, quod scilicet erat populus duræ cervicis. Deinde, expertus erat ipsorum peruersitatē: iam pridem enim illi dixerant, *Quis te constituit iudicem super nos? Præterea, verisimiliter timere poterat, quòd nō crederent sibi tam humili*

Matt. 10.

2. Cor. 10.

Isa. 53.

Ier. 8.

Mich. 7.

3. Reg. 19.

Matt. 11.

Rom. 10.

Exod. 2.

ANNOTATIONES

apparuisse Dominum, qui tãto iã tempore nulli è to-
to populo locutus fuerat. Apparet autem hinc, quam
nihil Moyses, de se magni præsumeret: q. d. nunquã
credent quòd me tam humilem & nullius momenti
hominem respexeris. Insuper sciebat ipsos non credi-
turos, nisi signa viderent: nam & vsq; hodiè Iudæi si-
gna quærunt. Postremò, non solũ ad filios Israel, sed
etiam ad Pharaonem mittebatur, quem sciebat obsti-
natissimũ. Meritò igitur dicit, non credent mihi. Pul-
chrè autem hic expressit naturam carnalium: primò
enim nihil minus curant, quàm verbum Dei, q̄ tum
omniũ maximè curandum erat. Nõ enim in solo pane
viuit homo, sed in omni verbo Dei. Deinde, etiam si
verbũ Dei audierint, non tamè credunt, aut obediunt.
Præterea quantũuis audiant Deum loquẽtem, vocan-
tem, cõminantẽ, non tamè credunt, nisi signa videãt,
quasi Deus mentiri aut fallere possit vt homo, cum
nudum Dei verbum tam certum nobis esse debeat, ac
si centum iuramenta addidisset & innumera signa.

Quid est, quod tenes in manu tua?

Mira Dei bonitas, qui ita condescendit infirmitati
nostre. Poterat iure arguere incredulitatẽ nostrã, qua
ei credere nolumus, nisi quatenus videmus. Poterat
punire hanc contumeliam, quam ei irrogamus, verbo
ipsius non maiorem fidem adhibentes, quã verbo ho-
minis, qui ex natura mendax & mutabilis est. Poterat
dicere, Nunquid pro libitu vestro iuramentum & si-
gna addere cogor? Attamen nihil horum facit, sed
spontè addit & signa, & interdum etiam iuramentũ
verbo suo, tantũ vt nostre infirmitati cõsulat, q̄ nu-
dis verbis vix credimus, maximè si sit res ardua. Quia
igitur Moyses primus fuit, cui Deus verbum suum præ-
dicandum cõmisit, dedit eidẽ potestatem signa faciẽ-
di, quib; homines facilius ad credendum incitarẽtur.
hoc idẽ fecit Christus, cùm Apostolis Euangelium
suum prædicandum committeret. Obserua autem,
quòd nõ vnũ tantũ, sed tria signa Moyse dat, vt scilicet
in ore duorum aut trium testium stet omne verbum.

Ob-

1. COL. 1.

Deut. 1.

Psal. 115.

Matt. 10.

Obserua item, quòd Moyfi non nisi atrocìa & terribilia signa dat, tum quia tyrannum terrere voluit, tum quia etiam populum Israel ad timorem & reuerentiã Moyfi incitare voluit, quem prius cõtempserant, tum quia Moyses legis typus est, cuius præcipuũ officium est terrere. Quale igitur verbum habet, talia habet & signa. Contra autem, Euangelium, cuius officium est consolari, consolatoria signa habet. Vnde Apostolus non dicitur, vt aquam in sanguinem conuertant: sed, Sanate, inquit, infirmos, mundate leprosos, &c. Obserua item, quòd non qualiacunque signa dedit Moyfi, sed talia, quæ adumbrarent statum populi, in quo tunc erant, & in quem ponendi erant per Deum. Mirari igitur quis possit, cur non alia, quàm hæc signa dederit. Verum rectè intuenti apparebit conuenientissimè huiusmodi signa data esse.

Proteci virgam in terram, & versa est in colubrum, ita, vt fugeret Moyses.

Hoc primum signum ostendebat horrorem diuini iudicij. Sicut enim virga Moyfi, quamdiu eam in manu habebat, videbatur mortuum quid, quod nemo timebat: proiecta autem in terram, in colubrum mutatur, qui etiam Moysen terret, tametsi nihil noceat illi. Sic iudicium Dei antequam feriat, videtur virga arida, quam homines obstinati nihil timent: cùm autem ferre incæpit, aded horrendum apparet, vt etiam Sancti inde terreantur, quemadmodum Dauid ait: Nõ intres in iudicium cum seruo tuo Domine, &c. Et iterũ: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Deinde, signũ hoc pulchrè adumbrabat statũ populi in Aegypto: quã diu enim Ioseph viuebat, benè habebat populus Israel, tunc igitur virga eleuata erat, imò ab Aegyptijs adorabatur potestas ipsius Ioseph. Eo autem mortuo, virga in terram cecidit, & in serpentẽ versa est: hoc est, populus humiliatus est, & Aegyptijs abominabilis & venenosus visus est. Moysen autem resurgente virgam, restituta est: ipso enim ad populum veniente, restitutus est Israelitis pristinus decor.

ANNOTATIONES

Apprehende caudam eius.

Moyſes fugit, ſed Deus iubet ſerpentem apprehen-
dere. Fugerat a populo, ſed iubetur redire ad ipſos. V-
trunque ipſi cōtrarium erat. Sic enim ſpiritus ſemper
præcipit, quæ carni contraria ſunt. Quæ enim Deus
præſcribit, ab his caro abhorret, & contrā. Vide autem
obedientiam Moyſi, qui ad nudum verbum Domini
colubrum manu apprehendit: ſic enim pij ad māda-
tum Domini res difficilimas aggrediuntur. Obſerua
hic, quòd Deus etiam nocentiſſima facere poteſt in-
noxia obedientibus, vt patet de Daniele inter medios
leones perſiſtente. hinc & Chriſtus diſcipulis dicit: Ec-
ce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes &
ſcorpiones, &c. Imò ſerpens hic non ſolùm non lædit
Moyſen, ſed inſuper telum ei fit, quo alios terreat & fe-
riat. In fine autē addit, Vt credant, inquit. Vbi videm⁹,
in quem finem Deus faciat ſigna, nō vt curioſè de his
diſputemus, ſed vt credamus, & timeamus.

Dan. 6.
Lucz 10.

Mitte manum tuam in ſinum tuum.

Etiam hoc ſecundum ſignum ſtatum populi indi-
cat, & futuram celeremque alteratiōnem ſecuturam.
Per primam enim miſſionem manus in ſinum ſignifi-
cabatur, quòd filij Iſrael quādo primò ſuppoſiti ſunt
curæ Moyſi (quæ per ſinum ſignificatur, iuxta illud:
Porta eos in ſinu tuo) per hoc fuerunt magis abomi-
nabiles Aegyptijs, & quaſi in conſpectu eorum foeti-
di. Vnde infrā dicunt: Feciſtis nos foetere coram Ae-
gyptijs. Per ſecundam autem miſſionem manus in ſi-
num, ſignificabatur conſolationem eis affuturam per
curam Moyſi. Item per manum leproſam ſignifica-
tur, quòd ſicut lepra à ſolo Deo curatur: ſic liberatio
filiorum Iſrael per ſolum Deum perficienda erat. Itē
ſignificabatur, quòd ſicut facile manus è ſinu depro-
mitur, ſic Deo non eſſe impoſſibile populū quantum-
uis oppreſſum liberare.

Num. 11.
Exod. 5.

Moraliter. Manus leproſa ſignificat immunditiam
operum noſtrorum, quæ tunc vel maximè leproſa fit,
cū in ſinū mittitur, id eſt, cū cor malū eſt. Ex cor-
de enim

de enim procedunt omnia mala. Vel manus Moyſi im. **Matt. 12.**
 munda, opera legis ſignificat, quæ neminē iuſtificant.
 Addit autē etiā hic: Si non crediderint, nec audierint
 ſermonem ſigni prioris, &c. hoc autē verbo ſatis in-
 nuit, quòd etiā ſigna ſuum ſermonem & linguā ha-
 bent: Verè enim loquuntur & clamant, vt Deū agno-
 ſcamus, ipſi que timeamus, obediamus.

*Quòd ſi nec duobus ſignis crediderint, nec audierint vocem tuam,
 ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam,
 & quicquid hauſeris de fluuio, vertetur
 in ſanguinem.*

Ita Deus loquitur & agit cū hominibus, veluti cū
 pater ludit cum infantulo, iuxta illud: Quomodo mi-
 ſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timēti- **Pſal. 102.**
 bus ſe, &c. Sic enim De⁹ nunc vno, nunc alio ſigno nos
 allicit ad confidentiam in ſe & amorem, quali noſtra
 fide indigeat, cū tamē omnia propter nos faciat: nā
 operum noſtrorum ipſe nō indiget. Ceterū hoc ter- **Pſal. 15.**
 tium ſignū maximè & propriè ad Aegyptios pertinet:
 per hoc enim ſignificabatur ventura Aegyptijs inter-
 necio, idq; non abſq; ſanguinis effuſione, quod & tā-
 dem in primogenitorum interfectione, & exercit⁹ ſui
 ſubmerſione experti ſunt. Hic eſt enim finis eorum, qui
 nec verbis Dei, nec ſignis credere volunt.

Allegoricè. Virga Moyſi, ſignificat humanitatē Chri-
 ſti, quæ de radice Ieſſæ ſumpta eſt. hæc virga in terram
 proiecta, & in colubrum verſa eſt, cū Chriſtus mor- **Eſa. 49.**
 tuus eſt: tunc enim videbatur veneno peccati infectus,
 & à DEO maledictus: Vnde & inter latrones pen-
 debat. Ob eam cauſam Moyſes fugit, id eſt, populus Iu-
 dæorum credere noluit ipſum eſſe Meſſiam. Offen- **1. Cor. 1.**
 debat enim eos crux Chriſti, vt Paulus ait. Cæterū,
 coluber in virgam redijt, cū Chriſtus tertia die re- **Matt. 28.**
 ſurrexit, & poteſtatem accepit in cælo & in terra. Huic
 ſigno quia Iudæi credere noluerunt, manus Moyſi le-
 proſa facta eſt, quia ſynagoga à facie Dei proiecta &
 excluſa, quemadmodum excluduntur leproſi à ſo-
 cietate hominum. Suo tamen tempore reſtituetur, **Rom. 11.**
 cū

ANNOTATIONES

cùm scilicet plenitudo gentium intrauerit. Itaque quem primum signum non mouet, id est, mors & resurrectio Christi, hunc saltem terreat terribilis illa Iudæorū excecatio. Quòd si nihil horum te mouet, nihil aliud restat, quàm certa & perpetua damnatio.

Obsecro Domine, non sum eloquens, ab heri & nudius tertius, ex quo locutus es ad seruum tuum, quia impeditioris & tardioris lingue sum.

Hæc est quarta excusatio Moyfi, qua præ tendit lingue tarditatem. Cæterùm, quòd Moyfes toties quærit excusationes, planè ostēdit, quàm indomita sit caro, quàm inuita obediat, maximè vbi laborera & periculum videt. Cupiebat quidem Moyfes salutem & liberationem populi, sed nolebat tamen se ob hoc exponere labori & periculo, imò post tot admonitiones & promissiones, adhuc tamen dubitat. Eandem naturam nos habemus: hoc autem inde prouenit, quòd nimium nos diligimus, & quòd Dei potentiam & gratiam non consideramus, quando potest & vult nos iuare. Huiusmodi autem imperfectiones etiam sanctis aliquando inhaerent, vt scilicet, videant se esse homines & peccatores. Hinc & Apostolis graue videbatur, quando Christus de cruce loqueretur, ad eò, vt Petrus semel eum corripere ausus sit: Absit, inquit, Domine, à te non fiat istud. Cum autem Christum transfiguratum videret, statim dixit: Domine, hinc bonum est nos esse, &c. Obserua humilitatem Moyfi, qui talia nō veretur de seipso scribere, cùm multa alia prætermiserat, quæ ad mundanam gloriam facere possent. Sic enim iustus in principio accusator est sui. Cæterùm, quod Moyfes dicit: Nō sum eloquens ab heri & nudius tertius, innuere videtur, quòd quæ hactenus dicta sunt, non vna die acta fuerint. Nempè, nudius tertius idem est, ac si dicas, Nunc est dies tertius, ex quo locutus es ad seruum tuū. Verùm quicquid sit, de hoc illud obseruandum, quòd ait, hoc sibi contigisse ex eo tempore, quo Dominus sibi locutus fuit. Est enim sensus: Antequam loquereris ad seruum tuū, videbar mihi eloquens &

Matt. 16.

Matt. 17.

PROV. 18.

quens & expeditæ linguæ : nunc autem ex quo loqui *Psal. 50.*
 cepisti, & occulta sapietiae tuæ manifestare mihi, hoc
 de me didici & sensi, quòd tam eloquens non sim, vt
 ea, quæ nunc agenda intelligo, coram hominibus di-
 gnè eloqui possim. Hic igitur videmus, quid sit sapien- *Acto. 7.*
 tia mundi erga sapientiam Dei. Erat Moyses eruditus
 in omni sapientia Aegyptiorum, erat eloquens in Ae-
 gypto: cùm autem ad Deum venit, fatetur se nihil sci-
 re, nec loqui posse. Sic, quò magis mens eleuatur, eò
 magis homo extra se rapitur, & obstupescit ad collo-
 quium Dei: vehemens enim est sermo Domini, leo ru- *Amos 3.*
 giens, inquit, quis non timebit? Et iterum: Verba mea *Ier. 23.*
 sunt sicut malleus supra petram. Hinc & Daniel ait: *Dan. 10.*
 Domine, in visione tua solutæ sunt compages meæ, & *Matt. 5.*
 nihil in me remansit virium. Admonemur autem hic
 iterum modestiæ, quòd Moyses tam sanctus tantisque
 viribus præditus, tam inscium & insufficientem se fa-
 tetur. Admonemur etiam, vt iam nunc cum aduersa-
 rio concordemus, dum scilicet in vita sumus. Si enim
 Moyses benignè à Domino vocatus ita obstupuit, vt
 lingua hæreret, quantò magis obstupescet & obmu-
 tescet peccator citatus ad iudicium? Sic qui in nuptijs
 non habebat vestem nuptialem, admonitus statim
 obmutuit. *Matt. 22.*

Quis fecit os hominis?

Omnes excusationes, quas Moyses præ tendit, Deus
 facilimè diluit. Non enim vult, vt differamus manda-
 ta eius implere: non accipit excusationem. Denique,
 quicquid præ tendere poterimus, facilè diluet. Iterum
 autem Moysen propter suam infirmitatem, pusillani-
 mem iubet considerare Dei potentiam & fortitudi-
 nem. Nescis, inquit, quòd ego omnia feci, & facio? &
 quòd omnia in manu mea sunt? Qui igitur os & lin-
 guam feci, possum & dare eloquentiam. Qui Dei om-
 nipotentiam considerat, non dubitat ardua aggredi.
 Sic & Dauid considerans, Deum fortio rem esse gigan- *1. Reg. 17.*
 te illo, ausus est puer & inermis cum fortissimo cõfli-
 gere. Hinc & idem Dauid in psalmo dicit: Dominus il-
 luminationis

ANNOTATIONES

Psal. 26. luminatio mea & salus, quem igitur timebo, &c.

*Perge igitur, Ego ero in ore tuo, docebo que te,
quid loquaris.*

Vbique magna promittit. Timenti potentiam regis, ait: Ego ero tecum. Causanti incredulitatē populi, potestatem dedit signa faciendi: causanti autē lingue tarditatem, dicit: Ego ero in ore tuo. Hoc autē necessarium erat in prædicatorem instituto, alioqui nisi Deus sit in ore, & linguam moueat, periculum est, nè humana pro diuinis, falsa pro veris dicamus: Omnis enim

Matt. 12.

homo mendax est. Hinc & Christus: Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Cæterum, non tantum dicit: Ero in ore tuo, sed addit: Et docebo te: vtrunque enim à Deo est, scientia & eloquentia. Vtrunq; necessarium prædicatori. Hinc & Christus. Apostolis dixit:

Luc. 21.

Eph. 6.

Ego dabo vobis & sapientiam, &c. Hinc Paulus petit pro se orari, vt detur sibi sermo in apertione oris. Hinc igitur vides, vnde sit, quòd Moyses tam bona vbique loquatur, nempè, à Deo linguam eius mouente. Sicut contra verè diabolus in ore habent, qui mala loquuntur, mendacia, scilicet, detrectationes, blasphemias, &c. Ex hoc autem verbo omnia Moyse dicta & scripta auctoritatem habent: hinc enim scim⁹, quòd verbum eius, Dei verbum est, quandoquidē hic dicit: Ego ero in ore tuo. Qui igitur Moysen contemnit, Deum contemnit. Idem dico de Apostolis nostris, & eorum scriptis. Nam & ipsis dictum est: Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

Luce 21.

Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.

Hic tandem aperit, quid vellet, & quò tenderet toties se excusando Moyses, nempè, vt non ipse, sed Christus verus liberator mitteretur, qui non tantum temporaliter, sed & spiritualiter liberaret, nec tantum filios Israel, sed totum genus humanum. Quem enim Dominus missurus erat, nisi illum, qui nunc missus est, quem Patriarcha Iacob annunciauerat expectationē esse gentium, & desiderium collum æternorum. Non ergo

Gen. 49.

ergo ex diffidentia salutari imperio ministrare recusat, sed sciens, quod ministerium suum nihil ad perfectum duceret. q. d. quandoquidē scio, quod verū saluatorē missurus es, obsecro, mitte eum nunc pro me. Quid enim magnum ego facere possum? quid prodest ex Aegypto exire, & in peccatis manere? Pharaonem effugere, & non diabolum? intrare in promissam terram, & non in cælum? quid prodest vnum populum liberare à temporali seruitute, & totum genus humanū relinquere sub potestate diaboli? Igitur mitte, quē missurus es. Vide quod sancti orauerint etiam in veteri testamento. Vides, quod plus desiderauerint spiritualia, quàm temporalia. Tantò maior igitur est confusio nostra, qui contrarium facimus.

Iratus Dominus in Moyses.

Longè aliter irascitur Deus pijs, quàm impijs: Vbi enim impijs irascitur, statim sequitur pœna, vt patet de Oza, &c. Pijs autē ita irascitur, dum corripit, & non exaudit pro voto, nec patitur moras necesse operi suo, Multum autem irasci, visus est hoc loco, quia tenerum pietatis desiderium valdè afflixit in eo, quod ad postulata non respondit. Præterea, inquam, non ipsi Moyse, sed humano generi debita Christum suum differens de illo siluit, ac alium Moyse collegā dedit, sed hominem. Iratus igitur Dominus in Moysen, id est, non ita propiti⁹ fuit Moyse, vt nō differret desiderium obsecrantis, vt dicenti: Mitte quem missurus es: saltem diceret, Mittā post tot annos, vel illo tēpore. Indignum eū arbitrat⁹, scire tēpora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Potest etiam locus hic simplicissimè sic intelligi, quod Deus irascitur his, qui mandata eius implere differunt, etiam si interim pium quid meditentur, pium erat orare pro aduentu Messie, sed non satis, cum Deus alia præciperet. In hoc autē facto plerique Moysen imitantur. Pauci enim attendunt, quid Deus habere velit, interim alia quædam bona facimus, & putamus omnia nobis salua esse. Exemplum de principe, qui subditos negligit, interim orans, &c.

Sic de

I. Para. 13.

Acto. 1.

ANNOTATIONES

Sic de alijs: contra huiusmodi irascitur Dominus.

Aaron frater tuus leuites, scio, quòd eloquens sit, ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensque te, lætabitur corde.

Hic Deus iterum condescendit Moyfi sociũ & collegam ei adiungendo, nec alium, quàm germanũ fratrem, quem Moyfes sciret sibi fidelem, & eum diligentem. Sic & aliàs cùm de oneris magnitudine quereret Moyfes, condescendit ei Dominus, & adiunxit ei 70. viros, qui cum eo onus portarent. Sic Deus nõ imponit onus supra vires: nec patitur nos tentari supra id, quòd possumus, &c. Pulchrè autem Deus hic Aaronem describit: Primò nominat eum, nã & ipse Deo notus erat: Secundò ostendit ipsum idoneum: Scio, quòd eloquens sit. Tertiò ostendit ipsum iam vocatũ, sed internè, Egredietur, inquit, tibi obuiã: Quartò ostendit eum alacrem ad onus subeundum: Lætabitur, inquit, corde, cùm te viderit: per hoc etiam Moysem ad alacritatem extimulare volens. Quintò, promittit etiam Aaroni auxilium se præstiturum: Ego, inquit, ero in ore tuo & illius. Interim tamen distinctionem inter ipsos & ordinem facit, Ipse, inquit, loquetur ad populum: Tu autem eris in his, quæ ad Deum pertinent. Vult enim Moysem præponi, ideo & Moyfi virgã committit. Hæc igitur sunt arma, quibus Deus Moysem in futurum prælium armavit: Primò, verbum Dei: Secundò, variæ promissiones: Tertiò, gratia miraculorum: Quartò, virga. Quis crederet eũ his armis solitarum regem posse expugnare? Sed expecta paulisper, videbis, quid possint diuina illa arma. Cæterũ, non sine causa factum est, vt Moyfi adderetur Aaron: Legi enim addendum erat sacerdotium. Hæc autẽ duo impugnare quidem debebant regnum peccati, sed non expugnare: Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Poterat Moyfes vel lex ostendere bonum, sed non cõferre gratiam. Poterat Aaron offerre pro populo sanguinem hircorum aut vitulorum, sed non saluum facere à peccatis eorum. Hoc autem homini maximè necessarium

Num. 11.

1. Cor. 10.

Heb. 7.

fariū erat, vt educeretur è peccato ad iustitiam, è morte ad vitam, è tenebris ad lucem, è terra ad cælum, à diabolo ad Deum: hoc autem neque lex, neque sacerdotium Leuiticū potuit, sed solus Christus perfecit: ideo Moyses & Aaron Aegyptium quidem concusserunt, sed populum liberare nō potuerunt, donec agnus immolaretur.

Abijt Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum:

Non amplius reluctatur Moyses, sed abijt, vt verus obediens: viderat enim Deū irasci. Timebat quidē regem, sed plus Deū: timebat corpori, sed plus animę. Vtinā nobis eadem mēs esset. Abijt autē Moyses nihil aliud cogitans, quā de adimplendo mandato Dei, hoc animo & proposito abeundū nobis esset à concionibus ecclesiasticis, quemadmodum Paul. ait: Obsecro vos, vt quēadmodum accepistis quomodo oporteat *1. Tes. 4.* vos ambulare, sic & ambuletis. Cæterum, quod ad externā speciem attinet, ita Moyses exit desertū, vt intrauerat, nihil ab extra imitationis apparebat, sed longē alius erat ab intra. Priuatus intrauerat, iam autē tali potestate præditus erat, quam antē cum nullus habuerat sanctorum. Solus intrauerat, nunc Deum secum reportat in ore & in corde. Sic abeundum nobis esset à sermone, vt Deum nobiscum portarem: imò verē pij sic discedūt ab auditu verbi Dei. Ab extra quidem non videntur alij, quā prius, sed intus magnum thesaurum acquisierunt. Vnde Paulus de huiusmodi: *1. Cor. 1.* Gratias ago Deo, quòd in omnibus diuites estis facti in omni sapientia, &c. Hinc Christus fratres vocat, qui verbum audiunt. Vide autem quid faciat Moyses, quam tunc exaltatus, non tamen contemnit aut negligit socerum, nimirum implens illud Sapientis: *Ecccl. 3.* Quāto maior es, humilia te in omnibus. & illud Pauli *1. Cor. 2.* confidens: Non honor mihi datus est, sed dispensatio credita est, & labor, & onus. Deinde nihil socero dicit de apparitione Domini, nec quicquā propter hoc gloriatur. Non enim de Dei donis glorandum est aut superbiendum, sed eò magis timendum.

ANNOTATIONES

Lucæ 2. Cui enim multum datum est, multum etiam exigetur ab eo. Non discedit autem Moyses in scio socero, tum quia iurauerat cum ipso manere, tum quia uxorem & filios sine consensu soceri auferre non poterat.

Sup. cap. 2.

Vadam & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, ut videam, si adhuc viuant.

Ex primo statim apparet, quod verè Dominus esset in ore eius. Primò ex eo, quod in tantum exultatus, & in cõsiliu Dei assumptus, tamen adhuc agnoscit fratres suos, nec quicquam se eis præfert. Cogitabat enim iam tantum illud, quod postea per Dauidem spiritus sanctus loquitur principibus: Ego dixi dii estis, &c. Sed sicut homines moriemini. Qui cogitat principiu suum & finem, nõ superbiet de sua potestate. Deinde Moyses non dicit, Educã fratres meos, sed, Videbo si viuant. Non enim suam, sed Dei gloriam quærebat. Vide aut pietatem etiam in socero eius, qui etsi gentilis esset, tamẽ cum videret Moysen opus misericordie facere velle, non retinuit eum, etsi ipsius opera opus haberet. Sic sapiens docet: Noli prohibere eum, qui benefacit, &c. Ceterum, sicut Iethro parum cogitabat quantum bonorum Moyses in deserto inuenisset, sic impij nesciunt, quantum dulcedinis & gratiæ pietiam in pœnitentia & sub cruce inueniant.

Psal. 31.

Prou. 3.

Vade & reuertere in Aegyptum: mortui enim sunt omnes, qui quærebant animam tuam.

Iterum monet: multis enim & crebris admonitionib. opus habet caro. Deinde nouã consolationẽ Moysi affert: Mortui, inquit, sunt, qui quærebant animam tuã. Quo verbo priorem eius timiditatẽ quodammodo arguit, quasi dicens illud propheticũ: Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & oblitus es Dei factoris? In quem adeo timuisti, iam mortuus iacet. Ceterum, idẽ quodammodo verbum Iosepho dictum est patri putatiuo Domini: Reuertere, inquit, in terram Israel defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

Esai. 31.

Matt. 2.

Tulit ergo Moyses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum.

Uxorem

Vxorem & filios secum ducit, vt & ipsi videant opera Dei, sic que in cognitione & timore Dei crescant, maximè vxor, quæ ex gentilibus erat. Deinde, ideo secum ducit, vt & ipsi numeretur in populo Dei. Primùm igitur curat, vt suos ad Deum ducat: Qui enim suorū curam non habet, inquit Paulus, fidem negauit. 1. Tim. 5. Habes hic exemplum boni pastoris, qui ante omnia domum suam benè regere studeat hinc Paulus vult, vt is eligatur in episcopum, qui domui suæ benè profuerit, 1. Tim. 3. & filios habeat subditos, &c. Studeant parentes filios & familiam illuc ducere, vbi Dei verbū audire, & Dei opera videre possunt.

Portans virgam Dei in manu sua.

Similibus armis Dauid processit in pugnam contra Philistæum illum. Tulit enim baculum & peram pastoralem, &c. Quæ arina quamuis giganti illi ridicula videbantur: nunquid, inquit, canis ego sum, quia venis ad me cum baculo? &c. his tamen quantumcūque humilibus armis Deus Pharaonē expellere vult, quod & fecit. Non opus habet Deus magna potentia ad perdendum nos, imò facillimè potest. Nec est res tam parua, cū qua Deus nō possit punire impios, vt infra patebit de ranis & muscis. Cæterum hic virga illa, dicitur virga Dei, non quòd nouam aliquam virtutem acquisierit, sed quòd Deo sic placuerit per eā miracula facere. 1. Reg. 17.
ibidem.

Vide vt omnia ostenta, que posui in manu tua, factas coram Pharaone.

Monet, nè quicquam negligat, vt nullus excusari possit. Sic Christus: Si non venisset, &c. peccatum non haberent, &c. hinc & Paulus: Argue, obsecra, increpa, 2. Tim. 4.
Acto. 20. &c. Et de seipso: Nam subterfugi, quo minus annuntiare vobis omne cōsiliū Dei.

Ego autem indurabo cor eius, & non dimittet populum.

Hic impij statim clamabunt: Quid adhuc queritur Deus? Voluntati eius quis resistit? Obseruandum igitur, quòd hic quidem dicitur: Indurabo cor eius. Rom. 9. *Laia autem dicitur: Et indurauit Pharaon cor suum.*

ANNOTATIONES

Ipse nunquam Pharaeo propriè induravit cor suum in eo quòd data opera voluntati diuinę restitit. Deus autem dicit, Indurabo, non quòd cor ipsius prius molle, in duritiem vertere velit, sed quòd eum iam induratum sibi ipsi relinquere vult, nec gratiam præstare, quia impius, indignus erat, imò quam toties abiecerat. Indurare igitur dicitur Deus, quādo gratiam obstinatè peccantibus subtrahit. Sicq; induratio à Deo est, in quantum est pœna, non in quantum est culpa. Deinde induravit Dominus Pharaonem, non ipsum corrumpeudo, sed filijs Israel, quos ille odiebat, benefaciendo: hoc enim impio inuidenti profecit ad duritiem cordis & augmentum odij. Est enim inuidiæ vel odij proprium, vt quantò eis, quibus inuidetur, maiora beneficia cõferuntur, tantò magis ipsa inuidia vel odium confirmetur. Sic igitur Deus Pharaonẽ induravit, quòd & obstinato iustè gratiam abstulit, & Israelitis benefaciens odiũ regis exasperavit.

Filius meus primogenitus meus est Israel.

Causam ostendit, cur huius populi maiorem curã gerat Deus, quàm aliorum: Quia, inquit, primogenitus meus est. Primus omnium gentium me cognouit, coluitque vt patrem. Scito itaque eum mihi charissimum. Sic electi primogeniti Dei sunt, quia ab æterno electi ante constitutionem mundi. Cæterum etiam nos iusta quidem cõparatione populo illi Iudaico ex parte electorum concedimus omne ius primogeniti, vt quibus credita sunt eloquia Dei, quorũ est adoptio, & gloria, & testamentum, &c. Verum vbi primogenitus ille fratri minori, id est, populo gentili inuidet, & odio eius cecatus offendit in lapidem offensionis, &c. vbi, inquam, sic ait, fatemur illum, at non aliter esse primogenitum, quàm fuerunt Cain, Ismael, & Esau. Frustrà igitur Iudei nũc gloriantur de illo verbo dicẽtes: Vnum patrem habemus Deum. Non enim hoc spectatur, quis primogenitus, vel quis secundo genitus sit, sed quis plus patrem diligat & imitetur.

Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

Eph. i.

Rom. 9.

Maximam plagam primò ponit & comminatur, vt magis terreat regem: solis enim terroribus impij mouentur. Potest etiam per primogenitum intelligi, quidquid pretiosum & charum rex habebat: Nam primogeniti plus cæteris diliguntur. Interficiam igitur primogenitum tuum, id est, omnia præcipua & preciosa tua perdam.

Cum autem esset in itinere in diuersorio, occurrit illi Dominus, & volebat occidere eum.

Hæc longè dissimilia sunt prioribus, meritoque mirari possit quis, quam ob causam Dominus, qui hætenus Moyse tam familiariter locutus fuit, nunc tam repentiè impremeditatè occidere velit. Verù causa in promptu est. Non circumciderat Moyses filium suum iuxta præceptum Domini. Hoc autè hætenus Moyse imputatum nõ fuerat, quàm diu erat in aliena domo inter gentiles, maximè cum mater hoc prohiberet. Et fortè etiam ideo putabatur non necessarium, quod filius eius ex vno tantum parente Israelita erat. Ceterum cum iam sui iuris esset Moyses, nec quæquam timere haberet, iamque ad populum Domini pergeret, filios suos etiam incircumcisos illos annumeraturos, hic nõ amplius dissimulat Deus, sed acriter in eum irruit quasi ipsum occisurus. Quod primò ideo fecit, vt vxor eius territa Deum timere disceret, ac in posterum nõ differret filios circumcidere. Secundò vt videamus Deo maximè displicere, vbi parentes filios negligunt, & quod sanguinem filiorum de manibus parentum requisiturus sit, id quod in Heli videmus. Tertiò, vt videamus, quòd Deus incircumcisos nõ vult habere in populo suo, etiam si ex sanctis parentibus nati sint. Sancti, inquit, estote, quia ego sanctus sum. Hinc Paulus: Nescitis quòd modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate igitur vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, &c. Quartò, ideo sic in Moysen irruit, vt videamus, quàm Deus puniet eos, qui scandala præbent. Magnè scandalum præbuisset Moyses populo, si incircumcisos filios ad ipsos adduxisset. Quintò per hoc etià ostende-

Gen. 17.

1. Reg. 2.

1. Cor. 5.

ANNOTATIONES

re voluit Deus, quod quantumvis familiarē se ostēdat, tamē etiā irascisciat, vbi præceptū eius negligitur. Item vt videamus, quod etiam in electis nō fuit impunitā inobediētiā si contra iustum sic irascitur, & propter vnā negligentia potius, quā malitiā: quid fiet impijs? Si in viridi ligno hæc facit, in arido quid fiet? Signanter autē hoc factō ostendere voluit, quā seueriter vitia & negligentia prælatorū punire velit: potentes enim potenter tormenta patiētur: et iudicium durissimū his, qui præsumunt. Postremò, hoc factō tentare voluit Moysen, cū propter periculum retrocedere velit. Sic enim Deus pergentibus in obediētia Dei nō nunquā videtur resistere, vt probet eos si procedere velint.

Tulit illicò Sephora acutissimā petrā, & circumcidit præputiū filij sui,

Sic terrore compellitur facere, quod alias nunquā fecisset. Et nos si terrore iudicij ob oculos haberemus, nō dubitaremus quæcūq; ardua aggredi, nec in vllō Deo oblectaremur. Cæterū, quod illico hoc fecit, docemur non differre, vbi iudicium Dei in ianuis est, ne subito nos corripiat. Docemur item ne differamus filijs nostris baptismū impartire. Sicut enim Deus in veteri testamentō etiam filios fidelium in suo fœdere habere voluit: ita etiam Christus paruulos non vult excludi. Vnde & ad se adduci iussis benedixit. Quod si in fœdus recipiuntur, nō est eis denegandum signum fœderis, quod tunc erat circūcisio, nunc autem baptismus.

Tetigitque pedes eius.

Referrī potest ad angelū in specie viri apparentē, quod scilicet pedibus eius preuoluta veniā precata sit. Potest & ad Moysen referrī, sic scilicet quod Sephora pedes eius tetigit, id est, importunē supplicauit, ne illum longius sequi cogeretur exterrita vel imparata tantis visionibus, vtpotē quibus gentiliter viuens nondū interesse merebatur. Dei autē nutu hoc factū est: primò ne impedimento esset Moysi. Vnde Paulus: Qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt. Deinde, vt per hoc ostenderetur, nec pueros, nec mulieres, id est, nec eos qui puerilem sensum, nec eos qui molles & effœminatos

tos mores habent, aptos esse ad regimē populi. Hinc pro magna pœna Deus huiusmodi rectores se daturū cōminatur: Dabo, inquit, pueros principes eorū, &c. *Isa. 3.*

Sponsus sanguinum tu mihi es.

Nō dicit, vir sanguinū, ne non cōiugij, sed crudelitatis respectu hoc dixisse videretur. Vir enim sanguinū in scriptura pro homicida accipitur. Est autē sensus: Spōsus sanguinū tu mihi es, id est, ritus gētis tuę cogit me fundere sanguinē. Itē, video me multa passurā tecū: negotium enim Dei sine sanguine non perficitur. *2. Reg. 14.*

Et dimisit eum.

Scilicet angelus Moysen, postquā filius eius iam circumcisus esset. Et nos igitur si volūmus, vt dimittat nos Dominus occidere volēs, impleamus eius mādata. Si pœnitentiā, inquit, egerit gens illa à malo, agā & ego pœnitentiā. Alij hoc referūt ad Sēphorā, q̄ scilicet indignata reliquerit Moysen, & cum filijs reuerfa sit ad domū patris, Deo sic disponente, ne Moyses haberet impedimentū, Vnde & infra dicitur, q̄ Iethro venit ad Moysen, adducēs ei vxorē & filios. Non caret autē mysterio, q̄ Sēphora alienigena non interfuit, cū Moyses educeret filios Israel. Sic enim & Ecclesia gentiū nō interfuit victorię, quā Christus vir eius de principe mūdi, moriēdo cōsummauit. Post factam autē redemptionē ipsa p̄ Apostolos adducta fuit, & victorię sacramētū in Baptismate suscepit. Ceterū, eadem māter Ecclesia quoties vidit Deū irasci, circumcidit filios suos, hoc est, ad pœnitentiā & emendationē vitę inducit, & tangit pedes Domini humiliando se pro filijs. Deniq; & sponsū sanguinū eum vocat, agnoscit enim sanguine ipsius se redemptam, passionemq; sponsi sui, & sanguinem crebrò filijs inculcat, dicens illud Petri: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplū.* *1. Pet. 2.*

Vade in occursum Moysi in desertum.

Hoc iubet, vt Moyses p̄ hoc in fide cōfirmaretur. Nā dixerat Deus Aaron ei occurfurū. Obserua autē, q̄ vterq; summa diligētia dei p̄ceptū exequitur, nec quicquā omitteret hoc enim exigit deus. Per hos autē duos duplex

ANNOTATIONES

designatur: Per Moysen, qui virgam gestat, potestas secularis: per Aaron autem, qui dux verbi est, potestas spiritalis. Hæ duæ potestates sibi occurrere debent, id est, se inuicem iuuare. Debent se osculari, id est, con cordes esse, maximè in his, quæ Dei sunt: ideo Aaron Moysi occurrit ad montem Dei. Itaque si vtraque po- testas quod suum est, facit, etiam populus proficiet, & pronus adorabit. Vt populus proficiat, quòd maiori parte in prælatis sitū est. Orate igitur Dominum mes- sis, vt mittat operarios in messem suam.

Matt. 9.

CAPVT V.



In hoc capite describitur primus Moysi cum rege congressus: suprà quidem in legatione ad populum pulchrè proces- sit negotium: inueniebat enim popu- lum obedientem & voluntariū. Quòd si reliqua sic processissent, primo sta- tim die populum educere potuisset. Verūm hic inue- nit regem contrarium, & ita contrarium, vt populi causa peior fiat, quàm vnquā fuerat, adeò vt populus planè desperet, se posse euadere. Docebit autē hoc ca- put, quā difficulter è diaboli laqueis homo liberetur: quare quilibet summo studio caueat, ne seipsum præ- cipitet, vnde per seipsum regredi non possit.

*Post hæc ingressi sunt Moyses & Aaron, & di-
xerunt Pharaoni.*

Emphasim habet hoc primum verbum. Primò e- nim ostenditur hîc eorum obedientia, q̄ quæ manda- uerat Dominus constanter agunt, quantumcunque graua essent. Deinde, quòd non proprio motu se in- gerunt, sed post hæc, id est, postquam à Domino voca ti essent. Nemo enim sibi ipsi debet sumere honorem, sed qui vocatur à Deo. Prætereà ostenditur hîc eorum prudētia, quòd post hæc, id est, postquā populo nego- tiū proposuerāt, intrant ad regē: frustra enim primò regē adijissent, si nihil de voluntate populi sciissent. Cum populus incipit credere & salutem desiderare,
tunc

Heb. 5.

tunc prædicator contra diabolum præualere potest, & non antè. Postremò videmus eorum magnanimitatè, Exo. 3. & fortitudinem, qui etiam senioribus populi, qui simul intrare debuissent, timentibus & detractantibus, imò præ metu ne hiscere audentibus, soli intrant ad tyrannum, nihil veriti eius potètiæ: imò animas ponere parati erant pro commisso grege, quod propriū est boni pastoris. Sic pij plus timent Deum, qui & corpus & animam perdere potest in gehennam, quàm regem, qui solum corpus occidere possunt, & post hæc non habent amplius quid faciant. Summa, quàm grauatim Moyses officium illud acceptauit, tam constanter illud exequitur. Alius etiam in ipso limine consistens, dubitasset nū procedere deberet. Hi autem non cunctanter aggrediuntur opus Domini. Tales ministros vult Dominus habere, hic quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Et Christus: Qui vult venire post me, & non odit etiam animam suam, non potest meus esse discipulus. Ioan. 10. Matt. 10. 1. Cor. 4. Luc. 14.

Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.

Hi duo significant Legem & Sacerdotiū, quæ duo primò contra regnum peccati misit, antequam fundetur sanguis agni. Significant etiam scientiam & eloquentiam, vel os & sapientiam, quæ necessaria sunt volenti educere populum è seruitute peccati. Cæterum, Moyses & Aaron primò omniū regi nomen Dei proponunt, idque non simpliciter, sed cum grauitate & pondere, vt vel sic eum moueant, & vt impius videat etiam se Dominum habere. Maxima enim causa, quòd tam temerè peccant homines, est, quòd non cognoscunt se habere Dominum in cælis, nec credunt esse Deum vindicem malorum. Hinc Osee: Non est, inquit, scientia Dei in terra. Ideo maledictum homicidium, &c. inundauerunt, &c. Et Isaias. Ideo captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Osee 4. Isa. 5.

Tria igitur de Deo proponunt, quòd Dominus sit, quòd Deus sit, & quòd Israelis curam agat. Hæc tria sufficient

ANNOTATIONES

cissent ad commouendum regem, nisi iam animū obfirmasset in malo. Reuerā enim qui hæc tria credit, is non opus habet multa admonitione. Qui credit se Dominum habere in cælis, semper in timore erit, ne ipsum offendat. Qui credit Deum esse, à quo omnia bona accepit, se eum amabit & obsequetur. Qui credit Deum curam agere suorum, is cauebit ab offensa proximi. Deinde Moyses & Aaron regi proponunt mandatum Domini, idque ea vehementia, quasi Deum ipsum audiat loquentem: Dimitte populum meū, &c. Deus enim non attendit personas hominum, sed audit etiam principes arguere & reges: nec minus vult ab eis seruari præcepta sua, quàm à pauperibus. Denique magnos æquè punit vt paruos. Cæterū, hoc verbo tacite regi insinuant iniustam illam Israelitarum oppressionem. q.d. Deus: Meus est hic populus, nō tuęditionis: tu autem vi & tyrannide eos subiecisti. Mihi seruire deberent, sed tibi seruire coguntur. Dissimulaui hæcenus, sed non diutius tacebo, &c. Vide autem miram Dei clementiam, etiam erga impium. Antequam enim punire incipiat, præmittit admonitionē. Idem & nobis facit. Deinde vide bonitatem Dei, qui populum suum agnoscit, quātumuis miserabiliter oppressus esset. Nihil minus timuerat Pharaō, quàm Deum miseri huius populi curam agere. Sic nec nos credimus iustos Deo curæ esse. Vide autem quid Deus à populo suo exigit, nempe, vt ipsi sacrificet & ipsum colat. Vult autem, vt in deserto sacrificemus, non in Aegypto, quia quamdiu in tenebris & negotijs mundi hæremus, Deum verè colere non possumus: Nemo enim potest duobus dominis seruire. Exeundum ergo nobis est è mundo, non loco, sed animo, iuxta illud: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, &c. Et iterum: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et Paulus: Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.

Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel?

Quis non exhorrescat ad hanc pertinaciam, quòd homo

Matt. 6.
& Ioan. 2.

Psal. 61.
& Cor. 7.

homo miser sic audet loqui contra Deum, imò rã temerè contemnere & blasphemare Deum? Quid sibi ista & cinis? Multos blasphemos in scriptura inuenimus, vt Nabuchodonosor, Holofernem, & Rappacem, 4. Regum 19. Vix tamen inuenies huic simi-
Dan. 3.
Iudith 6.

 Hic omnem excedit modum, adeò, vt vel propter hoc solù excæcari & indurari, id est, à Deo relinqui dignus fuerit: Prmo enim admodum contemptibiliter de eo loquitur: *Quis est Dominus, &c. Quid quis est tam potens, vt eum rex Aegypti audiat?* Sic impij videntur sibi & putant se Dominos esse, sibi omnia licere, nec Deo se opus habere. Deinde rex ille admodum infideliter loquitur de Deo: *Dominum, inquit, nescio, non agnosco quenquam Deum. O impium cor hominis, & planè inscrutabile.* Sic planè insipiens dicit in corde suo: *Non est Deus.* Sed audi impie, si nullum Deum agnoscis, vnde habes corpus, vitam, potentiam, &c. Sic de Cyro dicitur: *Accinxi & exaltaui te, & non cognouisti me.* Verè autem omnes impij Dominum nesciunt, alioqui nunquam tam impiè viuerent. Tertio, rex ille etiam ad summum inobedienter loquitur contra Deum: *Non, inquit, dimittam Israel.* Quanta pertinacia, non vult audire, non vult scire Deum, non vult obedire. Vide quàm insaniat miser, cui tam propè imminabat iudicium. Sed agè impie, si Dominum nescis, mox eum cognosces tuo magno malo. Si vocem audire non vis, audies & videbis flagella. Si spontè obedire non vis, cogaris tandem vel inuitus obedire. Cæterùm, in hoc rege vides typum diaboli, qui semper sic loquitur. Hoc idem persuadet etiam omnibus impijs. Imò hic idem rex, qui nunc tam contem-
1er. 17.
Psal. 13.

Esai. 45.

Exod. 3.

Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam irium dierum in solitudinem.

Non dubiũ, quin Moyles exhorruerit ad hanc blasphemiam regis: (quomodo enim pius homo cõtemptum Dei ferre posset?) ideo & persuadere nititur, ne pergat

ANNOTATIONES

pergat blasphemare : Deus , inquit, Hebræorum, &c. q. d. noli ita contemnere Deum, noli tam inobediens esse: Nō est enim Deus noster, vt dij gentium. Nec magnum aut iniustū quid à te exigit, sed quod tu tua spō. te facere deberes, nempè, vt subditi tui Deum colerēt; Deinde in rem tuam hoc est. Si enim non sacrificauerimus Deo, accidet nobis gladius aut pestis, sicq; cessabunt opera tua, &c. Verū frustra impius mouetur: si duris verbis non terretur, mansuetis nunquam mouebitur. Quomodo enim Deus abijcit, nemo corrigere potest. Obserua autem, quòd Moyses non totā profectiōem regi indicat, nec enim opus erat: nec tamē in hoc mentitus est Moyses, quia sic à Deo iussus erat. Obserua item, quòd piē Deum colendo auertere possumus, & euadere pestem & gladium. Obserua item, quòd viam trium dierum iubemur ire in solitudinem, hæc tridui via primò, est dicta, facta, & cogitationes expurgare: Secundò, spiritum, animam, & corpus integra seruare in aduentū Domini: Vel tertio in Christum credere, qui est via, veritas, & vita.

Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis?

Qui hætenus in Deum blasphemus fuit, nunc in prædicatores irruit, ac primò omnium crimen rebellionis & seditionis ipsis impingit: sic enim faciunt tyranni cū arguuntur. Sic contigit prophetis, sic Christo, sic Apostolis. Nolunt tyranni argui etiam verbo Dei: semper timent, si arguuntur, quòd perdere debeant potestatem: timent, si populus ad Deum cōuertatur, quòd ipsorum potestas cōtemnatur, cū nihil minus timēdum esset, imò, quòd propius populus ad Deum accesserit, eò magis reueretur potestatem, vt Dei ordinationem. Summa, qui ad bonum incitat, à mundo culpatur, & malè audit. Pulchrum videbatur regi populū Israel luto & latere occupari, sed Deo seruire seditiosum putabat. Denique, indignatus noluit amplius audire, sed ad labores ipsos mittit. Vbi videmus, quòd etiam senibus non pepercit, quamuis iuniores

Eccl. i.

Thef. 5.

n. 14.

Roma. 13.

niores & fortiores pro ipsis facerent, inter pios enim alter alterius onera portat. Quemadmodum & de Gal. 6: quibusdam martyribus legitur, &c.

Et dixit Pharaos: Multus est populus terre.

Sicut supra impius ille rex & temerarius in Deū, & contumeliosus in prædicatores inuentus est; sic nūc & crudelissimus inuenitur contra subditos, & maxime erga populum sanctum. Qui enim Deum cōtemnit, quomodo proximum respiceret? Omnia autē hæc facit post auditum verbum Dei, imò in odium Dei & verbi hæc omnia sciens & volens facit. Id, quod horrendissimum peccatum est, imò est peccatum illud in spiritum sanctum, quod neque in hoc, neque in futuro seculo dimittitur. Qui enim sic peccat, meretur à Deo relinqui, relictus autem nunquam poenitet aut cōuertitur. Pluribus autem Moyses impietatem & tyrannidem huius regis ostendit, & describit, vt videamus, quàm crudelis bestia sit homo impius, & quàm nihil non audeat. Primò, ægrè fert populum crescere & augeri, in quo & verè diaboli typus est. Deinde laboribus impedire conatur, cū sciret antecessorem suum idipsum frustra attentasse. Impij non cessant ab impietate, etiam si sciant Deum sibi resistere: quemadmodum Saul sciens & videns Dominum esse cum Dauide, non tamen cessat eū persequi. Præterea quāuis Moyses Dei potentiam regi insinuasset, ipse tamen maluit eam experiri, quàm credere, ideo plus grauat populum, quasi videre volens, cū hoc prohibere possit Deus. Quanta autem insania est, velle in seipso experiri, quid Deus possit? quantò satius esset, Dei potentiam in alijs cognoscere & timere? Ideo enim Deus in aliquibus potentiam & iram suam ostendit, vt alij timerent eum in seipsis velle experire. Ideo infra dicit Pharaoni: in hoc excitavi te, vt ostendam in te fortitudinem meam, &c. Ad hæc impius ille tyrannus populo impossibilia imponit: cū enim prius vix facere potuerint definitum numerum laterum, quantò minus nunc, cū insuper & paleas colligere coguntur, &

Matt. 12.

1. Reg. 24.

Exod. 9.

CICUM.

ANNOTATIONES

circumquaque & à longè apportare? Insuper etiã præfectos ad crudelitatem prouocat, non contentus scilicet propria malitia. Ad hæc omnia sic afflictis etiam illudic: Vacant, inquit, ocio, &c. Vacare eos dicit ocio, non enim gustauerat, quid sit laborare. Hinc enim impij efficiuntur crudeles & immiser cordes, imò superbi erga afflictos: quia ipsi in labore hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellatur. Verè compati nescit, qui non & ipse passus est. Vnde & de Christo dicit Paulus, quòd ideo passus sit, vt disceret compassionè. Postremò, impius ille verbum Dei dicit mendacium esse, vt non credant, inquit, verbis mendacibus: quòd iterum est peccatum in spiritum sanctum, veritatem scilicet agnitam blasphemare: quemadmodum & iudei scientes daemones non fugari, nisi diuina potestate, tamen contra conscientiam dicebãt de Christo: Ia Beelzebub principe daemionorum eiecit daemonia. Eodem modo rex hic verbũ Dei manifestè blasphematur. Sic impijs verbum Dei videtur mendacium vel fabula, & vita iustorum insania. Quis non exhorrescat ad tantam impietatem hominis? Quis non videt meritò ipsi subtraham esse gratiã, & sibi ipsi impium relictum? Oremus Deum, ne in idipsum incredulitatis & impietatis exemplum, &c.

Igitur egressi præfecti operum, & exactores, &c.

Eccl. 10. Secundum iudicem pòpuli, sic ministri eius: & rex impius, omnes ministros impios habet. Hic in tã crudeli mandato omnes obediunt, meritò igitur omnes cum rege pereunt. Quàm dissimile autè est, quod hi nũciant ei, quod prius Moyles denunciauerat: Dixerat Moyles Dominum liberaturum, hi autem: Hæc dicit Pharaon: Non do vobis paleas, &c. hic videtur rex vicisse, nã & Deus tacet, & Moyles impetum regis prohibere non potest. Verum non nos hæc moucant. Sic agit Deus, vt impios in summum insanie peruenire sinat, piosq; in summũ tristitiæ, vt hos quidè mirabiliter liberet, illos autè iustiò damnet. Putabãt filij Israel veniente & annunciante Moyse statim liberãdos, & nihil
amplius

amplius passuros, sed contrariū inueniunt. Et nōs pu-
tamus audito Euangelio nihil amplius restare laboris,
sed fallimur: tunc præmium enim expectanda crux.
hinc Christus: Qui vult post me venire, abneget se, &
tollat crucem suam, &c.

Matt. 16.

*Dispersus que est populus per omnem terram Aegypti ad colli-
genda: stipulas pro paleis.*

Quantumuis iniusta paterentur, nō tamē seditio-
nem mouent. Coguntur autē cum magna fatigatione
paleas quarere. non enim in vno loco habere poterāt,
interim ludibria & cōtumelias Aegyptiorum patien-
tes, & quod omnium miserrimum est in tāta afflictio-
ne, nullā sentire cōpassionem. Quis tunc credidisset
hunc populum sic afflētum, habere propitium & ele-
mentē Deum? Nec hęc fieri poterant sine tentatione
fidei in p̄js, & sine blasphemijs iridentium Deum Is-
raelis, qui in extremā miseriam cultores suos deiecit.
Verūm finis omnia probabit. Ideo autē Deus hęc affli-
ctionem permisit, vt probaret fidem Israhitarum, &
maximē Moysi. Deinde, vt eō magis suspirarent, ac li-
berationem a Deo peterent: quamuis enim iam decre-
uisset liberare, voluit tamen orari. Sic & nunc, &c. itē,
vt postmodum liberati magis grati essent. Postremō,
vt impios postea iustus puniret. Docet autem hęc hi-
storia, quōd initia salutis grauis sunt, & ad Deum cō-
uenti volentibus diabolus vel maximē aduertatur:
nunc internē tentando, nunc externē persequendo,
vt impediatur. hinc Sapiēs: Fili, accedens ad seruitutem Ecccl. 2.
Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tenta-
tionem. Deinde tyrannus hęc regis tyrannidem dia-
boli adumbrat, qua sibi subditos miserē torquet per
suos præfectos, id est, per vitia capitalia, qui verē cru-
deles tyranni sunt. Vide, quantus tyrannus sit auari-
tia, quantum laboris & curæ imponat. Nunquā enim
quiescere sinit, cogit vitam periculo exponere; deni-
que facit, vt nec satis comedere audeat, &c. Sic de lu-
xuria, ambitione, &c. Huiusmodi tyrannos patimur,
nec tamē sentimus, &c. Postremō, docet hęc historia,
quid

ANNOTATIONES

Rom. 7.

quid lex agat sine Euangelio, nempe, quòd peccatum excitat, & insanire facit: Peccatū, inquit Paulus, mortuum erat: at veniente lege reuixit. Nescimus enim, quæ peccata in nobis lateant, & quantum inclinati sumus ad peccandum, nisi dum prohibemur lege ne peccemus, tunc primū viuificatur concupiscentia; & nititur in vetitum. Item: Ego, inquit, viuebā aliquando sine lege, hoc est, sine timore peccabam, nec propositum emendandi habebam: sed cū venisset mandatum, peccatum reuixit, id est, cū metu pœnæ volebā relinquere peccata, & iustitiam sectari propter mandatum, tunc sensi maiorem pugnam: Caro enim concupiscit aduersus spiritum, &c. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Sed video aliam legē in membris meis, &c. Sic igitur prædicāte Moyse regnum peccati & diaboli magis insanit, hīc igitur clamant veri Israelitæ: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondet: Gratia Dei per Iesum Christum.

Rom. 7.

Ibidem.

Flagellati que sunt, qui præerant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis.

Hi erant Israelitæ, qui præfectis regis rationē dare cogebantur de laboribus filiorū Israel. Cæterum nedū nullam compassionem inueniunt, sed insuper flagellantur, cū tamen culpa non esset ipsorum, sed populi, laborem tantum perficere non valentis. Impij autē nihil pensi habent, quid meruerit, quem puniunt, sed tantūm satis faciunt odio.

Venerunt que præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem.

Deu. 32.

Nihil non agunt, vt regis animum ad misericordiam flectere possunt. Primò enim non mouent seditionem, sed externa auxilia quærunt, per hoc enim magis exasperantur tyranni: sed ipsum accedunt, & coram ipso queruntur. Aut enim sperabant rege ignorante hæc fieri à præfectis, vt plerunque fieri solet, aut regem præsentia sua permouere ad misericordiā. Fidelis populi non est excitare seditionem, sed vindictā

Deo

Deo committere, qui dicit, Mihi vindictam, &c. Deinde, non proteruè loquuntur, nec manifestè detractant mādatum perficere, aut per vim alienationem extorquere, id quod seditiosum est: sed miserabiliter vociferantur, ipsi fletu & oratione ad misericordiam prouocare ipsum sperantes. Præterea, planè miseriam suā regi exponunt. Adhæc humiliter seruos seruis, esse dicunt, agnoscentes eum Dominum, vt vel sic cessaret ab insania. Postremò, nō regē ipsum inculpāt aut alium quempiā, sed in generali dicunt: Iniuste agitur contra populum tuum. Sic pij coram impijs humiliari coguntur in hoc mundo, multaque pati & cōqueri, nec tamen inuenire contra passionem. Hinc Christus suos in mundum mittens dicit: Ego mitto vos sicut oves inter lupos. Idem enim expectare habent pij ab impijs, quod oves à lupis. Interim monet, vt prudentes sint sicut serpentes, & simplices sicut columbe, scilicet vt etiamsi perdere cogantur omnia, caput tamen & fidem seruare studeant, nec seipsos vindicent.

Vacatis ocio, ideo dicitis: Eamus, & sacrificemus Domino.

Verissimè dictum est: Nullam bestiam crudeliorem esse impio homine, nec quenquam minus compati, quàm qui miseras vitæ humanæ non gustauit. Videmus aut̄ hic veras cōditiones tyrannorum: Primò, in Hebræo bis dicit, vacatis ocio: ad ostendendam scuitiam animi. Quicquid enim tyrannus agit, ex furia agit. Deinde tyrannis semp̄ videtur populus vel minus debito agere, vel plus æquo habere, ideo semper nouis oneribus eos premunt, & exactionibus eos exugūt. Nemo illis satis laborat, etiamsi obedientissimū se exhibeat. Nemo illis satis dat, etiamsi quotidie dat. Nulli compatiuntur, etiam quem manifestè vident miserū, nullum exaudiunt, quamtumuis clamātem. Vtinā inter Christianos nulli tales essent Pharaones. Atqui verè nō congruit Christianis tales esse, Christianus princeps debet esse pater, non tyrannus: populi commoda quærere, non sua. Erudimini qui iudicatis terram. Psal. 2.

ANNOTATIONES

1 Reg. 12. Seruite Domino in timore, &c. Ne quando irascatur Deus, &c. Deinde tyrannus hic tunc vel maximè scuit, cum populus suam oppressionem conqueritur. Sic & Roboam durè respondit conquerentibus de onere: Pater, inquit, meus grauauit vos Ego addam onus vestrum, &c. Præterea, tyrannus hic cum iracundia eos à se depellit; ite, inquit, ad onera vestra.

Videbantque se prepositi filiorum Israel in malum, &c.

Vbi sperâssent clementiam impetrandam, illic crudelius mandatum inueniunt. Nunc igitur vident se malis expositos sine omni auxilio, consilio, sine omni spe, & quò ad Deum & homines. Nunquam peius habuit populus Israel ex eo tempore, quo esse cœperunt, quàm tunc, cum salus eorum iam in ianuis esset. Contrà, videbantur Aegyptij planè triumphare. Nec dubium, quin multùm vacillauerit fides Israelitarum: iam enim nesciebant, utrùm Moyses vera dixisset, & an ei deinceps credere deberent, vel nō: imò vix sciebāt, an Deum haberent vel non. Contrà autem, non dubiū est, quin Aegyptij blasphemauerint Deum Israel, & dixerint: vbi nunc est Deus vester, in quo confiditis? Videtis quòd non possit auxiliari vobis. Rex noster fortior est Deo vestro, &c. Quis hic non desperet? quis non præoptaret mori, quàm in eo statu rerum viuere, quo malum sic inualuisset, vt pij desperarent, & impij impunè nedum hominibus, sed & Deo illuderent? Verùm finis rei expectandus est: hic docebit, quis fortior sit, Rex, an Deus. & an Deus suos aut non possit, aut nō velit saluare. Eodem modo etiam nobis post auditum Euangelij statim sequitur crux, qua probat Deus num verè credamus & obediamus. Nō est vera fides & obedientia, quæ in cruce non persistit.

Egredientes autem occurrerunt Moysi & Aaron, &c.

Secutus fuerat Moyses, volens videre quale respōsum reportarēt: sollicitus erat pro eis, vt fidelis pastor pro ouibus. Ceterùm ipsi à rege repulsi, & nimia anxietate animi oppressi, in Moysen inuehuntur duris admodum & amaris verbis.

Videas

*Videat (inquiunt) Dominus & iudicet, quoniã fœtere fecistis
odorẽ nostrum coram Pharaone, & seruis eius.*

Verba hæc planè indicant ipsos de salute desperasse, deq; promissionibus Dei. Vbi videmus, quàm arduum sit in tentatione, cõsistere in fide. Vnde & Christus monet, vt oremus, ne in tentationibus succumbamus. **Matt. 26**
Ceciderat verbum Moyſi super petram, ideo adueniente æstu tentationis exaruit. Sic igitur Moyses gratiam regis perdidit, & insuper etiam apud suos **Lucæ 2,**
malè audit. Difficilis conditio prædicatorũ, qui vtrinq; periclitantur, quare magna opus habent constantia & gratia, ne deficiant. Quanta passi sunt prophete, Apostoli, Christus ipse? Quoties cõqueritur Ieremias: Recordare, inquit, quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer eis bona, &c. Vide etiam hic inconstantiam populi, cū audirent à Moyse se liberandos, gaudebant. Nunc autem cū non statim fit, imò cū ab hoc pati coguntur, mallent eum nunquã venisse: Idem facimus nos. Pulchrè arridet Euangelium quam diu læta nunciat, cū autem laborem & crucem adfert, odimus illud, ac mallimus in totum carere Euangelio, quàm paululum quid pati aut laborare, vel parum quid relinquere, ingratis scilicet hominum, cū oporteret spontè omnia ferre propter tam lætum nuncium, sicut Iacobus monet: **Ier. 12.**
Omne gaudium, inquit, existimate, cū in tentationes varias incideritis. Videmus **Iacob. 1.**
etiam hic ingratitudinem populi. Moyses pro ipsis periculo se exposuerat, hic autem ipsi contumeliosis eū verbis aggrediuntur, imò in cælum pro vindicta cõtra ipsum clamant. Sic mundus gratus est his, qui ipsi optimè consulunt & volunt.

Reuersusque Moyses ad Dominum, &c.

Potentia & prudentia Moyſi hic apparet, qui ad tanta conuitia non respondet, non regerit conuitia: videbat enim eos passionatos. Vnde: Dum furor incursu est, currenti cede furori. Ad Dominum autem reuertitur, id est, ad orationem se conuertit. Illic enim Deus inuenitur, ibi etiam præsentissimũ est,

ANNOTATIONES

auxilium. Exempleque suo docet, quid illis agendum fuerat, nempe non murmurandum contra Moysen, sed orandum.

Quare afflixisti populum istum?

Semper videtur nobis Deus nimitum differre auxilium: ipse autem scit, quando tempus sit. Pie autem Moyses cum Deo exoptulat, magis tamen mirando, quam arguendo. Mirabatur enim, quod populum suum sic affligeret, & non Aegyptios. Item quod tantas blasphemias Aegyptiorum toleraret, &c. Sic enim etiam pii nonnunquam ad talia iudicia & opera Dei obstupescunt & mirantur. Sic Hieremias: Iustus, inquit, es Domine, sed tamen iusta loquar: *Quare via impiorum prosperatur, &c.* Verè igitur mirabilis Deus in sanctis suis: mirabiliter enim eos ducit, &c.

Ier. 12.

CAPVT VI.



N hoc capite Deus de nouo incipit Moysen filiosque Israel confortare, antequam Moysen secundò ad regem mittat. maximè enim necesse habebant consolatione: populus enim fermè desperarat. Denique & Moyses pusillanimus erat: poterat enim timere, nè propter peccatum aliquod suum vel populi, Deus propositum suum differret, vel etiam reuocasset, id, quod ipsi Iosue contigit propter peccatum ipsius Achan, &c. Cæterum, Moyses in tali consternatione longè aliter se gerit, quam populus: illi enim murmurabāt, Moyses autē recta ad Deum currit. Sciebat enim in tempore tribulationis nihil prodesse murmuraciones, imò magis obesse: multum autem prodesse orationem. Et quia in oratione ad Deum se conuertit, nouas consolationes à Deo inuenit, iuxta illud: Omnis, qui petit, accipit. Cum illi interrim murmuratores duplici malo affligerentur, interno scilicet & externo.

Ios. 7.

Luc. 11.

Nunc videbis que facturus sum, Pharaoni.

Magnam emphasim habet hæc dictio, Nunc. q. d. Apud

Apud vos quidem omnia deplorata sunt: at ego nunc vel maximè incipiam: iam enim malitia regis ad summum peruenit, itidemq; & miseria plebis. Vtrunque enim data opera sic permisi, vt iustius impij perderentur, & mirabilius iusti seruarentur, Nunc, inquit, videbis. Nunc enim tempus est & meam iustitiam & gratiam ostendendi: hanc quidem erga iustos, illam autè erga impios. Per manum, inquit, fortem dimittet vos, imò adedè ipsum affligam, vt sua sponte vos eiekturus sit: id quod postea contigit, vt infra dicitur. Arguit igitur hoc verbum opinionem nostram, qui putamus vbi malitia ad summum excreuerit, ei amplius resisti nō posse: Econtrà vbi malum inualuerit, non amplius succurri posse. At Deus dicit, tunc vel maximè se causam habere & puniēdi & liberandi. Nemo igitur gaudeat, si sibi malitia sua semper procedat: Certum enim est, vindictam non procul abesse. Econtrà nemo pius desperet, si malum vel afflictio inualeat, tunc enim vel maximè propè est Deus. Iuxta enim est Dominus his, qui tribulato sunt corde, &

Exod. 12.

Psal. 3

Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente.

Hic incipit consolari, fidemq; Moyse confortare, idq; multis verbis, ac mirabiliter se imbecillitati ipsius Moyse accommodat. Quemadmodum enim faciunt preceptores, si post multā orationem pueri quæ dicta sunt nō intelligant, refricantur sæpè & diligentius repetunt & inculcant: ita Deus hic videns Moysen pusillanimè & cunctantem, promissiones suas, imò potētiam, veritatem, bonitatem suā illi inculcat, vt fortior fiat. Etiam primò, nè Moyses promissis Dei diffidat, nè ue putet impossibile è tanta alacritate liberari, dicit, Ego Dominus, q. d. Deus sum, mentiri nō possum, imò ipsissima veritas: quare non est, quod dubites. Deinde, ego Dominus sum non qualiscunque, sed qui ab essentia nomen habeo. Nihil igitur mihi impossibile est. Quis tetēdit cælos, & fundauit terrā? Nōne ego? Omnia igitur in manu mea sunt, etiā ipse Pharao.

Esa. 51.

ANNOTATIONES

Hoc igitur primum est, quod in tentatione cogitare debemus, nempe quod Deus verax est, & omnia potest. Hæc duo enim magnam consolationem præstabit. Ita Dei potentiam cogitabat Hester in afflictione sua: Sic tres illi pueri, &c. Deinde ne quis diceret, scio quidem Deum omnia posse, sed nescio an velit. Huic dubio respondet, cū subdit: Ego sum Dominus qui apparui, &c. **Q. D.** quid dubitas de mea voluntate: Num nouū est, vt hominibus benefaciam? Nōne patribus vestris benefeci? Nōne ipsis apparui, nec simpliciter, sed in Deo omnipotente? Vel (vt in Hebræo habetur) apparui eis Deus Schada, id est, omniū sufficiens, quid ipsis defuit? quando vnquam derelicti sunt? Non igitur est, q̄ de voluntate mea diffidatis: Bonus sum, & bonitatem meā alijs, maximè miseris communicare gaudeo. Hoc igitur secundum est, quod in tentationibus cogitandum est, nempe magnalia illa, quæ Deus olim cum suis fidelibus egit. Et hoc etiam consolationem præstat. Sic Iudith: Memores sumus quomodo patres nostri tentati sunt, &c.

Iudith. 8.

Et nomen meum Adonai non indicaui eis.

Hoc addit, ne Moyse diceret: Si tantę virtutis essemus, vt patres illi fuērunt, possemus sperare etiā nobis non defuturum auxilium tuū. At qui sumus nos? Huic dubio respondet Deus: Imò, inquit, si attendis, iam re ipsa plus accepisti, quàm patres illi quantumuis sancti. Tibi enim reuelauit nomen essentię meæ, quod illis non feci. Sciebant quidem illi me bonum, veracē, omnipotentem, iustum, &c. sed nomen essentię meæ nescierunt. Sic enim Deus semper cum tempore clariora de se & sua voluntate reuelauit, donec tandem veniret Christus vnigenitus, qui nobis omne patris cōsiliū enarrauit. Præterea quantumuis in sanctitate illis impares estis, (vult dicere Deus) maiora tamen vobis ostendam, quàm illis. Illis non reuelauit nomen meum, id est, nominis mei fortitudinem, vos autem videbitis eam. Illis non ostendi miracula, vobis autem ostendam. Illis non dedi gratiam signa faciendi,

tibi

**Hest. 13.
Dan. 2.**

Exod. 3.

Ioan. 1.

tibi autem dedi. Illis non impleui promissa, vobis autem implebo. Summa, nomen meum Adonai non indicavi eis. Monemur hoc verbo, in tentationibus ne dū respiciēdū quid Deus circa alios, sed etiā circa nos fecerit. Et hoc etiam consolationem & spem præbebit de futuro. Sic David in tribulatione positus, præterita Dei beneficia recolit: Tu es, inquit, qui extraxisti me de utero, &c. Idem facit in alio Psalmo: Dominus, inquit, regit me, &c. & subdit in fine: Ideo si ambulā uero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Psal. 21.
Psal. 22.

Et pepigi cum illis fœdus, ut darem illis terram Chanaam, &c.

Etiam hoc capite, ne quis diceret, quomodo tantū opus sperare possumus à Deo, cuius simile nunquam fecit? Huic dubio responder. Quid, inquit, dubitatis? Num nouum quid molior? Nonne ante quadringētos annos hoc Abrahæ promisi? Monemur igitur hoc verbo, ut in tribulatione positi non attendamus rei difficultatem, aut nostram indignitatem, sed Dei promissionem. Tria autem promiserat Deus in illo fœdere: Primò, quòd Deus eorum esse uellet: Secūdò, quòd in semine Abrahæ, id est, in Christo benedictionem dare: Tertio, quòd etiam terram Chanaam filijs Abrahæ dare uellet. Priora autem duo, quamuis præcipua fœderis illius essent, hic omittit, & tamē hoc commemorat, q̄ carnalis populus maxmè appetebat. Ne quis infidelis autem diceret, quid nobis prodest te multa promississe patrib., cū nihil eorum uideamus, imò omnibus modis contraria experiamur? Subdit: Gen. 15.
Gen. 17.
Gen. 12.
Gen. 15.

Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Aegypti oppresserunt eos: & recordatus sum pacti mei.

Q. D. Etsi hætenus nō vos liberaui, tamen verè audiui gemitum uestrum. Et quamuis hætenus distuli promissiones implere, non tamen earum oblitus sum, imò nunc vel maximè earū recordor. Vbi obseruandum, quòd non tantūm clamorem uocis, sed etiam gemitum cordis audit, imò efficacissimæ orationes apud Deum sunt gemitus piorum. Item obseruandum,

quod Deus promissionum suarum nunquam obliuiscitur: Nunquid, inquit, obliuiscitur mulier infantem suum, &c.

Vade igitur, & dic filiis Israel; Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, &c.

Hoc addit, ne quis dicat, Quid prodest quod promissionum tuarum non oblitus es, cum nihil earum praestes? Ergo, inquit, vade, dic me iam impleturum quod promisi. Vide quantum Deus condescendat infirmitati nostrae: ad omnia enim respondit, quae infideles praetendere poterant. Vide autem quanta hic de nouo promittit: Primò, Educam, inquit, vos: Secundò, Liberabo vos, nec simpliciter sed brachio extento, q. d. non occultè exhibitis, sed ita, vt omnis mundus cognoscat. Deinde, per brachium extentum significat iram suam, quam ostensurus erat contra Aegyptios: Forma enim iratorum, est praeter iram leuare brachium. Tertio, Inducam, inquit non quocunque, sed in terram, super quam leuam manum meam, id est, quam iuravi me daturum. Quanquam & alias merito dici potest, quod leuauerit manum suam super illam terram: in nulla enim terra tanta fecit, vt in ea terra. Illic enim peregrinati sunt patriarchae, illic nati sunt prophetae, illic iram suam erga impios, & gratiam erga pios ostendit: illic Christus natus & passus fuit, illic coepit Euangelium, denique ea terra designat futuram patriam. Quarto addit, Assumam vos in populū, & ero Deus. Postremò, Et scieris quod ego Dominus. Vide quantis consolationibus opus habent, qui in tentatione sunt; & miseri nos non prouidemus nobis consolationes scripturae contra futuram tentationem quae in morte continget, Non enim sine causa Christus discipulos dormientes arguit: Quid, inquit, dormitis? vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, &c. Caeterum omnia quae hic Israelitis promittuntur, etiam nobis per Moysen, id est, per verbum Dei promittuntur, dummodo velimus exire ex Aegypto.

Narra-

Narrauit Moyses omnia filijs Israel.

Insigniter consolatus erat Moyses, iamque læto animo ad filios Israel properabat, annunciaturus lætū illud nunciū. Verūm illi non audierunt, vel quia propter laborem tempus audiendi nō haberent, vel quod propter desperationē nec Deum, nec Moysen amplius curarent, quando semel frustrati essent. Hoc enim agit diabolus, vt aut implicet homines negotijs secularibus, vt tempus audiendi non habeant, aut vt verbū Dei aperta fronte contemnant. Hic igitur iterum hæret Moyses, ac nescit, quid facere debeat. Prius impedierat rex, nunc impedit populus. Hoc in exordio timuerat, imò timere iam habebat, ne Deus propter rebellionem populi de nouo promissionem suam reuocaret. Tantus labor requiritur, vt ex Aegypto peccati educamur. Aliquādo enim nolumus liberari: aliquando cuperemus liberari, sed non adest, qui liberet. Qui sapit, fugiat peccatum, eius laqueos tam difficile effugere potest, imò nunc surgat, cū auxiliū Deus promittat.

MORALITER.

Vbi Moyses, id est, lex, voluntatem Dei prædicat, caro non audit: sic enim oppressa est à tyrannide concupiscentiæ, vt vocē Dei audire non possit. Meritò igitur orat Psalmogra. *Cor mundū crea in me Deus, &c.* *Psal. 50.*
Ingrede, & loquere ad Pharaonem regem Aegypti, vt dimittat filios Israel de terra sua.

Suprà iussus fuerat ire ad populum, hic iubetur ire ad Pharaonem: nullus enim locus otandi datur his, qui ad præsentiam vocantur. Semper in auribus eorum sonat verbum Dei: aut enim iubentur ire ad populū, aut resistere aduersarijs. Iubentur prædicatores ire ad populum consolandum, iubentur & resistere vitijs, & arguere impios. Iubentur principes defendere pios, punire impios. Denique, etiam nobis verbum Dei nullam quietem aut otium permittit: semper enim iubemur declinare à malo, & facere bonum. *Psal. 33.*
 Vide autem Dei bonitatem: quantumuis enim propter

ANNOTATIONES

incrudelitatem & contemptum verbi meruissent ab-
ijci & relinqui, non tamen cessat Deus etiam ingra-
tis benefacere. Atq; hoc est, quod David ait: *Quomodo*
miseretur pater filiorū, misertus est timētibus te, &c.

- Apparet Dei bonitas etiam in hoc, quod cū Moy-
ses iterum hæreret, ac nesciret, quid amplius facien-
dum esset, Deus sua sponte eum docet, quid agat. Ita
planè nobis pereundum erat, nisi Deus nobis & con-
siliū & auxiliū promississet: nobis ipsis enim neq; cō-
sulere, neq; auxiliari possum⁹. Interim tamen magna
multorum ingratitude videtur, qui etiam Deū ex gra-
tia nobis consulentem non audimus. Miseri sumus, &
tamen auxilium contemnimus. An non insigniter et-
iam antequam nati essemus, prouidit nobis de doctri-
na & sanctis, & certis medijs ad consequendā. Quā
pauci autem hæc cogitant, &c.

*Ecce filij Israel non audiunt me, & quomodo
audiet Pharaos?*

Non detrectat officium, sed magis conqueritur &
deplorat ingritudinem populi, qui in tanta miseria
erat, & tamen auxiliari volentem Deum non vult au-
dire: verè enim lachrymis dignus est, qui sic agit. Dein-
de admirantis est, quod ait: *Ecce filij Israel, qui scilicet,*
populus tuus sunt, & qui te patre gloriantur, non au-
diunt. Ad eundem modum etiam miratur Esaias: *Au-*
dite, inquit, cæli, &c. Filios enutriui, &c. Et Jeremias:
Ite ad insulas Cethim, & videte, num simile quid in-
ueniatis, quod scilicet populus derelinquat Deum
suum, &c. Cæterū, quamuis meritò timere poterat
se non audiendum à rege, quandoquidem non audi-
retur à filijs Israel: non rarò tamen vsu venit, quod ex-
tranei & infideles magis moti sunt ad Deum, quàm i-
pse populus Dei. Sic prophetæ frustra clamabant in
terra Israel. Ionas autem vna cōcione Niniuitas ido-
latras ad pœnitentiam conuertit. Sic Christus beni-
gnè exceptus fuit à Samaritanis, qui malè tractatus
fuit à suis. Sic Euangelium gentes cum gaudio susce-
perunt, quod Iudæi repulerunt. *Populus, inquit, què*
non

Psal. 102.

*Esai. 1.
Ier. 2.*

*Ion. 3.
Ioan. 4.*

Psal. 17.

non cognoui, seruiuit mihi, &c. Filij autem mentiti sunt mihi, &c. Quòd autem Moyses incircumcisum se labijs dicit, humilitatis est, qua fatetur se non idoneum tanto officio, & qua culpam populi quasi in se transfert. Q. d. Ipsi fortè audirent, si alius magis idoneus mitteretur. Mea autem culpa fit, vt non credant: quia non valeo verbum tuum proponere vt dignum est. Cæterùm, quò magis se indignum fatetur, eo magis dignus efficitur. Potest etiã sic intelligi: Incircumcisus labijs sum, id est, rusticus sum: nescio aulicè loqui. Qui regibus loquuntur, opus habent, vt circumspectè loquantur, ne plus vel minus dicant, quàm oportet, sicque principum aures offendant. Nullum enim audiunt, nisi adulatorem. Adulari autem nescio, ideo nõ me audiet. Hęc causatur quidem Moyses, sed Deus excusationem non recipit. Non enim ideo tacendũ est, quòd pleriq; veritate offendantur: imò verbi Dei proprium est, non adulari, sed arguere malos.

Locutus que est Dominus ad Moysen & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israel.

Epilogus est omnium præscriptorum, & summa rerum hactenus gestarum. Q. d. Hactenus satis dictum est, quomodo Moyses & Aaron instituti sint duces: Nunc ad alia transeamus. Nõ sine causa autem toties inculcatur Dominum Moyse locutum esse: Plurimum enim referebat illorum, vt scilicet securè auderèt eum sequi. Alioqui enim periculum est eos sequi, qui missi non sunt, & quibus Deus non est locutus. Imò etiam nostra refert scire, quòd Moyse locutus sit Deus: per hoc enim confirmatur fides nostra. Nam Moyses de Christo scripsit. vnde Christus: Si crederetis Moyse, 1er. 23. crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Ioan

Isti sunt principes domorum per familias suas. Filij Ruben primogeniti Israelis: Enoch & Phallu, Esron & Charim, &c.

Antequam in historia procedat, prius generationes quasdam describit, & maximè tribus Leui. Hoc autè ideo facit: Primò propter Aaron, de quo nihil ha-

ctenus

ANNOTATIONES

Gen. 43. Aenus dixerat, nisi quòd frater suus esset. Atqui cùm Aaron electus esset à Deo in sacerdotium, congruum erat non nihil de ipsius cognatione dicere: hoc enim facit ad intellectum historię sequentis. Deinde ideo has generationes describit, ne putaretur tribus Leui à Deo reprobata, propterea, quòd non admodum benè audierat in benedictione patris sui Iacob. Ex ea igitur tribu electi sunt primi duces populi, imò ea tribus totaliter postea in Dei cultum suscepta est, vt videamus verū esse illud propheticum: Nō portabit iniquitatē patris. Preterea, ideo generatiões has describit, vt ostēdat exēplum verbi Dei, veritatē. Dixerat De⁹ semen suum in aliena terra seruiturum, & quarta generatione liberandum: hoc hīc manifestè videmus impletum. Nā Leui cum patre ingressus est in Aegyptum: Leui autē genuit Caath, Caath genuit Amram, Amram genuit Moysen & Aaron, vterque autem iam habebat filios. Patet igitur, quòd de verbis Dei ne vnum quidem cadit in terram, aut fallit: Cælum, inquit, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Vide autem, quàm prudenter Moyses hīc se gerat. Descripturus enim genus Aaron, non incipit à tribu Leui, sed à tribu Ruben & Simeon, ne videretur tribum suam ex priuato effectu cōmendare. Deinde nihil de sua posteritate hīc dicit, sed tantum patris & matris nomina ponit, quòd suprā omiserat. De Aaron autem dicit signanter, quòd vxorem acceperit de tribu Iuda: quo præfiguratum fuit, quòd sacerdotium & regnum olim in vnā personam conuentura essent, id, quòd in Christo impletum est, qui rex & sacerdos est. Nominat & filios Aaronis, propterea, quòd insignia quædam postea circa eosdem contigerunt. Eadem ratione & Phinees hīc nominatur nepos Aaronis, quia & ipse insigne quoddam opus fecit, quo sibi æternam gloriā comparauit.

Iste est Aaron & Moyses, quibus præcepit Dominus, vt educerent filios Israel de terra Aegypti per turmas suas.

Hoc

Hoc quidam volunt additum esse ab Esdra, ne iactantia videretur, tam magnifice de seipso scribere. Verum non est vana iactantia, etiam si Moyses hæc scripserit: quemadmodum & Paulus non vanè se iactauit, cum vbiq; Apostolum Iesu Christi se scribit. Non enim propter se hæc scripserunt, sed propter alios, vt facilius eis crederent. Sæpius autem hic duo illi nominantur, Moyses & Aaron. Digni enim sunt æterna memoria: Primò, quia iusti: Secundò, quia exemplū sunt omnium prælatorum: Tertio, quia magna per eos operatus est: Quarto, quia magna per eos figurabantur, scilicet, lex & sacerdotium, imò & Christus ipse. Interdum autem Moyses præponit Aaronem propter ætatem, & suam ipsius humiliationem. In fine capituli redit ad id, vnde digressus fuerat, vt historiam continuet, cui hæc ob causas suprâ dictas interferere voluit. Cæterum, cum hic videamus, quàm diligenter Deus populo suo pastores instituerit, discamus Deo gratias agere, qui etiam nobis ab exordio pastores instituit, Apostolos scilicet, & adhuc non cessat operarios mittere in vineam suam. Discamus & orare, vt non cesset operarios mittere in messem suam. Imò oramus, vt gratiam det, ne pastoribus, quos subinde mittit, inobedientes inueniamur.

Matt. 10.

Matt. 9.

CAPVT VII.



Actenus solis verbis Moyses cum Pharaone egit, nunc incipiunt signa in hoc capite: nã nudis verbis neque rex, neq; Israelitæ crediderunt. Ad eò enim caro etiam Dei verbum contemnit, si non videat effectum. Vnde Christus merito indignatur Regulo illi: Nisi, inquit, signa & prodigia videritis, non creditis: Cæterum, quamuis Deus hic incipiat punire Aegyptios, & seueritatem ostendere, tamen à longè incipit: Primò enim nec in corpore, nec in rebus regem punit, quasi etiam impium illum

Ioan. 4.

ANNOTATIONES

Ezech. 18. & iam damnatum hominem inuitus perdat. Ex quo verissimum probatur illud Propheticum: Non est voluntatis meæ mors impij. Si enim delectaretur punire, poterat maiores plagas primò inferre: sed noluit, nec adhuc facit, ne quisquam conqueri possit se præoccupatum & præuentum, ac non admonitū perijisse.

Ecce constitui te Deum Pharaonis.

Ex hoc verbo colligi potest, quòd Moyses timuerit accedere denuò regem, vt quem sciret magis iam fauitorum. Alioqui quid opus fuisset tam multiplici consolatione: non enim Deus frustra tot verba profundit. Est igitur primò sensus huius verbi: Quid modicæ fidei times ita regem? quis fortior est? rex, an Deus? Sic ille quantumuis magnus & rex, tu tamen fortior eris, quia te constitui Deum ipsius. Nihil ille tibi nocere poterit, sed tu illi. Ipsi igitur timendum est, non tibi: imò faciam, vt te plus timeat, quàm omnes deos suos, &c. Eadem fermè licet alijs verbis Deus loquitur ad Ezechielem: Ecce dedi faciem tuam valentiorē faciebus eorum. Sic enim Deus nedum verbis suos confortat, sed etiam ipsam fortitudinem dat, quod nemo alius potest. Deinde ex hoc verbo Domini videmus, quantum DEO placeat humilitas cordis. Ex humilitate Moyses fassus fuerat se inidoneum & indignum tanto officio: Incircumcisus, inquit, labijs sum. Sciebat enim sanctum officium, sancta requirere labia & corda. Ob hanc autem humilitatem egregium meruit responsum, vt audiret homo priuatus se hominis regnantis esse Deum. Q. d. Quoniam tu mitissimus virorum pro tam glorioso negotio cum Pharaone dimicare te indignum ducis, atque hoc modo vsque ad nouissima terræ te deprimis: ecce ego sustollam te super altitudinem nubium, faciamque te Deum, nō quem ille fideliter adoret, sed quem seruiliter timeat, vt imperes Aquis, Aeri, Terræ, & Igni, ipsisque elementis impium perdas & affligas, &c. Obserua autem, quòd non dicit: Constituam te, sed Constitui, scilicet, à constitutione mundi, nec enim Deus

nouo quicquam consilio constituit aut destituit. Nec simpliciter dicit: Feci te Deum: natura enim diuina incommunicabilis est in se. Nec dixit, cōstitui te Deum Israelis, sed Pharaonis: soli enim illi, & Aegyptijs terrore fuit. Videmus autem hic, quàm magnificet Deus sperantes in se, honoret etiam in hoc mundo: Omnia enim bona sua illis communicat, sapientiam, potentiam, honorem, ipsum denique nomen suum: Ego, inquit, dixi, dij estis. quod Christ^o dictum asserit ad eos, ad quos verbum Dei factum est. Si hæc in hac vita suis præstat, quanta præstabit in futura? Merito igitur Paulus dicit: Oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Deinde videmus hic, quàm nobilis creatura sit homo Deum timens, nempe, in gloria longè excellit, quicquid in mundo gloriosum videtur. Putabat rex ille magnum se esse, sed Moyses longè maior erat: quia Deo vicinior. Igitur si magnus esse cupis, Deo appropinqua per pietatem.

Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus.

Propheta propriè eum significat, qui futura prædicat, & habet reuelationem à Deo immediatè. Unde dicitur: Qui hodiè dicitur propheta, olim appellabatur videns. Aliquando autem propheta generaliter accipitur pro eo, qui verba Dei denunciat velexponit, ut patet ex Paulo. in hunc sensum hic accipitur. Nihil enim aliud est, quàm acsi diceret: Aaron pro te loquetur, vel ut suprà dixit: Aaron erit os tuum. Pulchrè autem illis commendat, quid loquantur: Tu, inquit, loqueris non tua somnia, sed quæ ego præcipio: nec aliqua tantùm, sed omnia. Eodè modo & Aaron loquetur regi. Vult enim Deus, ut non nostra somnia prædicemus, sed sua verba: Quid, inquit, paleis ad triticum? Vult itè, ut omnia, quæ præcepit, prædicemus & læta & aspera, quemadmodùm Paulus: Non subterfagi, quò minus annunciatè vobis omne cōsiliū Dei. Vide aut, quàm mirabiliter Deus dona sua distribuat: Moysi dedit potestatem, sed non gratiam loquendi: Aaron non dedit potestatem regiminis, sed dedit eloquentiā.

ANNOTATIONES

1. Cor. 12.
Ioan. 5.
Mal. 2.
 Sic Deus singulis singula dona dat, nulli autem omnia, ne superbiamus, aut alios contemnāmus. Diuisiones gratiarum sunt, &c. Hi igitur duo pro populo Israel contra regē steterunt vsq; ad occisionē agni, quia futurum erat, vt lex & sacerdotium cōtra diabolū pugnarent, vsq; ad effusionē sanguinis Christi. Nam postea neq; Moyses stat pro illo populo contra spirituale Pharaonē, sed potius accusat eundem populum. Et de medio sublatum est sacerdotium Aaron, non iam huius altare vel tēplum, quando verus sacerdos Christus venit. Cæterū, sicut Aaron verba quidem Dei loquitur, sed quæ à Moysē audiuit: sic sacerdotes loquuntur populo, sed à lege instructi: Legē, inquit, ex ore eius requirunt. Demū per istos duos duplex potestas in ecclesia signata est: Moyses, id est, secularis potestas, debet esse malorum Deo, id est, vindex: Aaron spiritualis potestas, debet esse propheta, id est, verbū Dei pro gladio habere. Vtraq; aut potestas nō quæ sua sunt, faciat aut loquatur, sed quæ Dominus iubet, eaq; omnia.

Ego indurabo cor eius, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Aegypti, & non audiet vos.

Hoc prædixit, ne iterum pusillanimes fierent, si rex non statim consentiret, sicut prius. Sic autem indurat Deus: Primò, Omne peccatum aut est pœna peccati, aut causa alterius peccati. Cū enim voluntariē nos à Deo auertimus, iusto Dei iudicio etiam in alia peccata cadere permittimur. Iterando autem peccata, fit consuetudo: ex consuetudine fit pertinacia: qui autem pertinaciter peccat, meretur à Deo relinqui: relictus à Deo, nunquam conuertitur: atque hoc est indurari. Cui igitur hanc indurationem iustius ascribimus, quàm peccatori, qui primò spontè gratiam abiecit? Nihil igitur hic aliud vult, quàm regem hunc eorum numero esse, qui merentur à Deo relinqui. Hoc igitur ei hic cōminatur Deus: Indurabo eum, id est, nō dabo ei gratiam, relinquam eum sibi ipsi, quia sic commeruit. Verè terribilis comminatio. Quid enim miserius homine, qui non habet gratiam Dei? Facile quidem

quidē putemus nos inuenturos gratiā, sed quis scit, si tale aliquod iudicium propter continuationem peccatorum super nos latum sit, vt decreuerit Deus non dare gratiam. Cessemus igitur à peccatis, ne hanc sententiam incurramus.

Et extendam manum meam super Aegyptum &c.

Etiā hæc prædicit ad maiorē consolationē Moysi & Aaronis. Pulchrè autem se consequūtur hæc verba, *Extendam manum, & educam, &c.* & tunc sciens Aegyptij, &c. Impij enim non cognoscunt potentiā Dei, nisi quādo iam ipsos punit, sed frustra tunc agnoscūt, quia non est tunc locus effugij. Quāto tutius esset nunc agnoscere Dominum. Obserua etiam, quā magnificè loquatur Deus de suis: *Educam, inquit, exercitum meum, populum meum, filios Israel.* Poterat vno verbo hoc dixisse, sed voluit per hoc ostendere dilectionem suam in suos ad consolationē ipsorum. Nihil enim magis consolatur in afflictione, quā scire Deum nos diligere: Econtrā nihil magis affligit, quā vbi in afflictione sentimus Deum nobis iratum, vt patet in Iob. Econtrā autem, ibant Apostoli gaudētes, &c. sciebant enim se gratiam Dei habere. Docemur autē hic quales esse debeamus, nempè exercitus Dei cū Deo, & pro Deo cōtra diabolum pugantes: Secundò, populus Dei eius dominio nos subijcietes: Tertiò, filij Israel, id est, perfecti imitatores principum.

Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.

Etiā hoc scribere voluit: Primò, vt videamus, quibus Deus committat populum suum, nempè nō iuuenibus, sed senibus, prudentibus, iustis, &c. Imò pro pœna comminatur se pueros in principes daturum.

Magna maturitas requiritur ad principem, magna item experientia, & prudentia, vt infrā patebit. Maior autem requiritur ad doctorem: vnde Aaron, cui verbum cōmissum erat, triennio senior fuit Moysi. Hinc in primitiua ecclesia dicebātur presbyteri, id est, senio.

ANNOTATIONES

Psal. 40. *res.* Alioqui eis dicitur illud psalmi: Quare tu enarras iustitias meas, cum odias disciplinas? &c. Deinde etiam ad eam aetatem Moysi describitur, ut videamus, quot annos Deus pepercerit Aegyptijs. Nam cum Moyses nasceretur, iam mortem commeruerat, & tamen adhuc octoginta annos expectavit eorum poenitentiam. Minus autem poenitendi spacium dedit, quam illis in diluuiio, quibus dedit centum annos, quia Aegyptij post tanta beneficia tam statim impij facti sunt. Deinde, quia etiam grauius peccauerunt, quam illi in diluuiio, ideo abbreviatum est eius tempus. Omnia ad **1. Cor. 10.** reptionem nostram scripta sunt.

Dices ad Aaron: Tolle virgam, & projice eam coram Pharaone, & vertetur in colubrum.

Hic incipit Deus signa facere, sed à longè ostendit, primò poenitentiam suam in signo scilicet, quo nec res, nec corpus regis ledebatur. Paulatim autem ad grauiora ascendit: primò ad res externas, secundò ad corpora, tertio ad vitam, donec ipsum perderet. Sic lento gradu ad vindictam procedit. Potuit primo statim signo perdere, sed noluit. Iubet autem hoc signum per Aarõ fieri, ne, si Moyses hoc faceret, putarent Aegyptij magicis artibus hoc factum, quandoquidè sciebant Moysen instructum esse in omni sapientia Aegyptiorum. De Aarone autem hoc suspicari non poterant, quem sciebant à pueritia cum alijs Israelitis laboribus fuisse ad dictum. Deinde hoc etiam factum est ad consolationem Moysi, qui perpetuò se indignum & minus idoneum ad tantas res querebatur.

Ingressi igitur Moyses & Aaron, ad Pharaonem, fecerunt sicut praeceperat Dominus.

Ioan. 10. Hic secundò se in periculum offerunt pro populo. Boni pastoris enim est, animam ponere pro ouibus suis. Ingrediuntur autem sola fide muniti in promissiones diuinas: hæc est enim victoria, quæ vincit mundum, fides scilicet. Dicuntur autem omnia fecisse, quæ præceperat Dominus, & sicut præceperat. Et hoc etiam ad pastorem pertinet, ut non solum quæ Deus præcepit, ex-

equa-

1. Ioan. 5.

equatur, sed etiam sicut & eo modo, quo Deus præcepit. Hoc non obseruans Saul, à Deo abiectus est. Et quidam propheta à leone occisus. 1. Reg. 13.
1. Reg. 13.

*Proiecit Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ
versa est in colubrum.*

Non hîc dicitur regem signa petiuisse, verùm ex superioribus colligi potest, quod petiuerit. Nā Dominus dixerat tunc proijciendam virgam, cùm rex signa petiisset. Miracula enim nemo pius præsumit facere, nisi Domino imperâte, & spiritu sancto instigâte, nec nisi necessitas hoc exigat. Non abs re hoc signum corâ rege fieri vult Deus: poterat alia facere, sed hoc placuit, imò ad ipsam, &c. cōducebat. Primò enim nō statim primo congressu regem punire voluit, ideo tale signū elegit, q̄ mirabile quidem esset, & Dei potentiâ ostenderet, nullum autem læderet. Deinde incutere volebat regi timorem diuinæ potentiæ, ideo virgam, quæ res mortua videbatur, in colubrū vertit, tale scilicet animal, cuius vel solus cōspectus hominē terret, & cuius morsus hominē necat. Eosdem aut̄ effectus habet diuina potentia, ideo hoc signū ostendit, vt sciret rex Deū lento quidem gradu ad vindictâ procedere: ipsius tamē potentiâ verè terribilē esse, vbi apparere incipit, & omninò perdere hominē, super quem ceciderit. Præterea, per hoc signū regi ostendere voluit, quis finis eum maneret, nempe q̄ virga, id est, potestas eius, qua cōfidebat, in terrâ proijcienda esset, & in tantū horrorē conuertenda, vt omnes posteri plagam eius videntes terrentur. Id q̄ factum est, & nunc fit. Quisenim nō contremiscat ad tā horribilia iudicia, quib. Aegyptus percussa est. Satis igitur per hoc vnum signū rex admonitus fuisset, ne Dei mandatum contemneret. Satis etiam ex hoc videre potuisset, Moysen à Deo missum, quando quidē solius Dei opus est creaturas transmutate: Verùm impio frustra fiunt signa,

Vocauit autem Pharaon sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi magi Aegypti incantationibus suis similiter.

ANNOTATIONES

Hoc fecit ex contemptu, & ad annihilandum verbum & opus Dei. Q. D. Nihil ne aliud potest Deus vester, quàm hoc q, etiam magi mei possunt? non est igitur qeum timeam. Sic impij bonitatē Dei contēnunt.

Rom. 20. Quia enim nō statim punit, putant eum non posse punire. Sed erras impie. Non ideo hoc signū primò ostēdit, quod maiora facere non possit, sed quod etiā impio parcit, ac mallet per minas, quā per pœnas te emē dare. In hoc autem rex ille manifestè typus est diaboli, qui semper hoc egit, vt & verba & facta Dei annihilētur, ne homines credentes salui fiant. Quā primum enim Deus verbū suum homini dedit, etiam diabolus errores per suos disseminauit, vt p suos errores verbū

Deut. 13. Dei, per falsa aut signa opera Dei annihilaret, vt vel sic homines vel omninō à verbo Dei retraheret, vel ad minus in discrimē & dubitationē adduceret. Hoc autē permittit Deus. primò, vt tenentur pij: iuxta illud: Si surrexerit prophetae, &c. nolite credere illi: tētat enim

Mat. 14. vos Dominus, &c. Hinc Christus dicit in fine mundi tantā futurā pseudoprophetarum seductionem, vt si

1. Ioan. 5. fieri possit, etiam electi seducerentur. Hinc Ioannes:

Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, num à Deo sint. Doctrina Euāgelij quā accepimus, verbum Dei est, q innumeris signis probatum est: deniq; multorum milliū sanguine confirmatum est. quare de illa dubitet nemo, etiā si angelus de cælo aliud persuadeat. Deinde etiā ideo Deus pmittit diabolo errores & falsa signa ostendere ad maiorē impiorū execrationē: iu-

1. Thes. 2. sto enim Dei iudicio fit, vt veritati credere nolentes seducantur, & mendacio credāt. Docet igitur hic textus, ne quorūlibet verbis, nec quibuscūbet signis credamus: quandoquidem videmus etiā diabolū signa facere. Ceterū, q magi hoc potuerunt, non mirum est, cū aduti fuerint virtute demonū, q & subtiles sunt & inuisibiles, deniq; multi, vnde facile potuerunt vel veros serpentes aliunde apportare, vel falsos serpētes oculis hominū supponere, oculosq; hominū fascino. Quāquā si benè attendamus, facile discerni potest, quid ex

Deo

Deo, quid ex magicis artibus fiat. Aaron simpliciter virgā suam proicit sine quibuscunq; incantationibus: illi aut primū coguntur virgas incantare. Deinde, virga Aaron in verum serpentē versa fuit: virgæ autē magorum, tantū in serpentes imaginarios: quod ex eo patet, quòd cum duo essent serpentes magorum, vni tamē illi nihil nocere potuerunt: E contra autem vnus ille duos deuorauit. Summa: quicquid diabolus facit aut loquitur, deceptio est & fascinatio: Dei autē perfecta sunt opera, & vera fideliaq; verba.

Deut. 32.
Psal. 144.

ALLEGORIA.

Virga Aaron in colubrum versa, est verbum Dei omnipotentis, caro factum in similitudinem peccati, tamen absque peccato, hoc verbum, hic Christus omnes serpentes magorum deuorauit, id est, omnem idololatriam destruxit in mundo. Vel virga Aaron humanitas Christi est, quæ in colubrum versa est, quando in cruce mortua fuit, tunc enim etiam à Deo male dicta videbatur. Ea autem mors Christi duos serpentes, id est, duas mortes, quas diabolus fecerat, deuorauit, mortem scilicet animæ & mortem corporis; à morte animæ, id est, à peccato, liberamur per meritū passionis Christi: in futuro per eādem etiam à morte corporis suscitandi.

Induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos.

Non mirum, quòd induratur, qui tales consiliarios & doctores habet, magos scilicet. Poterat autem inspectis vtrinq; serpentibus facile cognoscere, vbi Deus operaretur. Sed oclusis oculis ad Dei opera, sola magorum opera miratur. Videmus hinc nullam maiorem pestem esse, quàm pseudoprophetę. Duo enim illi magi Euang. Paulus duos fuisse dicit, eosque nominat, 2. Tim. 3. Ioannem & Mambrem, Aegyptum in periculum corporis & animæ induxerunt per suas incantationes. Per hos igitur figurati sunt omnes, qui impios in peccatis cōfortant, qui puluillos consuunt sub omni cubito, qui homines decipiūt blandis sermonibus, ne veritati credant, qui homines à bono impediūt, qui viam

Ezech. 13.

ANNOTATIONES

Matt. 7. viam ad cælum latam faciunt, quam Christus angustam dixit, qui semper dicunt: pax, pax, etiam aperte in peccato viuētibus. Nos Christum & Moysen audiamus & Apostolos, quorum Moyses nos in desertum vocat, Christus ad viam crucis, Apostoli ad perfectiōnem vitæ, Ro. 12. Eph. 4. & 5.

Et dixit Dominus: Ingrauatum est cor, & non vult dimittere populum.

Matt. 24.
Lucæ 21.
Sap. 5.
Act. 7. 2.

Quia semel proposuerat Dominus, & Israelitas liberare, & Aegyptios damnare, ideo pergit. Putat rex iā se euasisse, nihil aliud secuturum, sed iam nūc maiora sequuntur. Hic enim incipiunt plagæ super Aegyptum: nam primum signum non fuit plaga, quia nulli nocuit, sed tantūm miraculum, quo rex virtutem Dei disceret, & agnosceret Moysen à Deo missum. Quod quia non facit, illicō sequuntur plagæ, donec pereat. Idem fecit Deus in Ecclesia: nam primò cum prædicatione Euangelij Apostolis dedit signa facere, quibus agnosceretur verè à Deo missi. Nunc aut quia hoc satis est ensum & probatum est, & tamē semper aliqui rebelles inuenti sunt, incepit plagas mittere, & multò plures mittet circa finē mundi. Decem aut plagas per ordinē misit super Aegyptios, propter decem præcepta, vt sciamus cuilibet præcepti transgressionē habere suam pœnam. Huiusmodi autem plagas partim fecit in elemento aquæ, partim in puluere aquæ, partim in aere, partim in cinere ex igne, partim per homines, partim per angelos, vt ostenderet omnem olim creaturam armandam in ultionem inimicorum Dei. Quod autem quedam signa fiunt per Moysen, quedam per Aaron, quedam per angelum, quedam per Deum, innuit quod aliqui homines solis internis inspirationibus, id est, per angelum conuertuntur: alij per Moysen, id est, per scientiam legis: alij per Aaron, id est, per orationes aliorum: alij non nisi per ipsum Deum, qui scilicet solius Dei potentia conuertuntur, vt Saulus. Quia autē Aegyptus etiam mundum significat, consequitur quod plagæ Aegypti mala

mala mundi abumbrarunt. Et quia liberatio Israelitarum significat liberationem à peccatis, ideò primò plaga, quæ præcesserunt, signant etiam decem opera, quæ in peccatore fiunt, antequam è peccatis exeat. Itaque de his decè plagis quatuor videnda sunt: Primò, quomodo peccatis Aegyptiorum conueniant: Secundò, quomodo decem præceptis: Tertio, quomodo mala mundi adumbrentur: & Quartò, quomodo ad peccatorem quemlibet referri possint.

Vade ad Pharaonem manè, &c.

Hic incipit prima plaga, quæ primò denunciatur, deinde infligitur: vbi primò videmus Dei bonitatem, qui non punit etiam impios, nisi prius monitos. Primò igitur plagam denunciat, ne ferire cogatur. Tria autem præcipit Moyfi, quæ cuilibet prædicatori obseruanda sunt: Primò iubet eum denuò ire ad regem, Ioan. 7 Non enim ideo cessandum, si non primò statim homo conuertatur. Sunt enim duodecim horæ diei: & gutta etiam modica frequenter cadens, tandem lapidem cauat. Iubet autem manè ire: non dormiendum enim est pastoribus. Secundò iubet, vt regi occurrat, & in faciem consistat: temerarijs enim aperte resistendū est. Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Item, insta oportunè, importunè, 1. Tim. 5. &c. Tertio iubet, vt consistat in ripa fluminis, id est, vt ita impios doceat, ne in aqua pedem ponat imitando 2. Tim. 4 eorum vitia. Vel aqua decurrens vitam præsentem indicat: ripa fluminis, finem vitæ. In ripa igitur Moyses consistat, id est, homines admoneat vanitatis huius vitæ, & futuræ mortis.

Deus Hebraeorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto, &c.

Tria regi numerare iubetur: Primò, mandatum Domini: hæc, inquit, dicit Dominus, &c. Secundò, peccatū regis. vsq; ad præsens audire noluit. Tertio, poenam. In hoc igitur cognosces, &c. Hæc tria quilibet prædicator doceat.

ANNOTATIONES

Ecce ego percütiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & verietur in sanguinem.

Prædicit plagam, vt terreatur impius. Ne autem putet præstigium esse, addit tria signa, quibus probetur, quòd in verum sanguinem verteretur. Primùm, Omnes pisces morientur: Secundùm, putrescet fluuius: Tertium, Aegyptij bibentes affligentur. Deinde etiam ideo prædicit, ne videretur casu factum. Vnde & Christus: Hæc locutus sum vobis antequam fiant, vt cum factum fuerit, credatis. Verùm quia impius non curat

Ioan. 14.

minas, vbi non videt plagas, ideo subditur.

Dic ad Aaron: Tolle virgam, & extende manum tuã super aquas Aegypti, & super fluuios eorum, & cat.

Etiam hoc signum Aaron facit, ne scilicet videretur magicis artibus fieri, si per Moysen fieret. Hebræi autem aliã causam adducunt, quòd scilicet quia Moyses ex aqua liberatus fuit, incongruum fuisset, si ipse tanquam ingratus aquam percussisset. Sed hæc Iudaica sunt. Signanter autem dicit: Extende manum super aquas, non super regem. Vbi iterum videmus bonitatem Dei, impio regi parcenti. Quòd autem non tantùm dicit super aquas, sed addit, super riuos & paludes: patet, quòd omnes in Aegypto in sanguinem versæ sunt, quod certissimè indicat Dei potentia esse factum. Nec enim Aaron omnes aquas tetigit, sed solas aquas fluminis: quia tamen Deus vbique est, ideo in omnibus aquis simul & semel potentiam suam ostendere potuit. Hoc diabolus non potest, quia non nisi in vno loco esse potest. Vide autem hic iterum, quàm facilè Deus naturam rerum vertere potest, vt quod modò virga, nunc serpens: quod modò aqua, nunc sanguis sit. Idem posset in nobis, Deum ergo timeamus. Pulchrè autem hæc plaga peccato Aegyptiorum respondet: Primò enim, quia in aqua peccauerant, in aqua puniuntur: Secundò, quia sanguinem innocentem effuderant, sanguinem bibere coguntur: Tertio, quia in flumine submerserant pueros,

nunc

Exod. 1.

nunc pisces fluminis moriuntur : Quarto, quia abominabatur filios Israelitarum, ideo aqua ipsis in horrorem & abominationem vertitur. Iustus Dominus, *Psal. xix.* & rectum iudicium eius. Pro magnitudine peccati, plagarum modum imponit : & in quo quis peccat, in eo punit ipsum. Significabat autem hic sanguis totam Aegyptum perituram, quod quamuis ultimo contigit, primo tamen ipsis praestensum est, ut à longè futuram, perditionem viderent & timerent.

Fecerunt similiter & malefici Aegyptiorum incantationibus suis.

Nullum opus Dei tam clarum & manifestum, quod diabolus non studeat annihilare. Sic per Iudaeos manifestissimum Christi opus conabatur virtuti daemonum *Matt. 12.* ascribere. Non autem curiosè hic quærendum, unde habuerint aquam malefici? aut enim à filijs Israel eam habuerunt, aut à dæmonibus occultè apportata fuit, aut omninò praestigium fuit tam aquæ, quàm sanguinis. Cæterum, non poterant verè aquam in sanguinè conuertere: quia naturas mutare, solius Dei est. Quòd si verè hoc potuissent in vno loco, sed non in tota Aegypto simul & semel.

Et induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos sicut preceperat Dominus.

Satis iam secundò potentiam Dei viderat, sed frustra: nondum enim plaga peruenerat ad corpus. Pellè *Iob 1.* pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dat pro anima sua. Auertit aut se verè tyrannico more, quasi nihil curans, quæ plaga populū vexaret, dummodo ipsi nihil noceret. Deinde auertit se, quasi contēnens & verba & opera Dei. Præterea iuit ad domum suam, nesciens, quod etiā in domo sua plagam sanguinis inuenturus esset. Sic à diuina ira non fugere licet. Non erat fuga eis, ait *Amos 9.* Amos. Interim quærunt Aegyptij aquam fodiedo, sed frustra: iā enim ira Dei cuncta impleuerat. Quòd aut septem diebus plaga hæc durat, signum est, quòd non erat praestigium. Diu etiam hac plaga puniuntur, quia magnam crudelitatem in aquis exercuerant.

ANNOTATIONES


Exod. 20. Concordat autem hæc plaga cum primo mandato, quo dicitur, Ego sum Deus. Non habebis Deos alienos, &c. Sicut autem de aqua generantur omnia, ita Deus prima causa est omnium: sed quia homo mutat gloriam incorruptibilis Dei in similitudinē creaturarum, congruè mutatur aqua in sanguinem. Quòd si horribile est visu, multò horribilius est Dei gloriam in creaturas transferre. Deinde trāsgradientibus primum præceptum, omnis aqua in sanguinem vertitur, quia Deum relinquentibus omnia vertuntur & cedūt in perniciem, sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Per hanc etiam plagam primū malum mundi signatur, quod est sanguis bellorum. Verè magnum malum, quod vel solum nobis vilescere faciat mundum. At tamen semper in mundo fuit, nec in vno loco, sed vbiq̄ue, donec etiam ecclesiam irrepit, quæ nunc vndique sanguine filiorum cruentatur. Vel aquæ Aegyptiorum sanguinæ signant, quòd sapientia mundi mortifera est: soli filij Israel veram aquam habent, &c. Demùm, sicut prima plaga fuit conuersio aquæ in sanguinem, sic primum, quod facit Deus in conuersione peccatoris est, quòd mundum hunc cum suis delicijs & cōcupiscentijs hominum in horrorem & fastidium vertit. Quàm diu enim placent deliciæ mundi, nunquam conuertitur homo, id, quod in filio prodigo videmus, &c.

Rom. 1.

Lucæ 19.

CAPVT VIII.

Deut. 32.


N hoc capite pergit Deus punire Aegyptios, ac plagam super plagam immittit sine cessatione, donec ipsos cōterat. Sic enim vbi ignis diuinæ iræ succensus fuerit, ardebit vsq̄; ad inferni nouissima. Sic etiam ad Aman dicitur: Si de semine Iudæorum est ille, coram quo cadere coepisti, non poteris ei resistere, sed cadens cades, id, quod

Hester 6.

quod & factum est. Multū in hunc modum & Iob differit de grauitate diuini iudicij. Videbimus item hoc capite, quā in diuersum omnia cōmutata sint. Hactenus Israelitæ afflicti fuerunt. Aegyptij autē benè habuerunt: nunc contra Aegyptij affliguntur, Hebræis parcitur. In hunc modum tribulationes piorum vertuntur in gaudium, & gaudia impiorum in æternas tribulationes. Vē vobis, qui rideris, quia flebitis: contra, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Ioan. 16.

Luc. 6.

*Ingrede ad Pharaonem, & dices ad eum. Hæc dicit Dominus:
Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi.*

Mira Dei bonitas, quod non cessat admonere impios: imò, quod sua sponte prædicatores ad ipsos mittit, quæ duo omnem impijs excusationem auferent in iudicio. Deinde nō cessare patitur Deus Moysen, quæ pastoris officiū non vult habere ociosum: Væ, inquit, mihi, si non Euangelizauero. Denique subinde Deus prophetas obijcit propter salutem nostram, quod & ipsum nos condemnabit in iudicio.

1. Cor. 9:

Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.

Hæc est secunda plaga, in hoc maior priore, quod regem propius tangit. Illa enim extra domum erat, in fluuio scilicet, hæc autem intra domū: ab illa se auertere potuit, ne horrorem videret; ab hac autem nō. Sic semper maiores plagas immittit Deus, quanquam etiam hæc secunda plaga admodum mitis sit & parua, si peccata Aegyptiorum attendas, imò magis fuit admonitio, quā plaga. Eodem modo omnia, quæ patimur, parua sunt, si ad peccata nostra conferantur, imò nihil aliud sunt, quā admonitiones, vt caueamus maiora. Primò autem hanc plagam comminatur, quem admodum & supra vt terreat, itē ne rex casu putet huiusmodi ranas venisse. Multū enim refert, vt quæ patimur, sciamus à Deo propter peccata accidere. Mirè autē rem exaggerat, vt plus terreat, quemadmodum & Propheta diem iudicij mirabiliter exaggerat: Dies, inquit, illa dies iræ, dies calamitatis & miseriæ, & cæt.

Soph. 1:

Cæt.

ANNOTATIONES

Cæterùm, quâ tumuis iudicium Dei exaggeretur grauius, tamen & horribilius est, quàm verbis exprimi possit. Singula autem verba emphasim habent, Ego, inquit, percutiam; Ego, inquam, cuius potentiã in duobus prioribus signis vidisti, noli igitur dubitare, quin & hoc possim. Deinde non dicit, Emmittam ranas, sed percutiam terram ranis. Plaga, inquit, erit non ostentum tantum, sicut primum signum. Tertio, percutiã omnes terminos tuos: non in vno tamen loco erunt, sed vbiq;. Quarto, percutiam ranis, non leonibus, non crocodilis, quibus Nilus abundat, sed hoc vili animali te puniam. Quinto, Ebulliet fluuius ranas in magna scilicet copia. Sexto, non manebunt circa flumen quẽ admodum solent, sed ascendent in domum tuam, &c. & omnia fœdabunt. Vnde discere Dei opus & plagã esse. Primo, Ascendent super te, &c. quantumuis magnus sis, non poteris tamen tantillo animali resistere. Vide quot verbis exaggerat plagam hanc: nihil tamen mouetur impius rex. Putabat rem hãc impossibilem esse. Et si maximè crederet fieri posse tot ranas, putabat tamen se securum esse ab eis, quando quidem tot seruos, tot castra, tot ianuas & seras haberet, quib. arceri possent ranæ. Sic quantumcunque Dominus comminetur, nos tamen parui facimus, ac putamus aut non sic fieri posse, aut nos industria nostra euasuros. Sic Iudæi non credebant regem Chaldæorum venturum: nec credebatur ipsi Noe diluuium futurum denunciãti.

Hier. 2.

x. Thef. 5.

*Extende manum tuam super fluuios, ac super riuos & paludes,
& educ ranas super terram Aegypti.*

Hic in fligitur plaga, quam vno verbo exprimit. Ascenderunt, inquit, ranæ, & operuerunt terram Aegypti. Hic videmus, quid Deus possit. Superiorib. signis naturas rerum mutauit, hinc etiam creaturis irrationalibus præcipit, vt ostendat potentiã suam, cui omnia obedire coguntur. Vide secundò, qualem exercitum Deus contra regem mittat, quales copias. Cogitur superbus

perbus rex cum ranis conflagere, imò à ranis vinci, cōculcari, fœdari, & cum plaga etiam ignominiam sentire. Sic Deus confundit superbiam nostram. Videmus tertio, quàm facile Deus nos posset punire si vellet. Nō opus esset exercitus militum contra nos conquirere, posset saltem minimis animalculis præcipere, vt nos infestarent: Me ergo non timebitis, ait Dominus? *Vi. Hier. 9.* Videmus quarto, quàm ranæ procedunt & ascendunt, non prohiberi se sinunt, sed exequuntur ad quod missæ erant. Tam potens est verbum Dei, tamque obedienter omnes creaturæ ad nutum Dei deseruiunt. *Sol. Esaiæ 10.* Solus homo repugnat factori suo, testa de sanjjs terræ. Videmus demùm, quòd Deus potentiam suam simul & semel in multis locis ostendere potest: in vno tantū loco Aaron fluuium percutiebat, & vbiq; in tota Aegypto ranæ ebulliebant ex omnibus aquis. Et quamuis magi etiam ranas produxerunt, non tamen veræ ranæ erant, sed delusio oculorum: deinde, non nisi in vno loco facere potuerunt. Videmus autem eorum impietatem, qui non cessant resistere Deo. Verùm Deus ad tempus hæc patitur, propter rationes suprâ dictas.

Vocauit autem Pharaon Moysen & Aaron.

Hic incipit rex humiliari, & sentire Dei virtutem, sed non ex animo. Timet Deum, sed seruiliter: multa pollicetur, sed non ex animo: pœnitentiam simulat, donec pœnam euadat, postmodum peior futurus. hæc est natura impiorum. Vbi igitur nunc potentia regis? vbi eius superbia?

Orate, inquit, Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, vt sacrificet Domino.

Qui dudum Moysen ad labores eiecerat, hic reuocat: qui dudum Deo contradicebat, hic seruis Dei supplex fit: qui dudum nullum Dominum agnoscebat, nunc sentit se miserum, & alterius auxilio egentem. Sic tandem impijs continget. Auxilium à pijs postulabunt, quos hic contempnunt, vt Diues ille à Lazaro. Et qui *Lucæ 16.* Deum in prosperis non cognoscunt, in pœnis confi. *2. Mach. 9.*

ANNOTATIONES

Apoē 3.

teri cogentur, vt Antiochus, &c. Et qui nunc dicunt, Diues sum, & nullius egeo, sentient olim, quàm sint miseri & miserabiles, &c. Vide hîc, quàm nihil sit & possit humana potentia, cùm se ostendit diuina potētia. Quòd autem hîc orari pro se petit, & nō in priori, ideo fit, quia hîc magis afflētus fuit: ipse enim & alij diuites habebāt vinum, de quo bibere poterāt, ideo eam plagam non ita sensit rex vt populus communis, hanc autem æquē se sentit vt pauperes.

Constituē mibi tempus, in quo orem.

Pij semper parati sunt ad orationem, parati item sunt etiam hostibus suis benefacere. Confidenter autem se oraturū promittit, imò ranas auferendas: sciūt enim pij se à Deo exaudiri. Nec in hoc tentauit Dominum, quòd promissit, quæ in potestate ipsius nō erant: ab initio enim certificatus fuerat, quòd talia fierēt ad nutum eius, cùm ei dictum fuit: Constitui te Deū Pharaonis. Quòd autem tempus orandi posuit in arbitrio regis, fecit ad vitandam suspicionem, ne putarentur magicis artibus, aut constellationibus hæc fieri, & vt rex sciret Dei opus esse.

Et dixit, Cras.

Patet ex hoc, quòd nondum plenè credidit à Deo hæc fieri, ideo distulit vsq; in diē crastinum, putans interea si præstigium esset cessaturum. Sic impij etiam cùm orant, aut orari pro se cupiunt, non ex animo faciunt. Accipit autem Moyse conditionem non tantū de se ipso præsumens, sed vt gloria Dei manifestetur. Vt scias, inquit, quòd non est sicut De⁹ noster. Pulchrè autem congruit hæc plaga peccato Aegyptiorū: Vbi enim pueros submerserant, inde ranæ in vindictā ascendunt: & qui filios Israelitarum videre nolebant, coguntur videre ranas: & qui Domino Deo obedire noluerant, nunc vilissimis animalibus subiiciuntur, & ab ipsis conculcantur, scædantur. Conuenit etiā hæc plaga secundo præcepto Decalogi, quo dicitur, Non assumes nomen Dei tui in vanum. Vult enim De⁹ nō dum non blasphemari, sed insuper venerari à nobis: ideo

Exo. 20.

ideo enim rationem dedit, & linguam nobis dedit, vt *Pfal. 117.* ipsum benedicamus. Contrà autem de hominibus dicitur: Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximū suum, *Pfal. 12.* imò non tantū vana, sed etiam mala & blasphema. Sepulchrum, inquit, patens est guttur eorum, &c. Os eorum maledictione & amaritudine plenum est, &c. In summa, qui homines esse debebamus, ranæ loquaces, & nedum hominibus, sed & Deo obstrepere facti sumus. Meritò igitur Deus ab exordio ranis nos puniuit, id est, loquacibus hominibus, qui suis vanitatibus & mendacijs omnia impleuerunt, & omnia scèdârunt. An non rana fuit Arrius, Pelagius, &c. vt philosophos gentium omnittam. Per ranas etiam intelligi potest aliud quoddam malum, quod in mundo est, nempè, multitudo immundorum hominum, quales sunt ebrij, luxuriosi, qui in suis caueis clamant, insanunt, obstrepunt, & omnia scèdant. Quis nō horreat ranas? Fuge igitur mūdum, qui ranis plenus est, & cōfuge ad ecclesiam, in qua homines sunt, &c. Per hanc plagam etiam significatum est secundum opus Dei in conuersione peccatoris: Primò enim ipsi aquā in sanguinem vertit, id est, ostendit omnia gaudia mundi in interitum itura. Secundò, ranas immūdas mittit, hoc est, homini ostendit propriam scèditatem, qualis fuerit, qualis sit, qualis erit. Nihil es nisi rana immunda, quantumcunque superbias. Qui sic suam turpitudinē considerat, magnum incitamentum habet ad humilitatem & conuersionem.

Egressi sunt Moyses & Aaron à Pharaone.

Læti egrediuntur sperantes iam populum liberandum. Nondum sciebant prauitatem cordis humani, nec quicquā mali suspicabantur de rege: Charitas enim non suspicatur malum. *1. Cor. 13.* Ex eo autem, quòd oratori exeunt aulū regis, docemur nos, vt oraturi ab omnibus, quantum possibile est, terrenis rebus nos abstrahamus, soli q; cū Deo loquamur in silentio, vt Christus docet. Item docemur hic, malorum consortia fugere, *Matt. 5.* quemadmodum Dauid, qui dicebat: Odiui ecclesiam *Pfal. 25.* malignam.

ANNOTATIONES

malignātium, & cum impijs non sedebo. Ostenditur etiam hoc loco, quod in aulis principum, vbi nihil videtur & auditur, nisi mundus, non est locus orandi. Vnde Dañiel oraturus, ex aula in domum suam & cubiculum intrabat: & Christus oraturus noctu in montem Oliueti pergebat.

Daniel. 6.
Lucz 21.

Et clamauit Moyses ad Dominum.

Longè alijs armis contra ranas pugnat, quàm rex & Aegyptij: illi enim externa potentia, consilijs, &c. pugnant, sed frustra: Moyses autem oratione & clamoribus ad Deum. Hæc sunt arma piorum, quibus omnia mala propellūt. his armis Ezechias regem Assyriorum percussit, & repulit ab obsidione: his armis idē rex mortiferum morbum propulsauit: his armis dicit etiam Christus se dæmonia eiecisse.

Clamasse autem dicitur Moyses, hoc est, feruenter & perseueranter orasse: huiusmodi enim oratio, etiā si solis gemitibus fiat, longè fortius sonat in auribus Dei, quàm clamor vocis. Non enim vocem, sed affectum audit Deus.

Fecitque Dominus iuxta verbum Moysi.

Verbum hoc notatu dignissimum est: idem enim est, ac si diceretur: Fecit Dominus, quod seruus volebat: fecit Deus, quod homo volebat: fecit creator, quod creatura volebat. Primò igitur videmus hîc, quàm bonus sit Deus his, qui recto sunt corde. Videmus secundò, quanti meriti & æstimationis apud Deum sint pij homines. Voluntatem, inquit, timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Videmus primò, quod despectus ille Moyses longè fortior fuit, quàm rex cum omni regno suo. Videmus quartò, quod vnus & solus Moyses toti regno Aegypti pacem impetrauit: Videmus quintò, orationem piorum etiam impijs proficere. Quantum prodesse potuisset vnus Moyses toti regno, si eum audiuisset? Idem de nobis fit. Colligere etiam hîc possumus, vnde fiat, vt nonnunquam magna mala imminere videantur, quæ tamen sine dāno abeunt. Vnde hoc, nisi quod Moyses quispiam in angulo

Psal. 72.

Psal. 144.

gulo

gulo stans ad Dominum clamat, ac oratione sua malum auertit. Locus autem hic nos prouocare debet ad amorē Dei, quem videmus ita magnificare sanctos suos. Deinde discamus hic magni estimare pios homines, nedum eos, qui cum Christo sunt, sed & eos, qui in hoc mundo viuunt. Monere autem hic locus debet ad orationem, cum manifestè hic videamus virtutem orationis. Discamus etiam hic ne quenquam contemnamus, quando nesciamus cuius orationibus mala à nobis prohibeantur.

Et mortuæ sunt ranæ ex domibus, & de villis, & de agris.

Poterat Dominus mandare, vt percutiendo terrā ranæ ad aquam reuerterentur. Potuit item facere, vt euanescerent ranæ, sed voluit vt morerentur, & etiam mortuæ remanerent in conspectu Aegyptiorum, imò vt ex foetore terra computresceret, ne præstigiū fuisse putarent, sed scirent & experirentur veras ranas fuisse, & certam Dei plagam propter peccata ipsorum missam. Multum enim refert hoc scire: nam pius in aduersis positus, si sciat à Deo immitti, nunquam murmurabit, sed cum Iob dicet: Dominus dedit, Dominus abstulit, Sit nomen Domini benedictum. Contrà, impius aduersa sustinens, si certò credat propter peccata sua se pati, cauebit peccata, & discet timere Deum.

Iob. 2.

Videns autem Pharao, quòd dat a esset requies, ingrauaui cor suum & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus.

Sicut in Iuda proditore habemus exemplū infructuosæ pœnitentiæ: is enim & si pœniteret & confiteretur, peccatum & pecuniam iniustam restitueret: nihil tamen ei profuit, quia desperabat: sic in hoc rege habemus exemplum pœnitentiæ fictæ & simulatæ. Quam diu enim plaga durabat, simulabat pœnitentiam, promittebat emendam: nunc autem cessante plaga, & Deo & homini mentitur. Sic pœnitentia ex solo timore pœnæ proueniēs, non diu durat: quæ autē ex amore iustitiæ oritur, hæc perseuerat. Obseruandum autem, quòd hic dicitur. Et indurauit Pharao cor suū. Vbi clarè videmus, quòd homo ipse est causa

Matt: 27:

ANNOTATIONES

Rom. 2.

2. Cor. 2.

obdurationis suæ. Imò ex eo, quod promittitur; Videns quòd data esset requies, indurauit cor suum: pianè apparet, quòd ex patientia & longanimitate Dei induratus & peior factus fuit. Potentia ergo Dei causa fuit indurationis eius, non quòd patientia Dei hominem induret, sed quia homo ea abutitur. Alioqui ea ipsa potētia Dei ad pœnitētiā nos trahere debebat, verūm impijs etiam bonus odor fit malus, non ex sua, sed illorum culpa. Videmus igitur etiam hic, quomodo intelligi debet illud, q̄ supra dixit: Indurabo cor eius. Quò enim Deus longanimius eum tolerauit, eò peior effectus est, & hoc modo dicitur eum Deus indurasse.

Extende virgam, & percutite puluerem terra, & sint cymiphes in vniuersa terra Aegypti.

Hic ponitur tertia plaga, hæc primò alia est à prioribus. Poterat Deus priores reuocare, sed noluit, ne putaremus pœnitentiā suam alligatam ad vnum aliquid, quemadmodum artificis scientia certū instrumentum requirit ad quod alligata est, & sine quo perfici non potest. Deus autem non vno tantum modo punire potest, sed pluribus, ideo semper nouas plagas immittit. Deinde hac plaga tertia plus quiddam habet, quàm prioris. Illa enim tantum horrorem habebat, Secunda horrorem & molestiā, hæc autem habet horrorem, molestiam, & dolorē. Sic ira Dei paulatim crescit, & semper maiores plagæ sequuntur, vbi prioribus non emendamur. Quanquam etiam hæc plaga et si dolorem habuit, tamen admodum parua, imò etiā ipsa magis fuit admonitio, quàm plaga. Prætercà, in hac plaga Deus alio quodam modo potentiam suam ostendit, quàm in prioribus. In prima siquidē ostēdit se posse naturas rerum immutare, in secunda ostendit se posse creaturis etiā irrationalibus præcipere: in hac autem ostendit se posse creaturas iniuriæ diuinæ vtrices de nouo creare, vt vel sic impijs maiorem timorem incuteret, & Moysen aliosque confirmaret, ne de Dei potentia & promissis dubitarent. Denique hæc

tertia

tertia plaga etiam in alio elemēto fit: priores enim in aqua factæ sunt & ex aqua, hæc autem ex terra: vt ostēderetur omnia in manu Dei esse, & omnia elementa cōtra impios olim concitanda, iuxta illud: Armabit creaturam ad vltionē inimicorum, &c. Quòd autem ^{SAP. 9.} signum hoc non per seipsum, sed per Moysen & Aarō imò per baculum vel virgam, & ex puluere facit, non ideo factum est, quasi sine his rebus Deus hoc facere nō potuerit, imò nihil horum ad hoc opus habuit: & tamē ita fieri voluerit, vt clarius innotesceret eius potentia, nempe quod omnia habeat in manu, quòd omnia obediant ei, q̄ per parua possit facere magna, quod ex qualibet creatura facere possit quicquid vellet: deniq; quòd nedum per se ipsum, sed & per creaturas sua opera exequi possit. Voluit itē per hoc ostendere, quanti æstimet suos electos, quib. tantam potestatem tribuit. Nō est igitur, quòd inquiramus, cur Deus per homines sanctos aliquid det aut operetur, multò minus est quòd murmuremus, quin potius gratias agamus, quacunq; tandem via & modo nobis succurrat. Quòd autem è puluere Cyniphes facit, ideo fit, vt confundatur ratio nostra, quæ omnia Dei opera temere perscrutare nititur, ac rationes naturales assignare, etiam in maximis Dei operibus, cum tamen in hoc paruo opere nullam assignare possit. Patet igitur hinc, ^{4. Esd.} quòd ratione nostra non possumus peruestigare & compræhendere opera Dei.

Omnia puluis terræ versus est in cyniphes per totam terram Aegypti.

Quales fuerint hi cyniphes, adhuc incertum est. Hebræi dicunt fuisse pediculos: nostri autem dicunt fuisse muscas subtiles & minutas, corpus cui insidebant acutissimo terebrantes stimulo. Alij putant legendum Senipes, & volunt, quòd fuerint hi vermi culi, quos nos materna lingua *wentlen* vel *wantlen* nominamus. Verùm quicquid tandem fuerit, certum est, quòd fuerunt minuta animalia. Vbi iterum vides Dei potentiam: nam Aarone in vno tantum loco

ANNOTATIONES

Sal. 147. puluerē percutiente, omnis puluis in tota Aegypto in pediculos versus est, quòd solius Dei est, cuius potentia à fine ad finem pertingit, nec est, qui se abscondat à calore eius. Vides deinde iterum Dei mira opera, Poterat puluerem vertere in leones, & lupos, &c. verū noluit adhuc in totū perdere & occidere Aegyptios: Deinde per tam parua animalia eum affligere voluit, vt maiori dolore afficeretur, videns se tam vilibus animalibus resistere non posse: Superbo enim maxima crux est à paruo aliquo vinci. Vnde Abimelech à muliere percussus, rogauit seruum suum, vt eum occideret, ne à muliere diceretur occisus tantus tyrannus.

ud. 9. Præterea etiam ideo regem per tam minuta animalia affixit, vt omnes videamus, quòd nihil sit & valeat potentia humana, vbi Deus suam potentiam exerere cœperit. Obserua autem, quòd in hac tertia plaga non præmonuit regem, sed de repente eam immittit: non enim dignus erat præmoneri: Primò, quia à periculo misericorditer liberatus, & Deo, & homini mentitus fuit. Secundò, quia ex ipso, quòd Deus ei pepercerat, peior effectus erat. Et propter has duas causas etiam nunc subtrahitur quibusdam gratia Dei, quòd liberati à malis ingrati sunt, & quòd abutuntur Dei patientia. Ignoras, inquit Paulus, quòd patientia Dei ad poenitentiam te adducit? Et Christus: Si dixerit seruis, Dominus meus tardat venire, & incœperit epulari, & cōseruos percutere, &c. dico vobis, veniet Dominus serui illius in hora, qua non putat, & diuidet eum, &c. Cæterum si minutis animalibus resistere non possumus, quid fiet, vbi omnes creaturæ contra nos armabuntur, imò Deus ipse contra nos cōsistet? Ante faciem indignationis eius quis stabit?

Feceruntque similiter malefici, sed non potuerunt.

Dupliciter intelligitur, vel quòd omninò hæc animalia facere non potuerunt, vel quòd ea quidē fecerunt: sed quia molestos aculeos nulli infixerunt, conuicti sunt fallaciter fecisse omnia. Nempè quia sanguinis horri or & ranarum fœditas compræhenditur

folo

solo visu, idcirco præstigiatores ranas falsas & sanguinem fallacem Aegyptijs ostenderunt. Cyniphes autem quia manifesto quoque aculeo apertè dijudicantur, idcirco non fuerunt, quia quod verum esset, quod veraciter sentiretur, homines sine Deo creare non potuerunt. Sic igitur Deus non semper permittit illudere veritatē, tandem enim palam fiet hypocrisis: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus. Tacet quidē Deus ad tempus, ut electi probentur, & impij magis excæcentur: **Tim. 8.** sed non semper tacet. Obserua autem, quod in minimo vincuntur, ut maior ipsorum esset confusio. Sic in concilio Niceno philosophus quidam cum à nullo vinci posset, tandem à simplicissimo quodam victus est. Obserua item, quod in tertio signo vincuntur, quia omnis sapientia mundana fide trinitatis vincitur.

Digitus Dei est hic.

Digitus Dei & manus in scriptura accipiuntur pro potentia Dei, quæ digitus dicitur, ad ostendendum, quod tam potens est Deus, ut vno digito omnem potentiam superet. Coguntur autem hoc loco vel inuiti potentiam Dei confiteri, quemadmodum & Nabuchodonosor in Daniele, & Antiochus in libris Machabæorum. **2. Dan. Mach.** Quia tamen magni illi ex hoc non conuersi sunt, nec cessauerunt, voluit aliqui, quod hoc verbo non confessi sint virtutem diuinam, sed virtutem aliquam demonis, superioris, impediētis per artem magicam operationem inferioris, quemadmodum & Iudæi Christo imponebant, quod in Beelzebub eijceret dæmonia. Omnino enim ad hoc tendebant magi, ut Moyses crederetur signa hæc facere artibus magicis: ideo & cor Pharaonis iterum induratum dicitur. Cæterum hæc plaga pulchrè congruit peccato Aegyptiorum: sic enim populum Israel affixerant in operibus luti & lateris, ita & ipsi nunc ex puluere terræ affiguntur. **Exod. 20.** Conuenit etiam tertia hæc plaga cum tertio præcepto decalogi, quo præcipitur, ut sabbatum sanctificemus, hoc est, statis temporibus Deo vacemus, & etiam eternè colamus. Quia autem hoc negligimus, omneque

ANNOTATIONES

tempus, quod in Dei seruitio impendimus, nimis longum nobis videtur, iusto Dei iudicio fit, ut omnis pulvis terræ vertatur nobis in cyniphes, id est, ut omnis labor nobis molestissimus fiat, ubique pugnat, externè grauet, intus cruciet, plerunq; frustraneus sit. *Semina- stis, inquit, multum, & intulistis parum, &c.* quia domus mea deserta est; & quisq; studet edificare domum suam. Quia enim Deo ocium sanctū non damus, facit ipse, ut labor nos duplo cruciet. Iustus Dominus, &c. Deinde per hanc plagā significatum est aliud quoddā malum in mundo, nempe perpetua afflictio curarum & sollicitudinum, quæ semper instant, & expulsæ semper recurrunt. Sic dormire volens pungitur cura diuitiarum, & quomodo hoc expedire velit. Orare volens affligitur, & impeditur malis cogitationibus. Qui pauper est, quærit & cogitat quomodo ditescat: qui diues, quomodo conseruet diuitias: qui filios habet, curas habet, &c. Summa, nulla quies est in mundo ab huiusmodi curis. Quis igitur non appetat securam illam & quietam vitam, quæ in cælis est? Postremò hoc signum Deus etiam in homine operatur, quem ex Aegypto ducere vult. Cū enim homo iam videre cœpit mundi vanitatem & corporis fræditatem, ostendit ei Deus etiam animi incōstantiam, qui nunc spe distenditur, nūc metu arctatur, nunc gaudet, nūc timet, deniq; nunquā constans est. Hoc videns homo plus sibi displicere incipit, ac suspirare ad eū, qui solus & semper permanet, inq; ipso spem figere studet, &c.

Consurge diluculo, & sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas.

Vult Deus, ut sua mandata cū magna diligentia & sine mora impleamus. Signanter aut non patitur Moysen, cui tantum officium commiserat, ociari, ne quis propter ocium & voluptatem ambiat honorē & officia. Imò omnibus nobis præcipitur, ut surgamus diluculo. Quousque, inquit, piger dormis? Et Paulus: Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus. Deinde Moyse præcipitur, ut stet coram Pharaone Prælatorū enim

Aggzi. i.

Prou. 6.

Eph. 5.

enim est in prima acie consistere, pro populo stare, aduersarijs resistere, seipsum periculo offerre pro cōmis-
 so sibi grege: Arguuntur enim, qui se non opponunt murum pro populo. Ad aquam autem iubetur occurrere regi, quia nō concedebatur ei ingressus in aulam. Fugiant impj verbum Dei, ne arguantur. Sed quid fit? Quantum cunque rex conspectum Moysi declinet, tamen ipsi occurrit Moyses, correptionem Domini effugere non potes in domo & solus audire nolebat rex, cogitur nunc audire in publico coram omnibus cum maxima sui confusione. Sic qui hic argui non vult, in futuro arguetur, & sine fine manum Dei effugere non possumus.

Ecce ego inmittam omne genus muscarum, & implebuntur omnes domus Aegyptiorum muscis diuersi generis.

Septuaginta translulerūt, muscam caninam Cynomyam, quæ scilicet canum auribus insidens sanguinem exugit. Hieronymus legit Cenomyam, id est, muscam omnimodam. Alij legunt, omne genus vermium malorum. Iosephus autem vult, quod non fuerint muscæ, sed animalia diuersi generis terribilia aspectu, & morfu nocua: hoc enim vnum est inter plagas vel iudicia maxima Dei, quæ sunt, pestis, gladius, famines, bestia. Sic olim leones &c. immisit in eos, qui ciuitates Samarię incolebāt. Ceterum quæcunq; tandē fuerint illa animalia, certum est, magnam fuisse plagam, etiamsi solum modò muscæ fuerint: muscarum enim multa sunt genera. Sunt muscæ magnæ & paræ, vt sunt vespæ, crabrones, apes, &c. quæ aculeos habent. Quis autē nescit quantum dolorem hæc animalia inferant, vbi sæuiunt? Hanc igitur quartā plagam Deus fecit in elemento aeris, vt videamus eum potestatem habere omnium elementorum. Deinde in hac plaga nouo quidem modo potentiam suam ostendit, nempe è longinquis terris huiusmodi animalia adducendo: vt sciamus quod etiam è longinquo adducere potest qui nos puniant. Vnde Isaias: Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Aegypti, & api quæ

Ezech. 10

Psal. 104

Ezech. 10

4. Reg. 17

Isai. 7.

ANNOTATIONES

est in terra Assyriorum, & venient, &c. Iterum autem Deus hanc plagam prædicit, antequam immittat, quantumvis rex indignum se fecerat hac gratia, vt supra dictum est, verùm vincit bonitas Dei malitiam nostram. Prædicit autem hanc plagam multis verbis, quæ singula emphasim suam habent. Primò, Ego inquit, mittã: quo verbo monemur, vt huiusmodi plagas non naturalibus causis ascribamus, sed Deo. Non enim est malum in ciuitate, quod Dominus non fecit, Quamdiu enim nature hæc tribuimus, non timemus Deum, ne cogitemus propter peccata immitti, sicque non emendamur. Sic & alibi, locusta & brucus, &c. dicuntur fortitudo Dei magna, Secundò, immittã muscas, nō leones, &c. nec enim adhuc perdere eū voluit, sed admonere. Tertiò, Omne genus muscarū: vt vel sic magis eum terreret, cum sint aliqua genera muscarum valdè nociua. Quartò dicit, Super te & seruos, &c. ne putet se immunē futurum. Quintò dicit, Et implebuntur omnes domus Aegyptiorum: quo verbo ostendit multitudinem muscarum. Quintò addit, Et faciam in illa die mirabile, &c. Colligitur ex hoc verbo, quòd priores plagæ etiam fuerunt apud Israelitas, verùm non vt plagæ, sed vt miracula & signa potentie diuinæ, quibus confortarentur in fide, ne dubitarent Deū implere posse, quod promiserat, quem videbant tam mirabilia facere posse. Sextò addit, Vt scias, quòd ego sum Dominus in medio terræ. Monstrabo, inquit, re ipsa, quòd non tu, sed ego Dominus sum. Septimò, Ponam, inquit, diuisionem inter populum meum & tuum. Patiuntur nonnunquam etiam pij cum impijs, verùm in bonum ipsorum: non tamen semper cum ipsis puniētur, sed cum maiores plagæ venerint, id est, æterna dānatio, longè separabuntur ab inuicem. No- uit enim Deus suos è tētatione eripere, & flagellat quidem suos vt pater, non autem perdit. Ideo autem terram, Gessen liberam fecit à muscis, vt Aegyptij viderent, quàm bonus sit Deus Israelitarum his, qui recto sunt corde. Deinde, vt Aegyptij magis ex hoc affli-

gerent.

Amos. 3.

Ishel. 3.

Prou. 3.

psal. 72.

gerentur, & magis ad inuidiam incitarentur. Ceterum, etiam nunc domus Aegyptiorum plenae sunt muscis, id est, insolentibus curis desideriorum. Pij autem carent muscis huiusmodi, quia habentes victum & vestitum, his contenti sunt. Summa, nihil laboriosius, quam terrenis desiderijs aestuare: contra, nihil quietius, quam in seculo nihil appetere. Postremo etiam tempus plagae praefinit: Cras, inquit, faciet Dominus verbum hoc. Tam certo venient, quae Deus comminatur impijs, quasi ipsum tempus & hora praefinita essent, sicut & verè praefinita sunt apud Deum. Denique & breue tempus ponit: Cras, inquit, fiet. Et nobis breue tempus praefinitum est. quare timeamus. Sic igitur etiam nunc Moyses, id est, lex magna vehementia iudicium Dei comminatur, quod si effugere volumus, ad Christum & Euangelium recurrendum est.

Fecit Dominus, ut dixerat: Et venit musca grauißima in domos Pharaonis, & seruatorum eius, & in omnem terram Aegypti.

Non est Deus, ut homo, ut mentiatur, aut mutetur. Quod promittit aut comminatur, infallibiliter implet, nisi in homine viderit mutationem: tunc enim & ipse cum sancto sanctus, & cum peruerso peruersus efficitur, id, quod aperte in Ieremia ostendit: Si, inquit, poenitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego poenitentiam, &c. Ceterum, ubi nos habemus, Venit musca grauißima: Hebraei legunt, Venit commissio grauißima. Vbi videmus mirabilem Dei potentiam, qui solo verbo & nutu congregare potest, & à longo adducere, quibus impij torqueantur, quemadmodum & aliam ad consolationem suorum coturnices trans mare adduxit: Vtrunque enim ex æquo potest, & pios consolari, & impios punire, &c. Hic igitur alium quendam exercitum mittit contra superbum regem. Contempnibilia quidem sunt animalia, sed eò magis superbus affligitur, eoque magis Dei potentia & regis impotentia apparet. Hinc & aliam impijs hoc comminatur: Mittam, inquit in eos crabrones, &c. Et Sapiens: Permi-

Tim. 6.

Num. 27

Psal. 17.

Ier. 18.

Num. 11.

Deut. 7.

Sap. 12.

ANNOTATIONES

fit, inquit, exercitus sui præcessores vespas, &c. Cur autem tam vilibus animalibus regem affligat, supra dictum est. Pulchrè autem hæc plaga conuenit cum peccato Aegyptiorum: sicut enim angustiauerant & flagellauerant Israelitas: sic ipsi à muscis angustiantur & affliguntur. Et sicut Israelitas non vno tantùm labore opprimebant, sed multis: sic non vnum genus muscarum immittit, sed omne genus, vt ex omni parte poena respondeat culpæ. Congruit & hæc plaga transgressoribus quarti præcepti, quo dicitur: Honora patrem tuum & matrem, vt sis longæuus super terram. Sicut igitur muscæ in Aegypto cum magno numero apparent, sed non diu perdurant: sic qui contumeliosi sunt in parètes, velut muscæ breui percunt, quasi gratia patris & creatoris indigni, quemadmodum & de huiusmodi scriptum est: Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Deinde inhonorantibus parentes etiam alias muscas immittit, quæ omnem sanguinem eis exugunt, vt scilicet bona ipsorum temporalia in alienas manus transferantur, iuste sic permitte Deo. Postremò, muscæ eis immittuntur, quia, vt plurimùm etiam eorum filij mali sunt, & ipsos affligunt, sicut ipsi parentibus suis fecerunt. Cæterùm, sicut Aegyptus muscis percutitur, sic mundus est muscis exugentibus sanguinem, id est, temporalia nostra ad se attrahentes. Harum muscarum quædam magnæ sunt, vt tyranni, qui iure grassari videntur in bona subiectorum: Aliæ sunt mediocres, vt vsurarij, &c. Aliæ paruæ, occultè nocentes, vt fures occultè furantes. Denique aded inualuit hoc malum in mundo, vt omnes bona aliorum ad nos quoquo modo trahere conemur. Sic igitur nedum lætitia mundi vana est, corpus nostrum miserum, animus inconstans, sed etiam temporalia mille casibus exposita. Quid igitur tantoperè quærimus, & amamus vitam præsentem? Cur nõ potius eam requiem quærimus, quam Deus suis promissit, etiam bona, quæ nec fures effodiunt, nec tinea demolitur? &c. Postremò, muscæ hæc significant remorsum co-

Exod. 10.

Eccl. 10.

Matt. 6.

sum co-

sum conscientia, quem DEVS peccatori immittit. Vbi hæ muscæ venerint, signum est, quòd nos educere vult ex Aegypto: alioqui quàm diu non sentimus conscientiam, grauius adhuc captiui detinemur, nec spes est liberationis. Gratia igitur Dei est sentire conscientiam.

Ite. & sacrificate Deo vestro in terra hac.

Hic denuò plagis coactus Pharaon se humiliat, & contra suam ipsius volùtatem. Vnde patet, quòd magna fuerit plaga hæc, siue muscæ fuerint, siue diuersa animalia: impij enim non humiliantur, nisi magnum quid acciderit, quod ipsos cogat. Iterum igitur videmus, quàm nihil sit potentia humana. Quid superbis de tua potentia, qui ne muscis resistere potes? Itaque Pharaon iam tandem velit nolit, concedit, vt sacrificet, quod hætenus nunquam facere voluit, quanquam etiam hic planè obediat: addit enim verbo Dei, imò mutat verbum Dei. Deus iusserat in deserto sacrificare, ipse autem vult, vt in Aegypto sacrificent. Non autem est vera obedientia, nisi omni modo ita facias, vt Deus iubet. Hinc Saul arguitur, quòd præceptum Domini non eo modo executus fuerit, vt Deus iusserat. Verùm impij tantù opus ipsum inspiciunt, non ipsam iussionem Dei, ideo pro sua ratione addunt, vel auferunt verbo Dei. Præterea impius ille permittit quidem cultum Dei, sed quatenus non obsit suis commodis: volunt enim tyranni nulla re carere, quicquid sit & fiat de præcepto Deo. Quid autem dicit Moyses?

Non potest sic fieri: Abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro!

Vult Moyses omnia facere, vt Deus iusserat. Bene autem dicit: Non posse fieri, vt Domino seruiant in Aegypto. Quæ enim societas luci ad tenebras? iustitiæ ad iniustitiam? &c. Vnde & Christus: Nemo potest duobus Dominis seruire. Persuadet etiam nunc spiritualis Pharaon, vt simul mundo & Deo seruiamus, verùm pius homo non audit eum. Abominationes autem vocant Hebræi ea, quæ coluntur ab idololâtris. Aegyptij

1. Reg. 15.

1. Cor. 6.
Matt. 6.

autem

ANNOTATIONES

autem colebant Apin in specie tauri, & Iouem in specie arietis. Talia autem animalia erant ab Israelitis immolanda, quod non permisissent Aegyptij. Est igitur sensus verbi: Non possumus hic Deum colere, quocumque modo fecerimus, abominabiles erimus. Si secundum ritum vestrum sacrificauerimus, erimus abominabiles Deo nostro: si autem secundum ritum nostrum, erimus vobis abominabiles. Sic pius homo, si mundo se conformat, abominabilis fit Deo: si autem Deo adheret, abominabilis fit mundo. Omnes enim, qui pie vivere volunt, persecutionem patiuntur.

2. Tim. 3.

SPIRITUALITER.

Abominationes Aegyptiorum sunt virtutes, quas ipsi abominantur: abominabilis enim est superbia humilitas, iniustitia iustitia, auaritia misericordia, inuidia charitas, immunditia castitas, &c. Atqui ea in primis ad cultum Dei pertinent. Fructus enim lucis est in omni bonitate, iustitia, veritate, &c. Deinde, Aegyptij colunt quae verè abominabilia sunt, ut sunt omnia vitia, & maximè superbia. Atqui sacrificaturus Deo, primò omnium debet ipsi sacrificare spiritum humiliatum & cor contritum. Quocumque igitur modo intelligas, verum est, quòd iusti abominationes Aegyptiorum Deo offerunt. Subdit autem Moyses:

Ephes. 5.

Psal. 50.

Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro.

Perstat Moyses in verbo Domini, nec curat regem: omnia enim secundum praescriptum Dei facienda sunt. Exigit autem Deus viam trium dierum, id est, contritionem, confessionem, satisfactionem, vel emendationem: item exigit fidem, spem, & charitatem: item exigit sacrificium cordis, oris, & operis: item exigit principium, medium, & finem vitae nostrae. Hoc fidelis quisque memori mente teneat exemplo Moyse, qui non quid rex, sed quid Deus praecipiat, pensi habet. Cæterum, tantum tridui spacium petit, ut rex inexcusabilior esset, si tam breue tempus negaret: Qui enim parua subire timeret, quomodo aggredietur magna & difficilia? &

qui in

qui in paruis non obedit, in magnis multò minus obediet.

Ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto, veruntamen longius ne abeatis.

Necessitate coactus etiam hoc concedit, quamuis non sit voluntatis eius facere, quæ promittit. Sic impij magna promittendo putant se Deum fallere, cum non nisi seipfos fallant. Nec tamen etiam hoc simpliciter concedit, sed cum addito, ne longius abeant: impius tamē, quia inuitus obedit, detrahit officio, quantum potest. Non igitur est vera obedientia.

Egressus à te orabo Dominum, & recedet musca à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius cras.

Pij semper parati sunt ad orationem, imò etrā pro *Matt. 5.* persecutoribus & inimicis orant. Orant autem libenter pro peccatoribus, compatiuntur enim ipsorum cæcitati & perditioni. Exemplum in Stephano. Non *Act. 7.* autem inter idololatrias, aut in aula orat, propter rationes suprā dictas in plaga ranarum: nec statim orat, vt auferantur muscæ, sed differt in diem crastinum, vt rex interim afflictus, postea magis caueat Dei offensam. Eadem ratione & Maria soror Moyse septem diebus *Num. 12.* leprosa, extra castra manere coacta fuit.

Veruntamen noli vitra fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino.

Necessaria admonitio: recidiuantis enim hominis *Luce 12.* fiunt nouissima peiora prioribus. Nam duplo peccat, quia & peccatum facit, & ingritudinem ostendit erga beneficium acceptum. Vnde & Christus: Noli amplius peccare, ne deterius tibi cōtingat. Et Paulus: voluntariè peccantibus post acceptam gratiam, nō relinquitur hostia, &c. *Ioan. 5.*

Fecit Dominus iuxta verbum Moyse, &c.

Hic denuò Moyse toti Aegypto profuit. Exauditur autem Pharaon pro reuerentia Moyse, quamuis Deus sciret eum non obediturum: conceduntur tamen ei temporalia, vt postea ingritudine sua sit duplo puniendus, & tantò grauiori iudicio sit obruendus, quantum *Hebr. 10.*

ANNOTATIONES

tò maiora diuinæ misericordiæ signa perceperit. Non igitur gaudeant impij, si temporalia eis pro voto contingunt, tantò enim maior erit eorum damnatio. Amota autem plaga, impius iterum induratur, & ad ingenium redit. Quantumcunque enim impij in periculis proponant, promittant, confiteantur, tamen finaliter in malo perseverant.

CAPVT IX.

In hoc capite incipiunt maiores plagæ: sic enim paulatim exasperatur ira Dei, dum subinde eius misericordiã & diuitias bonitatis contempnimus. Ideò Moyses in fine præcedentis capituli regem admonuerat: Noli, inquit, ultra fallere. Q. d. scito enim certò maiora te passurum, si denuò fefelleris: id, quod in hoc capite videmus. Quanquam etiã hinc misericordia superexaltet iudicium in eo, & prius pecora, quàm homines affligit, & quòd prius morbos, quàm mortem infert, vt vel sic terreatur. Per minores enim plagas semper comminatur maiores, quemadmodum & pater carnalis cum filium castigat, semper maiora comminatur, si filius non emendetur. Et quidem si attendamus, inueniemus, quòd Deus nullam vnquam magnam plagam influxit sine præuia admonitione. Sic primo homini prædixit mortem, si comederet de pomò vetito: sic diluuium centum annis prædixit, antequam veniret: sic Loth Sodomitas admonuit, Moyses Aegyptios: sic per Ieremiam & alios prædixit captiuitatem Babylonicam: & per Christum finalem destructionem per Romanos. Cæterùm, quoniam pleraque in hoc capite ponuntur, quæ etiam in superiorib. dicta sunt, vt quòd iterum regem monet, quòd minatur, antequam puniat, quòd non frigidè, sed ponderosis verbis plagam prædicit, quòd tempus determinat, quòd subinde alio modo potentiam suã ostendit. Om.

Rom. 2.

Gen. 2.

Gen. 6.

Luce 16.

dit. Omnia hæc suprâ satis exposita sunt. Similiter & illa, quòd Moyfes spontè se periculo offert, quòd rex non emendatur, imò peior efficitur, &c. quare non opus est singula hîc verba excutere. Tantùm igitur ea attendamus, quæ speciale quiddam in his plagis ostēdunt. Horum primum est, quod dicit:

Quod si adhuc renuis & retines eos, ecce manus mea erit super agros.

Non dicit, Manus Moyfi, aut Aaron, quia ista plaga, sicut & præcedens, facta est à Deo absque ministerio Moyfi aut Aaronis, imò nec virga hîc vititur, sed solo verbo. Per quod monstratur, quòd potentia Dei nullis medijs alligata est: potest enim DEVS agere per media, potest & sine ipsis agere, sicut ipsi placuerit. Ostenditur etiam hîc sapientia Dei, qua plagas illas sic immisit, vt nemo de eis sinistram quid suspicari posset. Si enim per solum Moysem fecisset signa, suspicio fuisset in Aegyptijs, Moysem magica arte hæc facere, ideo pleraque fiunt per Aaron: Si autem omnia per ipsos fecisset, fortassis pro dijs habiti fuissent, sicut Paulo & Barnabæ contigit in ciuitate Lystris, Acto. 14 & cæt. Denique, si omnia per virgam fecisset, suspicari potuisset virtutem aliquam latentem in virga latere, ideo aliqua solo verbo facit. Postremò, si omnia per seipsum sine medijs fecisset, nō tam mirabile fuisset: Omnes enim sciunt Deum omnia posse, sed non omnes credunt, quòd etiam hominibus eam potestatem communicet, item, quòd per creaturas æquè potest sua opera perficere, vt per seipsum. Summa: voluit Deus omnibus modis potentiã suam mundo ostendere, & ita, vt non possit cauillari, quemadmodum & in nouo testamento, omnibus modis misericordiam suam manifestauit.

Et erit pestis valdè gravis super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues.

Hîc videmus, vnde proueniant huiusmodi mala & mortalitates pecorū, nempè à Deo. Præmiserat enim: Ego mittam manum. Vnde propheta: Non est, inquit, Amos 9.

ANNOTATIONES

malum in ciuitate, quod non fecit Dominus. Longè aliter de his rebus loquuntur Philosophi: omnia enim causis naturalibus tribuunt, at Scriptura omnia Deo attribuit. Possunt quidem nonnunquam concurrere causæ naturales, sed tamen Deus omnia operatur in omnibus. Videmus etiam hîc, quòd hæc mala vt plurimum veniunt propter peccata: sicut enim Deus pecora in vsum hominis creauit, sic propter peccata iterum aufert ea. Vnde Ieremias: Propter malitiam habitantium in terra consumptum est animal. Et in Deuteronomio non seruantibus legem etiam pecora maledicuntur. Non tamen semper hoc accidit propter peccatum hominum, vt patet in Iob, qui tantum per hoc probabatur. Tantum igitur malum est peccatum, quod hominẽ priuat omnibus bonis Dei. Meritò igitur monet Sapiens: vt quasi à facie colubri, sic fugiamus peccatum, &c. Ideo & Ieremias clamat: Væ nobis, quia peccauimus.

Et fatiet Dominus mirabile inter possessiones Israel, & possessiones Aegyptiorum.

Hic iterum Deus parcat Israelitis, nimirum, vt ipsi in fide solidarentur, & Aegyptij magis affligerentur. Nihil enim inuidum magis cruciat, quàm prosperitas eius, cui inuidet, iuxta illud: Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, &c. Cæterum, quòd nihil apud Israelitas perijt, etiam nos consolatur: hinc enim videmus, quòd etsi non nihil in hac vita pati cogimur, tamẽ cum maiora illa mala venerint super Aegyptios; id est, impios, illic nos longè ab ipsis separati erimus, nec tanget nos malum, vt in Iob dicitur. Magna autem illa mala erunt, cum venerit perpetuus ille vermis conscientiae, qui nunquam moritur: item, cum venerit æterna mors, & terribilis illa grando diuini iudicij. Ab hac auditione mala iustus non timebit. Non igitur est, quòd conqueramur de his, quæ hîc patimur: sed est, vnde gratias agamus, quod scilicet, in paruis nos punit Deus, vt in magnis parcat. In modico, inquit, dereliqui te, & in miserationibus magnis colligam te.

MORA-

Ier. 12.

Deut. 28.

Iob 1.

Ecc. 21.

Thren. 5.

Psal. 111.

Iob 5.

Psal. 111.

Is. 54.

MORALITER.

Nedum Aegyptij, sed etiam eorum animalia moriuntur, quia impij & corpore & anima periunt: Israelitis autem etiam animalia remanent, quia pijs nedum in anima uiuent, sed etiam in corpore glorificabuntur.

Et misit Pharaon ad videndum, nec erat quicquam mortuum de his, quae possidebat Israel.

Hoc ideo commemorat Moyses, ut videamus quanta fuerit obstinatio hominis illius; qui manifestè vidēs Dei opus esse, item Deo obedientibus benè esse, inobedientibus autè malè: tamen in sua inobedientia perseverauit. Deinde, ut videamus, quae fuerit causa indurationis eius, nempe inuidia ex prosperitate Israelitarum, hoc enim modo Deus eū indurasse dicitur, quia nō cessauit Israelitis benè facere, q̄ in rege auxit inuidiam contra Deū & populum. Nūquid autè Deus ideo cessaret pijs benefacere, quòd impij inde in inuidiam cadunt? Non igitur culpa eius est, qui benè facit; sed eius, qui inuidet: Concordat autè hāc plaga cum peccato Aegyptiorū: sicut enim pecora Israelitarum afflixerant (nec enim id dubium est, quomodo enim parcerent pecoribus, qui homines tā inmaniter tractabant?) sic nūc & ipsi affliguntur in pecoribus. Deinde, concordat hāc plaga cū quinto praecepto, Nō occides, Bestiarum est lacerare, occidere, rapere, &c. non hominis. Ideo enim homo etiam specie & figura differt à bestijs, ideo etiā rationem & verbum Dei accepit, ut bestijs dissimilis sit. Quia autè pleriq; bestijs similiores sunt, quā hominibus, non attendunt naturam, nō rationem, nō praeceptum Dei, sed in quoscunq; possunt, grassantur more bestiarū, ideo & pereūt, sicut bestiae in Aegypto, contingitq; quod Paulus ait: Si morderis inuicē & comeditis, videte ne inuicē consummini. Hāc etiam plaga aliud malum in mundo significauit, nempe quòd pecora pereunt, id est, homines bestialiter uiuentes, tam miserè periunt in corpore & anima. Quis hāc patienter videre potest, ut non exclamet?

Exod. 10.

Gal. 6.

Mich. 2. met' Vē mihi, vt quid natus sum videre contritionē po-
Thren. 1. puli mei, &c. Hoc malū plorabat Ieremias in Threnis.

Spiritualiter etiam Deus cū educere nos vult ē peccatis, pecora nostra occidit, id est, bestiales motus & desideria ad superbiam, auaritiam, &c. Quam diu enim hęc pecora viuunt in nobis, grauiter adhuc captiui sumus: cū autem mori cœperint, hoc est, cū superbus incipit humiliari, &c. tunc signum est, quòd Deus nos educere vult.

*Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum
 Moyses in cælum coram Pharaone.*

Hęc est sexta plaga, iterum maior prioribus: iam enim vsque ad corpora ipsorum ira Dei peruenit. Sic enim lento gradu diuina procedit ira, donec ad extrema perueniat. Contigit autem hęc plaga in vel ex elemento ignis: voluit enim Deus etiā huius elementi se Dominū ostēdere. Nullam autē hīc prēmittit prēmitionē, quia impius viderat Dei iram in Aegyptios, & bonitatem in Hebręos, & tamen induratus permansit. Omni enim excusatione nunc carebat, quemadmodū & Christus de Iudæis ait: Nunc autem excusationem non habent, quia viderunt & oderunt me, & patrem meum. Mira autem Dei potētia, quòd ex cinere pustulas fecit, imò ex vno pugillo cineris totum Aegyptum pustulis impleuit. Videmus quàm facilē possit omnia in perniciem nostram conuertere, etiam vbi nihil minus timemus. Iubet autem Moysen cinerem spargere, tum quia conueniebat, vt per ipsum maiores plagę fierent, qui Deus Pharaonis cōstitutus erat, tum quia cinis versus cælum spargendus erat. Moyses autem positus erat in his, quæ ad Deum & superiora pertinent, Aaron autem in his, quæ ad populum & inferiora pertinent: ideo Moyses versus cælū spargit, Aaron terram & puluerem percutit. Cæterum, etiā hīc iumenta propter peccata hominum puniuntur, vt nihil remaneat in Aegypto impunitum. Sic enim adhuc omnes creature patiuntur propter hominem, coguntur enim seruire impijs, & propter ipsorum peccata sæpe affliguntur.

Ioan. 15.

Supra 37.

Supra 54.

tur, & tamē propter pios hęc permittit Deus: Omnis, Rom. 8.
inquit, creatura ingemiscit, &c. tandem autem libera-
bitur à seruitute corruptionis, &c.

*Nec poterant malefici stare coram Moysē propter vlcera, quæ
in illis erant, & in omni terra Aegypti.*

Hic videmus, quòd vsq; huc non cessauerunt Moy-
si resistere, & tamen iā bis confusi erāt: primò cū virga
Aaron deuorauit virgas eorum: secundò, cū non po-
tuerunt facere cyniphes. Quia igitur non cessant, ideo
hic inueniunt pœnam. Itaque iam tertio ita vincun-
tur, vt non possent respirare spe vilius victoriæ: Vlce-
rosi quippè etiam ipsi nec iam stare poterant coram
Moysē, vnde deinceps nulla sit de eis mētio amplius,
Perijt enim memoria eorum cum sonitu. De simili *psal. 9.*
confusione certi sunt, quicumque veritati resistunt:
Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus. Sic *2. Tim. 2.*
contigit Arrio, &c. Sic continget antichristo. Iterum *2. Thef. 2.*
autem induratur Pharaō, videt eos, qui eum seduce-
bant, miseros & confusos, & pustulis plenos, nec tamē
eos auersatur. Idem multis principibus hoc tempore
contingit, &c. Sed & ipsi excæcati sunt. Concordat
plaga hæc cū peccato Aegyptiorum: sicut enim Israe- *Exod. 20.*
litas afflixerant per coctionē laterū in fornace, sic nūc
ipsi ex cinere fornacis percutiūtur vlcerib. Concordat
etiam cū transgressione quinti præcepti, vbi dicitur:
Nō adulterabis, quo verbo adulterium quidem solum
modò nominatur, verūm omnis fornicatio phibetur,
& præcipitur castitas omnib. Hęc enim hominē decet,
ideo enim habet rationem, qua motus & cupiditates
malas refrenet. Maximè autē castitas decet Christia-
nos, vnde Paul. multis verbis eā persuadet: Nescitis,
inquit, quòd corpora vestra membra sunt Christi, &
templum spiritus sancti? Et iterum: Qui fornicatur *1. Cor. 6.*
in corpus suum peccat, &c. Quia igitur per luxu-
riam nos ipsos & corpora nostra dehonestamus, mit-
tit Deus varios morbos in pœnam, vt sicut intus per
malas cogitationes immundi sumus, sic foris per
morbos deformes red damur: & sicut vult intus ignem

ANNOTATIONES

concupiscentiæ fouemus, sic foris vsionē doloris sentiamus: & sicut intus per libidinem diffluimus, sic foris per saniē diffuamus: & sicut quotidie nouos libidinis explendæ modos excogitamus, sic foris quotidie nouos morbos experiamur. Iustus Dominus. Et hoc denique non minimum mundi malum est, quod scilicet tam miseri sumus in corpore & anima. Quem non tædeat huius vitæ, quemadmodum Iob dixit. Cæterum spiritualiter Deus hoc signum facit, cum hominem educere vult ex Aegypto, tunc enim mittit morbos & infirmitates, id est, affligit hominem. Quamdiu enim nihil mali sentimus, in peccatis manemus. Sic non cessauit Saulus persequi ecclesiam, donec à Domino prosterneretur & excæcetur: nec Manasses, donec in Babylonem captiuus duceretur. Cum igitur Deus afflictiones corporis immittit, signum est, quod educere vult è peccatis. Mala enim, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Videtur quidem quod sit signum iræ, sed verè est signum misericordiæ.

Act. 9.

2. Para. 33.

Manè consurge, & sta coram Pharaone.

Hic incipit septima plaga, quæ iterum est maior & terribilior, quam priores: Primò enim quæ è cælo inferuntur, magister terrent, quàm ea, quæ in terra nobis contingunt. Deinde non vnum tantum elementum, sed tria in hac plaga concurrunt, aqua scilicet, ignis, & aer, velit ventus, quasi iam omnes creaturas in impios armare vellet Deus. Quid autè sibi vult, quod Moyse toties præcipit, vt manè cõsurgat, & coram rege consistat, supra dictum est, nempe quod hæc duo ad principes pertinent, vt scilicet manè euigilent & surgant, & vt tyrannis resistent. Maximè tamen hoc Ecclesiæ pastoribus præcipitur, vt non dormiant, & contra diabolū se ponant. Imò etiam nobis omnibus hoc præcipitur, vt vigilemus & diabolo resistamus.

Mar. 13.

Jacob. 4.

In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, &c.

Admodum terribiliter Deus hanc plagam denunciat, vt magis terreat: Nō vnam, inquit, tantum, vt hætenus,

Et nus, plagam mittam, sed omnes simul. Si vnaquælibet te concussit, quid facient omnes simul? Nec tantum super corpus tuum mittam, vt hætenus, sed super cor tuum, id est, nõ tantum senties in corpore, sed etiam in corde: nec tantum te affliget externum malum, sed multo magis terror cordis. Apud Deum enim est po-
 testas & terror. Vnde & alibi: Foris vastabit eos gladius, & intus pavor. Et iterum: Pauorem dabo in corda eorum: Terrebit eos sonitus folij volantis, &c. Hoc sentiebat Iob, qui dicebat: Terrores, inquit, Domini militat contra me. Et Dauid: In me trasierunt irę tuę, & terrores tui conturbauerunt me. Huiusmodi perpetui terrores non erunt minima poena damnatorum.

Nunc enim extendens manum meam percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terra.

Hoc iterum emphasim habet: Nihil, inquit, est, quod hætenus passus es, nunc primum extendam manum meam. Verè enim quę hęc patimur, nihil sunt ad ea mala, quę restant in futuro. Denique finalem ei interitum hic prædicit: Peribis, inquit, de terra. Vide, quod Deus impijs nihil nisi mala & terribilia loquitur, non enim melioribus digni sunt: non facit sicut nostri, qui etiam impijs dicunt, Pax, pax, cum non sit pax. Vide etiam, quomodo Deus loquatur regi. Non plus enim valet coram Deo rex, quam quilibet alius homo. Signanter autem addit, Vt scias, quod non sit mei similis, &c. Omnia enim ideo facit Deus, vt cognoscamus eum quod ipse solus Deus nec similem habeat. Hinc in propheta dicit: Non propter vos hæc faciam, sed propter me ipsum & nomen meum.

Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.

Hoc verbum allegat Paulus ad Romanos: Est autem verbum, quo facile offenditur carnalis homo. Videtur enim hoc velle, quod Deus Pharaonem malum fecerit, & ita creauerit, vt bonus fieri non posset, tantum vt fortitudinem suam in ipso ostendere posset. Hoc audiens carnalis, statim infert: Quid adhuc queritur,

ANNOTATIONES

Ibidem.

voluntati eius quis resistit? sed Paulus arguit huiusmodi homines: O homo, inquit, quis tu es, ut respondeas Deo? Nam etiamsi Deus hominem malum faceret, tuum tamen non est tam temerè de iudicijs Dei loqui. Non hoc vult verbum hoc, quòd Pharaò ideo malus factus sit, & bonus fieri non potuerit, ut Deus ostenderet potentiam suam in ipso. Non opus habet Deus malitia nostra ad ostensionem fortitudinis suæ, quia per multas vias potest fortitudinem suam ostendere. Sed hoc vult, quòd quia Pharaò iam malus erat suapte voluntate, iamque esset vas aptum ad interitum, merueratque mortem: tamen Deus ex patientia sua eum sustinuit, ac diutius viuere permisit, imò etiam in regnum exaltauit, ut potentiam suam in ipso ostenderet, quando se ipsum indignum fecerat, ut in ipso ostenderet Deus suam misericordiam. Hoc igitur verbo curiositati nostræ respondet Deus, qua semper quærimus, cur Deus malos viuere permittat? cur ipsos in mundo exaltet? cur mala fieri permittat? Ideo, inquit, hoc facio, ut ostendam fortitudinem meam, &c. Ideo mala permitto, ut ostendam me etiã ex malis bona elicere posse, adeò potēs & bonus sum. Sicut ex malitia regis huius hoc bonum elicuit ut iam totus mundus dicat, *Quis similis tui Domine?* &c.

Exod. 15.

Luc. 2.

Item: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Ideo impios exalto, ut ex eorum deiectione clarior appareat potentia mea. Cæterùm, hoc verbum meritò terrere debet potentes huius mundi: non enim semper gratiæ est, si quis super alios exaltatur, sed plerumque iræ diuinæ est. O igitur reges intelligite, seruite Domino in timore, &c.

A sal. 2.

Adhuc retines populum meum?

Miratur Deus duritiam regis, hoc est, dignam admiratione ostendit: verè enim mirū est, hominē post tot admonitiones & plagas adhuc rebellem esse. Simile quiddā & in Isaia legimus: Super quo, inquit, percussam vos ultra addentes preuaricationi, &c. Et in Amos: percussam vos vento vrente, &c. & non redijstis ad me, dicit

Isa. 2.

Amos. 4.

Domi-

Dominus, Non, inquit, vis dimittere populum, Q. D. sed statim cogere hoc facere. Idem contingit nobis. Oportet ut subijciamur Deo aut spontè, aut coacti. *Ioan. 7.* quanto melius esset spontè obedire.

Ecce pluam cras hac ipsa hora grandinem.

Tempus, & horam, & diè determinat, ut videamus Deum omnia præscire, antequam fiant: item ut videamus Deum tam potentem esse, ut eius potentia nec in minimo possit impediri. Obserua quòd sicut superiores plagas Deo ascripsit, sic & grandinè: Ego, inquit, pluam. Quamuis enim nonnuquam diabolus similia faciat permissu Domini, ut patet in Iob: tamen omnia Deo ascribenda. Hinc enim discemus patienter ferre, discemus Deum timere, vitam emendare.

Nunc ergo mitte, & congrega seruos.

Mira Dei bonitas: Eo ipso, quod minatur ac iratum se ostendit, & docet quo medio pœnam effugere possit. Sic semper sibi occurrunt & obuiant misericordia & veritas, iustitia & pax. Sic Deus etiã cum irascitur, misericordiè recordatur. Idè circa nos facit. Minatur mirum in modũ per Moysen in lege, videtur nihil, nisi ira & iudiciũ, nulla autè misericordia sperãda ab ipso: interim tamen alia manu ostendit nobis Christũ, per quem effugere possumus. Et sicut Deus minatur regi, vult tamè & agit, ut pauci reperiantur in agris, quos plaga cõtingat: ita & nunc Deus premitit misericordiam, ut nulli vel pauci sint, quos iustitia contingat. *Psal. 54. Abac. 3.*

Qui timuit verbum Dei de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos.

Fuerũt etiam inter Aegyptios, qui Deũ timuerunt, quamuis ut plurimũ fuit seruilis timor. Nec verisimile est, quòd omnibus placuerit malitia regis, aulicorũ tamen more conuiuent & tacent. Videmus igitur, quòd timor Domini à malis præseruat: Contrã, qui Deum non timent, & intus & foris miseri sunt. Maledicti enim sunt in domo & agro, ut alibi dicitur. *Deut. 28.* Ceterũ qui timet Deum, animal suum, id est, corpus non sinat in campo, id est, in cupiditatibus suis, sed frange

ANNOTATIONES

disciplinæ reducat, alioqui peribit. Qui amat animam suâ, perdet eam. Et si secundum carnem vixeritis, moriemini, ait Paul. Sic qui timet Deum, seruos suos, id est, familiã sibi commissam non sinat in campo lasciuie. Veniet enim grando, & certò veniet, & cras, id est, statim veniet, id est, ira & iudiciũ Dei, & quoscunq; in campo inuenerit, perdet. Quilibet igitur suos introducat in domum Ecclesiæ, illic securi erunt: habet enim ea domus firmum fundamentũ cõtrà inundationes. Christus enim est lapis fundamenti. habet etiam hæc domus firmum tectum contra impetum grandinis: Nam idẽ Christus, qui est lapis fundamenti, est etiam lapis angularis. Vtrinque enim nos defendit, & desuper ab ira Dei, & deorsum à malis mundi.

*Extende manum tuam in cælum, vt fiat grando
in vniuersa terra Aegypti.*

Iterum iubetur Moyses manum extẽdere, quia versus cælum agendum erat. Ipse aut̃ positus erat in his, quæ ad Deum pertinebant. Poterat autem Deus sine Moysè & virga grandinem facere, sed his medijs vtitur, vt rex sciat grandinem hanc nõ naturaliter venisse, sed ex ira Dei: item, vt videat, quanta sit potentia priorum hominũ. Videbatur sibi rex potens esse, sed adueniente Moysè videt suã potentiã nihil esse. Qui Dei fortitudinẽ habet, is magna efficere potest erga Deũ, erga homines, cõtrà diabolũ, contra omnia mala. Hac fortitudine nobis opus erit, si terram promissam attingere cupimus. Ea autem à solo Deo quærenda est per Christũ: Confidite, inquit, ego vici mundũ. Vnde Paulus: Omnia, inquit, possum in eo, qui me confortat.

*Et dedit Dominus tonitrua & grandinem, & discur-
rentia fulgura super terram.*

Hæc est septima plaga, maior & terribilior, quàm præcedentes, non ob id tantum, quod è cælo venit, & quod terra elementa hinc concurrunt: verum etiam ob id, quod aliquos homines occidit, quod nulla priorũ plagarum fecerat. Quanquam etiam hinc misericordiã Dei cernimus, qui paucos occidit grandine, vt multi admo-

Ioan. 12.
Rom. 8.

1. Pet. 2.

Matt. 21.

Ioan. 16.

Phil. 4.

admonerentur. Idem nobis facit: Diligenter autem Moyses & multis verbis hanc plagam describit, ostēdere volens, eam summè terribilem fuisse. Neque id sine causa. Nam per hanc grandinem Deus ostendere voluit, quòd non sit ei similis in terra, vt supra dictum est. Deinde hæc grando speciali quodam modo signabat æternam damnationem impiorum. Vnde David: *Psal. 10.* Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarū, &c. Imò fermè vbiq̃ iudicium Dei per tempestatē nobis adumbratur, vt cūm dicitur: *In circuitu eius tēpestas va. Psal. 49.* lida, &c. Item: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflam. Psal. 96.* mabit in circuitu inimicos eius. Et *Esaias. Visitabitur Esai. 29.* terra à Domino in magna turbine & tempestate, &c. Ob hanc igitur causam Moyses tam diligenter describit hanc grandinem: Primò, Dominus, inquit, dedit tonitrua. Non enim in silentio, sed cum magno sonitu & impetu veniet iudicium. Hinc angelus lapidem molarem proijciēs in mare: *Hoc, inquit, impetu mit. Apo. 18.* tetur Babylon. Secundò, grando & ignis simul mista ferebantur. Nō vna tantūm plaga peribunt impij, sed omnia simul mala in eos irruent. Tertiò, percussit, inquit, grando omnia, quæ in agris erant. Quicunque enim extra Ecclesiam inuenientur, peribunt in iudicio. Quartò, Non fuit talis grādo, &c. Verè enim nulla poena huius mundi comparari potest futurę impiorum perditioni. Quintò, in sola terra Gessen non erat grādo. Solis electis iudiciū Dei non erit terribile: Dominus enim erit eis vmbra à turbine & pluuia. *Isa. 4.* Sic igitur De⁹ per Moysen nos terret, vt ad Christum confugiamus. Concordat autem hæc plaga grandinis cum peccato Aegyptiorū. Sicut enim filios Israel vltra laborē laterum etiam coegerant circuire, & paleas quærere: sic nunc ipsorum agri percutiuntur grādine. Concordat etiam plaga hæc cum transgressione septimi mandati, vbi dicitur: Non furtum facies: quo verbo prohibetur, ne aliorum bona diripiamus, ne alios defraudemus, ne alios damnificemus, ne aliorum bona detineamus: Omnia enim hæc in furto includūtur: *Quia*

ANNOTATIONES.

ur: Quia aut̄ præceptum hoc non seruamus, sed omnibus modis aliorum bonis insidiamur: mittit Deus grandinem super terrenascentia: Et iustè quidem sua nobis aufert, quando quidem nos aliorum bona auferimus. Deinde grandinē mittit in bona iniustè acquisita, vt rarò ad tertium hæredem perueniant, sed disparent, id, quod videmus. Præterea grandinē mittit in cor & conscientiã, vt cum proximo tēporale dānum inferim⁹, ipsi intus maiora damna patiamur: Nunquã enim est iniustum lucrum cum iusto damno. Aufers alteri pecuniã, perdis fidem, &c. Significat hæc plaga etiam aliud quoddam malum in mundo, quod nobis tædium huius vitæ afferre posset. Nempè nunquã sine grandine est mundus & hæc vita. Semper enim vnum malum sequitur aliud. Lege Chronicas ab exordio mundi, videbis, quanta mala in mundo fuerint. Quid igitur hîc quærimus? &c. Postremò, plagã hanc grandinis mittit Deus ei, quem educere vult è peccatis, cum timorē iudicij sui incutit homini, quamdiu enim hæc grando non venit, id est, quamdiu iudicium Dei non nos terret, non eximus è peccatis.

Peccaui etiam nunc, Dominus iustus: & ego & populus meus impij.

Hîc iam tertio humiliatur rex, ac Moysen rogare cogitur, quem libentius occidisset, nisi Deus manum ipsius continuisset. Vide autem, quãta sit duritia cordis humani, quã inuitè ad confessionem os aperiat. Tot iam plagis percussus fuerat rex, & vix tandè hîc aperit os ad confessionem. Nec id sua sponte, sed plagis compulsus. Ita enim & his fiet, qui sua sponte confiteri nolunt. Quamuis impius ille etiam hîc non ex animo confiteatur, non enim timebat Deum, sed poenam. Imò in ipsa confessione peccat, cum non simpliciter dicit: Peccaui, sicut Dauid: Sed addit, Hac vice, vel nunc peccaui (sic enim legunt Hebræi) quasi hoc solum peccatum fecerit. & hætenus nihil peccauerit. Sic impij nunquã perfectè confitentur, sed tantum ea agnoscant peccata, in quibus apertè deprehenduntur.

Pulchrè

Pulchrè autem verba veræ pœnitentiæ exprimit, cùm ait: Dominus iustus, &c. Deo enim iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ debetur. Verùm nihil ex animo facit. Hypocrisis enim ore quidem fatetur Deum iustum, sed non credit corde.

*Orate Dominum, ut desinam tonitrua Dei & grando, ut dimit-
tam vos, nequaquam hæc ultra maneatis.*

Quia semel atque iterum emendationem promittendo pœnam euaserat, iterum promittit, putans se Deum fallere posse, cùm non nisi seipsum fallat. Sic enim audacia & hypocrisis cùm erumpere non audet, fugit in latibula, omnia pollicetur, donec quod timet, transeat. hæc est Iudæ pœnitentia & Simonis magi. Cæterum, Pharaeo hinc plus promittit, quàm supra, tunc enim concedebat quidem, ut in desertum irent, sed ne longius irent: hic autem sic eos dimittere pollicetur, ut non amplius manere debeant in Aegypto. Nihil tã arduum est, quod impius non promittat in periculo positus. Extra periculum autem positi, etiam minima detrectamus.

Cùm egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit.

Iterum promptus est ad orandum, & quamuis bis sefellisset rex, iterum tamen benè sperat Moyses. Sic enim charitas omnia sperat, & de nullo desperat, quantumuis malo, quàm diu in hac vita est. Cur autem inter Aegyptios non oret Moyses, iam supra dictum est. Nec simpliciter promittit se oraturum, sed palmas extendendum, id est, non tepidè, sed feruenter oraturum, ut videat rex eum non lætari in afflictionibus Aegyptiorum. Prætereà, fiducialiter promittit grandinè cessaturam: certus enim erat de exauditione, cùm dixisset, constitui te Deum Pharaonis. In fine autem addit, Ut scias, quòd Domini est terra. Suprà dixerat: Ut scias, quòd ego Dominus: item, Quòd ego in medio terræ: item, Quòd non sit mei similis: hic autem maius quiddam dicit, Ut scias, quòd Domini est terra. Nō tua, inquit, est.

ANNOTATIONES

sed Domini. Cæterùm, quòd Moyses extra ciuitatē & expansis manibus orat cōtra grandinem, figura fuit passionis Christi, qui extra ciuitatem passus est, & manus in cruce extendit, vt cessaret grando diuinæ iræ super humanum genus. In fine autem addit Moyses: Noui, quòd non times Deum, id est, quòd non verum timorem habeas, sed tantùm seruilem. hoc itaque monet eum, ne vltèrius fallat.

Videns autem Pharaò, quòd cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum.

Moyses quod promiserat, exequitur, sed non Pharaò, imò auxit peccatum suum, &c. Nō igitur mirum, quòd Deus ideo eum posuisse dicitur, vt in ipso ostenderet fortitudinem suam. Quia enim omnibus modis gratiæ Dei resistebat, Deus ipso vsus est ad ostensionē fortitudinis suæ, vt alij terrentur. Quemadmodum iudex subditū habens incorrigibilem dicit, quia nihil proficio verbis, agè ita te puniam, vt omnes ex hoc terreantur.

CAPVT X.



In hoc capite pergit Deus in iudicijs suis super Aegyptios, donec eos conterat. Nec mirum: nam & illi pergebant peccare, quandoquidem Pharaò post tam horribilem plagam, nedum non gratus est de sua euasione, sed insuper peccatum auxit. Non enim piget Deum mala infligere, quàm diu nos peccatorum nostrorum non poenitet.

Ingredere ad Pharaonem: Ego enim induravi cor eius, & seruorum illius.

Qui Moyssi officium habet, nunquam ociari debet. Semper enim habet, quod agat, tantùm videat, vt manè surgat. Vide autem, quomodo Deus loquatur. Iubet eum ingredi ad regem, & statim addit: Ego induravi cor eius. Hic igitur dicere potuisset Moyses: Si indurasti

durasti eum, quid ergo me iubes ingredi ad eum? Frustrà enim est, quicquid fecero. Verùm sic agit Deus, q̄ etiam obstinatos admonet, si non ad emendationem, certè in testimonium illis. Sic Isaias prædicare iubetur, & simul excæcare. Sic Christus quamuis sciret Iudæos non conuertendos, tamen non cessauit ipsos admonere in testimonium illis. Vnde: Si non venissem, peccatum non haberent, &c. Ob eandem causam etiã Ieprosos mundatos ad sacerdotes mittit, in testimonium scilicet illis. Indurationem autem regis Moyse prædicat, ne miretur tantam hominis obstinationem: Item, ne Moyses impatienter ferat tantam in negotio redemptionis moram. Cæterùm, indurasse dicitur Deus, non quòd molle cor in durum conuerterit, sed quòd cor suapte voluntate induratum reliquerit, nec gratia sua mollire voluerit, sicque inuitum & renitentem cogere. Nulli enim inuito gratiam suam infundit Deus. Non igitur est, quòd culpam Deo ascribamus, aut quòd curiosè de his rebus disputemus, sed est, quod timeamus, ne sæpius renitendo diuinæ voluntati tãdem à Deo relinquamur indigni, quos gratia sua emolliat.

Isa. 6.

Ioan. 15.

Matt. 8.

Narresque in auribus filij tui, nepotum tuorum, quoties contriuerim Aegyptios.

Filij & nepotes totam posteritatē significant. Vult Deus filijs nostris sua iudicia inculcari, vt in iuuentute in timore Dei educentur. Vt sciât, inquit, quòd ego Dominus. Hoc igitur est, quòd suprã dixi, nempè, quòd non propter Pharaonem tantùm hæc facta sunt, sed vt omnes posterì hinc timorem Dei discerent. Pessimè igitur faciunt, qui filios suos in pueritia negligunt, nec in timore Dei educant: nisi enim in pueritia timor Dei cordibus hominum imprimatur, ad omnia mala prolabantur. Hæc non temerè moneo, quia vñ deo iuuentutem hoc tempore miserè negligi in magnam perniciem Ecclesię, & in nostram ipsorum damnationem.

1. Reg. 1.

Vsquequo non vis subijci mihi?

Qui

ANNOTATIONES

Qui ea attendit, quæ hætenus dicta sunt, mirabitur, quòd Deus adhuc tot verba prodigit cum obstinato: nos enim, quæ semel atq; iterum frustra admonimus, ne verbo quid è amplius dignamur, sed statim aut relinquitur, aut ad pœnam rapimus. Deus autem longè melior nobis: is enim quãuis regem toties frustra monuisset, nondum tamen cessat, imò nunc primū quasi cum ipso disceptat, & causam quærit, cur nõ velit subijci. Idem facit in Isaia: Quid, inquit, amplius debui facere & non feci? & in Ieremia: Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quòd me reliquerunt. Verè magna Dei bonitas, quæ tamen profundio nos damnabit, si eam contempserimus.

*Si autem recusaueris, ecce ego inducam cras locustam
in fines tuos.*

Mirum, quòd Moytes filijs Israel in primo statim aduentu suo tam lætum attulit nuncium: huic autè regi hætenus toties locutus est, nec tamen quicquã ad huc læti annūciauit, sed omnia tristia & terribilia. Verùm hæc est natura Moyti & legis, quòd dura tristia & terribilia nunciat. Deinde, non dignus erat rex Evangelio, id est, læto nuncio, propterea, quòd pertinaciter peccabat. Solis enim illis prædicari debet Evangelium, qui afflictis & humiliatis suspirant ad gratiam. Plerisq; autè nunc prædicatur Evangelium, quibus iustius prædicaretur id, quod Pharaoni prædicatum fuit. Scit Moytes, quibus legem, quibus Evangelium prædicari debeat. Falsi autè prophetæ omnibus annunciant Evangelium citra delectum, multisq; dicunt, Pax, pax, quibus non est pax. Quemadmodum autem supra, sic & hîc quàm potest vehementissimè plagam hæc denūciat. Primò, Cras, inquit, inducam. breue tempus impijs præfigitur. Secundò, Operiet, inquit, terram, præ multitudinem scilicet. Tertio, Comedet, quod residuum fuerit: quod verbum minatur his, qui propter abundantiam non terrentur grandine & pruina, imò gaudent sperantes sua se carius vendere posse. Verùm hîc audent, quòd alias adhuc plagas Deus habet, quibus consumere

Isa. 5.
Ier. 2.

Sup. c. 4.

Isa. 61.

Luc. 4.

Ier. 6.

consumere potest, quæ grandini superfuerunt. Ideo subditur: Implebunt domos tuas, &c.

Auertitque se, & egressus est à Pharaone.

Auertit se, quia videbat signa obstinationis in rege. Egressus est, quasi molestum sibi esset cum tam impio rege: nec diutius cum eo permanere voluit, sed explere, quod Dominus mandauerat, statim egreditur. Hoc autem signum erat, quòd paulò post Deus ab admonendo impio cessaturus esset, id, quod meritò terere debuisset impium. Verùm mundus nō curat discessum Moyfi & prædicatorum, imò mallet nullos unquam esse aut fuisse. Verè tamē maximum mundi malum est, vbi Moyfes discedit. Amen dico vobis, inquit Matt. 10. Christus, Sodomis remissius erit in die iudicij.

Vsquequo patiemur hoc scandalum?

Hic tandem vel malis edocti euigilant serui & cōsiliarij regis. Hastenus enim dissimulârant vel adulatione (qui mos aulicorum est) aut timore: Nunc autē cū maior timor instaret, sumpta audacia regem increpant. Videbant tot plagas. Videbant populum eas plagas plus sentire, quàm regem. Videbant subinde terribiores plagas venire. Denique timebant finalē perditionem. Admodum autem efficacibus verbis regem aggrediuntur: Primò, Vsquequo, inquit, patiemur hoc scandalū? Q. d. Vsquequo hæc faba in dorso nostro procuditur, vt rex peccet quidē, serui autē & populus luant? Si tu non sentis has plagas, at nos plus satis sentimus, &c. Vtinam essent, qui hæc auribus principum inculcarent. Secundò, Dimitte, inquit homines, &c. Q. d. Nihil iniquum postulant, nec à seipsis hoc inceperunt, sed Domino iubente, cui tutum non est repugnare: ipsi enim virtutem eius sensimus. Dimittāt & nostri principes populū immolare Domino Deo suo. Tertiò, Nō vides, q̄ perierit Aegyptus? hoc verbo maximè eum pungunt. In alto, inquit, positus es, vt longè lateque circumspicere possis, sed cæcus es, nō vides mala subditorū, tibi tamen consulis, &c. Vtinā nulli tales essent Pharaones inter nos. Verùm heu
plurimā

ANNOTATIONES

plurimi sunt, qui sua pertinacia & insania & populū,
& regiones perdunt, nec tamen vident. Non fuerunt
stulti consiliarij, qui hæc regi inculcârunt: sunt enim
omnibus rectoribus scitu necessaria.

Ite, sacrificate Domino Deo vestro.

Vide, quantum efficere possent in aulis principum
boni consiliarij. Qui hætenus temerè omnia agebat,
nunc admonitus aliter agit, & lenius moderatiusque.
Nullus enim tam malus princeps, qui non aliquando
saltē benè agat, si bonos habuerit consiliarios. Sic im-
pius erat Saul, tamen Samuele vtens consiliario mul-
ta fecit, quæ aliàs non fecisset: contrà, nullus tam bo-
nus princeps, qui non seducatur, si malos habeat con-
siliarios. Exemplo sit Ioas, qui cum Ioiada viueret, pi-
us erat: post mortem autem eius, à cōsiliarijs suis persua-
sus in idololatriam cecidit. Nulla maior pestis, quàm
mali consiliarij, & contrà. Cæterùm, prima facie vide-
tur rex omninò consentire: Ite, inquit, &c. sed statim
non nihil decerpit huic sententiæ: Qui nam, inquit,
sunt, qui ibunt, quasi nondum audierit, quòd omnem
populum vocauerit Deus, aut quasi dissimulās quòd
suprà promiserat se eos dimissurum. Sic impij semper
verbo Dei detrahunt.

Cum paruulis nostris, & senioribus ibimus.

Exemplum boni ducis, qui omnem suum populum
educere cupit è seruitute, non aliquos fraudans, quòd
in alios transfundat, sed omnes ex æquo diligit. Dein-
de nullum relinquere vult in Aegypto. Præterea etiam
pueros ad solennitatē Dei adducit. Quæ omnia in ex-
emplum nostri scripta sunt, &c. Docemur autem hic
etiam paruulos pertinere ad Ecclesiā contra Ana-
baptistas: Iuuenes, inquit, & virgines, senes cū iunio-
ribus laudent nomen Domini. Docemur itē, festa Dei
cum omni frequentia celebrare.

*Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, &
paruulos vestros: cui dubium est, quòd
pessimè cogitetis?*

Iterū insanire incipit impius, ac primò irridet eos,
q. d.

1. Reg.

2. Par. 24.

Psal. 148.

q. d. Sic sit Dominus vobiscum, sicut ego vos relicturus sum. Vel est sermo proteruiētis contra Deum q. d. sit sanè sic, quòd Dominus sit vobiscum, quòd Deum habeatis, qui vos curat, quid mea autem: Num ideo vos è seruitio meo dimittam? Quid mihi de Deo vestro? Idem fermè sermo, quemadmodum & superius Exod. 9. dixit, Nescio Dominum, & Israel non dimitto. Sic gloriatur securis contra eum, qui in ea secat: sic eleuatur Isa. 10. testa contra figulum suum. Deinde, iterum verbo Dei detrahit, dum tantùm viros dimittere vult. Præterea, etiam hoc tyrannidis species est, quòd nec consiliarios suos audit: Exuerat enim omnem pudorem & reuerentiam ergo Deum & homines. Postremò, Moysen etiã contumeliose eicit, id quod maximum peccatum est. Vnde statim subditur:

Extende manum tuam super terram Aegypti ad locustam, ut ascendat super eam, & deuoret omnem herbam, quæ residua fuerit grandini.

Non patitur Deus contemptum verbi sui, & contumelias prophetatum suorum. Vnde Psal. Non reliquit hominem nocere eis, &c. Nolite tangere Christos meos, &c. In singulari autem dicit, Ad locustam, quasi vna tantùm fuerit, vt sciamus Deo æquè facile esse multas aut vnã creare. Deinde ita loquitur, quasi locustæ iam in vnum congregatæ essent, expectantes mandatum Dei: Extende, inquit, manum ad locustã: vt ostendat omnes creaturas DEO obedire. Item impijs iam suas plagas decretas & paratas esse, quemadmodum alibi dicit: Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Psal. 104. Deut. 10.

Indaxit Dominus ventum vrentem, tota illa die & nocte.

Nihil opus habebat vento, sed tamen per ventum vt per mediũ hoc facere voluit, vt sciamus etiã à Deo fieri, quæ per elementa fieri videmus. Ipse, inquit, induxit ventum. Multa subtilia disputant Philosophi de ventis: Scriptura autem simplicissimè dicit, Deũ pro- Psal. 134. ducere ventos de thesauris suis.

Quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti, &c.

ANNOTATIONES

Quasi de exercitu quodam veniente, & regiones occupante loquitur. Verè aut potens exercitus erat, paruos quidem habens milites, sed contra hominè facta fortes. Vnde in Iohel: Locusta, btucus, & cruca, dominatur fortitudo Domini magna, non cõparatione supernarum virtutũ, sed imbecillium hominũ. Magnus enim exercitus hominum facere non potuisset, quod locustæ fecerunt. Et facilius rex centum millib. hominum restitisset, quàm his locustis. Vide igitur, quæ sit fortitudo nostra. Cogitur Aegypti hæc pati à minoribus animalculis, coguntur ea videre, nec quicquã consilij aut auxiliij habent. Quid igitur præsumimus contra Deum? Ceterũ, quod locustæ omne, quod viride est, vastant, significat, quod impijs omnia, in quibus confidunt, tandem vastabuntur & peribunt.

Festinus Pharaõ vocavit Moysen & Aaron.

Festinat, quia periculum erat in mora. Quos iudicium Dei urget, non tardent, sed festinent & fugiant, si tantũm fugere possint. Nam plerunq; iudicium ita occupat impios, vt fugere nequeant, vt patet in diluuiõ & Sodomis, &c. Vnde Amos: Non erit fuga eis, &c. Vide aut, quos supra contumeliosè eiecerat, hos nunc in necessitate reuocat & inuocat. Ita nobis continget, vt quos hic despiciamus, in futuro eorum amicitiam ambiemus, exemplũ à diuite & Lazaro, maximè, quia verbum Dei reiecerunt tempore aduersitatis & mortis, frustra illud desiderabunt: Veniet, inquit, tempus, quo desiderabitis videre vnum diem filij hominis.

Peccaui in Dominum Deum vestrum & in vos.

Hic iam quare se humiliat, sed fictè. Deinde, iteratõ iam cõfiteatur peccatũ suum, nõ tamen veniam mereatur, quia nõ ex animo faciebat, nec bonum propositũ habebat. Frustra enim fit confessio, si nõ adsit bonum propositum. Nam & Iudas confitebatur, sed nihil ei proficiebat. Facile autem Moyses persuadetur ad orandum, rationibus supra dictis. Facileque Deus exaudit non regem, sed Moysen. Denique, facile etiam locustas auferit: Misit, inquit, ventũ, &c. Facile Deus

ma

Iohes.

Amos. 9.

Luc. 16.

Luc. 17.

Matt. 27.

malā potest immittere, & facillē auferre. Nunquā tam securi sumus, vt non possit nos punire: & nunquā tam miseri sumus, vt non possit liberare. Indurauit autem Deus Pharaonem, id est, needū gratiam ei dedit, propterea quod omnia fētē faceret. Concordat autē hęc plaga cum peccato Aegyptiorum: Sicut enim illi exactores constituerunt super filios Israel, sic Deus exactores illis misit locustas, &c. Concordat etiam cū octauo præcepto: Non falsum testimonium dices, quo verbo præcipitur, vt linguam nostram prohibeamus ne loquatur malum: Quod quia non facimus, iustē punimur, vt malis linguis vndiq; infestemur. His locustis plenus est mundus. Vnum enim genus locustarū sunt adulescentes, aliud genus sunt derectores, aliud genus sunt manifesti calumniatores, quartū genus sunt falsi prædicatores, hi enim in Apocalypsi per locustas signantur. Hęc locustę omnia nostra vastant ac diripiunt bona, corpus, famam, animā. Venenatę enim linguę nos in omnib. damnificant. Est & aliud quoddā malū mūdi per locustas designatum, quod meritō nobis tēdium huius vitę generare deberet, nempe quod omnes homines nihil aliud sumus, quā exercitus locustarū, statim nascimur, statim morimur: alta petimus, sed statim relabimur: potentia & superbia nostra parum durat. Deniq; in æstate & calore saltamus, id est, in prosperitate: in frigore autem, id est, in aduersitate desperamus, &c. Quid igitur appetimus hanc vitam? Hoc signum spiritualiter facit Deus, cū locustas homines impios immittit, qui, quod temporaliter appetimus, nobis auferuntur. Videtur quid, infortunium, cū sit, quę incipimus, ad finem perducere non possumus: verū Dei gratia est, & signum quod eripere vult ex Aegypto. Ideo enim has locustas immittit, ne nimium terrenis immergamur.

Extende manum tuam in celum, & sint tenebrę in terram.

Hic incipit nona plaga, quę facta est in luminariib. cęli, vt sciamus etiam ea in manu Dei esse, & ita tēpetari, vt & pijs seruiant, impijs noccant. Sic olim sol ste-

ANNOTATIONES

Ios. 10. tit ad mandatū Iosuzæ, ad bonum fidelium, perditio-
Amos 8. nem autem infidelium. Hinc & Amos dicit de impijs,
quod occidet eis sol in meridie. Fuit autem hæc plaga
prioribus grauior & terribilior, tum quia tribus die-
bus durauit, tum quia in priorib. se mutuo videbant,
quod non parū consolatur in aduersis, hic autem
non. Grauiſſimum autē est in aduersitate solū relin-
Matt. 26. quī. Vnde & Christus ad passionem iturus quæsiuit
Psal. 43. assistentiam discipulorum. Fuit insuper hæc plaga te-
nebrarum etiam in hoc grauior cæteris, quia quōdam
modo adumbrabat statū æternæ dānationis, ubi im-
pij in æternum non videbunt lumen, nec vllā à se mu-
tuo sentiēt consolationem, nec quoquam inde se mo-
uere poterunt. Quāquam & in alijs plagis status dam-
nandorum præostensus fuit: decem enim illæ, decem
mala significant, quæ in inferno erunt. Erīt enim
mutatio aquæ in sanguinem: Omnia enim impijs
vertentur in perditiones. Erīt secundò perpetuus hor-
tor, per ranas significatus: perpetua infecutitas per
cyniphes: perpetuus vermis conscientiæ, per muscas:
perpetua subtractio omnis auxiliij, per mortem bestia-
rum: perpetua pœna corporis, per vesicas: perpetuus
terror, per grandinem: perpetuus defectus omnis
boni, per locustas: perpetua carentia diuinæ visio-
nis, per tenebras: & perpetua mors, per mortem primo
genitorum significata. Considera igitur Aegyptum
huiusmodi plagas obnoxiam, & videbis quid maneat
impios in inferno. Et quidem Aegyptij ad tempus hæc
perpessi sunt, & successiue: in inferno autem perpetua
erunt, & simul &c. Congruè autem Moysen manum
extendere iubet in cælum, vt inde plagam adduceret,
quādo tot signa in aere, terra, & aquis facta nihil per-
mouerunt impios. Dicuntur autem tenebræ palpabi-
les vel hyperbolicè, vt ostēderet intensiōem tenebra-
rum: vel ideo palpabiles, quia homines adempte pro-
spectu palpare faciebant.

*Et facta sunt tenebræ horribiles, in vniuersa terra. Ae-
gypti tribus diebus.*

Tene-

Tenebrę in se sunt horribiles, verū hęc speciali quodammodo fuerunt horribiles, quia ex ira Dei venerāt, & æternas tenebras præfigurabāt, & multis spectris & visionib. homines terrebant, Denique, diu durabant, nec quisquā sciebat quando cessarēt. Quod autem addit, Tribus diebus nemo vidit fratrem suū, videtur innuere, q̄ etiam accensa luminaria tenebras has depellere nō potuerint. Quod aut addit, Nec quisquam mouit se de loco suo, nō intelligitur de loco, in quo quisq; esset circūscriptus, sed de domo aut habitatiōe, in qua manebat. Est igitur sensus, q̄ nemo ad opera sua procedere poterat. Omnia hęc etiā adhuc sunt & fiunt in mundo. Primò in mūdo sunt tenebrę, id est, ignorātia & cæcitas. Non est, inquit, scientia Dei in terra. hinc Osee, 4. Lucę 19. Lucę 23. Col. 2. Christus: Si cognouisses & tu, &c. sed abscondita sunt ab oculis tuis. Et iterum: Dimitte eis, quia nesciunt, quid faciunt. Et Paulus: Si cognouissent, nunquā Dominum glorię crucifixissent. Deinde in mundo sunt non simplices tenebrę, sed densę & palpabiles. Quis enim non videt cæcitatē hominum? Tertio, manēt tenebrę diebus tribus, id est, exordio, medio, & fine. Quarto, nemo videt fratrem. Omnes quę sua sunt, querunt: Omnes auaritię student, &c. Quinto, nemo mouet de loco suo: Omnes in viam suam declinant, nemo emendatur. Inuenta est, inquit, coniuratio in Ier. 11. populo. &c. Et Christus: Non vultis ad me venire, vt Ioan. 15. vitam habeatis. &c.

vbicunq; autem habitabant Israelitę, lux erat.

Pij homines etiam in medijs tenebris vident, vident in morte vitam, in cruce gaudium, &c. Vnde I- Isa. 58. saias de pio dicit: Orietur in tenebris lux tua, &c. Et Ioan. 8. Christus: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumē vitę. Cōgruē aut impijs tenebrę ex- Ioan. 3. ternę obueniūt, qui internā lucem habere noluerūt: venit enim lux in mundū, & dilexerūt homines magis tenbras, &c. Concordat hæc plaga cum transgressiōe noni præcepti: Non concupisces vxorem proximi. Quia enim hoc præceptum omnium maximè con-

ANNOTATIONES

temnitur, iusto Dei iudicio excæcamur, vt nec Deum, nec cōscientiam, nec honorem nostrum, nec damnum attendamus, sed sicut equus & mulus cōcupiscentias nostras sequamur. Per hanc etiam plagam aliud quoddam malum mundi præfiguratum est, nempe incertitudo & ignorantia finis, & futuri. Quot ceciderunt qui stare videbantur? Quis non vel ob vnum hoc presentem vitam odiat, cū semper nobis timendum sit? Qui stat, inquit, videat, ne cadat. & iterū: Tu fide stas, noli altum sapere, &c.

Rom. ii.

Spiritualiter autem tenebras immittit Deus cū vile scire & amarefcere incipiūt, quæ prius iucūda & dulcia videbantur, quod cū fit, signum est, quod Deus hominem ex Aegypto educere intendit.

Vocauit Pharaon Moysen, & ait: Ite, sacrificate Domino, oves tantum vestre & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum.

Hic iam quintò impius supplex esse cogitur, præter, imò contra suam voluntatem Moysi, adeò enim deterebat diurnitas tenebrarum & incertitudo finis. Expertus fuerat, quod Deus pluries ipsi pepercerat, iterum igitur ad idem remedium cōfugit. Sic enim impij putant Deum semper parsum ad primam & qualemcunq; resipiscentiam: verum non semper hoc fiet. Tacui, inquit, Nunquid semper tacebo? Imò vt parturiens loquar. Iterum autem non nihil detrahit verbo Dei: vult enim dimittere paruulos, sed nō pecora. Sic impij semper verbum Dei ad suos affectus accommodant, addunt, minuunt, prout affectibus suis commodum fuerit, quemadmodum & Saul.

Isa. 42.

1. Reg. 15.

Hostias quoque dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.

Non cedit Moyses etiam regi in his, quæ ad Dei cultum pertinent: Non patitur quicquam detrahi verbo Dei. Exemplum boni pastoris & ducis, qui sicut summo studio pro populo cōmisso curabat, ne quicquam in Aegypto relinqueretur: sic summo studio resistit, ne quid cultui Dei decrescat. Vtinam multi tales Moyses essent.

Rece-

Resede à me, & caue, ne videas faciem meam. Matt. 18

Hic iam rex implet mensuram peccatorum suorum, hic ad summum malitiæ peruenit. Eousque enim Dominus tolerat impios, donec amplius audire noluerint, & prophetis mortem intentauerint, tunc autem proxima solet eis superuenire perniciës. Vide autem cæcitatem huius miseri. Mortem intentat, & nescit sibi mortem è proximo imminere. Vere igitur in eum comperit illud propheticum: Arrogãtia tua plusquam fortitudo tua. Eandem arrogantiam videmus in Aman, Saule, Isabele, Sennacherib, Holoferne, Antiocho, &c. qui omnes alijs intentantes mortem, ipsi prius perierunt.

Ita fiat. Non videbo amplius faciem tuam.

Terribile verbum. Quid enim boni restat, si verbũ Dei perdiderimus? Obserua, quòd Deus non rixatur, non inuito verbum Dei inculcat & repugnãti, sed simpliciter. Fiat, inquit, sicut locutus es. Vere enim ita cõtiguit, quòd Moyse cum amplius viuum non vidit, sed mortuum in littore maris. Sic Christus Apostolos non aliter vindicare iussit contemptum sui, quàm vt exirent & puluerem pedũ excuterent. Addidit autem quãta hæc esset vindicta. Amen dico vobis, quia Sodomis remissus erit in iudicio. Matt. 10

CAPVT XI.

IN hoc capite agitur de decima plaga, quæ tamen nõ statim infligitur: Semper enim differt Deus extremas plagas inferre. Primò igitur eam plagam prædicat: deinde etiam filios Israel ad gratiarum actionem instruit priusquam plagam infligat. Nihil igitur aliud est caput hoc, quàm Epilogus quidam quo ad præcedentes plagas, & præparatio ad sequentem. Et sicut Moyse hætenus nõquam cũ tãta vehementia locutus est vt hic, sic Christus quam vehementissimè locutus est in comminatione vltimæ damnationis. Matt. 11

ANNOTATIONES

Adhuc vna plaga tangam Pharaonem:

Sap. 11.

Hic videmus, quã verè dixerit Sapiens: Deum scilicet omnia sua opera facere in numero, pondere, & mēsurā: nihil enim plus, vel minus facit, quã oportet. Omnia sunt mensurata, ponderata, numerata. Poterat Deus impium non præmonitum perdere, sed noluit, ne iniustus videretur. Potuit duo tãtũ vel tria signa facere, sed noluit, vt minorem excusationem haberet impius. Poterat maiora signa facere, quã quæ hic fecit, sed hæc satis declarabãt Dei potentiã. Poterat & plura, quã decem facere, sed hæc sufficiebant: satis enim monitus est, qui decies admonetur. Dicit igitur: Adhuc vna plaga, &c. q. d. quia hæctenus noluit dimittere, nũc oportebit dimittere. Apud Deum definitum est, quamdiu expectare velit, & quatenus admonere. Sciant omnes contemptores, quod post plagas huius mundi resistet. Vna, quæ coget relinquere, quod volentes relinquere nolumus, Mors scilicet, quæ omnibus imminet.

Dic ergo populo, vt postulet vir ab amico suo, &c.

Exod. 3.

Hoc statim in principio Moysi prædixit, quod tamẽ nunc vltimo loco fit. Præcipit autẽ hoc Deus primò ad cõsolationem Israelitarũ, vt quibus Aegyptij sua violenter abstulerant, nunc eorum bona Deo dante reciperent, Secũdò, in maiorem pœnam Aegyptiorum, vt omnia simul perderent. Ideo etiam hoc factum est, vt Aegyptij desiderio rerum suarum postea Israelitas recedentes insequerentur, sicque perirent in mari rubro, Cæterũ, nihil malum aut iniustum fecit Deus: Primò enim potuit dispensare in lege, qui condidit legẽ. Secundò, ipsius sunt omnia quę habemus: nihil enim in hunc mundũ intulimus. Et: Domini est terra & plenitudo eius. Quod igitur dedit, potest iterum auferre. An nõ habet potestatem faciendi cum rebus suis quod vult? Deinde nec Aegyptijs iniustè fecit: iam enim meruerant & vitam & omnia amittere. Postremò, nec Israelitæ peccarunt hoc faciendo: Non enim peccat, qui, quod Deus iubet, facit. Sic nõ peccat potestas

1. Tim. 6.

Psal. 23.

Matt. 10.

ma-

malos occidendo, quia præceptum ei est. Sic non peccavit Osee filios fornicationum faciendo. Non igitur hinc sumendum est exemplum fraudandi proximos: nos enim aliud præceptum habemus: Non furtum facies. Et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Osee: Exo. 20. Matt. 7.

Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Aegyptiis.

Occurrit tacitæ quæstioni. Posset enim Moyses dicere: Quomodo commodabunt preciosa his, quos odiant, & qui fugam meditantur? Respondet. Dominus dabit gratiam. Patet ex hoc, quod corda hominum in manu Dei sunt, & quocunque voluerit, inclinabit illa. Patet item ex hoc verbo, quod homines nostri miserentur: Deus enim illorum corda mouet, Deo ergo ascribendum. Quod si misericordiam non inuenimus, nobis imputemus, quos propter peccata Deus etiam hominibus facit inuisos. Pro. 21.

Spiritualiter autem spoliare debemus Aegyptum: & quicquid mundus preciosum habet, & eo abutitur, ut sunt sapientia, sanitas, potentia, diuitiæ, &c. his nos utamur ad cultum Dei nostri. Cæterum, sicut Moyses Aegyptiorum bonis contra ipsorum voluntatem utitur ad cultum Dei, sic fideles sapientia mundi & scripturis Iudæorum contra voluntatem infidelium utuntur ad cultum Dei.

Erat autem Moyses vir magnus in terra Aegypti.

Magnus erat non in persona aut corpore, sed in reputatione: Cogebantur enim eum timere etiam impii. Nam Deus Aegyptiorum constitutus erat. Hoc autem verbo causam reddit, cur eum Pharaon non occidit. Sic Herodes metu deterritus fuit ab occidendo Ioanne, quod à populo propheta haberetur. Sic Pharisei Christum non audebant compræhendere propter turbam. Qui verè magni esse cupiunt, imitentur Moysen, studeant pietati & innocentiae. Mar. 6. Matt. 21.

Media nocte ingrediar in Aegyptum.

Hic ponitur denunciatio decimæ plagæ. Hæc autem verba locutus est Moyses coram Pharaone, antequam

ANNOTATIONES

ſcilicet vltimò ab ipſo egreſſus eſſet. Pertinent enim hæc verba ad id, quod in fine decimi capitis dixit: Ita fiat: Non videbo amplius faciem tuã. Hoc tamẽ prius audi: Hæc dicit Dominus, Media, &c. Et his dictis egreſſus eſt cum irã magna. Admodum autem vehementibus verbis plagã illam denunciat: Primò, Hæc dicit Dominus, &c. q. d. Nõ per me ſeruum, ſed per ſeipſum hoc perficiet & deinceps puniet. Quòd ſi mihi reſiſte, re non potuiſti, vide, quid ab illo expectãdum tibi ſit. Secundò, Media, inquit, nocte, non in die, vt duplo terreatis: nam nox ſeipſa terribilis eſt. Vel media nocte, id eſt, cum omnium minimè putas, quemadmodum Chriſtus media nocte ſe dicit v̄turum. Et Paulus: Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerint, Pax & ſecuritas, &c. Terriò, Morientur. Mortem, inquit, ſecum afferet, qua carnali homini nihil terribilius. Vnde Abacuc: Ante ipſum ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius, & cæt. Quartò, morientur, inquit, primogenita, id eſt, optima quæque.

Spiritualiter autem primogenita Aegyptiorũ moriuntur, quia natura noſtra nihil dignum producit vita æterna. Quintò, A primogenito Pharaonis, &c. hoc eſt, nihil tam magnum, nihilque tam paruum, cui in hac plaga parcatur. Nõ eſt acceptor peſonarũ Deus: Anima quæ peccauerit, morietur. Tantũm autẽ mortẽ primogenitorum cõminatur, quia adhuc ipſos admonere vult, ſi quo modo cõuertantur. Sextò, erit magnus clamor, &c. quia primogeniti magis diliguntur, & timẽdum ipſis erat, ne plaga etiam alios corripere. Septimò, Apud filios Iſrael non mutiet canis, id eſt, ad eò quieti erunt & ſecuri, vt ne minimũ animal inter ipſos lædatur. Oſtauo, Vt ſciatis, quanto miraculo diuidat, & cæt. Verè magnis miraculis ab exordio diuiſit inter pios & impios, vt patet in diluuiò, Sodomis. Maximè autẽ apparebit in iudicio, vbi manifèſtè bonos à malis ſegregabit, ac magnũ illud chaos inter vtroſq; fixum omnib; apparebit. Nonò, Descendẽt ſerui tui. Qui nũc tibi obſequẽtes me perſequuntur, hi tũc pleni perturbatione

Exo. 10.

Matt. 5.

2. Theſ. 5.

Abac. 3.

Ezech. 18.

Matt. 25.

Luce 16.

batione me adorabunt. Ita cōtinget nobis, si pios persequamur. Tunc egrediemur ait: Q. D. siue velis siue nolis. Omnia hæc Moyses dicere ad regē ausus fuit, quæ Deum amicum se habere non dubitauit. Admirabilis sanè & illustris creatura est homo iustus. Adorabitur enim in iudicio ab omnibus impijs & collaudabitur sap. 6. fors eius. His dictis Moyses exijt iratus, non perturbatione mentis, sed præ duritia regis, stupebat & admirabatur, quòd miser toties iētus non resipiscebat.

*Non audiet vos Pharaon, vt multa signa fiant
in Aegypto.*

Nihil proficietis signis vestris, alio remedio & fortiori opus erit, vt vos dimittat. Nihil effecisset Lex, nisi Christus venisset. Ideo in fine addit Epilogum, quia postea transibit ad immolationem agni, qua prefiguratus fuit Christus. Moyses, inquit, & Aaron fecerunt signa hæc, sed Dominus indurauit, &c. id est, non dedit gratiam. Hæc fuit summa eorum, quæ hæcenus dicta sunt.

CAPVT XII.

Hæcenus Moyses & Aaron multis quidem plagis regē Aegypti afflixerunt, nondum tamē efficere potuerunt, vt populum dimitteret: concusserunt Regem, sed nondum vicerunt, donec sanguis agni susus esset. Sic Lex & sacerdotium cōcutere quidem potuerunt regnum peccati, sed non vincere, nec hominem perfectè liberare, donec Christus sanguinem funderet: Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Decem plagæ decem legis præcepta sunt, quæ obseruando quisque iustus pugnare quidem contra diabolum, sed non ita superare potuit, vt in seipso funditus destrueret peccati & mortis regnum. Immolatio autem agni, quam eadem nocte sublecuta est mors primogenitorum, passionem significat Christi, per quam primò originale peccatum Hebr. 6.
delectum

ANNOTATIONES

Iohan. 11.

deletum est : deinde omnia alia in mari baptismi extincta. Vnde Christus passioni proximus sic dicit: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi, &c.

Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.

Mensis iste secundum aliquos Martius, secundum aliquos Aprilis est: proprie tamen neuter illorum est, quemadmodum apud nos sunt. Nos enim eos menses secundum Kalendarium computamus, qualiscunque sit Luna; Hebræi autem solam Lunam attendunt. Certum autem est, quod nouilunia rarissime concordant cum principijs mensium nostrorum. Nihil igitur hic certi pronunciare possumus. Hoc tamen regulariter verum est, quod primus mensis Hebræorum semper incipit à principio eius lunationis, quæ propinquior est æquinoctio vernali, siue dictæ lunationis principium sit ante, siue post æquinoctium. Dictum autem æquinoctium est propinquius principio Martij, quàm fini. Patet igitur, quod primus mensis apud Hebræos magis correspondet Martio, quàm Aprili. Vide igitur, antequam liberet eos Deus, monet ipsos ad gratiarum actionem, imò instituit memoriale, quo perpetuò commoneatur operum suorum. Est enim sensus. Quia decreui hoc mense vos liberare, & maiora præstare, quàm vnquam præstiterim, debet & vobis hic mensis in perpetua memoria & reuerentia esse, ne vnquam tanti boni obliuiscamini. Vult Deus, vt beneficia eius in perpetua memoria habeamus. Vult, vt in principio anni & mensium gratias agamus. Vide autem, quale tempus elegerit ad liberandum populum, nempe tempus veris, quo sol ad nos appropinquat, & dies nocte vincere incipit. Per hoc enim ostendere voluit, quod omnia circa ipsos in melius conuertenda essent, quod sol diuinæ gratiæ magis ipsis appropinquaret, quàm antè, quod nox miseriæ breuianda esset, & dies salutis augendus: & qui videbantur mortui, reuiuiscere inciperent. hoc tempus, & hic primus mensis significant tempus gratiæ, in quo omnia hæc perfectius impleta sunt.

sunt. Vnde & Christus etiã secundum literam in hoc primo mēse & incarnatus est, & passus, vt ex omni parte veritas responderet figuræ. Meritò igitur etiã nobis mensis hic, imò totū tempus grãtiæ in laudibus Dei expendendum, quandoquidem nos maiora percepimus, quàm illi.

*Decima die mensis tollat vnusquisque agnum per familias
& domos suas.*

Non vnusquisq; homo, sed quilibet paterfamilias, vnde subditur, per familias, &c. Suprà igitur totū mensem celebrem fecit, hïc autem quosdam dies specialiter determinat, decimanam scilicet, & quartam decimã. Sic etsi omne tempus nobis sacrum esse debet, maxime tamen hi dies, in quibus specialia beneficia percepimus. Hic igitur incipit de agno paschali scribere, & primò ponit conditiones agni. Diu antè iubentur agnum eligere, ne præparatione ad exitum præpediti huius præcepti obliuiscerentur. Deinde etiam ideo, vt interim experirentur, si aliquem defectum haberet agnus. Præterea, vt dum agnus præsto esset, etiam ipsa causa sollicitaret ipsorum corda, vt scirent sibi exeundum esse. Quoties enim agn^o ille balatum emittebat, toties quasi tubæ sonitus exituras castrorum acies excitabat. Quòd autem dicit: Tollat vnusquisque, non de quolibet homine singulari intelligitur, sed tantum de patribus familias. Vnde subditur, iuxta familias vestras. Ad idem facit, quòd sequitur. Si autem minor est numerus, &c. quòd autem subdit: Assumet vicinum suum. Intelligitur de vicino Iudæo: nam gentilis vicinus assumi non poterat.

Erit autem agnus sine macula, masculus anniculus.

Cum singulari diligentia deligi debebat agnus paschalis: non enim quilibet assumi poterat. Macula autem hïc non intelligitur de varietate pellis: hæc enim non impediēbat, sed de defectu membri alicuius. Masculus debebat esse agnus ille, quia perfectissimum inter omnia sacrificia veteris legis erat hoc sacrificium, ideo sexum masculinum exigebat, in alijs poterant

ANNOTATIONES

etiam foemellæ offerri. Anniculus, id est, infra annum primum : ab octaua enim die natiuitatis, & non ante, & vsque ad completionem anni, & nō post poterat offerri. Quod autem addit, iuxta quem ritum sumetis & hœdum, Hebræi legunt, De agnis siue capris sumes eum. Et est sensus, quod vbi agnus commodè haberi non poterat, hœdus sumeretur. Seruari autem iubetur vsque ad quartamdecimam diem, ne scilicet perfunctoria esset beneficij redemptionis memoria, & vti iam tunc certò scirent se post triduum liberandos, & interim necessaria prouiderent. Maximè autem, vt interim vasa & vestes ab Aegyptijs accommodarent. Oīa hæc præfigurârunt Christum : Ipse enim verus est agnus, cui⁹ sanguine redempti sumus. Ipse est pascha nostrum, &c. Vnde & in multis locis dicitur agnus, vt Ioan. 1. 1. Corinth. 5. Apoc. 5. Isa. 53. & Ierem. 11. Meritò autem dicitur agnus, tum propter innocentiam, tum propter mansuetudinem, tum etiam propter utilitatem. Maximè autem ob id, quod perfectè impleuit, quod per alium agnum præfigurabatur. Christus igitur agnus est, & agnus sine macula : peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Habemus, inquit, pontificem sanctum, innocētem, impollutum, segregatum à peccatoribus. Est & agnus masculus, id est, fortis, imò non solum agnus est, sed & leo, secundum diuinitatem. Est & anniculus, id est, vir sciens infirmitatem. Vel anniculus, id est, perfectus : perfectionem enim ab ipso consequimur, quemadmodum & ipse in propheta testatur : Spiritus, inquit, Domini super me. Euāgelizare, inquit, pauperibus misit me, &c. Quia autem is, qui sua non habuit, aliena peccata portauit. Sequitur, iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Sicut enim propter suam innocentiam in agno, sic propter peccata nostra, quæ Deus in ipso posuit, rectè significatur in hœdo. Siue ergo agn⁹, siue hœdus sit, qui apud illum & illū immolatur, vnus idemq; in mysterio est Christus à suis (quia nulla sunt) mundus pro alienis peccatis offerendus. Vel mala æstimatione hominum.

Ioan. 1.
1. Cor. 5.

1. Pet. 2.

Hebr. 7.

Apo. 5.
Isa. 53.

Isa. 61.

minum. hœdus, id est, peccator, verè aut̃ similitudine
 innocētiae agnus erit, quod vtrunq; Propheta cōside-
 rans: Et nos, inquit, putauimus eum tanquã leprosum,
 &c. Ipse aut̃ vulnerat⁹ est propter iniquitates nostras,
 &c. Sumptus autē est agnus hic de grege, quia homo Iſa. 53.
 fuit similis nobis, sed sine peccato. Assumptus est autē
 decima die, id est, in æternitate electus, vt esset hostia
 pro peccatis. Vel decima die assumptus, id est, in lege
 per decalogum intellecta præfiguratus & prænunciat⁹.
 Seruatus est aut̃ per quinque dies, id est, per quinque gra-
 tes mundi: quarū prima fuit vsq; ad Noe, secunda vsq;
 ad Abrahã, tertia vsq; ad Moysen, quarta vsq; ad Da-
 uidē, quinta vsq; ad Christum. In vespera huius quina-
 tæ etatis immolari debuit Christus. Seruatur etiã vsq;
 ad nouilunium, quia quando venit plenitudo tēporis Gal. 4.
 pro nobis liberandis venit. Ad literã autem Christus
 etiam decima die prim̃i mensis Ierosolymam intrauit
 cum gloria, vt omnes scirent, eum esse verum illum a-
 gnum paschalem morti destinatum ad proximum pa-
 scha, id, quod & factum est. Siquidem quarta decima
 die debebat agnus immolari: sexta autem die ante pa-
 scha, quæ fuit nona mēsis, Christus venit Bethaniam, 1. Ioan. 12.
 & sequenti die, quæ fuit decima mensis & quinta an-
 te pascha, venit Ierosolymam. Vndique igitur respon-
 det figura veritati, & contrã. In huius memoriam et-
 iam hodie ecclesia, redeunte anni tempore, quo Chri-
 stus passus est, ante quinque dies sacrosanctæ eius pas-
 sionis, illum eius ingressum in sanctam ciuitatem, &
 illum occursum populi religiosa deductione laudes ca-
 nendo imitatur. Quod autem iubetur ad esum agni
 vicini assumi, significabat etiam gentes assumendas
 in fidem Christi. Hoc idem facimus in ecclesia. Quo-
 ties enim hunc annum immolamus, rectè paucitatem
 nostram confitentes in nobis, quia totum eius myste-
 rium capere non possumus, assumimus vicinum, qui
 conuictus est donui nostræ, scilicet, Apostolorum, &
 martyrum chorum, qui per eandem fidem propin-
 qui sunt familie Christianæ. Sicut illorum enim inuita-

ANNOTATIONES

tione & memoria nunquam præsumimus agnum nostrum immolare aut comedere.

*Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel
ad vesperam.*

Omnis multitudo mactate iubetur vnum agnum, cum tamen qualibet domus proprium agnum haberet. Verum etsi multi essent agni, vnus tamen dicitur, quia vna mente & fide offerebatur. Itē vnus erat agnus, quia etsi multi essent, vnum tamē Christum præfigurabant. Obseruandum, quod agnus immolabatur Deo, & tamen comedebatur, contra eos, qui Missam ideo negant esse sacrificium, quia putant non simul posse stare, vt quid Deo offeratur, & simul etiam comedatur. Obseruandum item, quod immolatio agni ante legē & sacerdotium fuit, postea enim in deserto lex data & sacerdotium institutum est. **Q. D.** Deus; quantumuis nunc legem & sacerdotium instituiam, nihil tamē horum vos liberabit, sed primū illud sacrificiū & sanguis agni. Sic igitur etiā veteribus Christus prædicatus fuit, sed sub figuris. Ad vesperam iubetur immolari, ad inueniendum, quod manē tempus non haberent, nempe, exituri de Aegypto. Sanguinē agni postibus linire, iussit, vt per hoc distinguerentur domus Hebræorum à domibus Aegyp̄tiorum, quia sicut intus erāt distincti per veram fidem ab Aegyp̄tijs, ita volebat Dominus, quod asperio sanguinis esset quasi signum distinguēs exterius, & protestatio fidei interioris. Non opus habebat Dominus hoc signo: ipse enim benè sciebat, vbi habitarent Israelitæ, tamē voluit seruari hoc signū. Idem etiam nunc facit in sacramentis, &c. Vult, vt carnes assas comedāt, nō elixas: facilius enim assantur carnes, quàm elixentur, & diutius cōseruantur. Immolatio enim illa significabat dispositionē populi ad recedendum de Aegypto velociter. Ideo iubētur carnes coqui, quàm velocius fieri potest. Eadem ratione & azimos panes iubet facere: hi enim facile & statim cōfici possunt. Omnia eò tendunt, eos velociter exituros. Omnia denique iubētur comedere, & nihil relinquere, sed

vel igni

vel igni comburere, quia exituri erant & non reuer-
suri. Obserua autem, quòd vbi nos legimus, Caput cū
pedibus, &c. vorabitis, Hebræi non habent vorabitis
imò hæc verba non ad comestionem, sed ad assationē
referunt, quòd omnia simul assarent, imò etiam inte-
stina, prius tamen lota reponerent, ac simul assarent.
Hæc secundum literam,

Mysticè aut omnia in Christo impleta sunt. Immo-
lato enim agni passionem Christi significat: Pascha, 1. Cor. 4.
inquit, nostrum immolatus est Christus. Immolatus
est autem Christus in plenilunio, id est, in plenitudine Gal. 4.
temporis, vt Paulus ait. Immolatus est ad vesperā, quia
in nouissima ætate mūdi. Immolatus est ab omni mul-
titudine fidelium, quia pro omnibus passus est, & quia
& sperant. Immolatus est semel in cruce, sed tamē an-
nuatim, imò quotidie vult renouari memoriam eius
sacrificij: Hoc, inquit, facite in mei memoriam. Mul-
tæ sunt ecclesiæ, in quibus agnus hic immolatur, vnus
tamen est, & remanet agnus. Ex vno enim pane, & ex
vno calice omnes participamus. Nec solum immolari
voluit Christus, sed etiam manducari, & incorporari:
Nisi, inquit, māducaueritis carnem filij hominis, &c. Ioan. 6.
Hic igitur diligenter considerandum, quomodo man-
ducari debeat & velit agnus noster. Nam Paulus asse-
rit, quòd quidam sibi ipsi iudicium & mortem man-
ducant ex hoc agno. Diligenter igitur attendendum,
quid Moyses de comestione agni scribit. Primò vult,
vt signetur domus, & sanguine agni signetur, & in tri-
bus locis hoc fit in baptismo, qui virtutem habet ex
sanguine Christi, & qui datur nobis in nomine patris,
& filij, & spiritus sancti. Nemo ad sacramentum acce-
dere debet, nisi hoc modo signatus. Vel tribus locis
signatus sit qui accedit, id est, tria sacramenta habeat,
baptismum, confirmationem, & pœnitentiā. Vel san-
guis in ianuis hoc signat, vt sacramentum susceptu-
rus semper memoriam passionis Christi ante oculos
habeat, siue ingrediatur, siue egrediatur. Quotiescūq;

Mat. 26.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

a.
1. Cor. 10.
ti o

Mat. 26.

ANNOTATIONES

1. Cor. ii. inquit, panem hunc sumitis, mortem Domini annuntia-
 bitis donec veniat. Vel tertio sanguinē ponat in ia-
 nuis, id est, nō erubescat de cruce Christi, nec erubescat
 instituta Christi seruare, sed publicè cōfiteatur se cre-
 dere & seruare. Moraliter, sanguinē Christi in utroq;
 poste & superliminari ponit, qui nō solū ore corpo-
 ris, sed etiam ore cordis Christū suscipit, & ad imita-
 tionem passionis eius intenta mente cogitat. Qui ore
 tantū vel corde tantū suscipit, in vno tantum poste
 sanguinem ponit. Qui autem & corporaliter qui-
 dem & spiritualiter Christum manducat, nec tamen i-
 mitari studet, is in postib. habet sanguinē, sed nō in su-
 perliminari. Secundò conditia, Edent, inquit, carnes
 nocte illa. Christus māducari & incorporari vult, vt vi-
 nū corpus & vnus spiritus cū ipso efficiamur. Dupli-
 citer autē manducatur Christus, in verbo per fidē, & in
 sacramento. Carnē Christi spiritualiter edit, q̄ credit
 corpus Christi traditum p̄ se, & sanguinē Christi pro
 se effusum. Manducatur itidē caro Christi in sacramē-
 to. Vtrunq; necessariū, quia sacramentum sumere si-
 ne fide nō proficit: Econtrā etiam si fide spiritualiter
 Christū manduces, oportet tamen etiā sacramentū su-
 mere, ne videaris eius instituta contēnere. Nocte autē
 māducatur caro Christi, quia in mysterio & inuisibili-
 ter ratio nostra cuperet in die comedere, hoc est, om-
 nia videre ad oculū, sed frustra. Nocte, inquit, comede-
 ris: claudendi sunt oculi rationis, & sola fide agendū.
Lucæ 2. Congruē autē carnes agni nostri assæ sunt, quia assatæ
 igne tribulationis: item igni & operatione spiritus S.
 excocta fuit eadē caro Christi in vtero virginis, & non
 in aqua, id est, permissione peccati. Eodem igne etiam
 in altari assatur caro Christi, id est, operatione spiritus
 S. Tertia conditio, Et azymos panes, scilicet comedi-
 tis: non solæ carnes agni comedendæ: non solū ea
 consideranda, quæ Christus fecit, sed oportet etiā no-
 stra addere. Et primò omnium excludere fermentum
1. Cor. 5. malitiæ & nequitie. edere autem azyma sinceritatis
 & veritatis. Cibum enim hic solis filijs, non canibus
 præ-

præparatus est, mundis nõ immundis. Errāt igitur, qui sine pœnitentia præuia accedūt ad sacramentū, quasi sacramentū institutum sit in remissionem peccatorū, cū hoc pœnitentię proprium sit. Quarta cōditio. Cum lactucis agrestibus, vel cū amaritudinibus. i. cū amara recordatione peccatorū nostrorū. Sic discipuli sacramentū hoc cum lactucis cōederunt, propter verba enim Christi in magna tristitia erāt, & per totū tridui passionis eius angustijs molestè cōmunicabāt. Ita nos cum lactucis comedimus, si corpus nostrū affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentię abstergat à mentis stomacho peruersę humorē vitæ. Quinta cōditio. Non cōedētis crudum quid ex eo aut coctum aqua. Necessaria admonitio. Crudum comedunt, qui sine omni præmeditatione accedunt. Itē crudum comedunt, q̄ tantūm æstimant id, quod vident, & quia solum panē vident, solum panem credunt. Crudum item comedunt, qui carnaliter omnia intelligunt, & cū Capernaitis dicunt: Durus est hic sermo, quis potest eū audire? Cum aqua aut coctum cōedunt, q̄ carnali sapientia peruestigare cōtendunt, quomodo hoc esse possit. Aqua sapiētię nostrę hunc agnum coquere nõ potest, i. mysteria hæc peruestigare non potest. Sed cōedētis, inquit, assum igni, i. totum attribuetis operationi spiritus S. cui nihil difficile, nihil impossibile. Sicut igitur hominem, qui de virgine sumptus, rectè Deū confitemur: sic veraciter hoc quod sumimus de altari, Christum dicimus, agnum Dei prædicamus. Sexta cōditio. Caput cum pedibus, &c. hoc referrī potest vel ad assationem, vel ad comestionē. Vult Christus non diuidi, sed totus sumi. Hæretici aliqui caput abiecerūt, id est, diuinitatem Christi negarunt: alij pedes, id est, humanitatem: alij intestina, id est, animam Christi negarunt: & nos nunc dimidium Christum tantūm sumimus, id est, tantum promissa, non præcepta: tantūm cum accipimus vt donum, non vt exemplum. Caput, inquit, cum pedibus, &c. id est, diuinitatem & humanitatem, corpus & animam, verba & promissa. &c.

ANNOTATIONES

7
 Addit autem, Vorabitis, quo verbo torpor hostet at-
 guitur, qui ad hoc vix cōpelli possumus, ad quod ma-
 gno desiderio accurrere oportebat. Verūm nescimus
 miseriam nostram, & magnitudinem doni illius. Se-
ptima conditio, nihil relinquetis vsque manē. Nec ca-
 nibus, nec Aegyptijs vult relinqui reliquias agni cor-
 poralis. Et nos canibus immundiores, Aegyptijs peio-
 res temerē irrumpimus ad sacramentū, &c. Deinde
 vult, vt antequam manē futuræ vitæ incalescat, om-
 nia perficiamus, quæ præcepta omnia consideremus,
 quæ Christus docet, Nihil relinquamus. Quòd enim
 nunc licet, in futura vita non licebit. Octaua conditio,
 Si quid remāserit, igni comburetis. Nihil ex hoc sacra-
 mento contemnendum & conculcandum relinquen-
 dum. Deinde, verbum hoc potissimū de ossibus in-
 telligitur, quæ comburenda erant. Ergo & nos mysti-
 cè, quæ circa hoc sacramentum compræhendere non
 possumus, igni, id est, spiritus sancti operationi relin-
 quamus. Si has conditiones seruassemus, non tantū
 malorum esset in ecclesia. Verūm, quia nostra curio-
 sitate omnia perscrutari volumus, iusto Dei iudicio
 per temeritatem nostram decepti sumus.

*Sic autem comedetis illum, Renes vestros accingetis, & calcea-
 menta vestra habebitis in pedibus eius & in-
 festinis vorabitis.*

Hætenus qualiter manducari agnus debeat, audi-
 timus: nunc ostendit Moyses, à quibus manducari de-
 beat, & qualiter se habere debeant. Quatuor autē hic
 ponit: Renes accingere, calceamenta habere in pedi-
 bus, Baculos in manibus, & festinanter comedere: quæ
 omnia eò tendunt, vt parati essent ad exeundum qua-
 cunque hora noctis clamor in Aegypto fieret. Eodem
 modo & nobis sacramentum nostrum sūmendū est,
 vt sic parati simus, quasi omni hora nobis ex hoc mū-
 do exeundum sit.

Quodlibet tamen horum quatuor speciale quid-
 dam nobis adumbrat: Primò, qui sacramentum su-
 mtere vult, renes accingat, id est, luxuriā domet, & con-
 cupi-

cupiscentiam refrenet, ne dominetur rationi. Exigit enim hoc sacramentum, ut mundi simus corpore & anima. Tempus breue est, inquit Paulus, itaq; qui uxores habent, sint tanquam non habentes, &c. Grauia quidē sunt hęc, sed angusta est porta quę ducit ad vitā. 1. Cor. 7. Secundò, Calceamēta habeat in pedibus, hoc quid sit, Matt. 7. exponit Paulus: Calceati, inquit, in preparatiōe Euangelij pacis. Exigitur igitur ad dignē communicandum, ut incedamus in verbo, & iuxta verbū Dei. Deinde, ne nudis pedibus incedamus, id est, ne cum affectibus ad hęcramus terrę, sed ut sciamus & cogitemus nos non habere hic manentem ciuitatem. Hebr. 13. Præterea, ut sanctorum exemplis quasi quibusdam mortuorum pellibus pedes nostros, id est, affectus & opera muniamus. Quod utinā fecissent quidam in re huius sacramēti, nō ita offēdissent pedes. Tertio, Baculū teneat in manibus. Baculo utimur vel ad sustentādum, vel ad tenendum nos. Vtrunq; nobis necessariū. Baculus verbū Dei est. Itaq; si caro infirma est, eā sustentemus verbo Dei, si quis à bono retardare velit & mala psuadere, baculo eodē abigendus est. Quarto, Festināter cōcedat. Festinare nos faciūt duo, desideriiū scilicet: & timor: Vtrunq; nobis necessariū. Cupiamus cum Paulo dissolui, & esse cum Christo: & timeamus ne si hodiē cessemus, cras transierit tempus gratiæ.

Est enim phase, id est, transitus Domini.

Omnium prædictorum causam reddit: Dominus, inquit, transibit, & hac nocte transibit, quare diligenter omnia curanda sunt. Transiuit Dominus in Aegypto, non de loco ad locum se mouendo, qui vbique est, sed vbique signa iræ suæ relinquendo apud Aegyptios. Ioan. 1 3. Transiuit Christus hac die ad patrem. Transibimus & nos, imò verē transimus: nunquam enim consistimus ne ad momentum quidem: utinam & de vitijs in virtutes transeamus.

Eriq; vobis signū sanguis in adibus, in quibus eritis.

Iterū sanguinis facit mentionem, quia quod ad figuram attinet, omnium maximum est sanguis Christi

ANNOTATIONES

fi: Erit, inquit, vobis in signum fidei sanguine linire postes. Erit etiam mihi in signum, ut vestras domos transeam. Sic & nobis sanguis Christi in signum diuine gratiæ & bonitatis, in signum denique ad quod cõponamus vitam nostram. Et Deus etiam nostras domos transibit, cum punire incipiet Aegyptum, id est, mundum.

Habebitis autem hunc diem in monumentum.

Hęc pertinet ad cęremonias veteris legis, quare secundum literam nihil ad nos. Tamē in hoc etiam nobis feruiunt, quòd hinc discimus quomodo tempus & diem immolationis agni nostri, Christi scilicet celebremus: nempe, ut sit nobis monimētum: secundò, ut nõ ocio aut mundo consecretur: tertio, ut nihil mundanum tunc agamus: quartò, ut ante omnia fermentum peccati vitemus, non vna tantũ die, sed septem, id est, tota vita nostra, ne è populo Dei exterminemur. In ipsa enim die eduxit nos de Aegypto, signanter autem eduxit, exercitum nostrum: ideo enim eduxit, ut deinceps pugnemus contra diabolium.

Ite, tollite animal per familias vestras, & immolate pascha.

Omnia hęc cęremonialia sunt: multum tamen faciunt ad spirituale pascha nostrum. Primò enim cõuocandus est populus, maximè seniores, hi enim primi debent adesse festis, ad exemplum aliorum. Secundò, quisque tollere debet agnum, id est, Christum. Tertio, debet eum immolare, id est, patri offerre passionem Christi. Quarto, debet eum comedere, id est, Christum sibi incorporare per fidem & sacramentũ. Quintò, debet sanguinem Christi aspergere foribus per fasciculum hyssopi, id est, memoriam passionis Christi celebrare cum humilitate & amara cogitatione peccatorũ. Fasciculum autē debet compingere, quia ad quẽlibet articulum passionis debet recogitare peccata, pro quibus Christus singula passus est. Sextò, debet manere tota nocte in domo, id est, toto tempore huius vitę in ecclesia, alioquin non effugiet manum exterminatoris. Septimò, debet etiam filijs suis hunc cultum

narrat

narrare, vt sciant, quòd victima transitus Domini est.

Factum est autem noctis medio, percussit Deus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, vsque ad primogenitum captiuae.

Immolato agno, statim percutitur Aegyptus, non agnus ille quicquã ad hoc fecerit: poterat enim Deus sine immolatione agni hoc facere. Verùm ad significationem futurũ hoc sic præceperat, vt sic ostēderetur nec patres è limbo liberandos, nec hominẽ in pristinã libertatem restituendum, nec spẽ esse recuperandi promissam terrã viuentium, nisi prius agnus innocēs immolaretur. Hoc autem perfecto, omnia alia cõplenda esse. Hæc igitur percussio primogenitorum, est decima Exod. 7. plaga super Aegyptios missa omnib. prioribus terribilior. Illic enim Moyse aut Aaron percutiebat, hic Dominus: Illic per virgã Moyse fiebant plagæ, hic per manum Domini: Illic aut ranæ aut muscæ, &c. affligebãr, hic autẽ p̄ oculis versatur mors, & subitanea mors, quã nihil terribilius. Hæc est igitur manus valida, de qua suprã dixerat. Diligenter autem, imò terribiliter Moyse hanc plagã describit. Primò, Factum, inquit, est, scilicet quod Deus cõminatus fuerat: non enim fallit verbum Dei: non est Deus vt homo, vt mentiatur. Timeãt igitur impij, exultent fideles. Secundò, Factum est, inquit, in noctis medio. poterat Deus in die hanc plagã mittere, sed voluit in nocte mittere, vt magis terreret: in nocte enim omnia terribiliora sunt, quàm in die, quæ non nihil consolationis habet. Sic enim iudicium Dei, cùm hoc, quod externè punit, etiam internè terrore enecat. Foris, inquit, vastabit vos gladius, & intus pauor, &cæt. Deinde, in nocte iudicantur impij, vt scilicet nullum habeant effugium. Puniturus enim Deus etiam omnia consilia nobis aufert, quibus effugere possemus. Sic de Assyrijs dicitur, quòd Iud. 156 ociso Holoferne, & persequentibus Iudæis fugit mens & consilium eorum. Sic de AEGYPTO dicitur: Ezech. 15. 19. Dabit eis Dominus spiritum verriginis, &c.

ANNOTATIONES

que sapientes Aegypti sicut mulieres. Demum in noctis medio percussi sunt Aegyptij, id est, dum securi essent, nihil minus timerent quam mortem. Sic enim dies Domini tanquam laqueus & tanquam fur in nocte veniet: sic Christus dicit se media nocte venturum: sic qui exemplo Aegyptiorum thesaurizauerint sibi iram, nihilominus exemplo illorum subitam accipiet vindictam.

2. Thes. 2.

Matt. 29.

Matt. 26.

1. Thes. 5.

Gen. 19.
Iob. 1.

Psal. 77.

Matt. 13.

Ict. 5.

Sic Christus media nocte surgens è sepulchro, ita exterruit custodes, ut fierent velut mortui. Proinde per os Psalmistæ sancta Ecclesia dicit: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Illud enim tempus factis vigilijs deputatum est, ut videlicet Domino profunda nocte confitentes, cōmoneamus nos, quatenus illa hora, quæ prauideri non potest, nō simus imparati. Non igitur dormiamus sicut Aegyptij, sed vigilemus & sobrij simus: Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, &c. Tertio, Percussit, inquit, Dominus. Non in persona propria, sed per angelum, vel bonum vel malum: per utrosque enim interdum mala immittit. Sic Sodomam perdidit per bonum angelum, econtrā autem bona ipsius Iob per malum angelum. Videtur tamē Dauid innuere, quod hæc percussio Aegyptiorum facta fuerit per malū angelū: Misit, inquit, in eos irā indignationis: iram, indignationē, tribulationem, immisionem per angelos malos. Iuste autem per dæmones puniuntur, qui dæmonibus, non Deo seruibant. Cuiusque enim Domino seruimus, ab eodē mercedē expectamus. Quod si per bonum angelū Aegyptios percussit, significat quod non solum elementa & creaturæ irrationales, sed etiam angeli in ultionem impiorum mittentur, iuxta illud: In tempore messis dicam messoribus, Colligite primū zizania ad comburendum, &c. Quarto, percussit, inquit, omne primogenitū in tota Aegypto, tanta est potētia Dei, quod simul & semel in varijs locis & facili mē punire potest. Me ergo non timebitis, ait Dominus. Quinto, à primogenito Pharaonis, &c. Merito punitur Pharaon in primogenito suo,

suo, qui filios Israelitarum tam crudeliter perdiderat. Amittunt & inferiores suos primogenitos, quia omnes in fauorem tyranni conspirabant in odium populi Dei. Patet ergo hic, quod iram Dei nec reges pro altitudine turrium & murorum, nec superbi pauperes effugunt pro tabernarum obscuritate: Omnes, inquit, *Ezech. 18.* animæ meæ sunt. Anima, quæ peccauerit, morietur. Hæc est igitur plaga admodum terribilis, quamuis etiam hic nonnihil misericordiæ videamus. Poterat enim Deus eadem facilitate omnes simul perdere, sed adhuc parcit & admonet. Est autem hæc vltima Aegyptiorum admonitio, quam sequetur omnimoda perditio & mors. Attendamus admonitiones Dei.

Suscepitque Pharaon nocte, & omnes serui eius, cunctaque Aegyptus, &c.

Impij non euigilant, nisi dum iudicium Dei sentiunt. Oritur autem clamor in Aegypto, sed frustra: Impijs enim dicitur: Cum clamaueritis, non exaudiam. *Prou. 1.* Quamuis Aegyptij clamasse quidem dicuntur, sed non orasse. Sic enim impij plagam quidem & dolorem sentiunt, sed orandi gratiam non habent, quemadmodum & Iudas clamabat quidem, Peccaui, &c. sed orare non potuit, ut misericordiam consequeretur. Nunc igitur clamemus ad Dominum, cum exaudiri ualeamus. Clamant autem omnes Aegyptij, quia non erat domus, in qua non iaceret mortuus. Congruè enim occupantur luctu filiorum mortuorum, qui filios Israel ad uinum omnes perditos uoluissent. *Matt. 26.*

Moraliter autem apud mundanos omnes domus mortuis repletæ sunt: Omnis enim peccator mortuus est coram Deo. Fugiamus igitur mundum.

Vocatisque Pharaon Moysen, & Aaron, ait: Surgite, egredimini à populo meo, vos & filij Israel, &c.

Quos prius eiecerat, & quibus aulæ interdixerat, nunc necessitate coactus vocat. Sic olim amicitiam eorum ambiemus, quos nunc despiciamus, aut non curamus. Hinc Christus: Facite, inquit, uobis amicos de *Luc. 16.* mammona iniquitatis, &c. Hoc cum non fecisset di-

ANNOTATIONES

nes ille Epulo, nullum apud inferos amicum sibi com-
 patientem reperit. Omnia autem rex cōcedit, quæ du-
 dum negauerat: sic quod impij voluntariè facere no-
 lunt, tandem inuiti tacere cogentur. In fine autē ad-
 dit: Abeuntes benedicite mihi. Tandem duri cordis
 Aegyptius rex molle quiddam locutus est, & quidem
 supra non semel dixit: Peccaui, sed non dixit, Abeun-
 tes ignoscite mihi: nunc autem etiam, Abeuntes, in-
 quit, benedicite mihi: vnde patet, quòd maiora time-
 bat. Cæterum, quòd post primam illam immolatio-
 nem agni externè factum est, hoc in passione Christi
 spiritualiter factum est. Statim enim, postquā sanguis
 Christi effusus fuit, perijt omne primogenitum, id est,
 sublatum fuit primum peccatum & originale homi-
 nis, quod & paradisum & cælum nobis clauferat. Post
 peccatum enim Adæ angelus cum flammeo gladio po-
 situs est ad custodiendam viam ligni vitæ, Christo au-
 tem in cruce moriente deletum fuit peccatum Adæ,
 apertusque paradisus & cælum, vnde Christus latroni
 dicebat: Hodie mecum eris in paradiso. Et paulò post
 immoriturus dixit: Consummatum est. Deinde mor-
 tuo in cruce Christo, diabolus patres amplius tenere
 non potuit, adeò enim exiguus hic agnus leonem il-
 lum cōtriuuit, Vnde Propheta: Tu autem in sanguinè
 testamenti eduxisti vinctos de lacu, &c. Nec dubium,
 quin superbus ille diabolus tunc mollia Christo locu-
 tus sit, quemadmodum & Pharao. Nam & adhuc vi-
 uenti in carne Christo dicebat: Quid nobis & tibi, Ie-
 su Nazarene, &c. Quantò magis credèdus est spolian-
 ti infernum mollia respondisse? Nec enim frustra di-
 cit Propheta: Tu humiliasti sicut vulneratum super-
 bum. Nam sicut superbus, quamuis ante percussioem
 stet rigidus, sub ictu tamen vulneris à timore descen-
 dit: sic superbiæ rex diabolus quantumuis antea vt
 fortis armatus confidenter locutus sit, vbi tamen for-
 tiorem sensit, arma deposuit, spolia reddit, & mollia
 non ex pietate, sed ex dolore locutus est, & adhuc in
 extremo iudicio meliora cum omni corpore suo lo-
 cuturus

Exo. 9.
10.

Gen. 3.

Luc. 23.
Ioan. 19.

Zach. 9.

Luc. 4.

Psal. 33.

Luc. 11.

cuturus est, ipse caput iniquorum. Sed non paream ei, ait Dominus verbis potentibus, & ad deprecandum compositis, quia videlicet sera & indigna poenitentia est, quam cruciatus extorquet. Iob. 1. 4.

Moraliter autem non exire possumus Aegyptum, nisi prius primogenita nostra extinguantur, id est, peccata & sensus carnis, imò ipse vetus Adam.

Tulitque populus conspersam farinam, antequam fermentaretur.

Hic describitur exitus filiorum Israel de Aegypto, què Moyses admodum diligenter describit, quādo scilicet exierint, quid secum portauerint, & quot ipsorum fuerint: Omnia enim hæc in figura nostri facta sunt. Nec ritè celebrare possumus pascha nostrum, nisi spiritualiter hæc impleamus. Primò secum sumunt, quæ ad cibum necessaria erant, ut non tentarent Deum. Exituris enim ex Aegypto necesse est, ut cibum verbi Dei secum sumant, ne in deserto, quod interiaceret, antequam ad patriam perueniant, deficient. Verbū enim Dei panis est, quo vivit internus homo. Et quāvis id, quod nobiscum ferre possumus, non sufficiat, nisi subinde è cælo adueniat manna: tamen etiā nostra cura comparandus est panis verbi Dei. Deinde signanter dicitur, quod conspersam quidē farinam secum tulerunt, sed sine fermento. Sic enim præceperat Dominus, ne hiis diebus fermentum haberet apud se, imò etiā si hoc nō præcepisset Dominus, tamē fermentare nō potuissent, propterea, quod Aegyptij tantū temporis ipsis non dabant, sed exire cōpellebant. Conspersam autē farinam sumunt, quia nihil aliud ciborum præparare poterant ob festinantiam exeundi. Docemur autem hic, quod exituri ex Aegypto omnium maximè vitent fermentum malitiae, & celebraturi verū pascha epulētur in azymis syn- 1. Cor. 5.
ceritatis & veritatis. Fermentū ad Aegyptios pertinet, Rom 5.
sinceritas ad Israelitas. Aegyptijs igitur fermentū relinquamus: Expoliā, inquit, me tunica mea, quomodo Can. 5.
induar illa? L. aui pedes meos, quomodo in gnabo eos?
Si mortui, inquit, sumus peccatis, quomodo adhuc viue-

ANNOTATIONES

Apo. 21.

Apo. 22.

1. Cor. 6.

mus in illis? &c. Maximè autem exiri ex hoc mundo studeamus fermentum abijcere: Nihil enim inquinatum intrabit in cęlestem Ierusalē: Et foris sunt, & manebūt canes & malefici, &c. Vnde & Paulus: Omnis, inquit, fornicator aut immundus, &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei.

Et petierunt ab Aegyptijs vasa aurea & argentea, vestemque plurimam.

Non sic putandū est, quòd tunc primū, cū exire compellerentur, illa petierunt, neque enim abeuntibus commodarent Aegyptij: sed sic intelligendum, petierunt, ac si diceretur, quę petierant, asportauerūt. Et hoc igitur à tempore paschę nobis faciendum est, nempe, vt optima quęq;, quę Aegyptus habet, asportemus in cultum Dei nostri consecranda. Signāter autem aurum sapientię, argentum eloquentię, & vestes virtutum moralium, quas etiam in mundanis & ethnicis videmus & legimus. Habet mundus diuitias, potentiam, sanitatem, scientiam, eloquēciam: Habet interdum etiam bonas virtutes, vt in Scipione, Fabio, Bruto, Lucretia, &c. videmus: Omnibus tamen his abutitur mundus ad mundanam gloriam. Nos autem ea, quę bona in mundanis videmus, accipiamus, & benè his vtamur. Summa: quicumq; Aegyptum egreditur, spoliēt diabolum, & auferat ei quicquid potest. Si prius te ipsum, membraq; tua diaboli seruitio mancipāsti, si alijs peccandi occasionem tribuisti, si filios tuos in diaboli potestate permisisti: nunc omnia hæc diabolo aufer, si vis esse verus Israelita, &c. Hoc nostrū studium sit, &c.

Profectique sunt filij Israel, de Ramesse in Socoth sexcenta fere millia pedum virorum absque parvulis.

Gen. 46.

1. Cor. 10.

Hic ponitur numerus egredientium. Verè magnus numerus si quis attendat, quòd tantū septuaginta animę intrauerant cum Iacob in Aegyptum. Nec parua consolatio fuisset sancto Moyſi, quòd tantum populū educeret diuino cultui mancipando, si perſtitissent. Verū non in pluribus eorum beneplacitū fuit Deo, siquidem

Quodē prostrata sunt corpora eorum in deserto, imò
 tantum duo ex sexcentis illis ad terram promissam per-
 uenerunt, Caleph scilicet & Iosue. Hoc autem meritò
 nos terrere debet: hic enim videmus verum esse illud
 Christi: Multi vocati, pauci verò electi. Magno siquidē
 numero confluimus ad Christum, maximè tempore
 paschali, vix tamē pauci remanemus. Cæterum, quòd
 Moyses egressos ex Aegypto in duas partes diuidit, a-
 liquos enim certo numero definit, alios autem inde-
 terminatè ponit, vt vulgus promiscuum, mysterium
 habet. Qui enim numerati sunt, eos significant, qui ab
 eterno electi sunt: horum enim omnium nomina scri-
 pta sunt in cælis in libro vitæ. Vnde in Isaia de credē-
 tibus dicitur: In manibus meis descripsi te. Vulgus
 autem promiscuum, & innumerabile, quod ascendit cū
 eis, eo ipso, quod innumerabile fuit, typum eorum gessit,
 qui quàm plurimi ad fidem nominatenus veniunt, &
 verbotenus confitentur se nosse Christum. De quibus
 in psalmo dicitur: Annunciaui, & locutus sum, multi-
 plicati sunt super numerum. Obseruandum etiā hoc,
 exeuntium ex Aegypto quatuor fuere differentiarum: Pri-
 mi fuere pugnatōres, secundi fuere pueri & mulieres,
 tertij, vulgus promiscuum: quarti, animalia & pecora.
 Sic in ecclesia sunt quatuor genera Christianorū: Pri-
 mi sunt bellatores, fortes in fide & spiritu, diabolo re-
 sistētes, vt pastores: alij sunt infirmi, qui ex seipsis qui-
 dem ad bella procedere non possunt, nec magna ope-
 raperficere, sed tamen sequuntur bellatores, eisquē
 adhærent, & vestigijs eorum insistent. Et hi quoque
 saluantur. Tertio sunt alij, qui tantum ad tempus se-
 quuntur, non perpetuò, hi ad patriam non perueniunt.
 Demum sunt aliqui, qui bestijs similiores sunt, quàm
 hominibus, hi semper manent pecora, nunquam bo-
 num incipiunt, tantum abest, vt perseuerent, sed vel-
 ut pecora tantum concupiscentias sequuntur, & ter-
 rena, de futuris nihil cogitant. Hi Christiano nomine
 indigni sunt.

Coxeruntque farinam, quã dudum de Aegypto conuersam tulerat.

ANNOTATIONES

Et hoc nobis faciendum est. Non enim sufficit cibum verbi Dei nobiscum portare, nisi eum crebro mastificemus eoq; vtamur. Facere autem debemus ex verbo Dei panes non fermentatos, hoc est, verbis Dei non abuti ad libertatem carnis & peccati, sed ad pietatem & deuotionem. Coquendi sunt hi panes in cinere, id est, humilitate vt obseruemus illud Pauli: Qui stat, videat ne cadat.

Habitatio autem filiorum Israel in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum.

Non sic intelligendum, quod tanto tempore fuerunt in Aegypto, sed hic annorum numerus colligitur ab eo tempore, quo Abraham promissa est posteritas augenda & calamitates captiuitatum passura. Quadringenti igitur hi & triginta anni non tantum comprehendunt tempus Aegyptiacae seruitutis, sed totum tempus, quo Abraham, Isaac, & Iacob cum posteris suis peregrinati sunt in terra aliena, antequam eis daretur terra promissa. Iam Abraham viginti quinque annis peregrinatus est, antequam Isaac nasceretur. Nam septuaginta quinque annorum erat, cum exiret e Chaldaea, & cum centenarius esset, Isaac filium accepit. Isaac autem sexaginta annorum erat, cum Iacob natus fuit. Iacob autem centum triginta annorum fuit, cum in Aegyptum venit. Hos annos omnes peregrinationis patrum, si demas a quadringentis & triginta annis, tantum dimidia pars remanet, id est, ducenti quindecim anni, & tot annis tantum & non plus fuerunt in Aegypto. Caeterum, quia quamdiu Ioseph vixit, bene habiti sunt in Aegypto, si annos, quos Ioseph cum fratribus vixit in Aegypto, demas a ducentis illis & quindecim annis, remanet tantum centum & triginta tres anni seruitutis. Nam Ioseph post ingressum fratrum in Aegypto vixit septuaginta octo annis, vt colligi potest. Volunt tamen aliqui, quod centum quadraginta annis in Aegypto serurierint, vt. sc. poena respondeat culpe ipsorum. Quia enim Ioseph venditus ab eis quatuordecim annis seruiuit, quippe cum venundatus esset se-

decima

1. Cor. 10.

Gen. 15.

Gen. 12.

Gen. 18.

Gen. 25.

Gen. 47.

Gen. 50.

Gen. 37.

decim annorum erat, quādo autē de carcere eductus stetit corā Pharaone, triginta erat annorum: quatuordecim verò decies multiplicati centum & quadraginta sunt. Sic igitur in decuplum pœna seruitutis illis repēsa est, & pro quolibet anno seruitutis ipsius Ioseph, ipsi & posterī eorum decem annos seruire coacti sunt. Gen. 42.

Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti.

Postquā, inquit, sufficientē pœnitentiā pertulissent pro culpa, egressi sunt liberi. Concordat cum eo, quod Christus ait: Nō exhibis inde, donec reddas nouissimū quadrantē. Hoc verbo etiā ostenditur certitudo diuinorum promissorum: Abrahę namq; dixerat semen eius seruituti subiiciēdum quadringentis annis, his autē cōpletis, ne vnum quidē diē moratus Deus, sed eadem die oēs eduxit, nō amplius differens. Non igitur diffidamus diuinis promissis. Quōd autē eadē die, vel vna die tanta multitudo egredi potuit, satis mirabile fuit. Verūm Deo nihil impossibile. Et austeritas seruitutis propensiores reddiderat ad enitendum. Et parati iam dudum fuerant verbo Dei per Moysen. Et iam omnes sumpto paschali cibo, calceati & succincti erant baculos habētes in manibus. Deniq; prohibebantur morā necere in tota Aegypto ob mortē primogenitorum. Demum etiam nox tota clara erat ex plenilunio. Matt. 5.
Gen. 42.

Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Aegypti.

Sicut ante egressum admonuerat eos ad gratitudinem, sic & nunc post egressum. Meritō autem noctem illam obseruabant Israelitæ Domino: ea enim nox Aegyptios perdiderat, Israelitas autē saluauerat: illos spoliauerat, hos autem ditauerat. Hęc nox præfigurauit noctē resurrectionis Christi, quæ verē spoliatis Aegyptijs nos ditauit. Resurgente enim Domino diabolus spolia sua perdidit, nobis autem vita & iustitia contigit per Christū. Meritō igitur & nos eā noctem

DOMINO

ANNOTATIONES

Domino celebramus. Hinc est, quòd Ecclesia etiã no-
 ctẽm Dominicæ resurrectionis celebrat: eodem enim
 victoriosæ resurrectionis obsequio in vigilia, vel ve-
 spera, quo & sequenti die persultat. Prius enim vesper-
 tinum, quàm matutinum sacrificium tantæ solenni-
 tatis immolat, ob id scilicet, quia est resurrectio pri-
 ma, quæ noctem; & resurrectio secunda, quæ diem il-
 lustrat. Resurrectio prima, est remissio peccatorũ, quã
 renascentes ex aqua & spiritu sancto, in illa paschali
 vespera accipiunt, & ita iã in anima resurgunt. Resur-
 rectio secunda resuscitatio corporum est, quæ iam in
 Christo facta est, & tandẽ in omnibus faciẽda. At ve-
 ro præsens ecclesia, quæ nox aliquãdo erat, hac prima
 resurrectione fit lux, & sicut dies illuminatur: per hãc
 enim quisque nostrum & nunc dum in corpore est, ve-
 ritate fulget, & post solutionem corporis tota vespe-
 ra sabbati illuminatur vt dies, interim enim animã
 sabbatizat. Donec tandem verus sol illucescat in pri-
 ma sabbati. i. octaua die futurę resurrectiõis. Obseruã-
 dum & hoc, quòd hac nocte nõ totaliter liberati sunt.
 Nã alia nox sequuta est, in cuius vigilia matutina Do-
 minus Aegyptios submersit. Duæ igitur noctes con-
 currerunt ad perfectam liberationem populi, & tamẽ
 tantũ vna obseruari iubetur. Nec tamen sine causa:
 nam vna eademque liberatio Israel, quæ in morte pri-
 mogenitorum inchoata, in submersione omnium Aę-
 gyptiorum perfecta est. Hinc & ecclesia duarum no-
 ctium acta vna eademque nocte celebrat, vnius scili-
 cet, qua Christus compræhensus, & ad mortem ductus,
 Christus primogenitum Pharãonis, id est, superbiam
 diaboli cruce sua transfixit: alterius verò, qua resurgẽs
 à mortuis, plenum gaudium tam de animarum redẽ-
 ptione, quam moriendo acquisiuit, quàm de corporũ
 resurrectione, quam resurgendo acquisiuit, toti mun-
 do attulit. Hęc, inquam, duarum noctium acta eccle-
 sia vna nocte celebrat in laudem & gloriam veri agni,
 qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram mo-
 riendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.

Mal. iii.

Exod. 14.

Mal. i.

*Hæc est religio Phæse. Omnis alienigena non
comedet ex eo, &c.*

Non solum vult noctem obseruari, sed etiam ritum agni immolandi, in memoriam eorum, quæ ea nocte facta erant. Et quanquam supra satis dixerit de cæremonijs agni, hîc tamen aliqua addit, quæ illic omissa erant. Horum primum est, quod solis Israelitis & circumcisis, de agno edere licet. Vnde excluduntur alienigenæ, id est, gentiles, quam diu scilicet in gentiliū errore permanent. Excluduntur etiam aduenæ, qui scilicet cum filijs Israel habitant, non tamen circumcisi sunt: item mercenarij, qui in domibus ipsorū laborant, huiusmodi enim quia nō sunt colligati populo Dei, poterant nunc quidem edere de agno, postea autem redire ad idololatriam, ideo prohibentur, nisi transeant in coloniam & religionem Israelitarū. Prohibentur etiam serui, nisi circumcidantur, & generaliter omnis incircuncisus. Omnia autem hæc docēt verum agnum Christum non omnibus datum in sacramento, sed tantum filijs & Israelitis. Indigni igitur sunt eo cibo alienigenæ & athei, quorū cor non est rectum cum Deo: item mercenarij, qui omnia tantum ex seruili timore faciunt: item qui incircuncisi sunt, hoc est, in manifestis vicijs iacent. Nō potestis, inquit, calicem Domini bibere & calicem demoniorum. Cæterum, qualiscunque quis fuerit antea, si circumcidatur spiritualiter, & vetæ religioni se addicat, potest edere de hoc agno.

*In vna domo comedetis illum, nec efferetis de carnibus eius
foras, nec os illius confringetis.*

Non quod omnes in vnā domum cōuenire possent, sed in vna domo, id est, in vna animorum congregatione, vnanimō voto, simili fide, concordia charitate. Secundum spiritum autem commendatur hîc vnitas Ecclesiæ, scilicet vt manducaturi agnum nostrum, simus domus vna, id est, id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata & hæreses. Tunc enim non in vna domo comeditur agnus, sed foras

ANNOTATIONES

carnes eius offeruntur, quando indiscretè tribuitur sciē-
dentibus vnitatem fidei, cum in scissura mentiū Deus
non sit. Ergo cum præsentis scripturę testimonio licet
confidenter dicere, quia nō est verum sacrificiū, quod
fit extra vnitatem Ecclesię. In fine additur, Nec os il-
lius cōfringetis . hoc testimonio Ioannes sic vsus est:
Cum venissent, inquit, ad Iesum, non fregerunt eius
crura, &c. Facta sunt hæc, vt scriptura impleretur, quæ
dicit: Os nō comminuetis ex eo. &c. Itaq; etiam iuxta
vocum significationes manifesta est prophetia. Nihilo
minus tamen quotidie nobis mysticè obseruandū est,
vt os illius, id est, verbum, quo subsistit cibi & potus
huius sacramentum, non confringamus, non dilace-
remus, nō in falsos & extraneos sensus trahamus, sed
integrum & illibatum custodiamus, quemadmodum
Euangelistę & Paulus ea verba Christi simpli-
cissimè posuerunt, ne tantillum mutare au-

si, quod vrinam & nostro tempore ob-
seruatum fuisset, &cæt.

CAPVT XIII.

HOC caput legem habet de primoge-
nitis, quę & ad solos primogenitos
pertinet. Nam ea, quę in Leuitico po-
nitur, tam primogenitorū, quàm po-
sterius natorum communis est. Pri-
mogenitus enim hominis dupliciter
legi debet: primum, vt Domino sisteretur redi-
mendus: Deinde, vt hostia pro ipso, vt p̄ ceteris dare-
tur, q̄ tamen magis pro emundatione pariētis, quàm
pro redemptione partus fiebat. Vtranque legem Lucas
in oblatione Domini cōmemorauit: Tulerūt, inquit,
eum, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est, quia
omne masculinū, &c. hoc pro lege primogeniti. Sequi-
tur. Et vt darent hostiam, sicut dictum est in lege Do-
mini, par-turrurum, &c. Quāquam autem hæc cete-
monialia sint, atque ad eō secūdam litteram nihil nos
obliget: huiusmodi enim cetera remonialia Christus per-
fecit

Ioan. 19.

Leuit. 12.

Luc. 2.

fecit & conclusit, cū diceret: Cōsummatus est. Secū - Ioan. 20.
 dum spiritum tamen etiam à nobis exigūtur, quę hic
 præcipiuntur. Si enim carnalis ille populus figura no-
 stri fuit, vt Petrus ait: Vos estis genus electum, &c. cō-
 sequitur quòd in illorum carnalibus cæremonijs præ-
 ostensum sit, quid spiritualiter à nobis exigatur. An-
 tiquā autem Moyses historiā prosequatur, præscribit
 populo quid Deus ab ipsis exigat pro liberatione sua,
 imò eo ipso die, quo Deus liberauit eos, dedit hanc
 legem, vt vel hinc videamus, Deum non nihil etiam à
 nobis exigere, & quod nō satis sit attendere quid Deus
 pro nobis fecerit, nisi etiam attendamus quid nos ipsi
 debeamus. Vrrunq; ponit scriptura, & quidē apertissi-
 mē, ne cui pateret excusationis locus. Sic Christus i-
 pso die resurrectionis suę, quo summē cōsolatoria &
 vt ita dicam, Euangelicissimā annunciauit, pacem sci. Ioan. 20.
 licet & spiritum sanctum, &c. statim adiecit: Sicut mi-
 sit me pater, ita mitto vos: ostendens nimirum quid
 ab ipsis exigeret. Sic & cū mandasset vt omnibus præ. Marc. 16.
 dicarent Euangelium, addit: Docentes eos seruare o-
 mnia quę præcepi vobis. Hęc non temerē admoneo,
 quia pleriq; putāt satis esse si attendant ea, quę Chri-
 stus nobis & pro nobis fecit, neglectis præceptis Dei,
 id quod verē erroneum est.

*sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vul-
 nam in filijs Israel tam de hominibus,
 quàm de iumentis.*

Sanctificare, est dedicare, seligere, & in v sum Del
 separare. Primogenita autem vult Deus sibi sancti-
 ficari, id est, optima quęquę, nempe cor & animam
 in primis, deinde etiam corpora nostra, postremò &
 bona. Posteriora duo non curat, nisi priora præmit-
 tamus. Nō vult Deus, vt valia offeramus ei, hinc in le-
 ge animalia immolāda precipiuntur esse sine defectu, Leuit. 22
 itidemq; & sacerdotes offerētes. Vel, primogenitū o. Leuit. 22
 mne Deo offertur, quando omnis prouentus hominū
 in filij pecoribus, terrenascensibus, &c. nulli alij refer-
 tur acceptus, quàm soli Deo. Vide autem, quàm

ANNOTATIONES

grauia imponat Deus: Poterat suo & optimo iure præcipere, vt omnia sibi sanctificarentur, ne quis tamē causeretur de grauitate præcepti, sola ea exigit, quæ ipse ab interitu seruauerat. Ideo inquit: Primogenita exigo, quia mea sunt, id est, mihi debent quod viuunt. Sic reuera etiã nobis longè maiora præcipere potuisset, multò enim plura ei debemus, quàm ipse exigit, imò verè parua sunt, quæ præcipit, si perpendamus quid exigere potuisset. Nemo igitur queratur de grauitate præceptorum, sed cum seruis Naaman dicat: Et si rē grandem præcepisset tibi, facere debuisses, quātò magis hæc tam leuia? Cæterū, quòd nō simplicitèr dicit: Sanctifica mihi omne primogenitum; sed addit, Quòd aperit vuluam, ideo fit, ne suspicari quis posset, satis esse etiã ex multis vxoribus vnum tantum primogenitum offerre. Vult igitur, vt omnes primogeniti sanctificentur, etiã si vnus vir multas vxores habeat, vt cuiuslibet earum primogenitum offerat. Quòd autè eos sibi sanctificari vult, quos ab interitu seruauit, ad nos pertinet, vt sciamus nos amodo nō nostri iuris esse, sed eius, qui nos magno precio emit. Hinc & Paulus in alio loco omnes Christianos primogenitis Hebræorum comparat: Accessistis, inquit, ad ecclesiam primogenitorum, &c. Sic & vbique in epistolis suis docet, vt sanctificemur & sancti simus. Quòd autem infrà iubet primogenitos redimere, magis permissio, quàm præceptum est. Nam qui filium suum precio redemit, benè quidem fecit, verum tamen Anna, quæ Samuelem non redimere voto proposuit, melius fecit.

Mementote diei huius, in qua egressi estis de Aegypto & de domo seruitutis, &c.

Prudentiam Moyse hinc videmus. Antequam enim præceptum Dei proponat, prius animos ipsorum præparat, & quasi beneuolos facit commemoratione diuinorum beneficiorum. Nihil enim est, quod Dei præcepta leuiora nobis faciat, quàm si consideremus, quid iam à Deo acceperimus, & quid adhuc ab ipso expectemus. Ad duplicem autem finem vult ipsos meminisse

4. Reg. 5.

1. Cor. 6.

Hebr. 12.

3. Reg. 1.

nisse diuinorum beneficiorum: Primum, vt grati sint; Secundo, vt vitent fermentum, imò vt lex Dei semper sit in ore eorum. Sic & nos ex Dei beneficijs discamus, nedum gratias agere, sed etiam præcepta eius seruare: vt unq; enim exigit. Sæpenumerò autem Moyses legè de panibus azymis comedendis, & fermento vitando repetit, tamen quia caro vt plurimum legibus in fraudem vitur, tamen propter mysterium, vt sciamus à liberatis nihil ad eò exigi, vt puritatem vitæ, nihilque magis in ipsis detestandum, quàm fermentū malitiæ. Signanter autem addit. Hodie egredimini mense nouarum frugum, id est, eo tempore, cùm omnia reuiuiscunt, hoc autem vel maximè in nobis impletum est: hodie enim est annus ille acceptabilis, annus retributionis, de quo Isaias. Vnde Paulus pulchrè illud hodie nobis inculcat in epistola ad Hebræos.

1. Cor. 5.

Isai. 61.

Hebr. 1.

Et erit quasi signum in manu tua & quasi monumentum ante oculos tuos.

Docet hoc verbum, quomodo cæremonijs uti debeamus. Sunt, qui temerè omnes cõtemnūt, at textus hic vult, quòd cæremonijs vtendum sit propter ignorantes & obliuiosos. Sunt contra, qui superstitiosè cæremonijs vtuntur, non considerantes quid significat. Et hos quoque arguit locus iste, indicans, quòd signa sint, quæ aliquid aliud representent. Deinde, vt bonus doctor iubet, vt filijs quoq; & pastoris suis hæc narrèt: hæc enim facienda sunt festis diebus. Postremo loco ponit ipsum præceptum de primogenitis, prius benè mollitis eorum animis. Quod autem addit de primogenito asini redimendo, &c. significat immunditiam quæ per asinum significatur, imitandam innocentiam quæ per ouem significatur.

Igitur cùm emisisset Pharaon populum, nõ eos eduxit Dominus per viam terræ Philisthijn, que vicina est, &c.

Hic Moyses reuertitur ad historiam prosequendam, docetque quid vltèrius & Israelitis & Aegyptijs acciderit. Non enim statim cessauit Deus postquam

ANNOTATIONES

egressi erant, sed sicut cū Israelitis cœperat opera misericordię ostēdere, sic nunc pergīt: Econtrā sicut Aegyptios punire cœperat, sic nunc pergīt donec omnino perdat eos. Primum autē opus Dei post egressum, filijs Israel impensum est, quōd ipsos duxit, quod quātum sit, Moyses alio loco declarat: Dominus, inquit, solus dux eius fuit. Sicut aquila prouocans ad volandū pullos, &c. Videmus igitur in hoc opere Dei bonitatem & dignationem erga suos: Videmus secundō felicitatem hominis iusti, quem Deus ipse ducit. Quid enim huic homini deesse posset? hinc Dauid: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Et iterum: Dominus custodit introitū tuum & exitum tuum, &c. Videmus tertio quōd nedū nostra conuersio, sed etiā nostra perseuerantia & p̄fectus Deo ascribenda sunt. Ipse enim educit. & deducit. Ipse operatur in nobis velle & perficere, ipse incipit & perficit bonū in nobis, postremō sine ipso planē nihil possumus. Secundum opus Dei, quod non duxit eos per terram Philistijm, quę propinquior erat, Ne fortē, inquit, p̄cēneret, &c. Hic videmus quōd Deus nō semper potētia sua vritur, poterat eos à Phylisteis potenter liberare sicut ab Aegyptijs, sed noluit, tamen quia Phylistei nondum meruerant exterminiiū vt Aegyptij, tamen quia illos in aliud opus seruare volebat, vt per illam gentem exercerentur filij Israel, & quasi proximo flagello castigarentur, quoties legē Dei sui relinquerent, quod sæpē futurum erat. Sic enim Deus vnā gentem per aliam flagellat. Et fortassis etiam nobis pr̄uisa est gens aliqua, quę nos flagellet & perdat: timeamus ergo. Videmus secundō, quomodo Deus infirmorum rationem habeat, quōd non rectā eos ad hostes ducit, sed per viam pacatam. Itidē & nunc facit electis suis in Aegypti exitu, id est, in cōuersionis initio, vel dum nouicius est conuersi animus nec totus exiit de pristinis erroribus, pacatā à vicijs paret viam, quatenus qui vocati sunt, trāquillē, & delectabiliter egrediantur, ne subitis tentationibus pulsari à proposito sancto vix incepto deterrearur.

Atq;

Deut. 32.

Psal. 12.

Psal. 110.

Phil. 2.

Ioan. 15.

Atque hoc est, quod Paulus dicit: Fidelis Deus, non patitur suos tentari supra id quod possunt, sed faciet cum tentatione prouentum, &c. Nouit Deus quos recta ad hostem ducat, & quos per viam pacatam circumducatur. Job, Tobias, Iacob, Ioseph, Dauid, Paulus, &c. fortes erant, ideo magnas & fortes tentationes illis accidere permisit, quas infirmiores sustinere non potuissent.

Sed circumduxit eos per viam deserti, qua est iuxta mare rubrum.

Tum ut erudiret eos, quemadmodum Moyses dicit, *Deut. 12.* Circumduxit eum & docuit. Nondum plenè fidebant Deo, nec enim planè eum cognoscebant. Ideo ipsos circumduxit, & ubique signa potentiae & bonitatis suae ostendit, ut vel sic eum discrent perfectè cognoscere. Nisi enim Deum perfectè cognoscamus, & ei confidamus, nunquam contra hostes consistemus. Secundo, circumduxit eos per desertum & mare, ut etiam si velent, in Aegyptum reuerti non possent. Sic enim Deus ut plurimum nobis occasiones peccandi aufert, ut potè diuitias, sanitatem, potentiam, &c. ut procedere cogamur vel inuiti in via iustitiae. Tertio, voluit quidem eos ducere in terram bonam, verum non per proximam viam, sed per desertum, ut prius multis laboribus exercitati ad terram promissam anxius anhelarent. Diuina enim bonitas semper nostram permouet utilitatem. Discimus igitur militiam esse vitam nostram, *Job. 7.* & per multas tribulationes nos intrare in regnum caelorum. *Acto. 14.* Discimus hic secundo, neminè coronare, nisi qui legitime certauerit: & ad magna praemia perueniri non posse, nisi per magnos labores Hoc autè fit ad utilitatem nostram, ne ocio & luxu diffuamus, animoque haereamus terrenis. *2. Tim. 2.*

Et armati ascenderunt filij Israel de terra Aegypti.

Nec hoc omittere voluit Moyses, videlicet in exemplum nostri, qui non ad ocia de Aegypto huius seculi, sed ab bella vocati sumus, contra Barbaricas acies vitiorum, aduersus phalanges immundorum spirituum: Non inquit, nobis est *l. 2.*

ANNOTATIONES

Ephes. 6. aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principes & potestates, &c. Induit igitur armaturam Dei, &c. State succincti lumbos, &c. Ad hoc autem bellum nō dum idonei sumus ante rubri maris transitum: nihil enim fortiter agere possumus ante præceptum salutare baptismi sacramentum.

Tulitque Moyses ossa Ioseph secum.

Gen. xlvii.

Sacrosancta semper fuit & esse debet iuramentū religio, propterea, quōd diuini nominis inuocatione celebratur. Et id ipsum patriarchę fides promeruerat. Cur autē Ioseph hoc præceperit, suprā dictum est. Deinde, vltima & pia voluntate non sunt fraudandi morientes. Vide autē admirandū ordinem diuini iudicij, venditores fratris fecit Deus descēdere post ipsum in Aegyptū, & non ipsi viuentes viuū reducerunt, sed ipsis defunctis & illic remanentibus filij eorum mortuum reuixerunt, eisq; in peregrina terra sepultis hic reconditus est in terra & hereditate patrum. Cæterū, sicut Ioseph voluit, vt ossa sua filij Israel secum ferrent, sic Christus vult cum suis esse vsque ad consummationē seculi. Discamus vt exituri à peccatis Christum nobiscum sumamus, alioqui non persistemus.

Matt. 28.

Profectique sunt de Socoth, castrametati sunt in Etbam in extremis finibus solitudinis.

Socoth interpretatur tabernacula. Sic autem nominatus fuit locus ille, in quo primò tabernacula fixerunt Israelitæ ad perpetuam rei memoriam. Nunc igitur ad mare & desertum veniunt. Exeuntibus enim ex Aegypto, primò occurrit baptismus, & postea desertum pœnitentiæ, quod horrendum quidem videtur & incultum, diuinis tamen consolationibus plenum est, vnde sequitur:

Dominus autem præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.

Alioqui quis desertum hoc transire posset, nisi Dominus adesset, præcederet, custodiret, & viam ostenderet. Vide autem bonitatē Dei & curam erga suos. Primò, semper præsens aderat populo: Deinde ad maio
sem

rem consolationem externo signo presentiam suam ostendebat: Tertio, tam nocte, quam die ipsis aderat: Quarto, nec ad momentum ab ipsis discedebat, unde & in Numeris dicitur, quod ad motionem nubis etiam Num. 9. mouebant castra, &c. Postremo ea signa presentiae sug- dat, quae iuxta oculorum naturam ab omnibus videri poterant. Ignis enim facile videtur in nocte, & nubes facile videtur in die. Non autem e conuerso. Omnia haec etiam nos spiritualiter habemus: Primo enim Christus est dux itineris nostri: Ego, inquit, sum via, Ioan. 14. veritas, & vita. Et vobiscum sum usque ad consumma- Matt. 28. tionem seculi. Nec solum spiritualiter nobis praesens est, sed etiam corporaliter, & in signo visibili, scilicet, sacramento. Christus est columna, quia in se firmus & rectus infirmitatem nostram fulciens. Christus est ignis & nubes, id est, Deus & homo, quam diu nox erat, ignis tantum erat, id est, Deus: vbi autem dies gratiae. i. tempus miseratiōis aduenit, nubes factus est, qui ignis erat, id est, homo, vel caro factus est, qua diuinitas eius cōtegeretur. In nocte veteris testamenti paucis lucebat, in die autem noui omnibus lucet. Etsi enim tectus sit nube, plus tamen lucet sol in die etiam nube tectus, quam ignis in nocte, quantumcunque magnus. Item, Christus ignis & nubes est, id est, terribilis & mansuetus: Terribilis impijs, pijs mansuetus. Item, nunc est nubes, quia & pluuiam salutarem nobis dat, & ab aestuationum protegit. Per diem, inquit, sol non v. Psal. 120. ret te, &c. quia Dominus custodit te, &c. In iudicio autem erit ignis consumens. Item Christus ignis est in nocte illuminans, scilicet eos, qui se tenebras agno- Ioan. 9. scunt. In die autem nubes est, abscondens se superbis, iuxta illud: In iudicium veni in mundum, vt non videntes videant, & qui vident, caeci fiant: Et iterum: Matt. 11. Abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, &c. Et iterum: Vobis datum est nosse Matt. 13. mysterium regni, &c.

CAPVT XIII.



In hoc capite Moyses describit plenā & perfectam Israelitarum liberationem, & è regione, finalē Aegyptiorū perditionem. Liberati quidem erant Israelitæ, sed ex parte tantum. Educti enim erant, sed nondum securi, donec mare transiissent. Sic & Aegyptij multipliciter quidem puniti erant, sed nondum emendati. Videbimus igitur in hoc capite, quanta potentia & gloria Deus suos liberet, & quanta ira impios damnet, ut ex altero spem, ex altero timorem discamus: vtrumque enim necessarium est.

Reuersi castrametentur è regione Phihahiroth, &c.

Hic videmus, quàm mirabiliter Deus suos ducat: Primò enim cum promississet eos ducere ad terrā Chanaan, nunc eos reuerti iubet. Deinde, cum promississet se eis affuturum, ducit eos in periculosissimum locum, vbi motibus & mari clausi erāt, nec vllum patebat effugium. Nihil tamen horum sine causā factū est: Primò, reuerti eos ideo iubet, quia nolebat eos ducere per terrā Philistinā, ut dictum est. Secundò, ut impius rex crederet eos errare in solitudine, sicq; animosior fieret ad ipsos persequendum, quos videbat ante oculos suos vagari. Sic enim Deus; cum tempus perditionis impiorum adest, obicit eis quasi escam, quā cupiētes, sua sponte currunt ad locum, vbi pereant. Sic impius Achab desiderio cupiendi Ramoth Galaad, perrexit ad locum, vbi periret. Idē contigit regi Sennacherib, &c. Sic & nunc ut plurimum, desideria sua sequentes, eo perueniunt, vbi pereant vel gladio, vel aquis, vel alia via. Idem contigit Pharaoni. Tertiò, ideo reuerti eos iubet, ut probaret fidem eorum, festinabant illi è conspectu Aegyptiorum effugere, at Deus quasi hac via non posset eos educere, aliā querit, ut videat, num credere velint aut possint. Nec enim dubium est, quin multi eorum iam dubitauerint, id est, quodam modo despera-

Exo. 13.

3. Reg. 22.

4. Reg. 19.

despera-

desperaueriat. Sic enim affecti sumus, vt tunc quidem credamus Deo promittenti, cum statim promissa implet. Cum autem differt, aut contrarium ostendit, statim desperamus. Atqui non est vera fides, quæ in tentatione nõ probatur. Nec vult Deus, vt tantum ei credamus in prosperis, sed etiam in aduersis, imò tunc vel maximè: Ea enim est vera fides. Ideo promissa differt, vt probet fidem & exerceat. Hæc igitur ideo sic scripta & facta sunt, vt hinc discamus Dei naturam esse, vt tentationibus probet fidem nostram, & quòd non ideo differat promissiones implere, quòd non possit aut non velit, sed vt probet.

In conspectu eius ponetis castra super mare.

Alia tentatio & maior, quòd non tantum eos reuertijubet, sed etiam in periculosissimo loco castrametari, inter montes scilicet & mare, vt scilicet magis irritaretur Pharaos, & magis timerent filij Israel, denique, vt eò magis gloria Dei innotesceret, è tantis periculis eos liberantis. Sic Deus ducit ad inferos & reducit: sic semper præcipit, quæ carni cõtraria sunt. Caro enim ardua quæque horret, & vult esse in tuto. Docemur autem hic, ne rei arduitatem consideremus, sed verbum Dei. Vnde Christus: Si habueritis fidem, dicetis Mat. 11. monti huic, tollere & mittere in mare, fiet, &c. Sic & in Zacharia dicitur: Quis tu mons magne coram Zo Zach. 4. robabel? in planum redigeris, &c.

MYSTICE.

Electos suos Deus nec in Aegypto vult habere, id est, in mundanis tenebris: nec ad Philistinum eos ducit, id est, ad hæreticos: sed vult, vt inter montem & mare castra ponant, id est, inter Christum & baptismum.

Dicitur enim Pharaos super filijs Israel.

Nunquam audacior fuit Pharaos, quàm cum propinquissima erat ipsius perditio. Iam putabat se, quod dudum cupierat, consequi posse: iam putabat ipsos euadere non posse, iam potentia diuinæ oblitus erat. Sic impij appropinquante iudicio maximè insaniunt, Gen. 19. id, quod & in Sodomitis videmus. Omnia autem hæc

ANNOTATIONES

hæc prædicit Deus Israelitis, & Pharaonis audaciam, & quid ipse facturus sit, vt eò minus timeant. Pulchrè autem opposita iuxta se ponit: Ipse (inquit) dicturus est, &c. Ego autem indurabo cor ei⁹. Ipse cum magna potentia egredietur, ego autem glorificabor in eo. Verè autem dictum est: Glorificabor in eo; tam secundum historiam, quàm secundum allegoriam, quia videlicet cùm multa fecerit magnalia in Aegypto, nullo magis glorificatus est, quàm eo, quòd sic terribiliter eos demersit. Et cùm in cælo & terra fecerit magnalia sine numero, de nullo gloriosius prædicatur, quàm de eo, quòd per humilitatem Christi diabolus deiecit, & cõsilium eius præcipitavit. Cæterùm, quòd dicit: Indurabo cor eius, idem est, ac si diceret. Nec nunc ei gratiam, qua cor ipsius molliatur, dabo, Vel indurabo, id est, odiũ, vel liuorẽ eius, felicitate exeuntium torquebo, quemadmodum & suprà dictum est.

Et nunciatum est regi, quòd fugisset populus.

Hic enim aulici contemptim loquebantur. Vel fugisse dicuntur, quia ultra viam trium dierum procedebant. Vel intelligi potest de promiscuo vulgo, quod Israelitas secutum est. Maximè autem propter spolia, quæ asportauerant Israelitæ, exarserunt Aegyptij. pœnituitque eos boni, quod fecerant. Sic enim propter temporalia sæpè à bono incœpto resiliimus, vnde & maius damnum incurrimus.

Iunxit ergo currum suum, & populum suum assumpsit secum.

Hic videmus victã fuisse pœnitentiã Aegyptiorum. Videmus secundò, quomodo impij insaniant præsentè iudicio Dei. Videmus tertio, quibus rebus confidat, nèpè in curribus & equis, vt psalmus dicit. Verũ, quid possunt currus & equi contra Dominum? Aegyptus homo, & non Deus, & equi eorum, caro & non spiritus. Vnde subditur:

Illi autem egressi erant in manu excelsa.

Elegantissima oppositio. Excelsũ videbantur currus
Pharao.

EXO. 12.

PSAL. 19.

ISA. 34.

Pharaonis, sed reuera manus Domini fortior & excellior est.

ALLEGORICE.

Tunc nunciatum est diabolo, quòd fugisset populus, quãdo resurrectionis Christi gloria prædicari cœpit, & signum victoriæ eius effulsit, vt audirent omnes gentes, quòd princeps huius mundi iam iudicatus esset, & idcirco transfugerent ad regnum victoris, titulumque ipsius acciperent in frontibus suis. Tunc, inquam, diabolus audito tam tristi nuncio tulit electos currus suos, & quicquid curruum in Aegypto fuit, id est, Neronem, Domicianum, Traianum, Diocletianum, &c. hi enim fuerunt electi currus diaboli, quorû equi rufi erant propter sanguinẽ Martyrum, quem fuderunt. Sic itaq; diabolus persecutus est fugientes, sed frustra: illi enim egressi erant in manu excelsa. Si enim Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? &c.

Moraliter, etiam nunc persequi non cessat egredientes è peccatis. Timendum igitur & vigilandum, orandumque.

Leuantes filij Israel oculos, viderunt Aegyptios post se, & timuerunt valdè.

Pulchrè hîc præostensum est, quales simus in tentationibus, & quàm facillè desperemus. Iuxta hoc tamen etiam hîc ostenditur, quàm non relinquat Deus suos in tempore tribulationis, quàmq; opportunè adsit suis. Scripta sunt autem hæc & alia ad doctrinam nostram, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Primum autem, quòd in tribulatione facimus, est, quòd leuamus oculos, circumspicimus, auxilium quærimus. Item in tribulatione aperiuntur oculi, videmus, quæ antea nõ vidimus, per periculum scilicet nostrum, imbecillitatem nostram, &c. Felix autem, qui in tali statu rectè leuat oculos, & scit, vbi auxilium quærendum sit. David hæc sciebat, cum diceret: Leuavi oculos meos in mōtes, &c. Item: Ad te leuavi oculos meos, qui habitas in cælis, &c. Verùm non omnes hoc faciunt. Poterant Isra-

litar

ANNOTATIONES

litæ oculos leuare ad columnam ignis & nubis ipsos præcedentem, hinc inuenissent auxilium & consolationem. Sed quid? Viderunt, inquit, Aegyptios. Sic nobis in aduersis semper peiora occurrunt, non attendimus, quid Deus promiserit. Sic homo moriturus tantum terribilia illa cogitat, peccata, mortem, infernum, &c. Quid autem inde sequitur? Timuerunt, inquit, valde. Nec mirum: quomodo enim non timerent, qui oculis à columna nubis auersis tantum Aegyptios considerabant? Et nobis planè desperandum erit, si oculos tantum in terribiles illas species peccati, mortis, inferni, diaboli, &c. & non in Christum omnium horum victorem coniecerimus. Quis enim tam firmus est, qui huiusmodi terribilibus formis non terreatur, si solus sit? Non igitur Israelitas in hoc facto imitemur, sed Dauidem, qui oculos suos non in hostium multitudinem, sed in Dei potentiam conieiebat. Dominus, inquit, mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Et iterum: Dominus illuminatio mea, & salus, quæ timebo? &c. Et Paulus: Aestimati sumus sicut oves occisionis, sed in his omnibus superamus, &c. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? &c. Docet igitur hic locus, quòd non consistamus ex nobisipsis in reuratione. Exierant Israelitæ in manu excelsa, id est, læti & alacres, magna sperantes, nihil timentes: hinc autem viso tantum hoste concidunt, desperant. Verissimè igitur dixit Iob: Nō est fortitudo mea fortitudo lapidum, nec caro mea ænea. Magna quidem præsumimus, sed statim deficimus. Sequitur. Et clamauerunt ad Dominaū. hoc primùm facere debuerant, quòd vix vltimò faciunt. Certissimum enim remediū in tribulationibus est, clamare ad Dominum. Cùm ignoramus, inquit, quid agere debeamus, hoc residui habemus, vt oculos nostros leuemus ad te, &c. Vides autem, quòd timor & tribulatio ad Deum nos quasi compellunt & clamare faciunt, sed pios tantum. Nam impij magis per hæc ad desperationem & blasphemiam perducuntur. Vnde subditur:

Forsitan

*Psal. 117.
Psal. 26.*

Rom. 8.

Iob. 6.

2. Par. 20.

Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto, ideo tulifti nos, vt moreremur in ſolitudine.

Vide ingrati tudinem, imò impietatem cordis hu mani. Quoties Moyses periculo se exposuerat pro ip sorum liberatione, nunc autem hoc præmium repor tat, vt ei conuicietur, & cæt. Sic impij homines in ad uerſis & Deum & ministros Dei blaſphemant. Vide mus etiam hîc periculũ eorum, qui populo præſidente hi enim nedum ab extraneis, ſed vt plurimũ à ſuis inſeſtãtur. Id, quod omnes Prophetæ experti ſunt. At tende etiam, quàm impia loquantur. Summum bene ficium Deus ipsis impenderat, eos educendo, hoc ipſi in peiorem partem interpretantur, quaſi ideo eos e duxerit, vt occideret in deſerto. Deinde, quòd prius ſummo ſtudio deſiderauerant, hoc nunc factum eſſe dolent. Quid, inquiunt, feciſti nobis ſic? Præterea, im piè loquuntur in eo, quòd dicunt melius eſſe ſeruire Aegyptijs, quàm mori in ſolitudine. Cõtrarium enim verum eſt. Qui enim in eremo moritur, hoc ipſo, quòd ab Aegyptijs ſeparatus eſt, id eſt, ab impijs, vel à recto ribus tenebrarum, habet profectum aliquem, etiam ſi ad integrum non potuerit peruenire. Melius eſt enim perfectam vitam quærenti in itinere mori, quàm nun quam ſurgere ad proficiſcendum. Errant igitur, qui dum arduum & periculofum iter virtutis eſſe expen dunt, iudicant non incipiendum. Melius eſt enim in i tinere mori, quàm cum Aegyptijs interire.

Nolite timere: ſtate, & videte ſalutem Domini, quam vo bis facturũ eſt hodie.

Verè magnifica acclamatio & exhortatio. Vides hîc manſuetudinem ipſius Moysi, qui tantis conuicijs la ceſſitus nihil durum reſpondet. Vnde benè de ipſo di citur, quòd fuit vir mitiſſimus. Vides deinde exem plum boni paſtoris, qui ſumma diligẽtia ſtudet deſpe rabundos conſolari, ac auertere ipſos, ne blaſphemijs Deũ ad irã prouocent. Vides item magnam ipſius fi dẽ, qui in tanta neceſſitate poſitus, & vndiq; circũclu ſus, omnibus alijs deſperantibus tam nihil dubitauit,

Num. 12.

ANNOTATIONES

imò tanta fiducia diuinæ promissioni inhæsit, vt dicere potuerit: Nolite timere. State tantum & videte. Videbitis magnalia Dei, quæ autem sunt illa? Subdit: Aegyptios, quos nunc videtis, &c. Ne quis autem diceret, quomodo hoc possibile est? Respondet: Dominus pugnabit pro vobis, &c. Vtinam tales essent omnes, quibus incumbit præesse populo Dei. Quis sub tam forti duce desperaret? Atqui si attendimus, non desunt nobis huiusmodi duces, Christus scilicet & Apostoli, imò quotidie audimus huiusmodi acclamations. Clamat totum Euangelium Christi, ne timeamus multitudinē hostium, sed Christum inspiciamus. hinc toties dicit: Ego sum, nolite timere. Clamant omnes

Matt. 14.
Sc Lu. 42. Apostolorum epistolæ, vt stemus, & perseueremus in fide, & videamus Dei magnalia. Clamat tota scriptura Dominum pro nobis pugnaturum, nobis affuturū; Si potest, inquit, mulier obliuisci infantis sui, & ego obliuiscar tui, &c. Et Christus: Cōfidite, ego vici mundum. item: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Denique & omnis scriptura clamat, inimicos nostros interituros. Peribunt, inquit, omnes cogitationes eorum. Et impij tanquā puluis, quē proijcit ventus à facie terræ. Item: Sicut fluit cæra à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei. Quid igitur dubitamus tantas habentes promissiones?

ALLEGORIA.

Hostes nostri, id est, peccatum nos sequuntur vsq; ad mare, id est, baptismum. Illic autem nobis dicitur: hostes, quos nunc videtis, in æternum non videbitis amplius. In baptismo enim sic abolentur peccata, vt nunquam amplius eorum recordetur Deus ad pœnā. Hoc autem non nostra virtute fit, sed quia Dominus pugnat pro nobis.

Quid clamas ad me?

Indicat hoc verbum Moysen in magnis fuisse angustijs nedū propter hostes, sed maximè propter populum suum, ne scilicet murmuratione sua Deum ad iracundiam prouocarent. Mirum autem, qd soli Moysi dicitur:

dicitur, Quid clamas ad me? cum non dubium sit, etiam alios clamasse. Clamabat populus, sed modica fide. Et cum non statim exaudirentur, à clamore ad murmurationem se conuertebant. Unde digni non erant, ut diceretur eis: Quid clamatis ad me? Clamabant etiam Aegyptij, sed contra DEVM, ideo paulò post mercedem meritam percipienturi sunt. Solus Moyses verè clamat ad Deum, unde & exauditur. Vbi videmus Dei misericordiam, qui cum multi essent, qui murmurarent, & vnus tantum qui oraret, tamen Deus propter vnum omnibus parcat. Ita & nunc facit, quanquam in Sapiète dicatur: Vnus orans & alter *Ecccl. 34.* maledicens, quem exaudiet Dominus? Quid autè clamauit Moyses? Externa voce clamabat, nolite timere, &c. prædicabat Dei gloriam, &c. hoc Deo placebat. In tus in corde non minus clamabat ad Deum, ut promissiones suas impleret, ut gloriam suam ostenderet, ut non differret propter populi murmuraciones, &c. Videmus itaq; hic, quantum Deo placeat fides in verbum eius. Videmus itè, quid possit oratio ex fide perueniens, & q̄ semper exaudiatur, omniaque impetret, iuxta promissum Christi. Videmus item q̄ Deus etiã *Mat. 22.* affectus cordis exaudit, etsi non adsit strepitus verborum, imò ea demum est vera oratio, vbi cor eleuatur in Deum. Quid igitur cõquerimur de aduersitatibus, qui tot & tantas consolationes habemus?

Loquere filijs Israel, vt proficiantur.

Mira Dei bonitas, qui nihil offensus ipsorum murmuracionibus pergit ipsis benefacere, verè pius & longanimus, & præstabilis supra malitia. Mira etiam Dei potentia hic videtur, qui iubet eos proficisci, quantumuis obstarent montes & mare. Alius dixisset, quò poterimus proficisci, sic inclusi: sed Deo omnia plana sunt. Quis tu, inquit, mons magne coram Zorobabel? in *Zach. 4.* planum eris.

Moraliter autè iubentur pij semper proficisci, quantumcumq; obistere videantur: Fide enim omnia per rû. perepossunt, ut infra patebit.

ANNOTATIONES

Tollensque se angelus Domini, qui precedebat castra Israel, abiit post eos, &c.

Verbum bellicū est, quasi magno negotio habuerit ad tollendum arma, machinas, sarcinas. Vide autem hic Dei bonitatem, quomodo pijs cōdescendat. Prius consolatus eos fuit per verbū Moysi, nunc re ipsa cōsolatur, in eo quod angelus se ponit inter vtraque castra, idq; visibiliter in colūna nubis. Q. D. vel in hoc videtur quod ego pugnaturus sum p vobis. Videmus hic q; verè dixerat Dauid: Immittit angelus in circuitu timentium Deū, & eripiet eos. Imò hic videmus, quā verè de iusto dicatur: Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuū. Verè enim nos p̄cedit & sequitur. Ante nos, & post nos, & circa nos est. Alioqui quomodo possemus consistere? Hinc Dauid: Misericordia tua ante oculos meos est. Et iterum: Misericordia tua subsequitur me omnibus diebus. Non igitur habemus occasionem desperādi, sed gratias agendi: Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos?

Et erat nubes tenebrosa & illuminans noctem, ita vt ad se toto noctis tempore accedere non valerent.

Secundum diuersa scilicet merita: pijs enim lucebat, impios excæcabat, Hoc idem videmus in mundo: Pij enim lucem habent, iuxta illud: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Quantūcunq; enim malorū ingruerit, vident quomodo perrumpere possint. Impij aut non vident, quia etiam in prosperis nesciūt quomodo rebus bonis benè vtantur. Quod aut sequitur, ita vt ad se inuicem tota nocte accedere non possent, palam ostendit, vnde sit, quod diabolus & mali homines non tantū nocere possunt, quantum cuperent; hoc inquam non fit ex fato aut constellatione aliqua, sed ex eo, quod Deus se interponit & iustos defendit. Igitur ipsi gratias agamus, &c.

ALLEGORIA.

Columna nubis Christum significat, qui pijs lux est, impijs excæcatio. Prædicamus, inquit, Christum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, electis autem Dei

Psal. 35.

Psal. 120.

Psal. 25.

Psal. 22.

Rom. 8.

2. Cor. 1.

Dei virtutē & sapientiam. Quod autem columna illa priora dimisit, & post tergū & Israel inter castra Aegyptiorū Israelitarū se posuit, hoc significauit, quod nunc firmiter credit & tenet Ecclesia, nempe q̄ Christus, qui nos præcessit, quiq; antequam eū sciremus, abiit, trāsīuit, & præcursor pro nobis in celū introiuit. In hora tamen baptismi adest baptizatis, iuxta illud: Euntes baptizate, &c. Ecce ego vobiscū sum, &c. Nec solū adest, sed etiam hostes nostros, id est, peccata prohibet, ne rota hac nocte, id est, vita præsentī ad nos accedere possint. Moraliter autem quilibet prælatus debet esse talis columna, id est, non tantū præcedere populum, sed etiam se opponere hostibus.

Cumque eleuasset Moyses virgam.

Per virgam & percussione[m] Deus aperuit mare, vt omnes viderent Dei opus esse. Quod autē addit, Dominus abstulit mare, ideo factum est, ne quis huiusmodi virtutem fuisse credat in virga: Non, inquit, virga mare abstulit, sed Dominus. Dicunt autem Iudæi, quod mare in 12. diuisiones tunc diuisum fuerit, iuxta numerum 12. tribuum, hoc probant ex Psal. Qui diuisit Psal. 135. mare rubrum in diuisiones, &c. Nec solū mare abstulit, sed & vento flante fundum eius siccauit, vt facilius incedere possent. Sic Deus vbique curam suorum Psal. 90. agit, ac nedum impedimenta aufert, sed etiā leuem & facile[m] viam præstat, in super & in manib. portat, ne pedē impingamus in lapidem. Videmus hīc Deū esse Dominum super mare, & ventos, & omnia ei ad nutū seruire. Videmus, quā facile Deus possit omnia impedimenta tollere. Videmus itē, quid nobis agendū sit in periculis, nēpe vt stemus, clamemus, ac virga percutiamus mare tribulationis. Virga, fides nostra est, quæ mare diuidit & tollit: hæc, inquit, est victoria quæ vincit mundū, fides nostra. Hac virga sancti vsi sunt in omnibus periculis: Sancti, inquit, per fidem vicerunt regna, &c. Obturauerunt ora leonum, vt Samson, & Dauid, & Daniel: Extinxerunt impetum ignis, vt tres pueri: Conualuerunt de infirmitate, vt Ezechias:

I. IOAN. 3.
Hebr. II.

ANNOTATIONES

Fortes facti sunt in bello, vt Dauid, Iosue, Machabæi, Iosaphat, &c. Nihil tam magnum, quod hac virga non propulsetur.

ALLEGORIA.

Virga Moysi potestas Christi est, & vnica regula baptismi, quam super aquas extendere iussit ducibus populi sui: Data, inquit, est mihi omnis potestas, &c. Euntes igitur baptizate, &cæ. Ad hanc virgam, id est, ad hanc vocem potestatiuam diuiduntur aquæ, vt ingediantur filij Israël, id est, aperit se gratia spiritus sancti, suscipiens filios diaboli renascituros in filios Dei, filios iræ, regenerandos in filios gratiæ. Huic consonat quod Iudæi dicunt de rz. diuisionibus maris. Sic enim & in vno spiritu multæ sunt gratiarum diuisiones, quæ baptizatis in Christo aperiuntur. Vnum quidem mare est vnus baptismus, vnus spiritus, quem omnes æqualiter percipiunt, quò ad donum illud summum, id est, remissionem peccatorum, non autem quo ad alia dona.

1. Cor. 12.

Et ingressi sunt filij Israël, per mediũ sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & leua.

Quis hinc non obstupescat ad tanta miracula? Quid mirabilius & quodammodo incredibilius, quàm quòd homo per mare incedere possit, quòd in medio mari siccus transitus sit, quòd aqua stet sicut murus? Omnia tamè hæc hinc videmus, imò etiam nunc experimur. Sicut enim illi nullã aliã viam habuerunt, nisi per mare: sic nobis per baptismũ transeundum est. Et sicut illis mare videbatur comminari interitum, sic baptismus noster mortificationem veteris hominis præ se fert. Habebant illi ex vtraq; parte aquas, & nos habemus duplices tentationes à dextris & sinistris, corporales & spirituales, in prosperis & aduersis, præsentibus & futuris. Verè magnæ & multæ aquæ. Sicut autem illis in fide ambulanti bus aquæ nihil nocuerunt, sed velut murus steterunt: sic fideles nullis tentationibus opprimuntur, sed semper exitum inueniunt. Nec dubiũ, quin illi nedum in fide, sed etiã in timore transierint

Rom. 6.

1. Cor. 10.

marc,

mare non ridentes, nō garrientes, sed festinantes: Videbant enim se in periculoso loco esse. Sic nobis faciendum. Noli altum sapere, sed time.

Et persecuti sunt eos Aegyptij, &c.

Vide quanta cæcitas & obstinatio. Si nullum aliud signum diuinæ potentæ vidissent, quàm hoc vnum, timere debuissent. Nunc autem manifestissimè vident Dei potentiam in apertione maris, nec tamen timent. Verè igitur de impijs dicitur: Non est timor Dei ante oculos eorum. Data igitur opera in periculum se exponunt ingredientes in mare: impius enim semper est in periculo, quantò magis in mari inter medios fluctus, & quasi montes aquæ. Sic autem excæcavit eos primò longanimitas diuina, quia enim aquæ stabant Israelitis transeuntibus, putabant etiam ipsis staturas aquas. Deinde excæcavit eos inuidia perdendi Israelitas. Tertio avaritia recuperandi ablata bona. Maximè autem excæcavit eos iudicium Dei: venerat enim hora ipsorū. Sic & adhuc hæc quatuor excæcant impios, vt plerunque manifestis periculis se exponāt, &c. Mirum autem, quòd inter tot Aegyptios nullus fuit, qui dissuaderet ingressum maris. Verùm sic fit Domino iudicāte, vt fugiat à nobis mens & consiliū. Auferam, inquit, à Hierusalem iudicem & prophetam, consiliarium & sapientem, &c. Et nobis quoque non parua imminent pericula, imò magni montes aquæ, nec tamen cogitamus, sed in incepto perstamus &c. Quid igitur boni expectandum?

Iamque aduenerat vigilia matutina.

Omnes iam in mari erāt tam boni, quàm mali, sed non omnes iterum exierunt. Insaniebant Aegyptij etiam in medio mari, sed insania eorum statim habebat finem. Contrà, filij Israel cum silentio & timore transibant. Emphasim autem habet, quod dicit, Iam aduenerat, &c. q. d. Interim dum impij insaniunt, tempus iudicij appropinquabat, imò iā aderat. Propè, inquit, est dies ultionis, & adesse festinant tempora. Tempus non tardat, etiam si nos tardamus: Volat irreuocabile

ANNOTATIONES

tempus. In vigilia autem matutina perduntur impij, quia potestas eorum est in nocte, vnde dicitur potestas tenebrarum. Ad ortum autem solis iustitiæ perit ipsorum potentia.

Matt. 26.

Respexit Dominus super castra Aegyptiorum.

Exod. 3.

Suprà dicitur Deus vidisse afflictionem populi sui, hoc autem erat oculo misericordiæ, & compassionis; hîc autem impios respicit oculo iustitiæ. Viderat eos etiam prius: (Omnia enim nuda & aperta sunt oculis Dei) sed nûcita eos respicit, vt punire velit. Vnde statim sequitur:

Hebr. 4.

Interfecit exercitum eorum.

Iosuz 10.

In Hebræo habetur, Turbauit castra eorû vel quòd è nubæ fulgura & grandinem in ipsos miserit, quemadmodum contra reges Chananaeorum; vel quòd eos aduersus seipso incitauerit, vt se inuicem impedirêt, occiderent, quemadmodum & Madianitis contigit, contra quos Gedeon pugnauit; vel denique quòd omne eis auxilium, consilium, & effugium abstulit, vt nemo alterû audiret. Sic enim Deus cûm punire vult, immittit spiritum vertiginis, vt nemo alium audiat etiam benè consulentē, vel vt nemo rectè cõsulere possit. Vnde sæpius post plagam acceptã dicimus: Si hoc cogitassem, istud nõ euenisset. Dominus igitur quos punire vult, prius turbat. Vnde subditur:

Iud. 7.

Isa. 19.

Subuertit rotas curruum, ferebaturque in profundum.

Amos. 5.

In currib. hi fidebāt & equis, &c. & ecce Dominus in momento currus subuertit. Sic tēpore iudicij omnia, in quibus confidimus, auferûntur: Ante iudicium multa nobis pollicemur effugia, sed in iudicio omnia cadût. Vç, inquit, desiderâtibus diē Domini. Erit enim dies illa tenebræ, & non lux. Quasi si quis fugiat leonē & occurrat illi vrsus, &c. Itemq; Dominus patiens & magnus fortitudine, &c. Ante faciem indignationis eius quis stabit? Feruntur autem impij in profundum, quia nunquam resurgunt, &c.

Nabum 1.

Fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eîs contra nos.

Hîc tandē sapere incipiunt, sed nimis tardè: iam e-

nido

nim iudicium Dei inceperat. Itaq; fugit quidem impius, sed nō effugit. Nō, inquit, erit fuga eis, &c. Felix, qui in tempore fugit, & in tempore scit, quod Deus pugnat pro pijs: is enim cauebit ipsos offendere, nimirum videns, quod durum sit cōtra stimulum calcitrare. Semper pugnat Deus pro pijs, verūm impij non semper hoc credunt aut sentiunt. In iudicio autem videbunt, in quem compunxerunt.

Fugientibus autē ipsis occurrerunt aquę, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.

Hic contra impios armatur creatura: aqua enim, quę pijs iter præbuerat, impios interimit. Inuoluit, inquit, eos Dominus, nimirum vt nūquam se possent euoluere. Denique, ne vnus quidem euadit. Hic finis est obstinatę impietatis. Sic periunt impij cum sonitu. Hic igitur impletum est illud Psalmistę: Vidi impium exaltatum sicut Cedrum Libani. Transiui, &c. ce non erat, &c. Vbi nunc est gloriosus ille Pharaō, qui dixerat Nescio Dominum, & Israel nō dimittam? Vbi eius superbia, &c. Transierunt omnia tanquam umbra, &c. Hic igitur videmus, quā verē dixerit Dauid: Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientię eius, non est numerus. Verē magnus Dominus qui tam mirabiliter suos eripere potest. Verē magna virtus eius, coram quo tam facile prosternitur omnis humana potentia. Verē sapientię eius non est numerus, qui opera sua tam sapienter administrat, vt nemo queri possit. Non poterant Israelitę dicere se neglectos, nec Aegyptij se iniuste punitos. Discamus igitur timere Deum. Congregamini, inquit, gens non amabilis antequam veniat super vos ira furoris Domini, Discamus ne vnquam pios molestemus: Dominus enim pugnat pro eis. Discamus in nulla quantumuis magna tentatione desperare: Deo enim nihil impossibile. &c.

Filij autem Israel perrexerunt per medium siccis maris, &c.

Mira Dei opera, quod illis fuit exitio, his fuit auxilio. Sic Deus omnia moderari nouit. Diligētibus Deū

Act. 9.

Psal. 36.

Sap. 5.

Psal. 14.

Soph. 2.

Rom. 2.

Matt. 24.

ANNOTATIONES

Rom. 8.

Matt. 24.

Psal. 136.

omnia cooperantur in bonum. Sicut igitur hic in mari alij quidem pereunt, alij euadunt: sic in iudicio vnus assumetur, alius relinquetur. Nec solum euaserunt Israelitæ, sed & viderunt Aegyptios mortuos. Atque hoc est, quod psalmus dicit: Cùm perierint peccatores, videbis. Viderunt item manum magnam Domini, &c. Verè magna manus: Quis enim alius hæc potuisset?

Timuerunt Dominū, & crediderunt Deo, & Moysi seruo eius.

Hic est verus fructus & vsus operū Dei, vt hinc discimus timere Dominum. Verè magnus fructus: Timor enim Domini expellit peccatū. Nec tamē satis est timere Dominū, nisi & credamus, confidamus, & speremus. Vtrunq; necessariū est. Sic igitur liberauit Dominus in illa die Israelē, &c. Liberauerat eū & prius in eductione, sed non plenè: nunc liberauit perfectè. Sic & Christus dupliciter liberauit nos, primò, in passione: secundò, in resurrectione. Itē liberauit nos sua passione, sed eius liberationis tunc participes sumus, cùm ad baptismum peruenerimus, imò cùm per baptismum transferimus. Alioqui nihil prodest nobis passio Christi, nisi & hic in baptismo perfectè liberemur.

CAPVT XV.



N hoc capite Moyses cum populo suo gratias agit pro liberatione sua. Est autem elegantissimum carmen, & quo vetustius non legitur in quibuscunq; humanis literis, in quo participes tantum eximij beneficij sese mutuò cohortantur ad gratiarū actionem. Qui enim acceptis beneficijs se præstat gratum, fit dignior exhibendis. Hoc autem cantico vtitur Ecclesia, & quidem optimo iure. Omnia enim verba huius cantici adaptari possunt ad ea, quæ per Christū accepimus in liberatione nostra. Curandum igitur, ne ingratiore ipsi inueniamur, quando certum est, quòd nos maiora percepimus. Illi
siquidem

siquidem euaserunt temporale periculum, nos æternum: illos redemit à seruitute hominum, nos à seruitute diaboli: illis misit angelum, nobis filium suum: illis promiserat terram Chanaan, nobis autem cælum. Non igitur minus grati inueniamur, quam illi. Nam & Deus ipse gratitudinem hominis boni consulit, nec quicquam aliud retributionis exigit. Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me, &c. Psal. 49.

*Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum
& ascensorem deiecit in mare.*

In Hebræo habetur: Cantabo Domino. Necessè enim est, ut quilibet pro seipso gratias agat. Incipit autem Moyses, ut bonus pastor suo exemplo alios prouocaret. Difficulter enim sequitur populus, si non uiderit pastorem præcedere. Nec solum corde gratias agit, sed & voce, imò & canit. Sciebat enim ideo linguam datam homini, ut in ipsa laudaret Deum: sciebat Deum etiam gratiarum actionem uocis & linguæ exigere. 2. Para. 15. Habes igitur hic exemplum externæ laudis diuinæ: uides non esse nouum, sed à pijs semper usurpatum, id, quod & in Dauide patet. Emphasim autem habet, quod dicitur, Tunc cecinit, id est, post acceptum beneficium: tunc enim tempus est gratias agendi. Cum autem nulla sit hora, in qua non magna susceperimus, omni etiam hora Deum laudare tenemur, quod quia non possumus propter externa, saltem statis temporibus Deum laudamus. Hinc Ecclesia exemplo Dauidis septies in Psal. 118. die laudem dicit Deo. Signanter autem dicitur: Cantemus Domino, non nobis, sed ipsi omnia asseribentes. Non enim propter merita nostra, sed propter misericordiam suam nos liberauit. Non tamen exhortatur eos Moyses tantum ad cantandum uoce, sed magis spiritu, quemadmodum & Paulus: 1. Cor. 14. Psallam spiritu, psallam & mente. Cantare autem spiritu, est rem gestam memoriter tenere, & eam solam pro materia cantationis habere. Cantare autem mente, est in exteriori facto mysterium intus persentire. Addit causam Moyses, Quoniam gloriosè, inquit, magnificatus est.

ANNOTATIONES

Non simpliciter, inquit, magnificatus est, sed gloriosè, plus quàm haètenus in omnibus operibus suis. Magis enim Dei potentia ex hoc factò cognita fuit, quàm ex omnibus alijs. Equum, inquit, & ascensorem proiecit in mare. Omnia hæc verissimè de Christo dicere possumus. Verè enim in sua resurrectione & ascensione gloriosè magnificatus est; nam & antè magnificatus est in suis miraculis & doctrina. Vel, gloriosius magnificatus est in redemptione hominis, quàm in creatione. Maior enim hic eius gratia, misericordia, sapientia, & veritas. Denique & ipse equum & ascensorem proiecit in mare. Equus, mundus est; ascensor diabolus, qui mundum quasi freno ad omnia mala trahit. Tunc autem eum proiecit, cùm dixit: Nunc iudicium est mundi: nunc princeps mundi eijcietur foras. Projicitur autem in mare, quia in baptismo potestas eius interit, nobis saluis egredientibus. Vel, proiecit in mare, id est, in lacum infernalem. Olim enim ascendere volentè in cælum proiecit in aerè hunc caliginosum: nunc autè sedentè super equum, id est, infrenatà stultiatiam mundanorum deiecit in profundum lacu. Suo tempore projiciet & equum diaboli, id est, mundum. Vide igitur, ne equus diaboli sis, ne eius freno circumducaris ad vitia, alioquin vna cū ipso peribis. Ideo subdit Isaias: Qui te, inquit, viderint, inclinabuntur ad te, &c. In iudicio autem videntibus cunctis præcipitabitur.

*Fortitudo mea & laus mea, Dominus, & factus est mihi
in salutem.*

Accepta admonitione, nunc chorus vniuersus hoc initio incipit carmè. Magnificè autem de Deo loquuntur. Primò enim hoc verbo distinguunt Dei potentiã à mundana. q. d. Confidebat rex in fortitudine sua, videbatur fortis, sed vbi nunc est fortitudo eius? Nos igitur hoc videntes, in Domino confidamus. Dominus sit fortitudo nostra. Sic David: hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus, ipsi infirmati sunt & ceciderunt, &c. Meritò igitur dicit Ieremias: Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem

Ioan. 12.

Mat. 23.

Ibidem.

Psal. 124.

Ier. 17.

Carnem brachium suum, & contrà. Et nos de Christo verè dicimus: Dominus fortitudo nostra. Fortitudo enim capitis, fortitudo membrorum est. Nisi enim tam forte caput haberemus, sicut hætenus, ex calice iræ Domini bibimus propter Adæ præuaricationem, nec Isa. 5. fuit, qui suscitaret nos ex omnibus filijs nostris, ita & nunc vsque in sempiternum dormiremus sicut bestia illaqueata pleni indignatione Domini. Sed gratias Deo. Dominus fortitudo nostra est. Sicut igitur Moyses non gloriatur de virtute aut meritis suis, sed omnem laudē Deo ascribit, sic nobis faciendum. Vnde sequitur: Et laus mea Dominò. Deniq; ipse factus est mihi in salutē, alioqui planè succubuissē viribus meis.

Iste Deus meus, & glorificabo eum.

Differentiam facit hoc verbo inter Deos gentium & Deum verum. Habuit (inquit) Pharaò Deos suos, & multos quidem, sed eum liberare non potuerunt. Nobis vnus tantum Deus est, qui tamen fortior omnibus illis est. Iste igitur Deus meus, hunc colam, hunc reuerbor, hunc metuam, quæadmodum & patres mei nō alium Deum coluerunt. Obserua, quòd nō satis est dicere: Iste Deus meus: sed oportet etiam glorificare: Si Mal. ego, inquit, pater vester, vbi est amor meus? Et si ego Dominus, vbi est timor meus? Contrà de impijs, quia, inquit, cognouerunt Deum, non tamen eum glorificauerunt, tradidit eos Deus in reprobum sensum, &c. Rom. Isa. 5. Et nos de Christo dicere possumus, Iste Deus meus, &c. quantumuis enim olim despectus fuit & nouissimus virorum iudicatus, tamen verè Deus meus est: Glorificabo eum, non erubescam. Neque Deus recens est: Nā Ioh. 3. antequam Abraham fieret, ipse erat, imò à principio I. h. 1. erat. Denique non tantum Deus meus est, sed & Deus patris mei. Nam & Abraham vidit diem eius, vidit inquam & gauisus est. Ioh. 3.

Dominus quasi vir pugnator. Dominus nomen eius.

Hætenus in generali populum excitauit ad laudem Dei, nunc in speciali Dei opera commēdat, multisq; verbis utitur, ut populo iudæi ansam præbeat Dei mira

ANNOTATIONES

1. Cor. 22. mira opera expendendi. Soli enim, qui à Dei illumi-
 nati sunt, rectè æstimare possunt opera Dei. Carnalis
 enim homo non sapit ea, quæ sunt spiritus Dei. Pul-
 chrè autem Moyses Deum bellatori comparat, Q. D.
 Habuit mundus suos bellatores, Iulios, Pompeios, Sci-
 piones, Alexandros, Annibales, Achilles, &c. quos mi-
 ratur, sed quid sunt omnes illi, si ad Deum cōferantur?
 Multos quidem illi interfecerunt, sed tandem & ipsi
 perierunt. Dominus autem est verus ille bellator, qui
 solo nutu omnes perdere potest, nec opus habet ar-
 mis externis, sed induit pro thorace iustitiam, & pro
Sap. 5. galea iudiciū certū, &c. Addit autē Moyses causam, cur
 Domin⁹ omnes alios bellatores excellit: Nomen, in-
 quit, eius est omnipotens. Hoc nulli alij cōuenit, qua-
 re & ipsi tandem succubuerunt. Denique subdit, quo-
 modo Dominus pugnauerit: Currus, inquit, Pharao-
 nis & exercitum eius deiecit in mare. Non vnum atq;
 alterum deiecit, sed totum exercitum, idque simul &
 vno impetu. Quis non admiretur hunc bellatorem?
 Singula autem verba emphasim habent: Primò, Ele-
 cti, inquit, principes eius, & cæt. qui scilicet sapientia
 mundana, potentia, diuitijs, nobilitate alios præcelle-
 bant, atq; adeò alios contēnebant, gloriabantur de fa-
 uore regis, &c. hi inquam submersi sunt. Nihil eis pro-
 fuit potentia, nobilitas, superbia, fauor regis, &c. Non
Acto. 10. est acceptor personarum Deus. Magnos æquè facile
 perdere potest, vt paruos. Nemo igitur in nobilitate
 confidat, aut diuitijs, & potentia mundana. Deinde,
Abyssi, inquit, operuerunt eos. Non opus habet Deus
 exercitum angelorum mittere contra impios, sed si
 tantūm præcipiat, vnaquæque creatura satis potens
 est impios affligere, vel etiam perdere, id, quod supra
 vidimus in ranis & muscis, &c. sic hïc sola creatura a-
Ier. 5. quæ satis est ad perditionem impiorum. Me ergo non
 timebitis, dicit Dominus? Subdit tertio: Descenderūt
 in profundum quasi lapis. Lapis semper petit ima, &
 cum impetu cadit. Sic impij semper profundius cadūt,
Isa. 24. Deinde ita cadunt, vt non resurgant, Corruet, inquit,
 & non

& non adijciet, vt resurgat. Præterea impij cùm cadere incipiunt iudicante Domino, cum impetu cadūt. Exemplo sint impius ille Aman, Saul, Antiochus, Nabuchodonosor, & hic Pharao. Hinc in Apocalypsi angelus molarem lapidem in mare proiciens dixit: Hoc Apoc. 18. impetu mittetur Babylon, &c.

Possumus hunc locum, Dominus quasi vir pugnator, etiam aliter intelligere, vt sit sensus: Dominus fecit, quod bellatores facere solent: nempe, quod ad tempus dissimulant, cùm autem hora prælij instat, tunc vires ostendunt. Sic Dominus diu dissimulauit, nunc autem ostendit quid possit.

Mysticè autem & Christus, quasi vir pugnator, id est, ad modum pugnatoris fecit. Sicut enim vir pugnator ad modum vel qualitatem hostis se aptat & armis induit: Sic Christus secundum naturam hostis sui nouis & mirabilibus modis bellum ordinare debuit. *Eph. 1.* Erat autem hostis eius non caro & sanguis, sed principatus quidam ac potestas aërea, rector mūdi huius tenebrarum harum, spiritualis nequitia in cælestibus. Non ergo materiali gladio super foemur suum potentissimus accinxit se, non lorica vel galeam ferream induit, sed contra potestatem superbiæ, humilitatem & obedientiã induit: contra spiritualia nequitia, charitatis fortitudinem induit. His armis currum illius *Isa. 14.* Pharaonis, quo super altitudinem nubium se equitare posse confidebat, vt esset altissimo similis & exercitū *Matt. 12.* eius tam vitiorum, quàm dæmonum deuicit. Moriendo quippe accepit potestatem in cælo & terra. Et tunc electi principes eius submersi sunt: ex hora enim, qua in littore percussus effudit sanguinem & aquam, operuerunt eos abyssi, & descenderunt in profundū propria iniquitate depressi: Nihil enim iuris amplius habent in omnibus, quorum hic Deus est.

Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine.

Postquam recensuit Dei opera, nunc subdit exclamationem, & laudem, & gratiarum actionem: Non, inquit, nostra virtute hæc facta sunt, non humana potentia,

ANNOTATIONES

rentia, non nostris meritis, sed dextera tua hoc fecit, & potestas tua, quæ quamuis semper magna sit & gloriosa; nunc tamen vel maximè glorificata est in eo, quòd percussit inimicum & depoluit vel oppressit aduersarios nostros. In Hebræo habetur, Aduersarios tuos. Qui enim homines pios offendit, is Deum ipsum offendit: Qui tangit, inquit, vos, tangit pupillam oculi mei. Hinc Christus Saulo ecclesiam persequenti: Saul, inquit, quid persequeris me? Cæterum hoc verbum dicere potuerunt Martyres nostri: per illos enim dextera Domini, quæ caelos fundauit & terram, mirificè glorificata est miraculis, templa Deorum euertit, idola disperdidit. Ita percussit inimicum non ferro, sed sanguine martyrum in multitudine gloriæ suæ, in laudè gloriosæ gratiæ suæ.

Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam.

Reuertit Moyses ad describenda opera Dei. non autem dicit: Misisti exercitum angelorum, &c sed tantum, Misisti iram tuam, & statim deuorati sunt. Cum enim vel irasci cœperit, statim pereunt impij Ad horam quidem tenebrarum suarum, quæ ipsis permittitur, iactant, audet, presumunt, intentant pessima, insanunt, donec impleant mensuram damnationis suæ, & iudicio Dei subito & iuste opprimantur, etiam suo ipsorum iudicio. Ostenditur autem hoc verbo, quàm facile Deus possit perdere impios: Misisti, inquit, iram tuam. Vel secundum alios, Spiritum tuum, vel halitum: solo, inquit, halitu ipsos perdidisti, & ita perdidisti, ut non amplius appareant. Si hoc solo spiritu potuit, quid poterit, cum venerit cum maiestate? Timeamus ergo, ecce, inquit, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. Repentè loquar ad gentem, ut eam euellam & destruam, &c. Cæterum, quod Moyses subdit in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi, &c. hoc inquam toties, & tot verbis repetit ad exaggerationem, & ut rudi populo fortius inculcaret miraculum hoc. Verè enim magnum opus, quòd aquæ homi-

nibus

Zach. 2.
A. 9.

Jer. 18.

ibus transitum præbent, & cæt. Quamquam spiritua-
liter etiam nunc per medias aquas transeamus, quæ
tamen Deo operante & protegente, stant erecte, quæ
alioqui nos opprimerent.

MYSTICE.

Misit Deus iram suam siue Zelum suum, quo zela- 1. Cor. 12.
tus est pro gentibus ipsum ignorantibus, quæ in erro-
rem abductæ ad simulachra muta, prout ducebantur,
ibant. Is zelus Dei, eaque ira deuorauit Deos phana-
ticos, sicut deuorat ignis stipulam. Vbi enim nunc adul-
ter Iupiter? vbi Venus meretrix? & c. vbi sunt equi eo-
rum, qui contra Martyres hinnierunt, id est, reges &
præsides truculenti, qui sanguinem Martyrum fude-
runt? Deuorati sunt hoc facto, & iam flante spiritu su-
roris Domini, id est, tuba Evangelica denunciante fu-
turum iudicium congregatæ sunt aquæ, id est, populi:
nã aquæ multæ populi multi. Stetit igitur vnda, quan- Apo. 17.
do gentes cessarunt peccare. Congregatæ sunt aquæ,
cùm ad Christum certatim conuersi sunt. Congregatæ
item sunt abyssi in medio mari, quando prauis homi-
nes (nam per abyssum cor hominis prauum & inscu- Iere. 17.
rabile significatur) de occultis tenebrarum, de pro-
fundis viciorum confluxerunt ad vnicum & vniuer-
sale Christi baptismum. Medium enim rectè dicitur,
quod cõmune, vel publicum, vel vniuersale est, quod
nos dicimus catholicum. Et hoc expedit congrega-
tioni aquarum, vt congregentur ad medium: nam
quod in parte est, non est authenticum. Illud hæreti-
corum est, qui angulos quærunt, quibus aquæ furtiuæ Prou. 9.
dulciores sunt.

Dixit inimicus: persequar & comprehendam.

Vide, quantum superbiat impius, quantum præ-
sumat, quàm securus sit, cùm iudicium Dei in ianuis
esset. Singula autem verba emphasim habent, & c. Qui
autem habitat in cælis, irridebat eum. Dominus enim Psal. 2.
dissipat cogitationes populorum, & reprobat consi-
lia principum. Vnde subditur: Flauit spiritus tuus, Psal. 32.
& cæt. tam facile impios perdere potest, id, quod & in
Genaa.

ANNOTATIONES

Sennacherib & Antiocho videmus, qui magna & pessima præsumentes & moliētes, subito perierunt. Submersi, inquit, sunt sicut plumbum, &c. Suprà comparauit eos lapidi, hic plumbo. Impij enim graues sunt: nam impietas dicitur sedere super talentum plumbi. Peccatum enim semper sua mole ad inferna trahit. Exoneremus igitur nos per pœnitentiam, ne depriamur grauitate peccatorum vsque in profundum. Sancti autem leues sunt, ideo ad superna volant. hinc Christus super aquas ambulat, imò & Petrus, licet postea mergeretur Petrus, propterea, quòd nondum plenè à peccatis expurgatus erat.

MYSTICE.

Inimicus noster diabolus eiectus è cordibus fidelium dixit: Persequar, & compræhendam: euaginabo gladium meum: apertam enim persecutionem excitauit, & quorum animas occidere non poterat, saltem corpora occidere festinabat. Sed qui fecit eum, applicauit gladium eius, id est, non quantum voluit, sed quantum vtile fuit, sæuire permissus est.

Quis similis tui in fortibus Domine? &c.

Hic iterum ad laudem Dei se conuertit Moyse. In signibus autem titulis Deum commendat: Primò, à fortitudine: Quis, inquit, similis tui in fortibus? q. d. habet mundus fortes creaturas, fortia animalia, fortes homines, angeli sunt fortes, dæmonum etiam fortitudo magna, deniq;, & pij homines magna possunt: verùm nemo tui similis in fortibus. Nemo igitur de fortitudine sua præsumat. Deinde addit: Quis similis tui? magnificus in sanctitate? Non tantùm fortis est Deus, sed & sanctus, alioqui parua laus est esse fortes, nisi & sancti simus. Est autem Deus sanctus in omnibus operibus suis, imò magnificus in sanctitate. Hominum autem opera & si aliquando magna videantur, plurimùm tamen non sancta, sed mala sunt. Tertio loco Deum nominat terribilem, quoad impios: laudabilem autem, quoad pios. Erga vtrosque autem est Deus faciens mirabilia. Hæc est igitur vera laus Dei nostris

Matth. 14.

Job 4.

Psal. 144.

noſtri, credere & cōfiteri, quòd ſit omnipotens, quòd ſanctus in operibus, laudabilis in verbis, terribilis in iudicijs, & faciens mirabilia. hec qui credit, nunquã deſperabit, nunquam temerè loquetur de operibus Dei, Deum diliget, Deum timebit, Deum in omnibus & ſemper inuocabit.

Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.

Quia dixerat Deũ facere mirabilia, quorum aliqua terribilia ſunt, aliqua laudabilia, nũc recenſet & exempla ponit, & primò mirabile fortitudinis Dei, cũ dicit: *Extendiſti manũ tuam, & deuorauit eos terra, terra, in quã, iuxta beatum Iob, tenebroſa & operta mortis caligine. Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Mirabile autẽ ſanctitatis ponit, cũ ſubdit: Dux fuiſti in miſericordia, &c. Veriſſimè autẽ hoc dicere poſſumus Chriſto, qui velut bonus paſtor dux nobis factus eſt, &c. Quòd autem ſubdit, Et portãſti eũ ad habitaculũ, &c. prophetia eſt. Nondum peruenerant ad locum templi, certus tamẽ erat, quòd qui cœperat, perficeret opus ſuum, & quòd cõſilium Dei & decretũ nemo infringere poſſet. Eodẽ modo & Paul. ſaluos nos factos dicit, cũ tamen adhuc ſimus in miſeria, ſed propter certitudinẽ fidei noſtræ ſic de futuris loquitur, vt de præteritis. Emphaſim autẽ habet quod dicit, *Portãſti eũ: hoc plus eſt, quàm ſi diceret, Perduxiſti eũ. Portare enim magnam in portãte ſolicitudinem & amorem, in portato autem in firmitatẽ oſtendit. Magna igitur Dei ſolicitudo pro nobis, quòd velut mater nos in ſinu ſuo portat. Hinc Dauid: In te, inquit, proiectus ſum ex utero. Et iterum: Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Deus timentibus ſe. Et Chriſtus nos portauit, imò, quod grauius eſt, peccata noſtra. Portat autẽ Deus populũ ſuum non aliò, quàm ad habitaculum & templum ſuum, id eſt, ad cultum ſuum. Pro omnibus enim beneficijs ſuis nihil aliud exigit, quàm vt amemus & timeamus eum.**

Ascenderunt populi, & irati ſunt, dolores obtinuerũt habitatores Philiſthim.

Iob. 10.

Ioan. 10.

Tit. 1.

Pſal. 27.

Pſal. 102.

Deut. 10.

ANNOTATIONES

Hic in fine cantici orat Moyses pro futuris beneficijs, sicut hætenus gratias egerat pro præteritis. Primò autem pericula imminentiã recenset, multiplices scilicet hostes, quos timere habebant, Amalechitas scilicet, Philistæos, Idumæos, Moabitas, & Chananæos. Ascenderunt, inquit, populi, & irati sunt, non autem emendati. Et nobis per medios hostes incedendum est, Iudæos, Paganos, hæreticos, & falsos Christianos, vt interim taceam spirituales nequitias. Orandum igitur cū Moysè, vt super eos irruat formido & pavor, donec transeamus. Semper enim nobis transeundum est: Non enim habemus hęc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Orandum item, vt nos introducat & plantet, non in valle huius miserix, sed in monte hæreditatis suæ: nec solùm illic nos ponat, sed plātet, ne vnquam inde moueamur. Obserua, quòd multæ gentes surrexerunt contra Israel, sed omnes diuino terrore perculsi sunt, vt fieret immobiles quasi lapis, imò vt fugeret mens & consilium ab ipsis, quemadmodum Raab ait: Elanguit cor nostrum ad introitum vestrum.

Dominus regnabit in æternum & ultra.

Pulcherrimi cantici pulcherrimus finis est hic. Non solùm, inquit, nunc potentiam suam ostendit, sed in æternum permanebit rex & Dominus, & ultra, id est, nedum in hac vita, sed etiam in futura. Addit autem causam: ingressus est enim Pharaò, &c. Sic angeli post deiectum Luciferum gratulantes dixerunt: Nunc facta est salus & virtus Dei, & regnum Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum suorum. Ex eo enim, quòd diabolus prostratus est, patet, quòd Christus regnabit in æternũ, & ultra: Regni enim eius non erit finis.

Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron tympanum in manus sua, egressæque sunt omnes mulieres post eã cum tympanis & choris, quib. præcinebat.

L. Cor. 14. Exemplo virorũ etiam fœminę tripudiãt. A laude enim Dei nemo tacere debet. Vult quidem Paulus, vt

Hebr. 13.

Iosue. 2.

Apoc. 12.

Luc. 1.

L. Cor. 14.

mulieres in Ecclesia taceant, sed intelligit à prædicatione, nō à laude Dei. Imò David non semel omnes homines cuiuscunq; conditionis sunt, ad laudem Dei incitat: Laudate, inquit, Dominum omnes gentes. Et iterum: Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, &c. Nominat autem Moyses Mariam suo nomine, quia verè laude dignum est, si mulieres nobiles etiam sint deuotæ, id quod rarum est. Nominat item eam prophetissam, quia etiam ipsi Deus aliquando locutus est, vt in Numeris habemus. Felix domus, quam Deus per omnia illustrat. Sic Moyses elegit in ducem, Aaron in sacerdotem, Mariam in prophetissam. Non autem dicit eam sororem suam, sed sororem Aaron, ne videatur genus suum commendare. Sumpsit, inquit, tympanū. plus fecit, quàm viri: non enim tantū voce, sed etiam musico instrumento excitauit ad laudē Dei. Infirmi enim, vt sunt mulieres, plurib. incitamenti opus habent, quàm viri, hoc est, perfecti. Sequuntur autem eam omnes mulieres. Quæ enim non sequeretur, videns primores præcedere? Denique Maria præcinebat illis, verùm non mundana, nō amatoria, aut turpia cantica, sed pia: Cantemus, inquit, Domino, &c. Nec primum solū versum præcinnisse credenda est, sed totū canticum. Sic olim sanctæ mulieres ducebant choros, cum laude Dei & pijs canticis. Nunc tantū lasciuia canunt, idq; virgines, applaudentibus parentibus, &c. Et nos igitur hunc ordinē spiritualiter intelligentes, saltem vt mulieres cū mulieribus, quoniā infirmæ animæ sumus, eadem fide cātemus, nā Apostolos & Apostolicos homines quicumque armati de Aegypto ascenderunt. & ad præliandum fortes sunt, vitos esse fatemur, & eorum comparatione cū quasi mulieres simus, nequaquā in eorum choro consistere, vel eorum tono personare valemus. Oportet autem, vt, cantaturi Domino, sumamus tympanum, id est, mortificationem carnis, & choros ducamus, id est, charitate inuicem amplectemur, si volumus vt accepta sit laus nostra.

Psal. 116.

Psal. 148.

Num. 11.

ANNOTATIONES

Tulit autē Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertū Sui.

Hic Moyses redit ad describendam continuationē itineris incepti. Nam circa mare rubrum aliquandiu substitet at. Quod igitur in fine capituli tertij decimi cœperat, nunc prosequitur. Tria autem per ordinē describit circa hunc progressum populi: Primò, quomodo ipsius Deus prouidit de alimēto: Secundò, quomodo eorum aduersarios repressit, Amalechitas scilicet: Tertiò, quomodo ipsum populū ordinauit. Diligēter aut attendenda est hęc filiorum Israel profectio, quod enim illis contigit, etiam nobis contingit in peregrinatione nostra. Vtinā meliori fine. Nam illi p̄ maiori parte ingrati fuerunt. Et nobis quoq; dicit Christus: Multi uocati, pauci uerò electi. Cū timore igitur legēdę sunt hęc historie. Nā, ut Paul. ait, Scriptę sunt ad correptionē nostram. Nō igitur arbitremur nos iam cōprehendisse, vel solū sufficere, quod in Christo baptizati sum⁹, & hac fiducia decepti, susceptā baptismi gratiam malis operibus iterum perdamus. hanc enim inutilem fiduciam Paul. auferre nobis uolens, dicit: Nescitis, quòd hi, qui in stadio currunt, &c. Et paulò pòst: Nolo uos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub nube fuerunt, &c. sed non in omnibus eorum cōplacitum fuit Deo, &c. Igitur concupiscentias & idolatriam illorum, fornicationes quoq; tentationes, & murmurationes illorum cum timore audiamus, caueamusq; ne in idipsum incredulitatis exemplum incidamus. Tulit igitur Moyses Israel de mari rubro. Patet ex hoc uerbo, quòd cum quadā uolentia & importunitate fecit eos inde recedere, quasi nimium intentos spoliationi Aegyptiorum submersorum.

Cæterū, propter bona Aegyptiorū nemo pius retardari se patiatut ab incepto itinere ad patriā. Deinde sic cānendū Deo, ut tamen interim etiam procedamus: non enim satis est canere, si nunquam proficiamus. Deinde, tulisse populum dicitur, subindicās magnum onus fuisse ei populo præesse, quemadmodum alibi apertè conqueritur: Cur, inquit, afflixisti seruum tuum?

Exod. 13.

Exod. 16.

cap. 17.

cap. 20.

Matt. 20.

1. Cor. 10.

1. Cor. 9.

Hebr. 4.

Num. 11.

tuum? Nunquid ego cōcepi vniuersam multitudinem hanc, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo? &c. Exēplo igitur Moyſi, diſcāt paſtores eſſe ſeduli nutricij ad tollendos paruulos alumnos de noue regenerationis ſacramento. Populus enim Iſrael de mari aſcendens illos paruulos ſignificauit, quibus Petrus dicit: Deponētes omnem malitiam, &c. quaſi modò geniti infantes lac concupiſcite, &c. Conſtat autem huiusmodi infantes oportere affectu nutricio portari, quādiu paruuli ſunt, quādiu lacte illis opus eſt, non ſolido cibo. Et hæc maxima rectoribus cura incumbit, vt eiuſmodi quaſi in humeris tollant, iuxta illud: Pueri eorum in humeris portabuntur, & ſuper genua conſolabuntur. Tulit autē eos in deſertum. Aſcendentibus enim è baptiſmo, non ſtatim apparet cælum, ſed deſertū, in quo multa patiēda ſunt. Vnde Paulus ait, Nondum arbitror me compræhendiſſe.

Ambulauerunt tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam.

Hic incipiūt tentationes. Infrā enim dicitur, quòd tentauit eos Deus, an ſcilicet in defectu aquæ credere vellent: item tentauit eos, vt carnis infirmitas manifeſtaretur. Nunquam enim manifeſtiùs apparet quales ſimus in fide, & quā infirmi, vt in defectu rerū. Cæterum. ſicut illis per deſertum euntibus primò nulla aqua, deinde amara aqua occurrit: ita fidelibus ad patriam tendentibus primò omnis conſolatio mundana auferitur. Vnde in Propheta dicūtur ablactati à lacte, auulſi ab vberibus. Deinde multa etiam eis aduerſa contingunt: per multas enim tribulationes oportet nos ire in regnum cælorum.

Et murmurauit populus contra Moyſen.

Hæc eſt carnis natura. In proſperis gaudent, in aduerſis ſtatim murmurāt: Cōfitebitur tibi (inquit Pſal. de carnali) cūm benefeceris ei. Orandum ipſis erat, nō murmurandum. Oratio enim vnicum remediū eſt in aduerſis. Murmuratione autem duplicatur malum, id quod ex ſequentibus liquebit. Sic igitur Iſrahelitæ

ANNOTATIONES

Psal. 143.
Iob. 1.

in prima statim rēratione inuēti sunt ingrati & infideles. Nihil meliores nos sumus. Tange montes, & fumigabunt. Sic diabolus de sancto Iob dicit: Tange omnia quæ habet, & videbis quod in faciem benedixerit tibi. Signanter autem murmurant contra Moysen: hæc est enim conditio ducum & imperatorum, vt omnis clamor, omnis necessitas in eos redundet.

At ille clamauit ad Dominum.

Non offenditur illorum ingratitude & importunitate, sed ad Dominum clamat. Non mouetur ipso- rum iurgijs, sed nec fidit proprijs viribus. A Domino igitur auxilium quærit, in exemplum omnibus qui præfunt.

Qui ostendit ei legem, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem verte sunt.

Non derelinquit Deus sperantes in se. Dicunt autē Hebræi, quod lignum illud ex sua natura fuit amarū, & tamē hoc iussit mitti in aquam, vt maius esset miraculū, & magis confirmarentur in fide potentię Dei. Poterat sine ligno dulcorare aquā, sed hoc medio vti voluit propter mysterium. Aqua Marath, lex est, quę amara est homini carnali, nec carnales cæremonias eius portare possent paruuli in Christo. Ostendit igitur Deus lignum, quo dulcorantur aquę: si enim literam legis cum sacramēto Dominicę passionis conferimus, iam dulcis erit etiam litera. Velaqua Marath quælibet tribulatio est, quę per lignum crucis, id est, per memoriam Dominicę passionis dulcis efficitur.

Ibi constituit ei præcepta & iudicia.

Nondū scriptura, sed ore, vt iustè viuerēt, & vt non ociandi causam haberēt, deniq; ne libertate ad libidinē vterentur. Carnales enim cancellis legis indigent. Nō enim sunt liberi, quia nōdum filij Dei. Ideo Deus cū Israelitæ sine fine peccarent, graui eos coercuit.

Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est, corā eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorē, quē posui in Aegypto, non inducā super te.

Non tantum presenti malo medetur, sed etiam omnia bona promittit obedientibus verbo suo. Patet ex hoc loco, quod mala & aduersa ut plurimum propter peccata infliguntur. Non autem intelligendum est, quod pijs nullus omnino languor contingat aut morbus. Nam & IOB percussus est ulcere pessimo, & Thobias cæcitate. Ideo signatè dicit: Omnem languorem Aegypti non iudicam tibi. Intelligit autem crudeles illas & terribiles plagas ex ira Dei in Aegyptios missas. Ut sit sensus: Sicut ipsos contriui in ira mea, sic ductor tuus ero in misericordia mea.

Iob. 22
Thob. 22

Mythicè: Languores Aegypti sunt, amare terrena, seruire voluptatibus, &c. Ab his languoribus pijs liberatur. Ideo in fine subdit: Ego Dominus sanator tuus, id est, talis sum, qui non sum præceps ad vindictam. Nolo enim mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Ezek. 18

CAPVT XVI.

HOC caput Historiam continet de pane caelitibus dato filiis Israel in deserto, qui panis ab ipsis Man, vel Manna dictus est. Verè magnum & mirum opus, de quo scriptura ubiq; magnificè loquitur in Psalmis & Prophetis, imò nedum in veteri, sed & in nouo testamento, ut patet Ioannis 6. & 1. Corinth. 10. Ob eam causam Moyses diligenter eam historiam describit, non ob rem gestam tantum, sed propter mysterium. Præmittit autem, quando, ubi, & ex qua causa primò datum sit manna. Et quomodo ad eum locum peruenerint. Per hæc quasi viam struens ad historiam ipsam.

Venerunt autem filij Israel Helim.

Non sine causa Moyses tam diligenter describit mansiones filiorum Israel per desertum. Nam & in Nume Num. 33 ris quadraginta duas mansiones ponit, & singularum nomina exprimit, & meritò, non enim casu aut fortuitò, aut ex humana electione ad ea loca peruenerunt, illicque castrametati sunt, sed ex diuina dispositione.

ANNOTATIONES

Num. 9. Sic enim & in Numeris legimus: Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium eius figebant tabernacula, & in loca, vbi stetit nubes, castrametabantur. &c. Iam cū non proprio, sed diuino consilio ad ea loca peruenerint, certum est, quod spirituale aliquid nobis per hoc præostendere voluit Deus. Nempe in quibus locis & nos nūdum fugientes debeamus figere tabernacula, quod vt verum appareat, vnum exemplum ponam. Egressi filij Israel ex Aegypto, primò venerunt in Socoth (quod interpretatur tabernacula). Deinde in Ethā, postea in Phiairoth, vbi eos insequutus est Pharaos, quarto loco per mare incedētes, illudque transgressi carmen cecinerunt in vltiori littore. Inde ascendentes venerunt in desertum Sur, vbi nullam aquam inuenerunt: Inde in Marath, vbi amara erat aqua: Postea venerunt in Helim. Nihil horū sine mysterio est. Per hoc enim docemur, quòd egredientes è tenebris peccati, primò omnium scire debemus, nos aduenas & peregrinos esse, nec habere hic manentem ciuitatem, & hac fiducia pergere versus terram promissam: hoc tamen scientes, quòd nūdum securi sumus à diabolo, ideo & feruentius ad mare rubrum, id est, baptismum festinandum, quo transito, carmen Domino cantemus. Inde recta ad desertū, id est, ad imitationem crucis Christi transeamus, nec curemus si carendum nobis sit aqua mundanæ consolationis, sed nec murmuremus, si amarum quid nobis cōtingat, quin potius cruce Christi omnia amara dulcoremus. Hæc si fecerimus, veniemus ad Helim, vbi abundantiam consolationis inueniemus, &c.

Venerunt filij Israel in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palme, & castrametati sunt iuxta aquas.

Vide dispensationem Dei, qua pulchrè tristitia lætis permutat: qui enim suprā modico tempore defectum aquæ senserant, hic autem abundantiam aquæ inueniunt, imò etiam & cibum è fructibus palmarum.

1. Reg. 2. Hinc igitur videmus, quàm verè dictum sit: Dominus mor-

mor.

mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit, Tob. 3.
 &c. Item, Post tempestatem serenum adducit, & post
 lachrymas gaudium. Non igitur in tentatione despe-
 randum, sed expectandum. Hinc Tobiaæ cæco dicitur: Tob. 9.
 Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris. Et
 Dauid: Expecta Dominum viriliter, agè confortetur
 cor tuum, & sustine Dominum. Et Abacuc: Si moram
 fecerit, expecta eum, quia veniens veniet. Sic Iob pa-
 tienter expectans Dominum, duplicia accepit bona. Iob 42.
 Sic Dauid ait: Expectans expectaui Dominum, & in- Psal. 39.
 tendit mihi, & cæt. Docet igitur locus hic nullā ten-
 tationem tam magnam, ex qua nō possit eripere Deus.
 Item, quòd Deus nunquam suos relinquit, sed sem-
 per post tristitia consolationes immittit. Discamus &
 nos circa fontes castrametari, id est, diuina beneficia
 agnoscere, & in prosperis nos armare ad futuras ten-
 tationes, firmareque animum, ac proponere, quòd
 nunquam velimus de Deo dubitare, quemadmodum
 & Dauid: Ego, inquit, dixi in abundantia mea, non Psal. 29.
 mouebo amplius. Et Petrus: Domine, ad quem ibi- Ioan. 6.
 mus, verba vitæ æternæ habes. Cæterùm, Helim desi-
 gnat Ecclesiam, quæ duodecim habet fontes, & 70.
 palmas, id est, duodecim Apostolos, & 70. discipulos:
 vel 12. fontes, id est, vniuersitatem prædicatorum, &
 70. palmas, id est, multitudinem martyrum, qui sunt Psal. 1.
 tanquam ligna plantata iuxta aquas, quæ in tempore
 siccitatis nunquam arescunt. Vel in Ecclesia 12. fon-
 tes, id est, 12. fructus spiritus sancti; qui sunt charitas, Gal. 5.
 gaudium, pax, & cæt. & 70. palmæ, id est, perfecta vi-
 ctoria. Felix homo, qui hucusque peruenit: Is enim
 non procul est à pane cælesti, nec procul est à monte,
 in quo videtur Deus.

Profectique sunt de Helim in desertum Syn.

Hic iterum post abundantiam tentantur penuria.
 Sic enim Deus miscet aduersis læta, lætis aduersa. Cæ-
 terùm hoc desertum Syn, locus est, vbi primò datum
 fuit manna, neque id sine mysterio. Syn enim inter-
 pretatur tentatio. Nemo autem dignus est cælesti con-
 solatione, Isa. 27.

ANNOTATIONES

solatione, nisi in tentatione probatus sit: solos enim ab lactatos à lacte Deus docet.

*Quinto decimo die secundi mensis, postquam egressi sunt
de terra Aegypti.*

Nec hoc sine causa ponit, quo scilicet tempore primò datum sit manna: habet enim mysterium. Nō datur manna cæleste in Aegypto, nec statim egressis datur, sed prius trās eundem mare baptismi, prius etiam consumi oportet farinam, quam ex Aegypto detulimus, id est, consolationes mundi, &c. Obseruandum & hoc, quòd 15. die primi mensis festum paschæ celebrabatur, vt suprà dictū est: poterant tamen, qui tunc non satis mundi erant, vel à longè positi, phase immolare 14. die mensis secundi. Duo igitur tempora paschæ in scriptura ponuntur: Primum, 14. die mensis primi: Secundum, pro longè positis, 14. die mensis secundi. Et in hoc secundo paschate, datum fuit manna, non in primo. Primum pascha ad Iudæos pertinet, his non datum fuit verum manna, id est, Christi corpus. Secundum autem pascha ad gentiles pertinet, qui verè immundi erant, & à longè positi, cū primum pascha celebraretur. Erasmus enim peregrini & hospites testamentorum, &c. Hoc autem secundo tempore datum fuit verum manna. Nam & Christus in nocte paschæ, Accipit panem, & gratias agens dedit discipulis suis, dicens: Accipite, & comedite, &c. Vides igitur omnia in figura contigisse illis.

*Murmurauit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen,
& Aaron in solitudine.*

Hic iterum vides, quàm instabile sit cor hominis, quod enim Iob de externa vita hominis dicit, quòd scilicet nunquam in eodem statu permanet, hoc verè etiam de animo hominis verificatur, qui tam facile mouetur à suo proposito. Nam paulò antè dixerant Israelitæ: Iste Deus meus est, & glorificabo eum, &c. Item: Introduces nos, & plantabis in monte hæreditatis, &c. hinc autem longè alia audis. Signanter autem videmus hinc naturam carnis, quæ nō diutius in gratitudine

Exo. 12.

Num. 9.

Ephes. 2.

Matt. 6.

1. Cor. 10.

Iob 14.

Exo. 15.

titudine persistit, quàm beneficia videt. Confitebitur, inquit, tibi, cùm benefeceris ei. Cæterùm, causa murmurationis erat fames, hætenus sustentati erant farina, quam ex Aegypto portauerant, nunc autem defecerat ea farina, & adhuc in medio deserto erant, & multi erant. Verè magna tentatio est fames, maximè autem in deserto. Non sine causa aut fame tètati sunt. (Nam Moyses dicit, quòd Deus ipsos afflixerit penuria.) Poterant quidè cogitare, quòd Deus aut nesciret eorum penuriam, aut quòd non posset subuenire; aut quòd ipsos odio haberet, atq; ideo nollet: (sic enim nos cogitamus in aduersis.) Verùm nihil horum hic fuit. Non latebat Deum fames populi, nec impossibile ei erat famem depellere, nec deniq; ex odio eã penuriam immiserat, sed cur? vt tètaret, (inquit) te Dominus, & nota fierent, quæ in corde suo sunt, &c. Hinc igitur discamus rationem operum Dei, cur hoc vel illud faciat aut permittat, &c. Qui hæc attendit, nunquã murmurabit in aduersis, sed fidèter dicet cùm Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Hoc nescientes filij Israel statim murmurabãt, nec aliqui tantùm, sed omnis multitudo, hoc est, maior pars, eo modo loquendi, quo in Ioanne dicitur: Totus mûdus post eum vadit. Non enim dubium est, multos pios in illo populo fuisse, qui non murmurauerint. Quanquã etiam si simpliciter intelligamus omnè populum murmurasse, etiam pios in populo illo, nihil mirum: nemo enim tam sanctus est, qui non aliquando cadat. Quoties Apostoli in fide hæsitabãt, vt à Domino increpari mererentur? imò quis tam fortis, qui non vacillaret, si in tali casu esset, in tanta fame, in deserto, & cùm tanto populo? Diligenter autem Moyses describit populum murmurasse, cùm debuissent orare, eamq; penuriam suis peccatis imputare, vel, quòd bonos filios deceret cùm sancto Iob dicere: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Nihil enim minus conuenit filijs gratiæ & fidelibus, quàm murmurare. Ad patriam tendentibus conuenit patientes esse:

Fili,

ANNOTATIONES

Ecol. 2. Fili, inquit, accedens ad seruitutem Dei, præpara ani-
Matt. 16. mam tuam ad tentationem. Hinc est, quòd Christus
 suis crucem prædixit: Qui vult venire post me, tollat
Act. 5. crucem suam, &c. Hoc scientes Apostoli non turba-
 bantur in aduersis, sed ibant gaudētes à conspectu cō-
 cilij, quoniam digni habiti sunt, &c. Hos igitur imite-
 mur, non Israelitas: scimus enim nedum Paulum di-
2. Tim. 2. xisse: Omnes, qui piè volunt viuere, persecutionē pas-
Act. 14. suros: Et per multas tribulationes intrandum in re-
 gnum cælorum, verùm etiam Dominum olim prædi-
Zach. 13. xisse se suos ducturum per ignem. patientia igitur ne-
 cessaria est fidelibus.

Vtinam mortui essemus per manum Domini in Aegypto,

O ingratitude, imò insaniam. Viderant tantam
 Dei iram contra Aegyptios, & tamen ipsorum condi-
 tionē suæ præferunt. Aegyptios felices fuisse creānt,
 qui dum viucent, satis habuerunt, quantumuis mise-
 rabiliter, imò terribiliter perierunt. Sic stulti homines,
 felices iudicant mundo seruiētes, propterea, quòd in
 externis nihil ipsis desit, nec attendunt finem eorum
 esse perditionem. Deinde, Israelitæ contemptim lo-
 quuntur, & sentiunt de Dei beneficijs, imò vellent, vt
 nunquam ipsum cognouissent. *Vtinam mortui, &c.*
Q. D. vtinam nihil vnquā de nobis curasset, sed cum
Aegyptijs viuere permisisset, &c. O ingratitude,
Præterea, non amplius cogitant, quanta mala tot an-
nis passi sint in Aegypto, sed tantum hoc magnifa-
ciunt, quòd nunc paruo tempore penuriā pati cogun-
tur. Sic quicquid pro mundo & terrenis laboramus
aut patimur, leue videtur. In via autem salutis & pro-
pter Deum, si vel modicum quid faciendum, aut pa-
tiendum est, graue videtur. Ad hæc tantum hoc memo-
rant, quòd in Aegypto ollas carniū habuerunt, non
autem cogitant, quid nunc habeant, spiritualiter nēpè
Deum ipsum. Sic mundus creaturas magni æstimat,
Deum autem nihil. Et quid sunt creaturæ sine Deo?
Vnde habent, quòd delectent, reficiant, &c. nisi à Deo?
Quod igitur per creaturas dare potest Deo, multò ma-
gis per

gis per seipsum potest. Longè igitur maius est Deum habere, quàm creaturas sine Deo. Vnde pij cum Psal. Psal. 15. mista dicunt: Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Itē, Quid à te voluit in cælo aut terra? Deus cordis mei, & Psal. 72. pars mea Deus in æternum, &c. Accedit ad insaniam populi huius, quòd optant se mortuos fuisse cum Aegyptijs, tantùm ne famis malum sentirent. Cupiunt æternaliter perire, ne quid temporaliter pati oporteat. O insaniam. Insuper & ipsum Domini famulū Moysen culpant, quasi non salutem, sed perditionem ipsorum quæsierit. Vides, quàm meritò populus duræ ceruicis dicti sint. Verùm in omnibus his habemus speculum vitæ mundanæ, qui nihil aliud cogitant, nisi ollas carniū & diuitias, voluptates, &c. pro his omnia faciunt, & Deū & seipsos negligunt, has ollas cū habent, videntur sibi felices: cū non habent, videntur sibi infelices, murmurant, indignantur omnibus, quorum consilio ollas illas amiserunt, &c. Exo. 32.

Ecce ego pluam vobis panes de celo.

Mira Dei clementia. Iam tertio murmurauerant & tamen dissimulat, tacet, imò etiam beneficia promittit, non propter ipsorum murmuraciones, sed propter suam gloriam, vt verax appareat in promissis. Quia enim verbo Dei innixi ex Aegypto exierant, iamque omni humano auxilio destituerentur, tempus erat, vt Deus se veracem ostenderet, omnibus posteris in exemplum & confirmationem fidei, vt certò scirent, eos, qui Dominum expectant, nunquam confundi. Cæterum, quamuis Deus nunc taceat, & dissimulet murmuraciones eorum, non tamen semper tacebit, imò postmodū cū frequenter murmurarent, multis modis eos perdidit, vt infra patebit: Tacui, inquit, nunquid semper tacebo? imò, vt parturiens loquar. Singula autem verba emphasim habent: Primò, Ecce, inquit, ego, q. d. quid opus est contra Moysen murmurare, ego sum, qui famem auertere possum, non oportet tantum respicere in præteritam copiam, aut præsentem inopiam, sed in me: Ego præteritam copiam dedi, & præc.

ANNOTATIONES

& præsentem inopiã auferre possum, &c. Deinde, non tantùm dabo panes, sed pluam, in abundantia scilicet, & in omnibus locis, vt nemo excludatur, quemadmodum & pluuia cãdit vbique, & omnibus communis est diuitibus & pauperibus, imò bonis & malis. Prætereã, pluã, inquit, vobis de cælo, q. d. Nũ ideo desperare debetis, q̃ terra, in qua estis, sterilis est: nescitis, quòd etiã è cælo dare possum cibos, &c. Vide, quã consolatoria verba loquatur Deus indignis illis, quos iustus puniisset, verũm hæc est Dei natura.

Matt. 5.

Egrediatur populus & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies.

Deus, quod suum est, abundè facit, vult tamen, vt & nos, quod nostrum est, faciamus. Ipse pluit, nostrũ est colligere: Non enim in os, aut in sinum nostrũ dona sua coniecit, sed vult, vt egrediamur, & laborẽ nostrum addamus, tam in corporalibus, quã in spiritalibus. Non tamen magnũ laborem exigit, sed tantũ, vt egrediamur, & colligamus, quæ spontè dantur nobis à Deo. Reuera enim etiam in temporalibus non opus esset magno labore, si adesset fides, abesset auaritia, & quotidiano victu contenti essemus: verũm auaritia & infidelitas faciunt, vt multum laborandum nobis sit. Signanter autem iubet colligere, quantum sufficit per singulos dies: non enim Deus dat suis ad superfluitatem (nec enim homini hoc cõuenit, ne in crassatus recalcitret) sed ad necessitatem. Vnde & panem quotidianum nos petere iussit, &c. Addit autem causam omnium prædictorum, cur mãna sic velit dare & colligi, vt tentem, inquit, eos. Quicquid Deus dat, siue prospera, siue aduersa, ideo dat, vt tentet in prosperis, si grati simus, in aduersis, si patientes. Ipse quidem omnia prius scit, sed sic tentat, vt appareat, quid in nobis sit, & vt cognoscamus nos ipsos.

Dent. 32.

Matt.

Sexta autem die parent, quod inferant.

Hoc præcipit propter sabbathum, in quo vult eos quiescere, ideo præcipit, vt sexta die duplum colligãt, sed de hoc infra latius.

Mysticè.

MYSTICE.

Sexta dies præsens vita est, quia in sex diebus factus **Gen. 1.**
 est mundus: item sexta dies tempus gratiæ est, quã se-
 quetur sabbatum perpetuũ. In hac igitur die reponen-
 dum est, quantũ sufficiat in futuro. Qui enim hinc **Lucæ 19.**
 quirit 10. talẽta, illic accipiet decẽ ciuitates: & quẽ ho-
 mo hinc seminauerit, in futuro seculo metet. Vnde
 Christus iubet, vt thesaurizemus thesauros in celo. Et **Matt. 6.**
 Paulus vult, vt diuites huius mũdi thesaurizẽt sibi fun- **1 Tim. 6.**
 damẽtum bonum in futurum, &c. Et Sapiẽs: Quẽcun-
 que potest manus tua instanter operare, &c. imo Chri- **Eccl. 9.**
 stus ipse: Ambulate dum lucem habetis, &c. **Joan. 12.**

*Vespere scietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra
 Aegypti.*

Præparat populum, & excitat promissis, vt arden-
 tius desiderent, & gratius accipiant manna. Quicquid
 enim Deus vnquã hominibus dare voluit, prius pro-
 misit, vt excitaret ipsorum desiderium, & vt postea ma- **Amos 3.**
 gis grato animo acciperent. Non enim facit Deus ver-
 bum, quod non reuelet prophetis suis. Sic Abrahæ &
 patrib. alijs lõgè antè prædixit, quæ bona posteris ipso-
 rũ daturus esset, Sic lõgè antè prædixit Christũ ventu-
 rũ, &c. Sic & in hoc loco antequam det manna, prius
 prædicit ob causam dictam, nempe, vt excitet ipsorum
 desiderium. Vide autem quanta grauitate Moyse pro-
 missionem Dei populo annunciet: Non enim sim-
 pliciter dicit, Dominus dedit vobis panes, quemad-
 modum sibi dictum fuerat, sed exaggerat rem, Vespere-
 ri, inquit, scietis, & cæt. q. d. Murmurastis contra me,
 quòd eduxerim vos in desertũ, quasi mea virtute hoc
 factum sit, & non Dei, quamuis igitur Deus aliàs sepe
 ostenderit, quòd sua virtute educti estis faciẽdo, quod
 nemo alius fecit: sic & nunc ostendet manifesto ope-
 re, quòd ipse vos eduxerit, idq; hoc vesperi ostendet.
 Nec hoc contentus, sed manẽ ostendet vobis gloriam
 suam. Nõ quòd Deum visuri essent in essentia sua (hoc
 enim nulli datur in hac vita. Non videbit me homo, **Exo. 33.**
 & viuet.) sed q̃ tanta inter ipsos facturus esset Deus,
 vnde

ANNOTATIONES

Vnde omnibus conspicua fieret eius bonitas, veritas, potentia, & prouidentia: hæc enim est gloria Dei, quod bonus, verax est, &c. Fidelis igitur prædicator verbi Dei fuit Moyses, qui non tantum verbum nudum proponit, sed ita studet proponere, ut afficiat & excitet. Merito igitur dicitur fidelis seruus fuisse in domo Dei. Cæterum, verbum hoc etiam nobis dictum putemus, vesperi enim significat tempus huius vitæ, & maxime tempus gratiæ, vel noui testamenti, quod à Ioanne dicitur nouissima hora, à Christo autem, vndecima hora, à Paulo, fines seculorum. Mane autem futuram vitam significat: Vnde & Christus mane surrexit ad vitam immortalem. Vtrunque comprehendit Psal. cum dicit: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. In vespera autem huius vitæ & seculi venit Christus, & eduxit nos è peccatis. In mane futuræ vitæ promisit nobis gloriæ Dei visionem. In hac igitur vespera sciamus, cogitemus, gratias agamus, quod nos eduxerit. Eius enim educationis manifestissima signa habemus, ipsius scilicet passionem & resurrectionem, hoc nisi fecerimus, nunquam perueniemus ad visionem gloriæ Dei.

Audiui enim murmur vestrum contra Dominum.

Aliud signum boni prædicatōris, qui ita proponit consolatoria Dei promissa, ut tamen simul etiam vitia arguat. Imò sicut iam Dei promissionem exaggerauit, ut magis excitaret fidem, sic nunc peccatū eorum exaggerat, ut magis humilietur: Murmur, inquit, vestrum audiui, nec qualecunque, sed contra Dominum. Non audiui orationem vestram, non video merita, sed contra, video magna demerita. Hoc autem ideo inculcat semel atque iterum, ne putent promissionem Dei propter ipsorum merita factam. Quemadmodum & alibi dicit: Scito, quod non propter iustitias tuas te introducet. Memento enim, quod populus duræ cervicis es, & cæt. Deinde ideo murmur eorum contra Dominum fuisse dicit, ut in posterum caueant hoc peccatum. Stat enim sententia Christi: Qui vos spernit, me sper-

Hebr. 3.

1. Ioan. 2.
1. Cor. 10.

Psal. 29.

Ioan. 17.

Deut. 9.

Luc. 10.

me spernit. & Pauli: Qui potestati resistit, Dei ordina- Rom. 13.
tioni resistit.

Dabit vobis Dominus vesperi carnes edere.

Hic manifestius explicat Dei promissionē, & speci-
ficat quid nam Deus facturus sit. *M*iora autē promit-
tit, quam ausi fuissent petere. Non solum enim panes,
sed & carnes promittit, vt vel hinc appareat, quod qui
Dominum expectant, non confundentur. Cæterum, Psal. 146.
quod vesperi promittit carnes, mane autem panes, si
mysticè intelligamus, differentiam ostendit inter ve-
tus & nouū testamentum: vetus erat vespera, quia pa-
rum lucis habebat nondum exorto sole iustitiæ. In ea
vespera dedit eis carnes, id est, sacrificia carnalia, boues
scilicet & oues. In mane autē, id est, in nouo testamen-
to, dat fidelibus panes. Sacrificiū enim nostrū Chri- Ioan. 6.
stus est, qui se dicit panem viuū. Hunc panem edi-
mus, spiritualiter per fidē, & insuper etiam corporali-
ter in sacramento. Iterum autē Moyses populo peccatū
ipsorum obiicit, idq; cū exaggeratione ob causas supra
assignatas: Non, inquit, cōtra nos est murmur vestrū,
sed contra Deum. Deinde plurimum se deiecit ex ani-
mi humilitate: Quid, inquit, sumus nos? q. d. tantūm
serui, &c. Hinc discant potentes humiliter de se senti-
re. Sic & Paulus ait: Quis est Paulus? & quis Apollo? Mi- 1. Cor. 1.
nistri Christi sunt, &c.

Accedite corā Domino, audiuit enim murmur vestrum.

Pergit populum præparare ad susceptionem Man-
næ. Vult vt accedant ad Dominum, vt scilicet sic vi-
uant quasi Dominum præsentem videant. Vbi inte-
rim obseruandum, quomodo verbum Dei audiendū
sit, nempe quasi ex ore Dei, ideo non dicit: Accedite
ad me, sed ad Dominum. Verè enim Dominus ad- Matt. 18.
est, vbi in nomine eius, & ad verbū eius conuenimus.
Vnde subditur:

Ecce gloria Domini apparuit in nube.

Per hoc confirmauit verbū Moysi, quo dixerat, Nō
cōtra nos est murmur vestrum, sed cōtra Dominum.
Ideò & tertio etiam Dominus dicit, Audiui murmur

ANNOTATIONES

Hebr. 4. vestrum, &c. Multum enim refert scire, quòd Deo omnia nuda & aperta sunt: item q̄ qui potestati resistit, Deo resistit. Deniq; iterum reperit promissionem suã de manna: Vult enim Deus, vt sua dona ardèter expectemus, & gratàter accipiamus. Ad eundem modum & Paulus nos monet, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, quandoquidem nunc est tempus acceptabile, &c.

Factū est ergo vesperi & ascendens coturnix operuit castra.

Vide, quã certò eueniant, quæ Deus promittit. Eadem hora, qua promissit se carnes daturum, ad sunt coturnices. Deinde vide, quàm mirabiliter suas promissiones impleat Deus. Nullus ex populo cogitasset, multò minùs sperasset, quòd carnibus coturnicum cibandi & saturandi essent. Nò ergo diffidamus de promissis Dei, etiam si non videamus quomodo impleri possint. Scit Deus, quibus modis sua promissã adimpleat. Vide tertio, quàm facillè **DEVS** suis succurrere possit. Non laborat nec fatigatur, sed solo nutu perficit quicquid vult. Sicut enim suprã solo nutu potuit adducere muscas & locustas in afflictionem Aegyptiorum, vt omnes viderent, quàm facillè punire posset: sic hic coturnices adducit ad consolationem piorum, vt omnes videamus, quã facillè suos consolari potest. Nò autẽ intelligendum, q̄ vna tantum coturnix venerit, sed accipitur hic singulare pro plurali, eo modo, quo suprã dictũ est, Venit musca grauissima. Nec credendum est, quòd casu aut fortuitò coturnices venerint, sed Dei præceptũ erat. Vnde in Numeris dicitur, quòd ventus egrediẽs à Domino arreptas trãs mare coturnices detulit in castra Israel. Et quod hic dicitur coturnicẽ operuisse castrã, in Numeris clariùs exponitur: Volabãt, inquit, duobus cubitis à terra, &c. Verè magnificũ & mirabile Dei opus, q̄ Dauid magnificè extollit. Pluit, inquit, tanquam puluerem carnis, & tanquam arenam maris volatilia pennata &c. Et iterum **Pfal. 104.** Petierũt, & venit coturnix. Ideo autem non qualescũq; carnes eis dedit, sed bonas & delicatas, vt magis ostendat

ostenderet dilectionem suam erga suos. Neque enim
 vulgaria tantum bona eis dat, quæ etiam mali habet,
 sed eximia. Deinde ideo non oves aut boues, sed co-
 turnices ipsis dedit, ad ostendendam omnipotentiam
 suam. Quis enim credidisset in tam brevi tempore tan-
 tam multitudinem coturnicum congregari posse,
 imò quis credidisset tot coturnices in toto mundo esse,
 ut sexcenta millia hominum inde ad saturitatem usque
 abari possent? Verum Deo omniaabilia sunt, qui Num. 11
 non pro vno vespere tantum, sed pro toto mense cotur-
 nices dedit, nec cuilibet unam tantum, sed qui parum,
 inquit, collegerat, decem choros plenos habebat co-
 turnicum. Præterea etiam ideo delicatas carnes cotur-
 nicum eis dedit, ut non haberent occasionem murmu-
 randi, si crassas carnes ipsis dedisset. Sic enim cum eis
 egit, quasi mater cum filio, quæ omnibus modis hoc
 agit, ut plorare cesset. Sic & nunc admodum paternè
 nos tractat, tolerat, dissimulat, cum longè seuerius pos-
 set agere, idque iuste, nisi misericordia superexaltaret
 iudicium. Verè igitur dixit David: Voluntatem timè-
 tum se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, &c. Psal. 148.
 Et iterum: Suavis Dominus uniuersis & miserationes Psal. 144.
 eius super omnia opera eius.

Manè autem iacuit ros per circuitum castrorum.

Hic impletur altera promissio, De pane cælitus dā-
 do, quæ & ipsa, quæadmodum & superior de carnibus,
 nec ad momentum horæ fefellit, aded certæ sunt pro-
 missiones Dei. Nō enim est Deus, quasi homo, ut mē- Num. 11
 tiatur. De hoc autem cibo Mannæ scriptura nedum
 hoc loco, sed etiam in pluribus alijs locis loquitur, &
 vbiq; magnificè, ut patet Deut. 8. Num. 11. Nehemiæ
 9. Sapien. 16. Psal. 77. Psal. 80. Psal. 104. Ioan. 6. & 1.
 Cor. 10. Nec mirum, quod toties huius historiæ men-
 tio fit: Est enim in se opus magnificū & mirabile. De-
 inde magnum habet mysterium, quod nunc in Chri-
 sto impletum cernimus. Præterea, admodum conso-
 latorium est maximè his, qui fame & penuria tentan-
 tur. Docet enim hæc historia apertissimè, fidelibus

ANNOTATIONES

nihil defuturum, quàm diu in vocatione persistunt.
 Hinc David confidenter ait: Dominus regit me, & ni-
 hil mihi deerit, &c. Nec minus confidenter etiam al-
 ios consolatur: Spera, inquit, in Domino, & fac boni-
 tatem, & habitabis in terra, & pasceres in diuitijs eius.
 Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis
 tui. Sic & Thobias: Pauperem, inquit, vitam ducimus,
 sed multa bona habebimus, si timuerimus D E V M.
 Sic & Petrus: Omnem sollicitudinem vestram proj-
 cientes in eū: ipsi enim cura est de vobis. Omnia hæc
 similiaque dicta videntur ex hac historia desumpta.
 Hic enim ad oculum videmus Dei erga suos curam &
 prouidentiam, imò dilectionem. Cæterum, etiam hic
 videmus, quòd Deus longè aliter ac nos cogitamus,
 implet promissiones suas. Non enim sunt cogitatio-
 nes eius vt nostræ cogitationes. Cùm itaque promi-
 sisset illis panes sedaturum, non poterant aliter co-
 gitare, quàm quòd vel pistos panes, vel saltem frumen-
 tum daturus esset. Cæterum, Deus neutrū fecit, & ta-
 men fami eorum consuluit: Primò, vt etiam hic osten-
 deret potentiam suam, nimirum quòd etiam si nulli
 essent panes nullumque frumentum, tamē suos à fa-
 mis periculo seruare posset. Deinde, non vulgarem eis
 panem dare voluit, sed meliorem, ad ostensionē suæ
 dilectionis. Manna enim illud longè maioris virtutis
 fuit, quàm panis vulgaris & frumenticius, vt Sapiens
 dicit. Præterea etiam ideo nec panē pistum, nec fru-
 mentum eis dedit, sed aliud quiddam, vt tentaret eos,
 sicut supra dictum est in exordio capituli huius, &c. Sic
 enim Deus sua dona largitur, vt simul etiam probet
 nostrā fidem & obedientiam. Breuiter autem hic de-
 scribit Manna: Apparuit, inquit, minutum. Infrà dici-
 tur & in Numeris quòd erat quasi semen Coriandri, &
 album, Vnde hic dicitur in similitudinē pruinę. Quòd
 autem hic dicitur quasi pilo tusum, in Hebræo habe-
 tur, Inuolutum theca, vel tectum cortice, quod sic in-
 telligunt quidam Hebræi, nempe quòd prius cecidit
 vos, postea manna. Deinde supra manna pruina, quæ
 quasi

Psal. 121

Psal. 36

Thob. 4

1. Pet. 5

1. Sa. 5

Sap. 16

Deut. 1

Numer. 11

quasi tegetet ipsum manna, sicque quasi inuolutum & tectum esset. Quauis autem Moyses breuiter hic describat ipsum Manna, alibi tamē in scriptura multo magnificentius de ipso dicitur. Sic enim Sapiens ait: Sap. 16. Angelorum esca nurriuisti populum tuum, & paratū panem de cælo præstitisti eis, sine labore. Omne delectamentum in se habentem, &c. Substantiam enim tuam & dulcedinem in filios demonstrare uoluisti, deseruiens vniuscuiusq; voluntati. Et Dauid: Panem, Psal. 77. inquit, cæli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo, quod non sic intelligendum est, quasi angeli eo cibo uescantur in cælo. Ipsi enim cum sint spiritus, non opus habent corporali cibo. Sed ideo manna dicitur panis angelorum, Primò, quia maius quiddam erat, quàm panis humanus: Secundò, quia ministerio angelorum præparatus in aere: Tertiò, quia Christum figurabat, in quem etiam angeli prospicere desiderat: 1. Pet. 1. Quartò, quia idem efficiebat in pijs, quod cibus inuisibilis operatur in angelis, nempe ut non senescant, nō infirmentur, sed semper in eodem statu permaneant, Iosue. 14. Sic fecit & Manna. Vnde Caleph dixit: Hodie octoginta quinque annorum sum sic ualens, ut eo ualebā tempore, quo ad explorandū missus sum, &c. Et psalmus: Psal. 10. Non, inquit, erat in tribubus eorum infirmus.

Videntes filij Israel, dixerunt adinuicem. Manhu?

Quidā uolunt, quod hoc ex cōtemptu dixerint. Q. D. Hoccine est magnificum illud donū, quod promissit? Putabamus panē pistum in multitudinem venturum, nunc autē nihil minus uidemus. Magna promissit, parua exhibet. Sic igitur nedum non contenti, sed & ingrati inueniuntur. Idem contigit Christo, quamdiu panem uitæ pollicebatur, dicebant Iudæi: Domine da nobis hunc panē. Cū autem diceret: Ego sum Ioan. 6. panis uitæ: statim abominabantur, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum: Alij uolunt, & melius, quod ex admiratione hoc dixerūt. Vnde & subditur: Nesciebāt enim quid esset. Et quia cibum illum aliter nominare non poterant:

ANNOTATIONES

appellabant donum. Nam, Man, in Hebræo donum est; Hu, hoc. Q. D. Hoc est verè magnum & insigne donum Dei. Vel potest intelligi Manhu positum esse, pro Mahu, nun, litera interiecta euphoniæ gratia. Mahu autem significat, quid hoc.

Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.

Hoc verbo primò arguit improbitatē & ingratitude in illorū, qui ex contēptu dixerant Manhu. Quid est hoc? q. d. Moyses, non tam temerè loquendum est, Dei donum est, idèò quantūvis parū sit, tamen gratā ter accipiendū. Maximè cū certū sit, q̄ Deus etiā ex parvis reb. magna efficere possit. Sic pugillo farine toto triennio famis viduā illam Sareptanam cum filio sustentavit. Eodē modo aliam viduā modico oleo ex magnis debitis eripuit. Sic & Heliam vnico pane sub cinericio ita pavit, vt quadraginta dieb. nullo corporali cibō opus haberet. quod igitur tūc potuit, hoc etiam nunc potest. Nolite igitur ingrati esse. Hæc etiam nobis dicta esse sciamus, à quibus subinde vox illa ingratitudinis auditur: Quid est hoc? Quicquid enim Deus dat, videtur minus esse, maiora appetimus, quæ data sunt fastidimus, sicq; plerunque iram Dei incurrentes, & acceptis nos priuamus & accipiendis. Deinde & maximè Moyses hoc verbo instruit eos, qui ex pia admiratione dixerant, Quid est hoc? Iste, inquit, est panis, &c. Cum emphasi autem & pondere verborum hoc dixit, Q. D. Hoc est quod dudum cōcupiistis. Hunc panē non terra, non natura, nō labor aut industria vestra, non creatura aliqua dedit, sed Dominus ipse. Nec taliter fecit omni nationi. Nō enim alteri cuiquam populo hoc dedit, imò nec patribus vestris, sed vobis dedit. Hinc igitur discite, quàm benignum & propitium Deum habeatis, grati que estote, &c. Vides quàm altè Moyses & diligenter studuit populo suo infingere Dei beneficia: sciebat enim hoc vtilissimum esse. Non enim permanere potest homo in pietate vera, nisi semper ob oculos habeat Deum, cuiusque beneficia. Vnde & Christus vt suos in pietate cōtineret, per

petuū

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

2. Reg. 19.

Psal. 147.

Mat. 26.

petuum memoriale eis instituit, quo beneficiorū eius admonerentur.

Colligat vnusquisque ex eis quantum sufficiat ad vescendum.

Hic eos instruit, quomodo dono accepto vtantur, ne aut Deū offendant, aut dono Dei abutantur. Non enim satis est cum gratiarum actione Dei dona suscipere, nisi & benè ipsis vtamur. Nā & avarus inuento thesauro, & impij in vbertate rerum, & falsi Christiani audito Euangelio gratiæ Dei, gratias agunt: neutri tamen donis Dei rectè vtuntur. Ideo Moyses suos instruit, quomodo, & quando, & quantum colligere debeant. Primò iubet eos colligere: sic enim Deus dona sua largitur, vt tamen etiam nostrū laborem requirat. Ipse dat, nostrum est colligere. Posset omnia & temporalia & spiritualia citra laborem nostrū dare, sed non vult. Hinc & in Euāgelio iubet nos petere, quærere, pulsare, itemq; iubet nos venire ad se, &c. Secundò, Colligat, inquit, vnusquisq; Non dicit: colligant diuites, & postea pauperibus vendant, sed vnusquisq; inquit, tam diues, quā pauper. Vult enim Deus dona sua omnib. esse cōmunia: non enim est acceptor personarum, nec diuitū Deus tantūm, sed etiā pauperum, imò omniū. Tertiò, signāter præcipit, vt colligāt, quantum sufficit ad cibum vnus diei. Nō vult, vt ad superfluitatē colligant, aut ad auaritiā, sed ad necessitatem. Superfluitas enim & abūdantia victualium occasionem præbent ad peccatū, vt patet in Sodomitis, de quibus Ezechiel: Hæc fuit (inquit) iniquitas Sodomæ, superbia, ociū, & saturitas panis. Sic & Moyses de suo populo dicit: in crassatus est dilectus, & recalcitrauit, &c. Vnde & Paulus: Habentes victum & vestitum his contenti simus. Quartò etiam quantitatem determinat: per singula (inquit) capita vnum gomor (quod est mensuræ genus apud Hebræos) colligant. Hic autē duplex videmus miraculum: Primum, quòd tam copiosè manna cecidit per singulos dies, vt sexcentis millibus hominum quilibet habere possit vnum gomor. Meritò igitur Christus nos docet: Nolite solliciti

Luce 11.
Matt. 23.

Acto. 10.

Rom. 10.

Ezech. 16.
Deut. 32.

1. Tim. 6.

Matt. 6.

ANNOTATIONES

esse animæ vestrę quid comedatis, &c. Scit enim pater vester, quòd his indigetis. Alterum miraculum, quòd cum vnus homo plus comedat, quàm alius, omnib. tamen sufficit gomor manę per diem. Vnde & subditur: qui plus collegit, nō habuit amplius, &c. Quintò, Nemo, inquit, relinquet ex eo vsq; manę. Diceret aliquis, quid opus fuit huiusmodi præceptis? cur non pro toto anno dedit, vt non opus haberent quotidie colligere? Sic enim plerunq; videntur nobis præcepta, imò & opera Dei superuacanea. Verum Deus nihil sine causa agit aut præcipit, quantumuis nobis absurdum videatur, vt cum Abrahę præcepit immolare filium: per hoc enim probare & omnibus modis ostēdere voluit fidē Abrahę. Sic hic tantū pro vno die panes dat, tantūmq; pro vno die vult colligi: Primò, vt tētet eos an credant, quòd etiam sequenti die dare posset: Secūdo, vt sic in timore Domini continerentur, videntes quòd omni die auxilio & donis eius indigerent. Non enim facile peccat, qui scit se omni hora Dei auxilio indigere. Populum igitur illum freno quodam retinere studuit in timore.

Feceruntque filij Israel, & collegerunt, alius plus, alius minus:

Non grauatim obediūt in eo, quòd colligere iubetur, vrgebat enim fames. Interim tamē multipliciter transgrediuntur præceptū: Primò enim auaritia suadente collegerunt, alij plus, alij minus. Deo tamen agente & auaritiam eorum puniente, cū mensurarent, nō inuenerunt plus, quàm alij. Sic enim etiam nunc, quantūuis corradant diuites avari, ex omnibus tamē diuitijs suis nihil plus consequuntur, quā pauperes, nimirum quotidianum victum. Non enim plus edere possunt, quàm corpus capiat. Alia igitur nihil ipsis utilia sunt. Interim etiam pauper Deum timens quotidianū victum habet, maiora non desiderat. Summa: Qui plus colligit, nō habet amplius: & qui minus, non deficit. Deinde etiā in hoc transgrediuntur præceptū, quòd aliqui seruabant manna vsq; in sequentē diem, nimirum auaritia suadente. Verū iterum aderat Dei iusti.

Gen. 27.

iustitia puniens. Nam quod reseruauerant, scaturire
 cœpit vermibus, & computruit. Per hæc autem eos
 abstertere voluit ab avaritia, & docere, vt paucis esset
 contenti, nec solliciti essent in crastinum vel de crasti-
 no. Sed Dei præceptis obedientes, non dubitarent Deū
 ipsis affuturum, quemadmodum & Christus nos do-
 cet: Primū, inquit, quærite regnum Dei, & hæc om- Matt. 6.
 nia adijcientur vobis. Cæterū, hæc plaga vermium
 & putredinis etiam nunc percutiuntur avari: Primò
 enim sentiunt vermem conscientie propter iniustam
 acquisitionem pecunie: Secundò, vermes sentiunt
 curarum & sollicitudinum, qui eos nunquam quiesce-
 re sinunt. In futuro etiam sentient vermem illum, qui
 nunquam morietur. Deinde, diuitie eorum ipsis pu- Isa. 66.
 trescunt: in vita enim nihil vtilitatis eis adferunt, &
 in morte queque vltionis nihil profunt. Omnia hæc Prou. 17.
 eò tendunt, ne sectemur avaritiam. Radix enim malo- 1. Tim. 6.
 rum omnium est cupiditas, vnde & à Paulo idolorum Eph. 5.
 seruitus vocatur.

Venerunt principes, & narrauerunt Moysi.

Timebant, ne populus iterum peccasset, sexta die
 duplices cibos colligendo: nesciebant enim adhuc vo-
 luntatem Domini de sabbatho. Ideo Moysi maturè
 hoc nunciant, ne fortè ira Dei exasperaretur. Condi-
 tiò bonorum principum est, cauere, ne subditi peccent,
 Dei que iram prouocent. Vel secundum Iosephum, po-
 pulus etiã sexta die tantū pro vno die cibos collegerat,
 cum aut domum venissent, inuenerunt duplicatam
 mensuram. hoc miraculum videtes principes, nec in-
 telligentes, quid sibi vellet, nunciauerunt Moysi.

Requies sabbathi sanctificata est Domino cras.

Exponit, & docet, cur sexta die duplices cibos de-
 derit Deus, simul que religionem sabbathi exprimit.
 Patet ex hoc loco, quòd præceptum de sanctificando
 septimo die etiam ante legem fuit. Vnde & à princi- Gen. 2.
 pio Deus diem septimum sanctificauit. Congruè igitur
 etiam post legem abrogatam manet hoc præcep-
 tum, magis enim pertinet ad moralia, quam ad cere-

ANNOTATIONES

monialia, imò magis pertinet ad legem naturæ, quàm ad legem Moyfi. Ipsa enim natura docet Deum colere, etiam si nulla lex esset scripta. cultus autè Dei præcipuum est in hoc præcepto, vt infra dicitur.

Iam quòd Deus non vult, vt quicquã reseruent aut reponant pro sex diebus hebdomadæ, sed tantùm pro septimo, propterea, q̃ eo die nō inueniebatur manna, hoc nos manet, vt pro sex diebus, id est, pro vita hac tēporali, quæ per sex dies significatur, non simus solliciti. Dabit enim Deus perseuerantibus in vocatione, omni die, quod edant. Scit enim, quòd his indigemus. Sufficiat igitur cuiuslibet diei malitia sua. Pro septimo autè die, id est, pro futura vita, vbiq; monemur solliciti esse. Vnde Christus: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, &c. Et Paulus diuitibus præcipit, vt thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, &c. Felix, qui hoc tempore ita sibi prouidet de futura vita, vt dicere possit cum Paulo: Scio cui credidi, &c. Huc pertinet, q̃ quæ reseruata erant pro sex diebus, putrescebant, quæ autem reseruabantur pro sabbatho, nō putrescebant. Sola enim ea permanent nobis intacta, quæ profutura, vita thesaurizamus: Ea enim nec erugo, nec tinea demolitur.

Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domino.

Hoc dixit in die septima. Iubet autè primò, vt comedant, quæ reposuerant. Deinde prædicat, eo die nō inueniri, quod colligere possint de nouo. Et nobis in septimo illo die futuræ vitæ dicitur, vt comedam⁹. Tūc enim seruus fidelis audiet: Intra in gaudium Domini tui. Et seruus vigilans iubebitur accumbere ad mensam Domini. Obseruandum, quòd septimo die, id est, post hanc vitam non inuenietur, quod colligere possimus. Venit, inquit, nox, in qua nemo poterit operari. Vnde Moyses sapius repetit, vt in sex diebus colligāt. Et Christus nos mōnet, vt ambulemus, dum lucē habemus. Et Paulus: Dum tempus habemus, operemur bonum. Et iterum: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, &c.

Exo. 10.

Matt. 6.

Ibidem.

1. Tim. 6.

2. Tim. 1.

Matt. 6.

Matt. 25.

Luc. 12.

Ioan. 9.

Ioh. 12.

Gal. 6.

1. Cor. 6.

*venit dies septima, & egressi de populo, ut colligerent,
non inuenerunt.*

Hic iam tertio in tentatione rebelles inueniuntur. Præceperat Deus primo, ut tantum pro capite quolibet vnum gomor colligerent, sed non obseruatum fuit. Alij enim plus, alij minus collegerant. Secundo præceptum erat, ut nihil reseruarent in crastinum, nec hoc seruauerunt. Tertio præceptum erat, ut sabbatho quiescerent, sed nec hoc seruant. Sic igitur semper inuenimur diuinis præceptis inobedientes. Obserua, quæ ubique frustrantur suis desiderijs. Nam & hi, qui plus, quam gomor collegerant, non inuenerunt amplius; & hi, qui in alterum diem reseruauerant, computruit manna: & hi, qui sabbatho exeunt, nihil inueniunt. Sic solet Deus frustrare nostras cupiditates, ubi contra præceptum eius agimus, &c.

Vsquequo non vultis custodire mandata mea?

Vide clementiam Dei, qui iam tertio provocatus, non tamen punit, sed verbis tantum arguit. Emphasim autem habet, quod ait: Mandata mea. Nō, inquit, Moysi aut hominis mandata sunt, sed Dei. Hoc etiam nobis attendendum est. Vnde & apud Paulum commendantur, qui Euangelium non ut verbum hominum, sed ut verbum DEI accipiunt. Et Christus: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit, & cætera.

Videte, quod Dominus dederit vobis sabbathum, & propter hoc die sexto tribuit vobis duplices cibos.

Etiam hoc emphasis suam habet: Non ego, inquit, sabbathi requiẽ institui, sed Dominus, quod vel hinc videre potestis, primo, quod sexta die duplices cibos dat: secundo, quod septimo die nihil inuenitur manna. Breuiter igitur addit, quomodo sabbathum sanctificent: Primo, maneat vnusquisque apud se: Secundo, nullus egrediatur de loco suo: Tertio, sabbatizabit populus. Hæc nobis quoque dicuntur, in sabbatho enim quilibet apud se maneat, id est, conscientiam suam perscrutetur, nullus egrediatur, exterioribus se

NON

ANNOTATIONES

nō occupet. Sabbatizabit, id est, bonis operibus se exerceat. Sed de his infra.

Exo. 19.

Appellauitque domus Israel nomen eius Man.

Man, id est, donum fatentur, igitur Dei donum esse nō ex meritis suis, sed sola gratia Dei datum. In hunc modum dona Dei accipienda sunt, vt omnia ipsi accepta feramus: hinc enim nascitur amor D E I, imō ideo tot bona nobis dat, vt ad amorem sui nos alliciat. Sic enim in propheta dicit: Traham eos funiculis Adam.

Osee II.

Erat autem quasi semen Coriandri.

Iterum redit ad descriptionem Mannæ, nimirum ex admiratione diuinæ bonitatis & potentiae. Nec dubium, quin deuotas contemplationes vir sanctus circa hoc opus Dei habuerit, quando tam inuitus ab eo diuellitur, totiesque illud repetit. Pio enim homini nihil iucundius est, quàm Dei mirabilia apud se cogitare, & alijs inculcare. Vnde Dauid orat: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Et iterum: Confitebor tibi in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, &c. Admiratur autem Moyse diuinam potentiam in eo, quòd considerat mannæ rā paruum speciem. Q. D. Vide Israel, quàm potens sit Deus, qui tantillo granulo te pascere potest in tanta multitudine. Quòd autem & saporem mannæ describit, commendat diuinam bonitatem, quæ non contenta qualemcunque cibum dare, sed optimum & sapidissimum dedit.

Psal. 118.

Psal. 9.

Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor.

Obseruandum hic, quòd Deus semper iuxta verbū suum etiam signa externa dedit, quibus homines admonerentur. Nec solū generalia & communia, vt hic, sed etiam specialia, vt scilicet quilibet in vestibus & in ianuis domorum haberet signa, quibus admoneretur Dei operum. Nihil est igitur, quod nunc plerique dicunt nihil opus esse signis, sed solo verbo Dei, quod placet operum Dei nos commonefacit. Habebāt enim etiam

Num. 15.
Deut. 6.

Etiam illi verbum Dei, & scripturam Dei mirabilia continētem, nihilominus tamen Deus externa illis signa dedit. Cæterum, manna illud summa diligentia apud Iudæos conseruatū fuit inter preciosissimas reliquias, & in loco sanctissimo, scilicet in arca testamenti, & in vrna aurea, vt Paulus dicit. Non tamen reseruari iussum, vt ipsum adorarent, aut superstiosè, vel ad questum vtentur, sed vt esset memoriale, quo posteri discerent, quid Deus olim gratiæ patribus fecisset. Hòc modo, si reliquijs nostris vteremur, vel vsi fuissēmus, nemo facillè reclamasset, &c.

Hoc cibo aliti sunt quadraginta annis.

Etiam hoc addit Moyses ad amplificationem gratiæ Dei. Non semel, inquit, tantum, non vno die, non vno mense aut anno, sed totis quadraginta annis huc cibum eis dedit, quantumuis interea ipsi peccarent. Verè potens Dominus, cui non fuit difficile tot homines, & tanto tempore sine omnibus terrenascentibus nutrire. Nemo igitur desperet de Dei potētia. Verè misericors Dominus, qui nunquam solito victu ipsos priuauit, quamuis subinde eum offenderēt. Quòd si impijs etiam temporalia non subtrahit, multò minus derelinquet pios. Cur autem filij Israel quadraginta annis in deserto fuerint, in Numeris habetur. Nempè propter peccata sua, quæ semper bonum à nobis prohibent, inò diuidunt inter nos & Deum.

Sequitur allegoria huius capituli.

Ex Euangelio Ioannis patet manifestissimè, quòd Manna fuit figura Christi: Non, inquit, Moyses dedit vobis panem de cælo verum, sed pater meus dat vobis verum panem, &c. Et paulò post: Ego sum panis viuus, &c. Et iterum: Caro mea verè est cibus, &c. Tripliciter autem datus est nobis Christus: Primò, in humanitate visibiliter: Secundò, in verbo spiritualiter: Tertio, in sacramento inuisibiliter. Quicquid igitur in hac historia dictum est, refertur vel ad humanitatem Christi, vel ad verbum, vel ad sacramentum. Quatuor autem in hac historia dicuntur de Manna: Primò,

sa:sc.

ANNOTATIONES

sa: Secundò, ipsius conditiones & forma: Tertio, mo-
 dus colligendi: Quarto, vsus eius. Prima causa, quòd
 Deus dedit manna, fuit fames populi. Et Christus di-
 cit in psalmis: Propter miseriam inopiam, & gemitum
 pauperum nunc exurgam, &c. Et in Euangelio: Vidēs
 Iesus turbas misertus est, quia erant sicut oves nō ha-
 bentes pastorem. Secundò, Deus ideo dedit manna, vt
 ostenderet suam veritatem, potentiam, iustitiam, bo-
 nitatem, &c. Et Deus ideo misit filium suum, vt hæc
 nota fierent, &c. Tertio, dedit manna, vt tentaret eos.
 Et Christus ideo pauper & humilis venit. Ideo nō per
 seipsum, sed per Apostolos nobis verbum suum dedit,
 ideo non visibiliter, sed inuisibiliter in sacramento se
 dat, vt nos tentet, si velimus credere etiam ipsum nō
 videntes. Signanter autem nos tentat in sacramento.
 Sicut enim primus homo in cibo vetito plus credidit
 diabolo, quàm Deo: sic Christus in hoc sacramento
 ad expiationem prioris culpæ vult, vt plus credamus
 ipsius verbo, quàm nobis ipsis, aut sensui nostro, vel ra-
 tioni. Secundo, Moyses descripsit in hac historia con-
 ditiones, formam & figuram mannae. Omnia autem
 hæc in Christo videmus impleta: Primò, manna erat
 minutum, & in specie paruum, & contemptibile, sed
 magnam habebat virtutem. Sic Christus, sic verbum
 Dei, sic sacramentum, &c. Manna erat album & candi-
 dum, Christus mundus ab omni peccato: peccatum e-
 nim nō fecit, &c. Manna erat quasi pilo tufum, & Chri-
 stus pilo passionis, & torculari crucis ita cōtusus fuit,
 vt vndique preciosus eius sanguis efflueret: Torcular,
 inquit, calcaui solus, &c. Manna habebat saporem mel-
 lis, & Christus omnibus afflictis dulcem se ostendit.
 Idem faciunt verbum Dei & sacramentum. Manna sa-
 piebat vnicuique vt volebat, & in Christo, verbo, & sa-
 cramento inuenit quisque, quod desiderat, infirmus
 sanitatem, peccator veniam, &c. Manna rigidum vi-
 debatur, sed ad calorem solis liquefiebat: sic Christus
 crucifixus durus videtur, verum pijs nihil dulcius: li-
 quescit enim in cordibus eorum, iugumque suum
leue

Psalm.

Matt. 9.

1. Pet. 2.

Psalm.

Matt. 11.
Iohn. 1.

Ieuē facit, &c. Et verbum DEI rigidum videtur, sed
 commandatum magnam habet dulcedinem. Man-
 na descendebat de cælo, & Christus desursum venit.
 Manna descendit cum rore, & Christus rorem gratiæ
 ac plenitudinem Spiritus sancti secum attulit. Gratia
 enim & veritas per ipsum facta est. Manna etiam in si-
 militudinem pruinae descendit, & in Christi aduen-
 tu incredulis Iudæis superuenit pruina excæcationis
 & indurationis. Manna omnes in stuporem & ad-
 mirationem conuertebat, sic Christus verbum & sa-
 cramentum.

Omnibus commune erat manna, sic Christus: Ve-
 nite ad me omnes, &c. Manna omnibus sufficiebat, sic
 Christus: vnus enim Christus, vnum verbum, vnum
 sacramentum omnes fideles pascit vbique terrarum.
 Manna omni die cadebat, & Christus in verbo & sa-
 cramento nobiscum est vsq; ad consummationē secu-
 li. De manna, qui plus colligebat, non habebat am-
 plius, &c. In Christo pauper fidelis nihil minus habet,
 quàm ditissimus & doctissimus quisq; Manna deficie-
 bat, cùm Israelitæ terrā promissam essent ingressi, &
 succedebat solidus cibus; sic in futura vita nihil opus
 erit verbo & sacramento. corā enim videbimus Chri-
 stū. Cùm venerit, quod perfectū est, euacuabitur, quod
 ex parte est. Manna ad memoriā etiam posterum in tē-
 plo seruabatur, & Christus memoriale perpetuum ha-
 bet in Ecclesia, ipsum scilicet sacramentum. Vides, q̄
 omnes cōditiones manne Christo conueniant. Quod
 si modum colligendi attendas, etiā videbis ad Christū
 omnia referri. Præceptum erat illis, vt summo mane
 colligerent manna. Et nobis dicitur: Primū quæri-
 te regnum Dei. Illi omni die colligere debebant, &
 nos non cessare oportet in hac vita. Illis egrediendum
 erat, & nos egredi iubemur è veteri vita. Maximè au-
 tem circa sacramentum egredi iubemur ab omni cu-
 riositate corporei sensus, ne scilicet visu, vel gustu, vel
 tactu diiudicare velimus, & cæt. ibi sit corpus Chri-
 sti, sed simpliciter verbo Dei credendum. Illis præce-
 ptum

Ioan. 1.

Matt. 11.

Matt. 11.

1. Cor. 13.

Matt. 6.

ANNOTATIONES

ptum erat, vt ad sufficientiam colligerent, non ad curiositatem: idem nobis obseruandum in Christo, verbo, & sacramento.

Luc. 16.

Num. 11.

Denique, illi in sexta die duplum colligebant, & nobis præcipitur, vt in hac nouissima hora non dormiamus, sed futura præuideamus, exemplo villici. Imò etiã vsus & abusus mannae mysterium habet in Christo completum. Vsus eius erat, vt in mortario tundetur, vel mola frangeretur, sicque coqueretur: Et Christi mysteria minutatim considerata, & in corde cõtrito suscipienda, igneque amoris diuini coquenda, sicque in eorum dulcedine conquiescendum.

Ibidem.

Ioan. 6.

1. Cor. 10.

Ad manna vetus non omnes æqualiter affecti erant: imò quidam nauseabant; idem contingit Christo, verbo, & sacramento. Manna vetus boni & mali comedebant, sed diuerso fine: multi enim in deserto perierunt. Sic Christo, verbo, & sacramento boni & mali vtuntur, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Nã Christus impijs est in ruinam, pijs in resurrectionem: sic verbum, sic sacramentum. Postremò, Manna aliquibus putrescebat, & inutile reddebatur: sic Christus multis inutilis est, itidemque & verbum, & sacramentum. Vidēs igitur, quòd in omnibus manna nostrum correspondet veteri, vt interim taceam, quòd nostrum multò præstantius est. Nam in se essentialiter habet fontem omnis boni, & non solum corpus, sed etiam animam pascit, denique etiã vitam dat, & quidẽ eternam. Postremò, omninò incorruptibile: Christus enim heri & hodie, ipse & in secula. Nihil horum habuit manna vetus. Curandum igitur, vt grati simus, ac pane illo verè cælesti benè vtamur.

Hebr. 13.

CAPVT XVII.



In hoc capite Moyses prosequitur historiam profectionis filiorum Israel ex Aegypto ad terram promissionis, iterum igitur videbimus hinc Dei mirabilia circa suos. Multipliciter enim circa Israe-

Et Israelitas potentiam & bonitatem suam ostendere voluit, ad confirmationem & consolationem nostram. Pulchrè autè caput hoc præcedenti connectitur, illic enim audiuius quomodo Deus populo illi prouidit de cibo, hinc audiemus quomodo eisdem prouidit de potu, & vtrunq; mirabiliter: Nimirum vt ostenderet se cum esse, qui omnia dat. Vnde Psal. Ipse dat escam omni carni. Et iterum: Qui producit in montibus fœnum, &c. Qui dat iuuentis escam ipsorum, &c. Et iterum: Qui emittit fontes in conuallibus, &c. Quamuis autem etiam suprâ miraculum fecit circa aquas, eas dulcorando, hinc tamen aliud signum facit, vt sciamus Deum pluribus modis posse succurrere.

Igitur profecta omnis multitudo Israel de deserto Syn, per turmas suas.

Singula verba emphasim habent: Primò, non simpliciter dicit, Profecti sunt, sed præposita coniunctione, Igitur, quasi dicat, Igitur cum tam clarè experti essent Dei præsentiam in datione mannae, læti profecti sunt, nihil amplius solliciti propter horrorem solitudinis. Profecti sunt autem per mansiones. Non enim statim à deserto Syn venerunt in Raphidim, sed prius castrametati sunt in Depheta, deinde in Alus. Vbi iterum videmus Dei bonitatem, qui non statim eos ad locum penuriae duxit, sed prius per aliquot dies consolatus est. Nouit enim Deus quomodo, quando, & quantum tentationis imponere debeat. Additur iuxta sermonem Domini, non quòd aliquà vox sensibilis à Deo emissa ostenderet eis locum castrorum, sed columna nubis hoc indicabat. Alij legunt, Per turmas suas, vel per castra sua, vt sit sentus, quòd ordinatè processerint. Iuxta ordinem castrorum à Deo institutum, de quo vide in Num. 2. Ordinem autem profectionis habes Num. decimo.

MORALITER.

Docemur hic, quòd Christianus semper profectus debet. Non enim habemus hic manentem ciuitatem. Vade Paulus. Festinemus ingredi in illam.

R

quem,

Psal. 135.

Psal. 146.

Psal. 101.

Num. 33.

1. Cor. 13.

Num. 9.

Heb. 13.

Hebr. 4.

ANNOTATIONES

quem, &c. Secundò, nedum proficisci debemus, sed ordinatè proficisci. Nam & Christus ordinem in Ecclesia instituit, dum aliquos ex suis seſtatoribus Apoſtolos fecit, alios discipulos nominauit. Vnde Paulus: Alios dedit Apoſtolos, alios Euangelistas, &c. Et iterum: Diuisiones gratiarum sunt, &c. Si igitur sine impedimèto volumus pertingere ad patriam, seruemus ordinem, quilibet in sua uocatione permaneat. Scimus ex historijs, quantum damni afferat in bello, si non seruetur ordo, vel turbetur. Vnde & Romani quidam etiam morte punierunt, si quis extra ordinem pugnaret, ut patet in Tito Manlio, & Papyrio cursore. Nec quicquam nunc ita impedit Ecclesiam, ut quòd ordinem turbamus, quilibet uult esse Papa, sacerdos, prædicator, &c. Tertiò sic incedere debemus, quasi semper parati ad pugnam, quemadmodum Christus monet. Vnde in canticis Ecclesiæ dicitur: Terribilis quasi acies ordinata. Quartò, iuxta sermonem Domini incedamus, non secundum adinventiones nostras. Ideo enim omnibus statibus hominum in scriptura suas regulas præfixit, &c. Itè nemo se sine causa periculis aut tentationi obijciat, sed à Deo obiectus fortiter ferat.

Venerūt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo.

Moyſes hoc lib. tantum eas mansiones describit & nominat, ubi spirituale quid factum est. Infrà autem per ordinem omnes describit. Hic igitur iterum tentatio ad est. Ideo autem Deus illos duxit per hanc uiam, ubi tot paterentur defectus, ut ex frequenti necessitate cogèrentur recurrere ad Deum, & sic sub timore Domini continerentur. Deinde, ut per hoc bonorum patiètia, & malorum impatiètia declararetur. Tribulatio enim cribrum est, quo boni à malis secernuntur. Ob easdè causas etiam nobis frequenter aduersa immittit, cum posset nos sine omni offensa perducere ad uitam, uerum nobis utile non esset, si omnia prosperè succederent. Prosperitas enim ut plurimum obliuionem Dei inducit, ut patet in Israelitis: Incrassatus est, inquit,

Matt. 10.
Luc. 10.
Eph. 4.
1. Cor. 12.

Luc. 12.
Cant. 6.

Num. 33.

Luc. 22.

Deut. 32.

quit, dilectus, & recalcitrauit, &c. Ideo in chamo & freno maxillas eorū constringit, qui nō approximāt Psal. 11. ad eum.

Qui iurgatus contra Moysen, ait.

Hic iam omnium obliuiscuntur operū Dei, quę uiderant, tam arduum est in tentatione credere. Ceterū cū alij tantū ea de gente sua scribant, quę honorifica sunt, quę autem dedecorosa sunt, occultant. Moyses autem diligentissimē peccata populi sui describit, nō ex inuidia, sed ut magnificaret gratiam Dei, superbiamq; Iudæorum retunderet, ne gloriari possent, q̄ pro suis meritis tanta beneficia receperint. Nam magnificentiam & honorem nedum nō promeruerunt, sed confusionē & opprobrio indignos se fecerunt. Vn Deut. 9. de & in alio loco Moyses dixit: Ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, &c. Ob eandem causam Paul. & Iudæos & gentes probat peccatores esse, ut scilicet omne os obstruatur, & subditus fiat omnis homo Deo. Verē enim Christus nobis minutis suis occurrit ex gratia cum pane & aqua, cū paue in quā corporis sui, & aqua, quę de latere eius fluxit. Nemo igitur gloriatur, de se, sed qui gloriatur, in Domino gloriatur. 2. Cor. 10.

Ro. 1. & 2.
Rom. 3.

Da nobis aquam, ut bibamus.

Temeraria locutio. Ab homine exigūt quod homo dare non poterat; & superbē exigunt, q̄ humiliter à Deo petendū erat: sic impij omnia peruertūt. Nec hoc contenti, sed insuper calumniam addunt: Quare, inquit, eduxisti nos, &c. Si Moyses aut tyrannicē rexisset populum, aut sua negligentia damnum hoc dedisset, quemadmodū alij faciunt, non mirum esset, si male audiret. Nunc autem cū nedū tyrannus non fuerit, sed mansuetissimus omnium hominum, deniq; & fidelis seruus in domo Dei, iniustissimē hæc patitur. Num. 12. Hebr. 3. Vide autem, quā masuete respondeat: Quid, inquit, iurgamini contra me? imò quid tentatis Dominum. q. d. ita agitis, quasi nesciatis Deum omnia scire, uideri, malaque punire. Irritatis & exasperatis patientiā

ANNOTATIONES

& longanimitatem Dei, cum videritis qua seueritate impios Aegyptios perdiderit. Ex verbis igitur his patet, quod Moyses plus dolet de offensa Dei, quam de sua contumelia, & plus populo timet, quam sibi, ne scilicet iram Dei prouocet.

Clamauit Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.

1. Reg. 18.

Ioan. 13.

Vltimum refugiū iustorum in tribulationibus, clamare ad Dominum. Sicut impiorum confugium vltimum est, vel demonum auxilium inuocare, vt patet in Saulo; vel desperare. Vide autem mansuetudinē praepositi, quantumuis ipsum calumniati essent, non tamen deserit Ecclesiam, sed pro ipsa ad Dominum clamat. Sic Christus pessimè tractatus ab hominibus, ipsos tamen non deseruit, quin potius in finē vsq; dilexit, nec cessauit, donec ipsos redimeret. Sic Paul. multipliciter ingritudinem hominum expertus, non tamen cessauit ipsorum salutem querere. Propter malos non deserendum aut omittendum officium à Deo commissum. Vide autem, quid Moyses clamet. Non petit vindictam, sed humiliter ipsorum necessitatem exponit. Quid, inquit, faciam populo huic? Deinde & paucis suū periculum ostendit: Adhuc modicum, & lapidabit me. Hoc autem dixit non ex impatientia aut formidine, sed timēs, ne populus ipsius sanguinē commacularet manus, sicque maiorem iram Dei incurreret, vel ne post mortem suam ad idololatriam declinaret, sicque totaliter à Deo abijcerentur. Pij principis exemplum, plus timere subditis, quam sibi, quamuis rarissimum sit in mundo.

Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israel: & virgam, qua percussisti fluiuium, tolle in manu tua, & vade.

Psal. 144.

Vide bonitatem Dei, qui nedū non punit ingratos illos, vt meruerāt, imò ne verbo quidem ipsos arguit, insuper & beneficium praestat. Verè igitur miserationes eius super omnia opera eius. Iubet autem Moysen antecedere. q. d. tu times, ne populus te lapidet, e.

ego autem iubeo te non fugere, sed ante ipsos incedere, ut videas nū possim te protegere. Simile quiddam & Isaïæ dicitur: Quis tu, ut timeas ab hominē mortali, & oblitus es Domini? Moraliter autem omnibus superioribus dicitur, ut antecedant populū, alioqui vix vnquam populus recta via incedit, si rectores impie viuant. Vnde & Christus de bono pastore dicit, quod cū proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illū sequūtur, &c. Seniores autem secum sumere iubetur, primò, ad certitudinē miraculi, ut testes essent prius ibi aquam nō fuisse: Secundò, quia populus iam indignus erat videre tantum miraculum: Tertiò, ut multi essent & ætate & auctoritate graues, qui populū de beneficijs Dei instruere possent. Ceterū, etiam quibusuis principibus præcipitur, ut seniores secū habeant, ipsorumq; consilijs vtantur, ne scilicet proprio motu ferantur. Salus enim, vbi multa consilia. Alioqui princeps suum tantū caput sequens, & se & suos in interitū precipitat. Id, qd videmus in Saule, Achab, Sedechia, &c. Iubetur Moyses etiam virgam secum tollere. Poterat quidē Deus sine virga, & sine percussione aquā ex petra dare, verū hoc per Moysen & virgam facere voluit, ut Moysi cōsiliaret auctoritatē apud populum. Nisi enim auctoritas quædam sit in prædicatore, facile contemnitur verbū eius, hinc in Ecclesia sacerdotes solēnibus quibusdam cæremonijs instituuntur, ut auctoritatem habeant, imò ob eādem causam Christus Apostolis dedit potestatem signa faciendi, ut eò minus cōtemnerentur propter humilitatem conditionis.

En ego stabo coram te supra petram Oreb, percutiesque petram & exhibit ex ea aqua, ut bibat populus.

Stabo coram te, id est, in columna nubis, quā scilicet omnes videre possint. Hoc autē dixit, nē Moyses putaret impossibile esse sua percussione aquam ex petra elicendam: Ego, inquit, stabo supra petram, meū erit opus, nō tuum. Congruè autē in educatione aquæ de petra columna nubis præsentiam Dei representans visa

ANNOTATIONES

est, primò ne populus pronus ad idololatriam putaret aliquid latentis & diuinæ virtutis in petra illa esse, sic. que idololatriam inciperet illic. Deinde, ne opus illud ascriberent Moyfi. Præterea, ne etiam Moyfes humanum aliquid passus, in superbiam eleuaretur: Ego, inquit, stabo supra petram, vt videas non tuum, sed meū opus esse: sicque in humilitate mancas. Sic Deus vbi. que suorum saluti consulit.

Fecit Moyfes ita coram senioribus Israel.

Quā prompta obedientia, quàm magna fides, nihil dubitat, quantūuis videatur humana vi impossibile quod iubeatur, sed simpliciter Deo iubenti & promittenti credit. Ex priorib. enim signis didicerat, & planè perspexerat verbi Dei virtutem & omnipotentiā. Sic nos fidem nostram in verba & promissiones Christi fulcire debemus ex ipsius miraculis, quæ planè ostendunt verbum ipsius omnia posse, & nunquā fallere, si in fide suscipiatur. Hic igitur habemus insigne illud opus Dei, nempe quòd Deus populo suo aquam dedit è petra durissima. Verè magnum opus. Meritò igitur pius homo hîc cum Hieremia exclamare potest: Non est similis tui Domine. Magnus tu, &c. Quis non timebit te rex gentium? imò quis de cætero dubitare poterit de Dei potentia & bonitate? Si aquam de petra & tantam aquam dare potuit, quid non poterit? Quid enim impossibilius videtur naturæ & rationi, quàm aquam de petra dare? Meritò igitur hoc opus Dei frequenter in Scriptura commendatur in gloriam Dei & confirmationem fidei nostræ. Vt Deut. 8. Nehemiæ 9. Psal. 77. Psal. 104. Psal. 113. Sap. 11. Isaïæ 48. &c. Cæterùm, Moyfes loco illi nomen imponit tentatio, vt Israelitæ iterum admonerentur peccati sui, & scirent gratiam Dei esse, non ipsorum merita.

ALLEGORIA.

Christus in scriptura frequenter nominatur lapis, petra, &c. vt Isa. 8. & 28 Dan. 2. Zach. 3. Psal. 117. Matt. 21. Rom. 9. Eph. 2. 1. Pet. 2. Act. 4. Signanter autem Paulus
1. Cor. 10. dicit Christū fuisse hanc spirituales petram: Bibebāt, inquit,

inquit, de spiritali cōsequente eos petra. Petra autē erat Christus, q. d. corporalis petra ipsos non potauit, sed spiritalis, Christus scilicet. Est autem Christus petra firmissima, quam nemo deicere potest. Matt. 16. Est petra, in quam impingunt incauti. Ro. 9. Est petra, ad quam assurgunt infirmi. Est petra, supra quam ēdificant se pij. 1. Pet. 2. Est petra cōminuens impios Matt. 21. Hęc petra nobis dedit, & dat aquā vitæ, Primò scilicet sanguinem suum, quo mundati sumus, & vnde sacramenta nostra habent virtutē: Secundò, spiritum S. qui est aqua refrigerans, &c. Vnde in Ioan. dicit: Si quis sitit, veniat ad me & bibat, &c. hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erāt credentes in eū. Hanc aquam à Moyse quærebat populus, verūm ipse nec spiritum S. nec remissionem dare potuit. Ideo Deut. 18. populum ad petram Christum duxit: Prophetam, inquit, suscitabit vobis Dominus, & ipsum audietis. Nec solūm Moyse, sed & seniores, id est, omnes prophetæ sitientem populum ad petram, id est, Christum dirigunt. Scrutamini, inquit, scripturas, illæ testimonium perhibent de me. Cæterū, sicut petra nō dedit aquam, nisi percussa: sic spiritus sanctus dari non potuit, nisi Christus prius cruce & passione percuteretur. Ioan. 1. Vnde dicebat Apostolis: Expedi vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, scilicet per passionē, spiritus sanctus non veniet ad vos. Si autē abiero, id est, mortuus fuero, mittā eum ad vos. In cuius signum cū lancea latus eius apertum esset, cōtinuò exiuit sanguis & aqua. Ioan. 19.

MORALITER.

Cui aqua deuotionis deficit, is percutiat feruēti oratione petrā Christū, & recipiet aquā deuotiōis, &c.

Venit autē Amalech, & pugnabat corā Israel in Raphidim.

Hic incipit alia historia, imò nouum miraculū, nouum opus Dei. Sic enim Deus nō contentus est semel benefecisse hominibus: Pater, inquit, meus vsq; modò operatur, & ego operor. Imò sicut illi addunt peccata peccatis, sic Deus addit beneficia beneficijs, quasi sua bonitate vincere conatus ipsorum malitiam. Cæterū, Ioan. 5.

ANNOTATIONES

haec historia docemur, quod sicut cibus & potus dona
 Dei sunt, sic & pax victoriaque & liberatio ab hostib,
 dona Dei sunt, & à Deo petenda. Ego, inquit; Domi-
 nus faciens pacem, & creans malum. Et David: Tu,
 inquit, præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti
 insurgentes in me subtus me. Cæterum, Amalech
 ille non putandus est vnus tantum vir, sed populus
 fuit ab Amalech filio Eliphas filij Esau descendens,
 vt patet in Genesi. Hic igitur populus primus fuit, qui
 Israellem ex Aegypto egressum impugnauit. Vnde de
 ipso dicitur: Principium gentium Amalech, cuius ex-
 trema perdentur. Quomodo aut pugnauerit cõtra Is-
 rael, habetur in Deuteronomio: Memeto, inquit, Moy-
 ses, quæ fecerit tibi Amalech, quomodo occurrerit tibi
 & extremos agminis tui, qui lassii resisterant ceciderit
 &c. Nulla autẽ causa iusta Israellem impugnauit. Neq;
 enim Israel eum læserat, nec lædere cogitabat. Non e-
 nim Amalech erat de his populis, quorum terrã Deus
 Israelitis dare decreuerat. Quiescere igitur poterat
 Amalech, & securus permanere, verum sua sponte si-
 bi accersit malum. Sola enim malitia, itemque odium
 ad Israelitas denique & spes prædæ, maximè autem
 iudicium Dei ipsos ad impugnandum Israellem per-
 traxit, quæ res etiam nunc plerosque ad bellum trahunt
 in suum ipsorum malum. Noua igitur tentatio. hinc Is-
 raelitis accidit, adeo pius nunquam sine tentatione
 est. Iam habebant cibum & potum, sed deest pax. Infe-
 stantur à malis, & quod maius est ab his etiã, qui ab I-
 saac, sed per Esau descenderant. Non parua autem ten-
 tatio est à malis infestari, potissimum si hi infestent, quos
 amicos esse oportuit. Si inimicus, inquit, meus ma-
 ledixisset mihi, sustinuissem vtique, &c. Scripta sunt
 autem hæc, vt videamus nos non primos esse, qui à
 malis infestamur, sed idem etiam alijs contigisse. De-
 inde, vt sciamus quid in ea tentatione faciendum sit.
 Ideo autem permisit Deus Israellem impugnari ab A-
 malechitis, vt ex victõria sequenti essent audaciores de
 cetero cõtra aduersarios insurgentes, & vt de spolijs
Amalech

Isa. 45.
Psal. 17.

Gen. 36.

Num. 24.

Deut. 25.

Psal. 40.

Amalech munirētur armis & alijs necessarijs, quò facilius contra Chananæos pugnare possent. Sic Deus omnia propter nos facit.

Elige viros, & egressus pugna contra Amalech.

Nō negligit Moyses aduersariorum incursum: nec enim de eorum numero erat, qui comedunt agnum de grege, & lasciuiunt in stratis suis, nihil curantes cō-
 tritionem subditorum, Sed statim ad defensionem populi se accingit, idque eo apparatu, quem vtinam omnes Christiani principes imitarentur. Optimum quidem fuerat, nulla bella inter Christianos esse: Nihil enim minus Christianæ religioni, quæ charitatem docet, conuenit, quàm bellum. nec mirum: nam inter omnia mala, quibus discruciatur vita mortaliū, nihil bello sceleratius, nihil nocentius, quod atrocius exitium infert corporibus, facultatibus, animalibus, & moribus bonis. Quare omnibus Christianis fugienda sunt bella, quantū in ipsis est, quod si nō possumus ef-
 fugere bella, imitemur exemplum Moyfi & Iosue. Primo, vt dixi, Moyse subditos suos defendere studet, hoc enim principis officium est. Ideo gladium portat ad vindictam malefactorum. Deinde Moyses bellū non incipit, sed illatum à suo populo repellit. Væ illis, qui bella incipiunt, qui causam præstant, qui principes ad bella incitant: Hi enim omnium malorum, quæ in bello fiunt, rei sunt apud Deum, &c. Prætereà, Moyses ducem elegit ad bellum, non quemcunque, sed quē scit fortem pariter & iustum. Omnium maximè id curandum in bello, vt iustè quod iustum est exequamur, ne cū malos exterminare studemus, ipsi peiores inueniamur, quæ res non parum remoratur victoriā nostram de Turca. Quomodo enim Deus nobis assistere potest, cū per eos geramus bellum, qui in plerisq; ipsis Turcis peiores sunt?

Quòd autem Moyses non per seipsum procedit in bellum, sed instituit alium ducem, non ex formidine fecit, sed primò propter senium: iam enim octoginta
 annos transferat, vnde ad huiusmodi res minus dispo-

ANNOTATIONES

Exo. 4. fitus erat. Deinde, quia sciebat suum officium magis spirituale esse, quàm seculare & mundanum. Sic enim sibi à Deo dictum sciebat: Ego ponā verba mea in os tuum. Itemq;: Tu eris populo in his, quæ ad Deū pertinent. In cuius signum, non gladium, sed virgam

Matt. 26. in manum sumere iussus est. Ob eandē causam & Christus Petro gladium interdixit. Cui enim verbum Dei committitur, hunc non admodum decet gladio materiali pugnare. Prætereà, ideo Moyses bellum ipsi Iosue mandat, quia sciebat ipsum futurum ducē populi. Vnde hoc factō ipsi authoritatē cōciliare voluit, vt populus in hoc factō ipsius virtutem & felicitatem expertus, facilius postea eum in ducem susceperet. Insuper & mysterio non caret, quòd non Moyses, sed Iosue hostes populi Dei vincit. Per hoc enim figurabatur, quòd non lex, non sacerdotium Iudaicum nos ab hostibus liberaret, sed solus Iesus Christus. Obseruandum & hoc, quòd dicit: Elige viros. Tunc enim pio homini licet pugnare, cum & Deus hoc iubet, & potestas aliquē eligit, causaq; iusta est. Ex leuitate aut propria ad bellum currere sola spe prædæ ductus, & plerunq; contra obedientiam superiorum, impium est, & plus, quàm paganicum, quod quanquam vix peccatum esse putetur apud nos, & à nemine puniatur, impunè tamē non permanebit. Sic enim Deus dicit: Væ qui prædaris, nōne & ipse prædaberis? Cùm consummaueris prædationes tuas, & ipse deprædaberis, &c. Et in alio loco: Væ qui congregat non sua, &c. Væ qui cōgregat auaritiā malam domui suæ, &c. Væ qui ædificat ciuitatē in sanguinibus, &c. Væ qui potat amicū suum. Vis igitur Christianè pugnare, expecta donec à superioribus eligaris.

Ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.

Apud comicum ridetur dux belli, qui cū alios in primā aciem instruxisset, ipse sibi loco cauebat. Moyses aut, vt suprā ostēdi, nō ex formidine à bello abstinuit, sed propter causas suprā assignatas. Imò hoc verbo vel maximè ipsum Iosue confortauit, Q. D. Non solū

te mitto

te mitto contra hostes: non solus pugnabis, sed etiam ego meis armis pugnabo, teq; iuuabo. Accedā ad Dominum, orabo, admonebo eum promissionum suarū, &c. Obserua, q̄ Moyses alijs contemplare nesciētibus arma cōmittit. Ipse aut̄ orationi se dat. Obserua, quod nihil sine Deo incipit in exemplum nostrum, & maxime superiorum. Principes semper habent causam orandi, multa enim ipsis occurrunt, in quibus Dei auxilio opus habent. Hic igitur erat apparatus ipsius Moy si, habebat ducē belli bonum, habebat multitudinem populi, habebat iustam causam: nec tamen in aliquo istorum confidebat, sed in auxilio Dei. Sciebat victoriam non armis cōstare, sed Dei adiutorio, quēadmodum & David: Nō enim in arcu meo sperabo, nec gladius meus saluabit me, sed brachium tuum, &c. Psal. 43.

Fecit Iosue, vt locutus fuerat Moyses, & pugnavit contra Amalech.

Confidenter praelium aggreditur duplici spe munitus, tum quia habebat verbum & praeceptum DE I per Moysen, tum quia habebat secum orationes piorum. Qui hæc duo habet, quomodo non confidenter pugnaret?

Ascendit ergo Moyses in verticem collis.

Iosue hostem corporalibus armis inuadit, Moyses autem spiritualibus: quid igitur mirum, quod hostis consistere nequit. Ascendit in montem à tumultu populi, vt secretius oraret. Duos secum sumit. Vbi enim duo vel tres sunt in nomine Domini congregati, ibi Christus in medio est. Manus extendit in oratione, vt videamus eum nedum ore, sed & animo & corpore orasse. Obseruādum, quod sancti etiam externos gestus in oratione ostenderunt, sic Moyses extendit manus, 3. Reg. 3. Salomon rex flectit genua, Christus autem procidit in Lucz 22. faciem, Anna mater Samuelis gemitus edit. Non igitur 1. Reg. 1. irridendi huiusmodi gestus, &c.

Moraliter autem docemur hic, vt oraturi manus, id est, desideria eleuemus. Nō enim est oratio, nisi mēs in Deum eleuetur. vel, manus eleuandæ, id est, actus & opera. Nihil enim prodest oratio, si desit pietas
operum

ANNOTATIONES

operum. Peccatores enim Deus non audit, vt cæcus ille ait. Eleuat ergo manus, qui thesaurizat in cælis: Vbi enim thesaurus, ibi oculus, manus, imò & cor. E. **Matt. 6.** leuat manus, qui dicit: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. De hac manuum eleuatione dicitur: Remissas manus & genua debilia roborate.

Psal. 140.

Isai. 35.

Cumque leuaret manus, vincebat Israel.

Hic videmus non nostra virtute, sed à Deo dari victoriam. Videmus secundò virtutē orationis, & quàm verè dixerit Christus: **Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis.** Et si dixeritis monti huic, &c. Ecce Moyses vnus homo orans à longè positus, hostē vincit totius populi. Videmus tertio, vnde sit, q̄ sic hostes nostri inualescunt, nempè, quòd cessamus in oratione. Exemplum hoc Moyse imitemur, quoties audimus fratres nostros ab infidelibus infestari. Oremus cum Moyse, sicque sine labore, sumptu & periculo nostro eis magnum auxilium præstare possumus. Quòd si piget nos etiam hoc pro fratribus nostris facere, digni erimus, qui & ipsi in necessitate ab omnibus relinquamur. Orate pro inuicem, ait Iacobus, vt saluemini.

Mar. II.

Iacob. 5.

Manus autem Moyse graues erant.

Matt. 26.

Cõcordat cum eo, quod Christus ait: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Omnes experimur in nobis, quod hic de Moyse dicitur. Vel graues erāt manus Moyse propter peccata populi, quod enim ipse precibus extorquebat, hoc illi ingratitude sua demerebantur. Vnus orans, & alter maledicens, quem illorum exaudiet Deus? Ingratitudo nostra & peccata deprimunt orationes sanctorum, quæ nobis fuerunt.

MYSTICE.

Manus Moyse graues sunt, id est, præcepta legis, sed per Aaron, qui Christum, & per Hur, qui spiritū significat, sustentantur, ac leuia fiunt.

MORALITER.

Duo sunt, quæ manus nostras sustentant in oratione, id est, affectum conseruant, meditatio scilicet cælestium,

testium, & fauor charitatis. Hæc vbi defuerint, facile lassescunt manus. Obseruandum, quòd Moyfes orat vsque ad occasum solis, imò vsque dum Amalech in fugam vertatur. Sic nos orare debemus, donec vincamus, imò nec ab oratione cessare, donec in hac vita sumus.

*Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auri-
bus Iosue.*

Videlicet, quòd Amalech non armis, sed orationibus victus est. hoc enim Iosue non viderat, & vtile erat, vt posteris notum fieret, quòd ardentiores essent ad orationem in aduersis. Vel, scribe hoc in monumentū, scilicet, quòd Amalech primus te impugnavit, & ita impugnavit, vt lassos percuteret. Ideo autem hoc scribi voluit Deus, vt Saul postea eò audentius contra Amalechitas pugnaret, cum sciret ipsos iam olim à Domino damnatos. Videmus hîc, quòd malefacta impiorum nunquam veniunt in obliuionē, sed scripta sunt, & scribuntur in libro diuinæ prædestinationis vsque ad iudicij tempus. Sic Ieremias dicit: Peccatum Iuda Ier. 17. scriptum esse vngue adamantino. Videmus deinde, quantum Deo displiceat sanctos, & in via Dei incedentes impugnare. Videmus tertio, quòd plerunque stultitia, imò malitia nostra nobis accersimus malū, quod effugere poteram⁹, quē admodum Amalech hîc impugnando. Israelem spontè sibi hoc malum accersiuit, quod postea per Israelem exterminatus fuit. Idem cōtigit Seon regi Amorrhæorum, & Og regi Basan, qui Deut. 2. Israelitis transitum negantes, imò insuper impugnantes, hoc fecerunt, vt postea perderētur. Videmus quarto, quod plerunque nobis ociosè & voluptuosè viuētibus interim sententia mortis in cælo in nos fertur, quemadmodum hic Amalech nihil tale cogitās, cum omni posteritate perditioni addicitur. Timenda igitur iudicia Dei.

Allegoricè autem Amalech diabolus significat: Is enim prim⁹ est, qui nos impugnavit. Ipse est, qui maxime lassos & desidēs aggreditur. ipse est, qui nullis ar-

ANNOTATIONES

Matt. 25.

mis externis vincitur, sed sola oratione. Interim tamē sententia in eum lata est, quòd olim cum angelis suis & omnib. impijs de sub cælo perdetur, ac in perpetuū interitum proijcietur. Hoc autem cordibus fidelium inscribi vult Deus, eorumq; auribus inculcari, ne scilicet vnquam cum diabolo pacem habeant, quando sciunt eum iam iudicatum, & contra ipsum pugnare iussi statim obediāt. Cæterum, quòd Moyſes post adeptam victoriam altare Domino ædificat, gratiarum actionis est. Quòd altari nomē imponit Dominus exaltatio mea est, ostendit victoriam soli Deo ascribendam. Quòd autem dicit: Manus Domini solius contra Amalech, &c. prædicat illius populi exterminationem, & mysticè docet diabolum sola Domini manu olim per Christum vincendum fore, &c. Nemo enim propria virtute ipsum vincit.

CAPVT XVIII.

HActenus audiimus, quomodo Deus & populum suum eduxerit ex Aegypto, & quomodo eidem prouiderit de alimento, denique & quomodo represserit eius aduersarios: nunc consequenter audiemus, qualem ordinem Moyſes instituerit in suo populo, primū quidem in externis, deinde in spiritualibus. C. 20. & cæt. Est autem ordo res tam necessaria, vt sine ipso nulla ciuitas, aut communitas, imò ne domus quidem consistere possit. Quando igitur nunc fermè omnium rerum deordinatio irrupit, vtile erit attēdere, quid Moyſes hac in re fecerit. Hoc autē docebit caput præſens. Aliqua tamen præmittit Moyſes leuicula quidem, sed tamen non prætereunda.

Cumque audisset Iethro cognatus Moyſi.

Quis fuerit ille Iethro, & qua occasione Moyſes affinitatem cum ipso contraxerit, supra dictum est. Videtur

Exo. 2.

detur quidem casu factum fuisse, maximè cum alter alterum prius nunquam vidisset, nec Moyses ea ratione ad ipsum venerat, vt cuperet vxorẽ ducere, sed tantum fame & exilio coactus. Verissimè tamen Dei prouidentia fuit. Volebat Deus vtrique consulere, Moyssi in temporalibus, quibus indigebat, ipsi aut Iethro in spiritualibus, quibus carebat. Sicut igitur per Iethro seruauit Moysen à fame corporis, sic per Moysen seruauit ipsum Iethro à damnatione. Vbi vides primò, quanta sit prouidentia Dei: vides deinde, quomodo Deus tam mirabiliter suis prouideat: vides tertio, cur Deus pauperes ad te mittat, nimirum cupiens maiora tibi propter illos dare, quemadmodum Iethro maiora accepit à Moyse, & propter Moysen, quam ipsi dederat. Vide aut pietatem ipsius Iethro, quamuis gentilis esset, ita tamè fuit permotus auditis operibus Dei circa Israelitas, quòd statim surrexit, & Israeli se iungere studuit, cum interim Israelitæ, qui ipsa opera Dei viderant, nihil aliud, quam murrarent. Sic gentiles semper fuerunt deuotiores Iudæis, id, quod omnes prophetæ conqueruntur. Arguitur etiam hinc ignauia nostra, qui plura quidem de Deo audiuius, quam ille, nec tamen facimus, quod ille fecit. Vt verum appareat illud Christi: Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraam, &c. Filij autem regni eijciuntur foras. Et iterum: Regina austri surget in iudicio cum generatione hac, & cõdemnabit eam. Et iterum: Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim poenitentiam egissent, &c.

Tulit Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat, & duos filios eius.

Cur Moyses vxorem remisit ad socerum, supra dictum est: Primò enim ipsa territa ad occursum Domini volentis occidere filium eius nondum circumcisum, noluit amplius eum sequi: Sponsus, inquit, sanguinũ tu mihi es. Deinde, non conueniebat Moyssi tantum opus aggressuro secum circumducere vxorẽ & filios. Qui enim in agone contendit, ab omnibus se abstinet, &c.

I. Cor. 7. &c. **Contra** autem, qui cum vxore est, diuisus est, alit
idem Paulus. Cum diabolo pugnare totum hominem
requirit ab alijs, curis segregatum. Cæterum, etiã ideo
Sephora & filij non cum Moyse in Aegyptum descen-
dunt: Non enim omnes possunt sine periculo cū dia-
bolo pugnare, nec omnes tutò inter malos conuersa-
I. Cor. II. ri possunt. Corrumpunt enim bonos mores colloquia
praua. Abraham autem, Iacob, & Moyse, hi securè in
Aegyptum descendunt, quia fortes & in charitate fir-
mati. Post deuictum autem Aegypti regem, Sephora
redit ad populum Dei. Ita nobis quoque faciendum.
Quòd autem Moyse filijs suis ea nomina imposuerit,
non ex curiositate factum fuit, sed vt tam ipse, quàm
Exo. 2. pueri admonerētur operum Dei, de quo suprà dictum
est. Hoc enim semper egerunt patres, vt Dei memoriã
iugiter ob oculos haberent. Deum enim cogitare ad
multa prodest. Memor, inquit, fui nocte nominis tui,
Psal. 118. & custodiui legem tuam. Item: Memor fui Dei, & de-
Psal. 76. lectatus sum. **Contra** autem de Israelitis dicitur: Non
fuerunt memores operum Dei, ideo irritauerūt eum
Psal. 105. in aduentionibus suis.

*Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo
filij tui cum ea.*

Magna modestia in hoc gentili, quãuis secum ha-
beret vxorē & filios Moyse, non tamen temerè irrum-
pit, nec audet se iungere populo Dei, nisi iussus. **Con-**
tra, magna Dei humilitas, qui in tanta potestate con-
stitutus, imò tantus amicus Dei, non spernit tamē ve-
terē amicum, quem olim in sua paupertate cognoue-
rat, & benignum inuenerat. Talis humilitas rara est
in mundo, &c. Obserua constantē Moyse in omni for-
tuna animum, vt quem nec aduersitas minuit, nec
prosperitas auxit. Vide autem quomodo veterema-
nimum susceperit.

*Narrauit ei cuncta, quæ fecerat Deus Pharaoni & Aegyptijs
propter Israel.*

Hic iterū vides, quàm dulce fuerit sanctis patribus
de Deo loqui. Non colloquuntur de rebus nouis, non
de mun-

de mūdānis, multò minùs de rebus carnalibus, sed de Deo. Agebat enim Moyses, vt sui magis in fide proficerent & cognatione Dei. Consideratio Dei mirabilium ad multa cōducit. hinc sancta illa mater in Machabeis ^{Mach. 7} ad filium dicebat: Considera cælū, &c. & vide quod Deus ea fecerit, sic fiet, vt non timeas carnificem hūc, &c. Omnis igitur excusatio nobis adempta est, qui vndique in nobis, circa nos, supra & subtus nos videmus Dei opera, &c. Videmus etiam hic, quòd Moyses socerum suum prius spiritualiter cibare studuit, quàm corporaliter. Cibus autem animæ est verbum Dei, iuxta ^{Deut. 8} illud: Non in solo pane viuit homo, &c.

Et letatus est lethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli.

Quamuis gentilis esset, tamē delectatur verbo Dei, & plus, quàm cibo corporali, quo factò ipsos etiam Israelitas confudit, qui suprā fastidientes verbum Dei dixerunt: Vtinam perissemus in Aegypto, quando se ^{Exod. 16} debamus super ollas carniū, &c. Arguuntur hīc, qui non nisi lasciuīs colloquijs delectantur, itē qui huiusmodi assueti sunt, id quòd nunc frequens. Vbicunq; enim sumus, siue in mensa, siue labore, semper turpia loquimur, etiam corā pueris. Nec quisque cogitat, ^{Matt. 12} scriptum sit: De omni verbo ocioso reddent homines ^{Matt. 18} rationē. Item: Væ mundo à scandalis. Item: Qui non ^{Iacob. 1} refrenat linguā suam, huius vana est religio. Itē: Mors ^{Prou. 18} & vita in manibus linguæ. Videmus etiam hīc, quòd gentiles semper fuerunt deuotiores ad verbum Dei, quàm Iudæi, id quòd Christus sæpè ipsis impropert, ^{Matt. 17} vt cūm dicit: Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ ^{Matt. 12} in te factæ sunt, pœnituisent. Item: Viri Niniuitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem hanc, &c. Item: Publicani & peccatores præcedēt vos ^{Matt. 21} in vitam, &c.

Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis.

Nedum corde gaudet de gloria Dei, sed etiam ore ^{Rom. 10} confitetur. Et hoc est, quòd Paulus dicit: Corde credi-

ANNOTATIONES

tur ad iustitiam, ore aut confessio fit ad salutem. Plu-
ribus autem verbis rem exaggerat, dicendo, Qui libe-
rauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharao-
nis, & de manu Aegypti, cum potuisset vno verbo id
exprimere: verum ex admiratione multiplicat verba,
id quod alias crebro videmus in canticis & Psalm. Sic
David in vno Psalmo saepius repetit, Quoniam bonus
quoniam in aeternum misericordia eius. Huiusmodi
autem repetitiones ostendunt animum plenum admi-
ratione diuinæ bonitatis:

Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes deos.

Q. d. saepe audiui de Deo vestro, quod magnus sit, at
fides mea satis infirma erat. Nunc autem, tanta mira-
cula eius vidēs, scio quod ipse solus super omnes deos
est. Alij enim dij vel malis hominum gaudent, vel suos
liberare non possunt. Verè autem magnus est Domi-
nus Deus, &c. quemadmodum & Psal. habet: Magnus
Dominus & laudabilis nimis, terribilis rex magnus,
&c. Quia autem magnus est, ideo exigit à nobis admi-
rationem & honorem: quia Dominus est, exigit serui-
tium: quia laudabilis est, exigit laudem: quia terribilis
est, exigit timorem: & demum quia super omnes deos
est, exigit cultum specialem. Discamus hinc Deum lau-
dare: Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me, &c.
hinc omnes sancti Deum laudauerunt.

Obtulit ergo lethro holocausta, & hostias Deo.

Nedum corde & ore honorat Deum, sed etiam o-
perc. Hæc enim tria simul esse debent, cor, lingua, ma-
nus. Quid autem & quomodo obtulerit lethro, incertum
est, nec magni refert. Nam Deus plus ad offeren-
tem, quam ad oblationem respicit. Hæc igitur erant
præparatoria, antequam Moyse socerum ad conui-
uium introduxit.

Veneruntque Aaron, &c. manducare cum illo, &c.

Hic tandem conuiuium hospitale describitur, sed bre-
uib. Satis tamen ostenditur quale fuerit conuiuium ex
eo, quod additur, coram Domino, id est, coram altari
Domini, vel de sacrificijs Domini, maximè autem co-
ram

ram

Psal. 155.

Psal. 46.
& Psal. 95.

Psal. 49.

Gen. 4.

ram Domino, id est, in honorem Domini. Sancti enim siue manducant, siue bibant, omnia in gloriam Dei faciunt: vel coram Domino manducare, est in timore Domini & quasi Domino presente manducare, quemadmodum in Thobia legimus. Utinam omnia nostra conuiuia fierent coram Domino. Qui enim coram Domino manducant, luxum non quærunt, sed necessitatem, nec turpia loquuntur, nec donis Dei ad crapulam & ebrietatem abutuntur. Quia autem coram Domino non manducamus, ideo plerumque in nostris conuiujs hæc tria videtur, luxus, turpitudine, & abusus: horum primum nocet bonis temporalibus, secundum animæ. Nam corrumpunt bonos mores colloquia praua. Tertiū, abusus scilicet, hoc est, crapula & ebrietas nocet corpori & animæ.

Altera die sedit Moyses, ut iudicaret.

Hic videmus vigilantiam & sollicitudinem Moysi circa regimen populi, idque ex tribus: Primo, quod post gaudia sanctæ societatis & hospitalitatis, statim altera die redit ad suum officium consultandi & consulendi grauatim, dirimendi que controuersias, & fouendi charitatem: quantumuis charos habebat hospites, non tamen propterea negligebat officium. Sciebat enim nullam excusationem valituram, ubi Dei præceptum omittitur. Obedere enim oportet Deo magis, quam hominibus. Et quæ præcepit Deus, vult ut sine dilatione perficiantur. Tu mandasti, inquit, mandata tua custodiri nimis. Sciebat item Moyses magnum periculum instare principibus, si officium suum negligant, ubique enim in scriptura admodum seuerè hoc ab ipsis exigit Deus. Vnde Psalmus. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, &c. Et sapiens: Vobis data est à Domino potestas, &c. & interrogabit opera vestra, &c. horrendè & citò apparebit vobis, quia iudiciū durissimū his, qui præsumunt &c. hinc Ezechias: Non hominis, inquit, exercetis officium, sed Dei. Sit timor Dei vobiscum, quodcumque enim iudicabitis, in sinum vestrum redūdabit. &c. Deinde vigilantiam & sollicitudinē Moysi ostendit.

ANNOTATIONES

quòd scribitur sedisse ad iudiciũ, quod nõ de corpore
 tali tantũ sessione intelligi debet, sed maximè de sessione
 & quietatione animi, sedit corpore, sedit & animo
 quietè & tranquillè, omnibus curis alijs positis, &
 maximè animo ab affectibus repurgato. Cuius enim
 animus non sic sedet, id est, ab affectibus iræ, odij, amoris,
 timoris, auaritiæ, &c. tranquillus est, is nunquã rectè
 iudicabit. Hinc est, quòd duo illi senes iniustam
 sententiam proferebant in Susannam, quia non sedebant,
 id est, non erant tranquillo animo. Animus eorũ
 erat occupatus primò cupiditate, deinde ira. Sic animi
 Iudæorũ occupati erant odio: animus Pilati timore
 humano, ideo vtriq; iniustè Christũ cõdemnauerunt.
 Et sic de alijs. Congruè igitur ordinatum est, vt iudex
 sedendo ferat sententiam, vt vel sic admonetur, quã
 tranquillo & sedato animo esse debeat. Postremò etiã
 hoc solitudinem Moysi commendat, quòd à mane vsque
 ad vesperam sedet, nullum scilicet laborem fugiens,
 vt populo consulere posset. Quemadmodum autem hæc
 vigilãtia ipsius Moysi summè cõmendati-
 psũ, sic & maximè nostros principes redarguit, qui
 planè ociosi delicijs tantũmodo studēt, vt persuasi ab
 adulatoribus non esse decorum principi reb. tam hu-
 milibus se occupare, nesciunt se esse seruos & nõ do-
 minos, tantummodò attendunt dignitatem & pom-
 pã. Quid autem dicit scriptura: Ego dixi dij estis, sed ta-
 men sicut homines moriemini, &c.

Quid est hoc, quod facis? cur solus sedes?

Miratur Iethro, quòd Moyses tantos labores sustinebat,
 & verè admiratione dignum erat. Rarissimi enim sunt
 in terra, qui totos se aliorum vsib. dedicant, vt se-
 ipsos negligãt. Nec dubium est, quin Moyses laboris
 magnitudinẽ senserit, quia tamen sciebat à Domino
 sibi onº hoc impositũ, noluit ipsum seicere, nec au-
 dat alijs cõmittere. Præceptũ Dei & charitas fratrũ om-
 nẽ illi laborem leuẽ faciebant, & etiam nunc nobis
 facere possent. Sic eõtra Dei ignorantia & amor pro-
 prius omnia nobis graua faciunt, quæ p alijs agenda
 sunt.

Dan. 13.

Matt. 26.

Matt. 27.

Psal. 82.

sunt. Vide autem quàm humiliter respondeat Moyses:
Venit populus ad me, querens sententiam Dei.

In sua causa quisque cæcus est, ideo necessarij sunt iudices & arbitri. Iudices autem non iuxta suos affectus, sed secundum verbum & legem Dei iudicent, i. deo dicit, Querunt sententiam Dei. Quomodo autem Moyses potuit eis ostendere legem Dei, cum nondum esset data? Aut, nunquid semper in qualibet causa ad Deum cucurrit, quærens ipsius voluntatem? Non, sed habebat legem Dei in corde scriptam, legem scilicet naturæ, secundum quam iudicabat. Facile enim quis videt quid bonum vel malum, iustum vel iniustum. Vnde & Moyses solus ex sola naturæ lege tantum populum iudicare potuit, cum hodiè etiamsi præter naturæ legem scriptas leges habeamus, tamen difficilimum sit ius dicere, nec quicquam intricatius est. Nihil est, quod tantum tempus, tantos sumptus exigat, ut pleriq; ob hoc vnũ vel iustã causam relinquere cogantur. Deniq; nusquam alibi tot astutias, laqueos, & dolos videmus, quo fit vt etiam iustam causam habes, tamen à iure suo decidat, propterea quòd vel non satis instructus est contra huiusmodi technas, vel quòd causam suam non potuit ordinatè proponere, &c. Et in his omnibus impijssima illa regula obijcitur: *Vigi. Leuit. 1.* Iurantiura subueniunt, cum scriptura longè aliter loquatur: *Iustè, inquit, iudica proximo tuo. Et iterũ: Ita Deut. 1.* paruum audietis, vt magnum, &c. Et iterum: *Quod ti. Matt. 7.* binõ vis fieri, alteri ne feceris. Et iterum: *Vg qui dicũt Isa. 5.* malum bonum, & bonum malum, &c. Tenetur iudex iustam causam tueri, etiamsi pauper non cõqueratur, aut etiam si viderit eum non posse rectè proponere. Tenetur item huiusmodi insidiatoribus obstare, qui varijs technis simpliciores illaqueare, & à iusta causa deijcere conantur.

Non est bonum, quod facis, &c.

Non simpliciter malũ erat, quod faciebat Moyses, imò summè cõmendãdum, sed tamen cõmodius fieri poterat, vt & ipsi leuius esset, & populo. Non satis est

ANNOTATIONES

Rom. 10. bona intentio & Zelus, nisi sit secundum scientiam & utilis. Sic Moyses magno Zelo agebat, sed tamen non erat utile, quia ultra vires.

Esto in populo in his, quæ sunt ad Deum.

Etiam gentilis homo recta cōsulere potest, imò filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione scilicet sua, id est, in externis. Moyses quidē illuminatissimus erat in his, quæ ad Deum pertinebant, nec surrexit ultra propheta in Israel, qui sic nōset Dominum, sed tamen Iethro in externis prudērior ipso inuenitur. Sic Deus etiam gentilibus sua dona cōmunicavit, sed externa. Sic vni dat sapientiam æternorū, alij prudentiam in temporalibus: vt runque autem donum Dei est, utile & necessarium, si rectē his vtamur.

Col. 12.

Patitur autem Deus Moysen moneri per hominē gentilem, vt & ipse humilis permaneret, videns se non omnia scire, & nos disceremus nullius bonum consiliū contemnere, sed Dei dona in omnibus venerari. Vide autem, quā prudenter Iethro cōsultat Moysi. Primò, non dicit, Dede te ocio & voluptati, & cōmitte alijs labores. hoc enim malè consultum fuisset, nec Moyses

Rom. 13.

obtemperasset, nimirum sciens ocium omnes homines dedecere, maximè autem principes. Nō enim propter ocium, sed propter utilitatem subditorū constituti sunt. Deinde Iethro de duplici potestate loquitur, spirituali scilicet & tēporali. Vult, vt vtriq; satisfiat p homines ad hoc idoneos. Spiritualē tamen preponit. Quis hęc homini gentili indicavit: Verè enim duplex potestas necessaria est, & quælibet suos ministros exigit. Verè item spiritualis præcellit. De spirituali dicit: Esto tu in his, quæ ad Deum pertinent. Quæ autem sint illa, subdit: Vt referas vel ad Deum, quæ dicuntur à populo, hoc est, vt pro ipsis ores; vel vt referas ad populum, quæ dicuntur à Deo, id est, vt voluntatem Dei ipsis manifestes. Secundò, vt ostendas eis cæremōnias, quantum scilicet ad cultum Dei. Tertiò, iter, per quod ire debeant, quantum scilicet ad credenda. Quartò, opera, quæ facere debent, quantum scilicet ad agenda.

Hæc

Hæc sunt, quæ pertinent ad spirituale regimen, & hæc non committit non cuiuslibet, sed Moyfi, utpotè in rebus spiritualibus exercitatio.

Prouide autè ex omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, &c.

Non satis est habere in populo Dei, qui in spiritualibus præsent, sed oportet etiam habere, qui in externis iudicent. Vide autè etiam hic huius pagani consilium. Primò, non dicit simpliciter, Constitue iudices, sed elige, vel prouide ex omni populo. Non enim quilibet ad hoc idoneus est. Et magna diligentia opus est in huiusmodi electionibus. Hinc est, quod Moyses cum declarauit summum sacerdotem, non qui sibi placeret, sed quem Deus nominauerat, & per floritionem virgæ designauerat. Hinc idem Moyses moriturus orauit: Domine Deus spirituum omnis carnis prouide populo huic virum, qui ipsi præsit, &c. Sic filij Israel mortuo Iosue Dominum consuluerunt de futuro principe, sic Samue, li vncturo ex filijs Isai in regem dicitur: Non respicies personam eius, quia abieci eum. Sic Christus electurus Apostolos, conuocauit discipulos omnes, & ex ipsis elegit duodecim. Sic Apostoli eligentes Mathiam, orauerunt, &c. Deinde Iethro exprimit conditiones, quibus pollere debent iudices, quarum prima est, ut sint viri, non tantum quo ad sexum, sed etiam quo ad sapientiam. Vt enim terræ, cuius rex puer est. Secundò, potentes non corporis fortitudine, sed animi. Noli querere fieri iudex, nisi ut valeas perumpere. Tertio, timentes Deum, hoc enim maxime necessarium iudicibus. Qui enim timet Deum, faciet bona. Alioquin ubi non est timor Dei, facile declinatur à iustitia. Patet in Pilato, & duobus iudicibus Susannam condemnantibus. Quarto, veraces, qui scilicet non vana querant & diligant, utpotè temporalia, sed vera bona, iustitiam scilicet, veritatem, & Deum ipsum. Quintò, odientes auaritiam. Necessario hoc adijcit: nam radix omnium malorum cupiditas, & munera excæcant oculos sapientum. Vnde Dauid iudex constitutus precatur, Inclina

Num. 17.

Num. 27.

Iudic. 1.

1. Reg. 16.

Lucz 6.

Act. 1.

Eccl. 10.

Eccl. 7.

Matt. 27.

Dan. 3.

1. Tim. 6.

Exod. 23.

Psal. 118.

ANNOTATIONES

cor meū in testimonia tua, & non in auaritiā. Vides quā piū, vtile, & necessariū consilium Iethro dedit Moyſi. Vtinā hoc consilium obseruatum fuisset in Ecclesia, certē nihil horū malorum esset, quę nunc com- nes deploramus: imō quia omninō contrariū in eccle- sia obseruatum est, ideo mundus omnibus malis abū- dat. Nunc enim etiam in Ecclesia impletur illud: Prin- cipes tui infideles, socij furum, &c. Et illud: Principes eius in muneribus, iudicabant, & sacerdotes in mune- ribus docebant, &c. Insuper Iethro non solū docet, qui & quales assumendi sint, sed etiam quo ordine. Constitue, inquit, ex eis tribunos, &c. Vbi iterum apparet eius sapiētia, qui plures gradus & ordines in- stituit, ne scilicet quisquam graua retur, & ne populus negligeret. Pulcherrimus autem ordo, vbi Moyſes sub se habebat sexcentos tribunos, quilibet tribunus sub se decē centuriones, quilibet centurio sub se duos quinquagenarios, & quilibet quinquagenarius sub se quinque decanos. Nec hęc ordinum & officiorum di- uersitas impedit vnionem populi, imō magis promo- uet, id quod videmus in corpore naturali, quod tunc vel maximē viget, si quodlibet membrū gna uiter suū officium exercet. In fine dicit: Quicquid maius fuerit, referant ad te. Oportet enim vt inferiores iudices su- periores agnoscant, consulant. Maximē autem vt ad Moyſen, id est, verbum Dei omnia conferant.

Quibus auditis, Moyſes fecit omnia.

Humilitas Moyſi, qui non solū patienter audit cō- silium alterius, sed etiā obaudit, vel obedit. Nec quis, sed quid dicatur, attendit. Sic nos bona consilia non contēnamus. Magna enim pericula huiusmodi con- temptorib. imminēt, vt patet in generis ipsius Loth, Gen. 19. in Roboam, tertio regum 12. in Asahel, secū- do Regum secūdo. in Holoferne Iudith sexto. in Se- dechia, &c. Denique etiam in Pilato, qui, consi- lio vxoris suę non obtemperans, Christum ad mortem damnauit, eoq; factō se- ipsum perdidit.

Caput

Ifai. 1.
Mich. 3.

Rom. 12.
1. Cor. 12.

Matt. 27.

CAPVT XIX.

Superiori capite Moyses ex consilio fo-
 ceteri sui instituit, quæ ad externam po-
 litiam pertinent, vt pacificè simul con-
 uersari possent: Nunc deinceps audie-
 mus, quomodo etiam Deus ipse legem
 dederit, & talem, quæ non tantum ho-
 mines inter se conciliet, sed etiam quæ homines
 DEO conciliare posset. Alioqui quid prodest pacem
 habere cum hominibus, si cum Deo dissideas? Quid
 prodest ciuilitè iustum esse, si coram Deo iustus non
 sis? homo videt ea, quæ patent, Deus autem intuetur
 cor. Quid profuit gentibus civilis iustitia, cum iusti-
 tiam Dei non haberent? In summa, præcipuum quod
 ad populum Dei pertinet, est, vt cum Deo conueniat:
 quare diligenter aduertendum, quid Deus à nobis re-
 quirat. Antequam autem ponatur legis datio, præmit-
 titur populi præparatio, in hoc scilicet capite, quod
 nihil aliud est, quàm præparatio populi ad suscipien-
 dam legem. Non parua enim præparatio præexigitur
 ad susceptionem verbi Dei. Neque alia causa est, quod
 ipsum verbum Dei apud tam multos infrugiferum
 manet, quàm quod nulla est in nobis præparatio. Di-
 ligenter igitur obseruandum hoc caput. Nam docebit,
 quales esse debeant intus & extra, in corpore & ani-
 ma, qui Deum videre & audire cupiunt.

*Mense tertio egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, in die hæc
 venerunt in solitudinem Sinai.*

Non sine causa tam diligenter hic & diem & men-
 sem nominat, quo venerunt ad montem Synai. Hæc
 enim præcipua mansio fuit filiorum Israel in deser-
 to: hic etiam omnium maxima facta sunt. In hoc loco
 Moyses, cum adhuc pasceret gregem, vidit Deum: in
 hoc loco sacrificare debebat Israel: Cum, inquit, edu- Exo. 3.
 xeris filios Israel, immolabis Deo super montem hunc.
 In hoc loco Deus primò apparuit, & locutus est popu-
 lo. hic legem dedit, foedus iniit: hic primò erectum est

ANNOTATIONES

tabernaculum, hic pro maiori parte scripti sunt libri Moyſi, maximè Genef. Exodus, Leuiticus: Itaq; Moyſes tam diligenter describendo tempus & diem voluit nos facere attentos. q. d. hætenus quidem magna audistis, sed maiora restant. Nunc primùm ad eum locum venimus, ad quem Deus populum primò vocauit: hic maxima audietis, quare attenti estote. Deinde etiam ideo tam diligenter descripsit mēsem & diem, quo ad montem Syna peruenerunt, vt ostenderet 30. die post egressum Israclis ex Aegypto legem datam. Si enim 17. dies è primo mense post egressum, & totum secundum mensem, id est, triginta dies coniunxeris, videbis, quòd 47. die venerunt ad mōtem Syna. Postea autem tribus diebus se sanctificauerunt, qui si addātur, fiunt 30. dies. Quinquagesimo itaque die lex data est. Vnde idem dies in solenne festum institutus est, vt patet in Leuitico. Eodem modo & quinquagesimo die à liberatione hominis per passionem Christi datus est spiritus sanctus.

Leui. 23.
Acto. 2.

Castrametati sunt è regione montis.

Quia ad illum locum ipsis condixerat Deus, ideo illic castra ponunt, quasi ad tēpus ibi mansuri. Signanter autē dicitur, quòd è regione montis posuerunt castra. Non dubium enim est, quin Moyſes prædixerit eis, quòd ad hunc montem ipsos vocauerit Dominus. Vnde & omnium expectatio erat, quid nam noui illic facturus esset Dominus. Ob hanc causam castra è regione montis ponunt, vt omnes videre possent, si quid Deo operaturus esset. Eodē modo & spiritualis Israel, quam diu in deserto est, castra debet ponere è regione montis. Castra autem fidelium sunt: Primò, proprios defectus cogitare: Secundò, conscientia puritatē querere: Tertio, Dei voluntatem expectare: Quarto, exempla Christi & sanctorum attendere: Quintò, ad æterna gaudia anhelare. In his castris nobis versandum est, donec & nos in montem conscendere permittamur. Non enim omnibus datur mōtem hunc cōscendere. hinc Dauid: *Quis ascendet in montem Domini,*
aut

Psal. 24.

aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus,
&c. Et iterum: Domine, quis habitabit in tabernaculo
tuo? &c.

*Moses autem ascendit ad Deum, vocavitque eum Do-
minus de monte.*

Non ex temeritate. Nam antea audiuit: Ne appropies huc: solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est, sed vocatus à Domino ascendit, id, quod sequitur: Ascendit autem tanquā gratias acturus pro beneficijs acceptis. Itemque tanquā paratus audire, quid ulterius sibi à Domino præciperetur. Non autem ascendit populus, nec à Deo vocatur, quia imperfecti erant fide, & onerati peccatis. Huiusmodi autem in montem Domini ascendere non possunt, &c.

Hec dices domui Iacob, & filijs Israel.

Hic incipit præparare populum ad legem suscipiendam. Vera autem præparatio in quatuor consistit. Primò, in recogitatione diuinorum beneficiorū: Secundò, in prompta obedientia: Tertio, in sanctitate cordis: Quarto, in castimonia corporis. Omnia hæc per ordinem hic ponuntur. Obserua, quòd Deus daturus legem primò omnium corda præparat, ac alacria & voluntaria reddit. Nisi enim adsit cor hilare & voluntarium, nunquam impletur lex. Vnde Christus Iudejs dicit: Nemo ex vobis facit legem, imò nisi adsit cor voluntarium, nihil eorū Deo placent, quæ externè fiunt. Ideo toties Iudæorum opera reijciuntur in scriptura, ve Isai. 1. Hier. 7. Mich. 6. Mal. 1. Summa, lex non tantū manum, sed & animum exigit, id, quod Christus manifestè ostēdit, cū dicit: Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico: Qui irascitur fratri suo, reus est iudicio, &c. Meritò igitur ante dationem legis corda hominum præparat ad voluntariè & alacritè suscipiendam legē. Nam aliàs natura nostra non ad legem æqua est legibus, imò odit legē. Mallet enim esse libera, nititurq; in vetitū. Id, quod Paulus pulchrè deplorat: Lex, inquit, spiritualis est, id est, spiritū, alacrita.

ANNOTATIONES

alacritatem, & promptam voluntatem exigit. Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Velle quidem adiacet mihi, sed perficere non inuenio. Obserua item, quod non simpliciter dicit: Hæc dices populo tuo, sed, Hæc dices domui Iacob, & filijs Israel: duobus cognominibus eos nominans, vt scilicet admonerentur, quales fuerint, qualesq; nunc essent. Nam parens ipsorum alterum nomen, scilicet Iacob, habuit ab hominibus, alterum scilicet Israel, à Deo, & ex gratia. Vel ideo vtrunque nomen coniungit, vt curarent vtrique nomini respondere moribus & vita, vt scilicet essent supplantatores vitiorum, & insuper etiam fortes cum Deo. Hæc duo enim ad populum Dei requiruntur.

Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Aegyptijs.

Primo corda ipsorum ad legem suscipiendam præparat timore, admonens eos terribilium iudiciorum, quæ impijs imminet, vt eò promptiores essent ad legem faciendam. Initium enim sapientiæ timor Domini. Et: Qui timet Deum, faciet bona. Vos, inquit, vidistis, quid immineat impijs, ideo DE I legibus obedite.

Quomodo portauerim vos super alas aquilarum?

Alterum, quo corda ipsorum præparat, nempe cōmemoratio acceptorum beneficiorum. Solus enim timor ad legem quidem cogit, sed non reddit cor voluntarium. Cōsideratio autem beneficiorum Dei reddit cor alacre & promptum, vt dicat homo, cur ei non obtemperem, qui tanta bona mihi præstitit? &c. Clamatque cum Dauide: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Itemque: Legem pone mihi Domine, &c. & exquiram eam semper, &c. & cum Paulo: Domine, quid me vis facere? Summa, qui diligenter recollit beneficia Dei, huic grauis non erit lex Domini. Hinc est, quod toties scriptura commemorat Dei beneficia. Quod autem dicit: Portaui te super alas aquilarum, non sic intelligendum est, quod in aere ipse perduxerit more auium, sed hac figura loquendi significat se cū spirituali cura & sollicitudine ita duxisse, vt nullo periculo

Gen. 32.

Psal. 110.
Eccl. 15.

Psal. 107.

Psal. 118.
Acto. 9.

periculo opprimi potuerint, quemadmodum aquila
 altius volat, nimirum extra telorum iactum & pericu-
 lum, sic, inquit, etiam te portavi. Multa hactenus tibi
 imminerunt pericula, mortis scilicet, submersionis,
 famis, sitis, belli, sed meo ductu omnia illæsus euasi-
 sti. Hinc discimus, cui ascribendum sit, quod tot & tan-
 ta pericula euasimus, nempe diuinæ prouidentia, nõ
 nostræ industriæ. Vnde Dauid: In te, inquit, proiectus Psal. 27.
 sum ab utero, tu spes mea à iuuentute mea. Et iterum:
 Sancti, inquit, sub tegmine alarum tuarum spera- Psal. 35.
 bunt, & cæt. Aliqui dicunt, quod aquila, cum pullos de
 loco ad locum transfert, portat ipsos super dorsum,
 ita, quod si ab infra proiciatur sagitta, pullos tangere
 nõ possit, nimirum interposito corpore matris: Ita &
 Deus fecit, Columna enim ignis interposuit se inter Exo. 14.
 Aegyptios & Hebræos, vt tota nocte Aegyptij accede-
 re non possent ad Hebræos.

Et assumpserim mihi.

Aliud beneficium, & maius. quid enim prodesset à
 periculis liberare ad tempus, & postea iterum relin-
 quere? Non ad tēpus, inquit, tantum vos liberaui, sed
 etiam vos assumpsi liberaturus & de cætero. Assum-
 psit autē eos in filios, iuxta illud: Primogenitus meus Exo. 4.
 Israel. Assumpsit in populum, assumpsit in sponsam,
 vt patet Ezech. 16. Denique ita agglutinavit sibi do-
 mum Israel, quæadmodum lumbare adhæret ad lum- Hier. 31.
 bos viri. Huius igitur ipsos admonet, vt a lactiores sint
 ad legem suscipiendam & faciendam. Omnia aut hęc
 etiam nobis dicuntur. Si enim illis hęc dignè comme-
 moranda erant, ne ingrati essent, quos à dominis quā-
 tumlibet superbis, hominibus tamen liberauit, & ad
 illum tractabilem ignem, ad illum turbinem & cali-
 ginem adduxerat, quantò magis nobis illud rememo-
 randum est, quod non vt tunc, sed abundantiore gra-
 tia liberatos, à peccatis nostris portauit nos Deus ho- Hebr. 12.
 mo factus, ad Sion montem, & ciuitatem Dei uiuen-
 tis Hierusalem, & c. & ita assumpsit, vt vbi ipse est, & Ioan. 14.
 nos simus.

Si ergo

ANNOTATIONES

*Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis
pactum meum.*

Tertium, quo corda ipsorum studet alacria redde-
re ad legem suscipiendam, est promissio futurorū. Nihil
enim est, quod prōptiores nos reddat ad laborē, quā
cū cogitamus præmia promissa. Hinc de Moysē di-
citur, quod omnibus thesauris Aegypti prætulit im-
perium Christi. Respiciebat enim in promissionē.
Vide autem benignitatem Dei. De nouo incipit bona
promittere, quasi hactenus nihil boni ipsis cōtulisset.
Deinde, præmia ingentia promittit, antequam quic-
quam laboris imponat, tam certa sunt præmia seruā-
tium legem. Et quem hæc non redderent alacrē? Quis
non libenter laborat, vbi scit certum & magnum præ-
mium? Obserua autem, quod non simpliciter dicit, Si
audieritis, sed addit, Et custodieritis: vtrunque enim
necessarium est. Non enim auditores legis iusti sunt,
sed factores. Vnde & Christus beatos pronunciat eos,
qui Dei verbum audiunt, & custodiunt illud. Itemque
huiusmodi homines comparat viro sapienti, qui ædi-
ficat domum suam supra petram.

Rom. 2.

Lucæ 11.

Matt. 7.

Eritis mihi in peculium de cunctis populis.

Prima promissio. Tametsi omnes gentes mee sint,
Vos tamen eritis mihi in peculium, vos proprio quo-
dam iure mei eritis, semper melius, quā cæteri ha-
bebitis, & cæt. Verè magna promissio. Huc pertinet,
quod alibi quoque dicit: Serui mei comedent, vos au-
tem esurietis.

Isai. 65.

Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale.

Id est, excelsum & gloriosum: vel, eritis excelsi &
gloriosi. Sacerdotes enim & reges vbiq; summi sunt.
Et sacerdotij nomine interdum etiam aliàs intelli-
gitur maioritas, vt cū dicitur: Filij David erant sacer-
dotes, id est, maiores & primi post regem. Vel ideo hi
tituli populo Israel tribuuntur, quod ex eis nasciturus
erat Christus rex & sacerdos. Verè enim salus ex lu-
dæis est. Vnde merito dicuntur sacerdotale regnum,
&c. Magna promissio. Eritis excelsi, eritis reges & sa-
cerdotes,

2. Reg. 8.

Ioan. 4.

cerdotes, eritis membra veri regis & sacerdotis Christi, Ex vobis descendet, &c.

Et gens sancta.

Id est, segregata ab alijs, & ad res sanctas applicata. Nam sanctum est, quod segregatum est, & ad diuina applicatum. Eritis mihi vasa misericordiae, & non irae. Verè magna promissio. Voluit autem Deus hanc gentem esse sanctam, ab alijs segregatam, & diuino cultui applicatam, quia ex ipsa nasciturus erat sanctus sanctorum Christus. Vides igitur, quantis promissis Deus corda ipsorum praearet, vt hilariter accipiant & impleant legem. Vnde manifestissimè patet, quòd ad legis impletionem non tam exigitur manus, quàm animus. Omnia aut, quae hic Israelitis dicuntur, Petrus etiam ad nos applicat & meritò. Vna enim est iudaeorum & gentium credentium fides, vnus Deus, vna Ecclesia. Vos, inquit, estis gens sancta, regale sacerdotium, genus electum, populus acquisitionis. Genus electum vocat credentes propter fidem, vt distinguat ab eis, qui lapidem viuum reprobando, facti sunt ipsi reprobi. Regale sacerdotium eos vocat, quia illius corpori sunt vniti, qui est rex & sacerdos verus, regnum, suis tribuens vt rex, & vt pontifex eorum peccata sui sanguinis hostia mundans. Vel regale sacerdotium eos nominat, vt & regnum se parare perpetuum, & hostias immaculatae conuersationis semper Deo offerre meminerint. Gens sancta dicuntur, quia sanguine Christi sanctificati sunt. Populus aut acquisitionis, quia magno pretio empti sunt, nēpè, nō corruptibilibus auro & argento, sed sanguine agni immaculati Christi. Vnde Paulus: Non estis filij subtractionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem. Et iterum: Vos posuit spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. Haec igitur sunt, quae filijs Israel praedicari iubentur, vt alacrius legem suscipiant & impleant.

Cuncta, quae locutus est Dominus, faciemus.

Vox digna, quae tantas Dei promissiones sequeretur. Quid enim iusti facere potest homo tantam exper-

1. Pet. 2

Matt. 22.

1. Cor. 6.

1. Cor. 5.

1. Pet. 1.

Hebr. 10. 7

Acto. 20.

ANNOTATIONES

tus Dei bonitatem, quàm ipsius voluntati per omnia obtemperet? Laudanda igitur esset responsio illa populi, si re ipsa hoc etiam ostendissent. Nunc autè cum contrarium in operibus ostenderint (vt infra videbimus) patet, quòd responsio hæc nihil fuit, nisi temeritas quedam. Sic enim caro solet multa promittere, nihil autem præstare. Interim tamen Moyses delectatus hac populi responsione, statim redit ad Dominum commendaturus populi promptitudinem, quamvis nihil opus fuisset hæc ad DEVM referre, cuius oculis omnia nuda & aperta erant. Fecit tamen Moyses, quod pium decet principem, gaudet de profectu populi, non dubitat Deo hoc placiturum, omnib. modis curat, vt populus Dei fauorem retineat, fitq; tanquam mediator inter Deum & populum. Quod Deus iubet, populo annunciat: Contrà, & populi desideria Deo proponit. Meritò igitur Paulus eum fidelem seruum nominat in domo Dei. Hinc discant principes, quid ipsorum officium exigat, nempe curam, sollicitudinem, laborem, dilectionem, fidelitatem, &c. Sic enim Moyses, tamen si grandæuus, non grauabatur sæpius in montem ascendere & descendere propter salutem & commodum populi, &c.

Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.

Statim, audita populi voluntate, maiora promittit. Vnde patet primò, quòd Deo omnium maximè placent obedientia & promptitudo animi ad implenda ipsius mandata. Vnde & David beatorum eum pronunciat, cuius voluntas est in lege Domini: imò omnes, qui scrutantur testimonia eius, & in toto corde exquirunt eum. Contrà, Samuel dicit, nõ obedire, esse quasi peccatum idololatrie, &c. Deinde patet ex hoc verbo, quòd Deo non solum placet, si bona faciamus, sed etiam si bona proponamus & velimus, quæ omnia pingros nos ad bona inducere deberent. Magnum enim est scire, quòd Deo placent benefacta: Vnde Sapiens

Vade,

Heb. 4.

Hebr. 3.

Psal. 118.

1. Reg. 15.

Vade, inquit, comede panem tuū in lætitia, quia pla. **Ecc1. 9.**
 cent Deo opera tua, &c. Vide autē emphasim verbo-
 rum: Primò, iam nūc, inquit, veniam ad te, q. d. Nunc
 primum incipient beneficia mea: quę enim hætenus
 feci & præstiti, nihil sunt ad ea, quę nunc præstabo. Et
 verè sic est. Hætenus enim temporalia tantū præstitit,
 nunc & spiritualia dabit. hætenus sua, nunc autē sci-
 psum promittit: Ego, inquit, veniam ad te. Addit autē,
 in caligine. Nemo enim perfectè Deum in hac vita vi-
 dere potest, vt infra Moyfi dicitur. Vnde & Paulus: **Ex. 1. Cor. 13.**
 parte, inquit, cognoscimus, & videmus nunc per spe-
 culum in enigmate. imò & philosophus hoc testatur:
 Sicut, inquit, oculus noctuę se habet ad lūcē solis, sic
 intellectus noster ad ea, quę sunt manifestissima in na-
 tura. Quanquā hoc verbum (Veniam ad te in caligi-
 ne) speciali quodam modo referri possit ad tetrapus ve-
 teris testamēti, tunc enim in caligine apparuit Domi- **Ezech. 34.**
 nus, id est, in vmbra & figuris. Vnde & facies Moyfi **2. Cor. 3.**
 velata fuisse scribitur. Nos autē reuelata facie gloriam **Luc. 10.**
 Domini speculamur. Vnde de nobis dicitur: Multi re-
 ges & prophetę voluerunt videre, quę vos videtis,
 & non viderunt, quanuis etiam nostra cognitio nō dū-
 pfecta sit, vt dictū est. Sequitur. Vt audiat me populus
 loquentē. Etiam per hoc populū excitare vult. Quis e-
 nim nō libenter audiat Deum loquentē? quis non ac-
 curset? Obseruandum autē quòd non dicit, Vt videat
 me, sed, Vt audiat me. In hac enim vita nō possumus
 videre Deū. Sed cōtenos nos esse oportet auditu Dei **2. Cor.**
 Per fidem enim ambulamus, non per speciē. Ideo autē
 Deus audiente populo loqui voluit, Vt credāt, inquit,
 tibi, id est, vt sciant verbū tuum non hominis verbum
 esse, sed Dei, ac per hoc fortius credant, & diligentius
 obseruent. Ob eandē causam etiā Christus ipse Euan-
 gelium Apostolis dedit, vt sciamus non ipsorum ver-
 ba esse, sed Christi. Vnde ipsis dicitur. Qui vos audit, **Luc.**
 me audit: & qui vos spernit, me spernit.

Vade, sanctifica populū hodiē & cras, lauentque vestimenta sua.

Hætenus corda populi preparauit, & excitauit ad

ANNOTATIONES

dignè & cupidè suscipiendam legem, hic consequenter præparatur populus ad mundiciè externam. vt dignè comparère possit conspectui Domini. Exigit enim Deus non solùm mūdiciam mentis, sed etiam corporis, in his, qui ad eum accedunt. Deus enim ignis cōsumens est, id quod sensere Nadab, & Abiu, item que Oza, &c. Ex hoc autem loco Paul. arguit maiorem sanctimoniam à nobis exigi, quàm ab illis: Non, inquit, accessistis ad montem, qui tangi potest, &c. sed accessistis ad montem Syon, ad ciuitatem Dei uiuentis, &c. Quare diligenter attendendum, quid ab illis exegerit Deus. Singula enim verba quiddam speciale habent: Primò, Vade, inquit, descende, sanctifica populum. Non satis est prælato in contemplatione cælestiū persistere, sed oportet, vt descendat ad populum. Deinde prælatorum officium est, purgare, illuminare, & perficere inferiores. Sanctificatio autè hic accipitur p mūdicia. Vera quidè sanctitas potissimum in corde subsistit, interim tamè Deus etiam externam sanctitatem, in verbis scilicet & factis, & gestibus, moribusq; exigit. Secundò additur, Hodie & cras. Nō enim vno die perficitur sanctificatio, sed tota vita ad id elaborandū est, vt intereat corpus peccati, & augetur spiritus. Nec vno die peccata abluuntur, sed magna pœnitentia opus est. Lauabo per singulas noctes lectum meum, ait Propheta, &c. Tertiò, Lauent, inquit, vestimenta. Nō, quòd vestimentorum mundicies Deo nos commendet, sed quòd externa corporis & vestium cōpositione quasi testarentur se magni estimare Deum, verbumq; eius. Accessuri enim ad eū, quem magni æstimamus, etiam vestes componimus & mūdamus, ne scilicet sit quod offendant. Ob eandem causam Deus hic præcipit mundiciem vestium, vt scilicet esset externa protestatio, q̄ magni æstimarent Deum. Deinde, vt per mundiciem vestium admonerentur internę puritatis, cogitarentq; si Deus offenditur turpitudine vestiū, quāto magis immūdicia morum? Ob has duas causas etiam Ecclesia accessuris ad Deum, & in opere Dei ministra

turis

Deut. 4.

Hebr. 12.

Psal. 6.

Psal. 117.

1. Reg.

turis determinatas vestes & à prophano cultu semo-
tas ordinauit, &c. Impiè igitur faciunt, qui huiusmodi
exteriam vestium mundiciem contemnunt. Per hoc
enim testantur se non magnificare Deum & diuina.
Et ex ea leuitate idem discit populus. Non igitur opus
fuiſſet, tanto tumultu bonas illas Ecclesiæ ordinatio-
nes scripturæ consonas impugnare & abolere, cum, vt
hic videmus, scripturæ consonæ sint: & Paulus, vt supra
dixit, ex hoc loco colligat nedum similem, sed maiore
etiam mundiciem à nobis exigì.

Hebr. 12.

MORALITER.

Vestimèta lauare debemus, id est, mēbra corruptibi-
lia corporis, quæ sunt animæ vestimenta, mundare, id-
que per poenitētiā. De hoc scriptum est: Beatus, qui
custodit vestimèta sua, ne nudus ambulet. Et in aliò
loco: Omni tempore vestimenta tua sint candida, &c.

Apoc. 16.
Ecl. 9.

Et sint parati in diem tertium.

Sanctificationis præparatio mandatur in diem ter-
tium: Primò, propter sanctam trinitatem: Deinde, in
figuram Christi, qui per triduum seipsum sanctifica-
uit, id est, immolauit p nobis. Sic enim iturus ad pas-
sionem dicebat: Pro eis sanctifico me ipsum, vt & ipsi
sancti sint in veritate.

Ioan. 17.

MORALITER.

In tertium diem iubemur esse parati id est, ad diem
mortis & iudicij. Prima enim dies est carnalis natiui-
tas, secunda est regeneratio; tertia dies erit iudicium.
tunc enim descendet Dominus non daturus legem,
sed iudicaturus, &c. In hunc diem parare se quilibet
debet: Beatus enim seruus, quem cum venerit Domi-
nus, inuenerit vigilantem.

Matt. 25.

Luc. 12.

Constituēsque terminos populo per circuitum.

Quanquā omnes erant Israelitæ, non tamen omnib.
licuit, q̄ Moyſi licebat. Sic & in ecclesia sunt diuisiones
gratiarū & ministratiōnū. Ad trāquillitatē aut ecclesie
pertinet, vt popul⁹ terminos suos nō excedat, nec aliq-
rū officia temerè vsurpet. Qui enim hoc facit, nō im-
punit euadet, id q̄ videm⁹ in Chore & cōplicitib. suis, q̄

1. Cor. 12.

ANNOTATIONES

Aaronis officium agere volentes igne cælitus combu-
sti sunt. Et in Dathan & Abiron, qui Moyſi rebellantes
à terra deuorati sunt. Benè igitur Paulus monet, vnus-
quisque in uocatione sua permaneat.

1. Cor. 7.

Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius.

Rom. 12.

Prou. 25.
Ecc. 3.

Docet hic locus, ne in rebus diuinis simus curiosi,
nec sacrosanctæ prouidentix Dei consilia temerè cõ-
tingamus, aut perscrutari velimus, sed ad radicẽ mon-
tis in ordine nostro maneamus. Vnde Paulus monet,
ne velimus sapere supra quàm oportet sapere, sed
sapere ad sobrietatem. Et Sapiens dicit: Scrutator
maiestatis opprimetur à gloria. Altiora igitur te ne
quæsieris, &c.

Moraliter autẽ, qui culmen perfectionis ascendere
nituntur, prius se in campo operis exercere debent.

Qui tetigerit montem, morte morietur.

Psal. 110.

Terrore cohibendi erant carnales. Timor enim Do-
mini initium sapientiæ. Tam seuerè autem tangentes
montem punire iussit, vt nos discamus intra terminos
nostros manere. Non enim impunè feret qui ordinẽ
turbat, & propria temeritate ascendere vult, non vo-
catus. Iubetur autem non manibus occidi, sed lapidi-
bus, aut sagittis à longè, scilicet tanquam immundus,
vt per hoc significaretur eum non debuisse appropin-
quare, sed à longè se tenere. Iubetur etiam bestia occi-
di, videlicet vt Dominus iumentum qui illud custodire
neglexit, in eo tristetur & puniatur.

MORALITER.

Bestia, id est, bestialiter viuens: montem ascendẽs
vel tangens, id est, alta diuinitatis scrutari volens, si-
cut Arius, &c. percutitur à Domino, &c.

Cum plangere cœperit buccina, ascendant.

Dupliciter accipitur: Primò, ascendant, scilicet ad
terminos sibi præfinitos. Vel ascendãt in montem, cū
buccina clangente significatum fuerit Dominũ abijſ-
se: præſente autem Domino non ascendant.

MORALITER.

Cum clangorem Euangelicę buccinæ audierimus,
tunc

tunc in montem, id est, in contemplationem cælestium ascendamus, quemadmodum Paulus: *Quæ re- Philp. 3.*
trò, inquit, sunt, oblitus sum, & ad anteriora me extendo, &c.

Ne appropinquetis vxoribus vestris.

Omnia diligenter exequitur Moyses, quæ ad mundiciam populi pertinebāt. Ideo & hoc addit: Est enim *Eccl. 3.*
tempus amplexandi, & tempus abstinere à completibus, tunc scilicet, quando cum Deo agendum & orandum. Si hoc dicitur accessuris ad ignem istum visibilem, &c. quantò magis accedentibus ad ciuitatē Dei uiuentis, ad Deum ipsum, ad Iesum, testamenti noui *Hebr. 12.*
mediatorem? &c. Hinc & Paulus & si incontinentibus *1. Cor. 7.*
manum indulgentiæ porrigit, continētibus tamen dicit, vt qui habent vxores, tanquā non habentes sint, &c. Virginibus verò, vt sic permaneant. Omnibus verò in comuni, vt suum exemplum imitentur. Non quidem malum est matrimonium, sed tamen accessuri ad Deum etiam à licitis temperare debent. Si accessurus ad Deum ab vxore abstinere debet quantò magis ab illicito concubitu meretricis? &c.

Iamque aduenerat dies tertius, & manè inclarauerat.

Hic Moyses describit, quomodo Dominus, populo apparuerit, cum dare vellet legem. Vtitur autem Moyses pluribus verbis, & rem ipsam mirè amplificat, & meritò. Cupiebat enim vir pius quā amplissimè posset magnificis verbis aduētum & gloriam Dei describere, imò hac amplificatione verborum palam ostendit, se non posse satis magnificè gloriam aduentus Domini describere. Hic denique videmus, cur tam diligens præparatio populi necessaria fuerit. Vbi enim Deus in tanta magnificentia & maiestate apparet, necesse est, vt oēs parati sint, ne egressus ignis à Domino deuoret impios. Nam Deus noster ignis consumens est. Ex vno igitur hoc loco sufficenter colligi posset, *Deut. 4.*
quid de Deo sentiendum sit, quomodo verbum ipsius audiendum, & quomodo cum ipso agendum, aut coram ipso ambulandum. Vnde & Paulus conuenien- *Hebr. 12.*

ANNOTATIONES

ter hunc locum ad nos applicat, vt infrà patebit.

Et cœperunt audire tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem.

Non se ostendit Deus in sua natura aut essentia: sic enim Deum videre non mortalibus, sed cœlestibus cōceditur. Nec apparet in aliqua imagine hominis, vel alterius rei, quemadmodum angeli vt plurimum apparuerunt, ne rudis populus crederet Deum nihil aliud esse, quã eam imaginem. Sed cœperūt, inquit, audiri tonitrua, &c. quia enim mundus ea sola admiratur, quæ magnificè & pomposè fiunt, ideo Deus in tāta magnificentia apparuit, vt disceret rudis populus Deum magnæstimare, timere, laudare, obedire, &c. Sic sancti ex hac magnifica Dei apparitione sæpius leguntur in laudem Dei prorupisse. Sic Dauid: Domine, inquit, Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? &c. Et iterum: Tollite portas principes vestras, & introibit rex gloriæ, &c. Item: Afferte Domino filij Dei gloriam & honorē. Vox enim Domini in virtute, &c. Item: Deus, cū egredereris coram populo tuo, &c. terra mota est, & cali distillaerunt, &c. Item: Venite, exultemus Domino, &c. quoniã Deus magnus Dominus, &c. Hodie si vocem eius audieritis, &c. Itē: Cātate Domino canticū nouū, &c. cū sequenti Psal. per totū. Omnia hæc & similia ex hac magnifica Dei apparitione desumpta sunt. Sic & nos quoq; ex consideratione huius visionis gloriam Dei agnoscere & laudare & admirari debemus. Ideo enim in suo descensu commouit omnia elementa, vt ostenderet se omnium potestatem & dominium habere. Ceterum, nec hoc sine causa factum est, quod Dominus in hoc loco & hac vice tā terribiliter apparere voluit, cū aliās patribus Abrahæ, Isaac, Iacob, Noe, Moyfi, Prophetis, &c. nedum sine terrore, sed valdè familiariter se ostenderit. Horum autē terribilium prima causa erat, populi rudis inscitia, qui nondū sciebat differentiam inter Deum verū & idola gentium. Docendus igitur erat, q̄ Deus patrum eius non esset talis, vt dij

Acgy.

Psal. 1.

Psal. 23.

Psal. 28.

Psal. 67.

Psal. 94.

Psal. 95.

Psal. 96.

Aegyptiorū, quorū in sacris, imò sacrilegijs potius ludere & choros ducere, manducare & bibere, ac deinde polluere ac pollui solēne erat omni genere fornicationum. Si quidē nō vltro vel facilē p̄discere hoc poterat populus Israel, quippe cū & post tales tātōsq; terrores nihil cunctatus, quasi nihil vidisset, fecerit vitulū cōflatilē, in eiusq; cultu cōeperit manducare & bibere & ludere, &c. Deinde etiā ideo tam terribilib. signis apparuit, vt populo carnali timorē incuteret, q̄ sine timore regi non potest. Quia igitur ad charitatē nondum peruenerat, oportebat vt timore stringeretur, eiq; tanquā adulescētulo petulanti, q̄ p̄ium patrem reuereri nesciret, s̄auerū p̄dagogum adhiberi oportebat. Præterea etiā ideo sic apparuit daturus legē, vt iam quasi ab exordio se ostenderet vindicē legis suę nedū posse, sed etiā velle transgressores punire. Vnde Psal. Dominus interrogat iustū & impiū, &c. Pluet super peccatores laqueos ignis & sulphur pars calicis eorum, &c. Et alibi: Deus emulador & vlciscēs Dominus, vlciscēs in hostes suos, & irascēs inimicis suis, &c. Dominus in tēpestate & turbine viæ eius, &c. Ante faciē indignationis eius quis stabit? &c. In summa, hac terribili apparitione p̄ostendere voluit, quāto terrore ad iudiciū venturus sit cōtra impios. Vnde & in Sophonia dies iudicij dicitur dies nebulae & turbinis, dies clangoris, &c. Potissimū autē hac terribili apparitione naturā legis ostendere voluit. Solēt enim diuinę apparitiones fieri iuxta exigentiā rei propter quā fiunt. Sic Abrahę in forma hominum apparēt angeli, quia filium ei daturi vel nunciaturi venerāt. Sic cū filij Israel essent in igne tribulationis, Deus etiam Moyfi in igne rubi apparuit. Sic cū Iosue armis obtinere iuberetur terram Chanaā, Angelus ipsi cum euaginato gladio apparuit. Sic hic quia lex peccatum ostēdit, & poenā, certamq; dānationē atq; maledictionē denunciā, atq; ad eō conscientiā terret, congruē Deus legem daturus in terrore appareret. Ecōtrā autē Christus Euāgelium daturus admodū mitis apparuit, vt diceret: Discite à me, quia mitis sum.

Exod. 32.

Psal. 10.

Nahum. 1.

Soph. 1.

Gen. 18.

Exod. 3.
Ios. 5.

ANNOTATIONES

Itē: Filius hominis nō venit animas perdere, sed saluare. Euangeliū enim non terret, sed potius lege ter- ritos cōsolatur. Lex igitur in terrore datur, quia lex irā operatur: Euangelium autē in mansuetudine, quia consolatur. Breuis igitur differentia legis & Euange- lij, est timor & amor. Lex timore vrget, Euangelium a- more trahit & allicit. Lex p̄cedit, Euangeliū sequi- tur, quia prius q̄ imperfectū est, postea perfectū sequi- tur. Hinc Paul. legem comparat p̄dago. Sicut enim h̄eres quamdiu paruulus est, sub p̄dago est, postea autem cū ad adultam ætatem peruenerit, libertati da- tur, sic & Deus fecit. Hinc est, quod Paul. nobis dicit:

Gal. 3.

Rom. 8.

Gal. 4.

Matt. 25.

Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, &c. Et iterum: Nō estis filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate vos Deus do- nauit, &c. Legem dare volēs Deus in igne apparuit, & terribili sonitu: Christus Euangelium incipiens sic or- sus est: Beati pauperes spiritu, &c. Quinq; autē in hac apparitione fuerunt, tonitrua, fulgura, ignis, fumus, & clangor buccinæ, quæ omnia statim legis & veteris testamenti adumbrant. Tonitrua significant terrorem legis in conscientia, q̄libet enim p̄ceptum quasi to- nitru est. Fulgura, quæ lucida quidē sunt, sed tamē ter- ribilia & statim disparāt, cognitionē veterū adumbra- rūt, q̄ Dei quidē cognitionē habuerūt, sed breuē & ma- gis cognitionē iustitię, quā misericordię diuinæ. Ignis significabat illuminationē piorum p̄ legē. Fumus autē exccationem impiorū. Sonus buccinæ, q̄ ab eo tēpo- re incipere deberet congregatio fideliū per verbū Dei.

Timuit populus qui in castris erat.

Iob. 26.

Gen. 3.

Quid nitimeret homo, vbi Deus in tanto terro- re apparet? Colūnæ cæli tremunt, inquit Iob, ad aspe- ctum eius, quantō magis homo? Læti audierant à Moysē, quod Dominus venturus esset, omnia spon- derant se facturos: nunc autem timent, videbantur si- bi pulchrè p̄parati, nec tamen apparente Domino audent exire. Sic Adā quātumuis se contexisset folijs ficus, tamē audita tantū voce Domini inuenit se nudū, & ab-

& abscondit se. Sic plerunque videmur nobis ipsis iusti, apparente autē Domino inuenietur tortum, quod videbatur rectum: aliud est enim iudicium Dei, quam nostrum. Non sunt viæ meæ viæ vestræ. Vnde psalmus: Non intres in iudicium, &c. Hinc videre licet, quanta sit nostra præsumptio, qui cum tam impij simus, tamen magna nobis de Deo pollicemur.

Isa. 55.

Psal. 142.

M Y S T I C E.

Per hoc, quod populus timuit, significatum est, quod lex tantum seruos constituit, qui ex timore tantum operantur, quod ad salutem minimè sufficit. Seruus enim non manet in domo in æternum.

Ioan. 8.

Eduxit eos Moyses à castris, &c.

Populo timente Moyses non timet, vt vel hinc videamus, quid faciat bona conscientia. Benè igitur Sapientis dixit: Iustus confidit vt leo. Et Dauid: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Et quamuis Paulus dicat etiam Moysen exterritum fuisse, non tamén his iam dictis contradicit. Timuit quidem Moyses (iusti enim semper timent) verum non timore seruili, vt populus, sed timore filiali, qui nihil aliud est, quam admiratio quædam & reuerentia, seu obseruantia. Imò hinc videmus, quid sit officium boni pastoris, nempe, populum educere à castris vitiorum & malæ cõsuetudinis. Qui cum Deo agere vult, exeat necesse est. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Verum, vt quis populum educat, opus est labore & discretione. Labore, quia difficulter à vitijs abducuntur carnales. Hinc Paulus monet Timotheum: Argue, obsecra, increpa, insta, &c. Hoc & ipse Paulus fecit: Legatione, inquit, fungimur pro Deo, &c. Reconciliamini Deo. Deinde opus est discretione, vt ita populum educamus, ne tamen terminos suos transcendant, sicut Moyses facit. Non sic faciunt hæretici. Videntur quidem populum educere, sed ultra terminos ducunt, quare tam ipsi, quam populi eorum à Domino percutiuntur cæcitate, sicq; fit, vt cæcus cæcum ducens ambo in foueam cadant.

Psal. 90.

2. Tim. 4.

2. Cor. 5.

Lucz 6.

ANNOTATIONES

Ascendit Moyses in montem, &c.

Prōptitudo Moyſi hic patet, qui tametsi eſſet grandæus, tamen non ceſſat aſcendere & deſcendere pro commo-
do populi. Nos officium quidem recipimus, ſed labores alijs committimus. Additur, Moyſes lo-
quebatur, & Dominus reſpondebat, non tamen ex-
primitur, quid vel Moyſes locutus ſit, vel Dominus re-
ſponderit. facile tamen conijci poteſt. Quid aliud lo-
quitur pius cum Deo, quàm laudandò, orando, confi-
tendo? Et quomodo Deus aliter reſpondet pijs, quàm
preces eorum exaudiendo? Oſtenditur etiam hoc ver-
bo, quantus Moyſes fuerit coram Deo. Idem enim eſt
verbum hoc cū eo, quod alibi dicitur: Loquebatur Do-
minus cū Moyſe, ſicut loqui ſolet vir ad amicū ſuum.

Exo. 33.

*Descende & contereſtare populum, ne fortè velis tranſcendere ter-
minos ad videndum Dominum, & pereat ex eis
plurima multitudo.*

Iterato hoc præcipit, tū quia magni refert, vt in ſua
quiſq; vocatione permaneat, nec altiora ſe querat, aut
ſcrutari velit diuina: tum vt oſtēderet non oriandum
eſſe ei, qui alijs præpoſitus eſt, ſed aut aſcendendum,
aut deſcendendum, &c. Addit autē & cōminatur pœ-
nam hijs, qui terminos ſibi ſtatutos tranſgrediuntur,
vt magis deterreat. Benè igitur Sapiēs monet: Mel, in-
quit, inueniſti, noſi nimium comedere, nec fatiatus e-
uomas illud. Quòd autē addit, Sacerdotes quoq; ſan-
tificentur, intelligitur de principibus, vel primoge-
nitis, qui adhuc ſacerdotio fungebantur. Nondum e-
nim ſacerdotium Leuiticum inſtitutū erat. Vt ſit ſen-
ſus. Ad diuina ſecreta, ad ſancta ſanctorum nemo ac-
cedere præſumat quantumcunq; magnus ſit, niſi ſan-
tificatus. Non eſt enim acceptio perſonarum apud
Deū. Omnes igitur in timore accedamus. Hæc igitur
erat præparatio populi ad ſuſcipiendā legē, quæ in no-
bis nō minor, ſed maior eſſe debet ad ſuſcipiendū Eu-
angelium. Vnde Paulus: Nō, inquit, acceſſiſtis ad mō-
tem, qui tangi poteſt, &c. ſed ad montem Syon, ad ci-
uitatem Dei viuentis, &c. uſq; finem capitis.

Prou. 25.

Hebr. 12.

Caput

CAPVT XX.



Actenus audiuius, quomodo Moy-
 ses populum præparauerit ad appro-
 pinquandum Deo, ad verbū Dei au-
 diēdum, & ad legē suscipiendā : nunc
 in hoc capite incipit legis datio, & du-
 rat nedū per totū hunc librum, sed &
 per sequentes tres libros, excepto, q̄
 historia processus Israelis ex Aegypto per desertū ad
 terrā promissionis intermissa est. Hac de causa deinceps
 nō eo ordine procedā, quo haftenus: quia enim
 lex Moyſi pro maiori parte per Euāgelium Christi an-
 tiquata & abrogata est, non op̄ erit singula legis per-
 tractare. multa igitur deinceps transiliā, exceptis his,
 quæ ad nos pertinent, & tamen ea, quæ ad historiā p-
 cessus Israelis hinc inde collecta exponā. Ea enim hi-
 storia adumbrata est peregrinatio fidelium in hoc mun-
 do, quare maximè ad nos pertinet. De lege itaq; Moy-
 ſi quædam in generali præmittenda sunt: Primò igitur
 non parui æstimandum, quòd Deus populo Is-
 rael verbum & legem suam dedit, hoc enim vnum est
 & præcipuum, in quo Deus populum hunc excelsiorē
 fecit præ omnibus alijs in laudē & gloriā suam. Hinc *Psal. 147*
 Dauid: Lauda Ierusalem Dominum, &c. qui annun-
 ciat verbum suum Iacob, &c. Non fecit taliter omni
 nationi, &c. Hinc & Paulus quærentibus quid Iudæi *Rom. 2.*
 amplius habeant præ cæteris, respondet: Multum per
 omnem modum. Nam primò illis credita sunt eloquia
 Dei. Et iterum: Ipsorum est adoptio, & testamētum, & *Rom. 9.*
 legislatio, &c. Obseruandum aut, q̄ non simpliciter di-
 cit, illis locutus est Deus, sed, illis credita sunt eloquia
 Dei: non solū enim ad eos locutus est, sed ad verba
 sua eis scripsit, & scripta dedit conseruanda, quæ & a-
 pud hunc populum conseruata sunt vsq; ad Christum.
 Sciendum secundò, q̄ lex triplicia præcepta habet, mo-
 ralia scilicet, quæ ad mores pertinent, de quibus hīc:
 & cæremonialia, quæ ad cultum externum templi &
 sacrifici.

ANNOTATIONES

sacrificiorum pertinent, de quibus infra c. 25. & in Leuitico per totum. Postremò habet etiã iudicialia, quæ ad iudicia & politiam externam pertinet, de quibus in Numeris. Iã cæremonialia nos non ligant, imò per Euangeliũ totaliter sunt abolita: nihil enim aliud fuerunt, quàm vmbrae & figuræ in Christum. Nam tẽplum ipsorum Ecclesiã significabat: sanctum sanctorum, cælum: sacerdotes, Christum: sacrificia, passionẽ Christi: expiationes eorum, gratiam spiritus sancti, & remissionẽ peccatorum adumbrabant, &c. Cũ itaq; nunc Christus verum tẽplum construxerit, & ipse verus sacerdos verum sacrificium obtulerit, & spiritum sanctum in remissionem peccatorum effuderit: nihil amplius opus est cæremonijs illis: imò, qui ipsis nunc vteretur, significaret se non credere, quòd Christus sit verus Messias in lege promissus. Huc pertinet, quod Paulus ait: Cũ adhuc paruuli essemus, sub elementis mundi huius eramus seruietes: cũ autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, &c. Iudicialia præcepta etiã nos non ligant, nisi de nouo instituerentur. Possent enim ea non minus recipi, quàm leges Cæsarum infidelium receptæ sunt. Moralia autem etiã nos ligant, non enim cum lege cœperunt, ideo nec cum lege abrogatæ sunt, imò ea præcepta ad legem pertinent naturæ, Et sicut lex naturæ omnibus communis est, sic & hæc præcepta moralia, nec quisquam ab eis eximitur. Et quanquã Deus eam legem ipsi naturæ inscripserat, quia tamen in plerisq; ad cõ obfuscata erat, vt vix cerni posset ea scriptura, voluit eam legẽ denuò in tabulis lapideis scribi, tum, vt omnibus ad memoriam reuocaretur, tum vt non faciliẽ periret. Nec cõtentus præcepta hæc lapideis tabulis inscripsisse, insuper præcepit, vt in foribus domus inscriberentur, vt scilicet semper ob oculos versarentur. Errant igitur, qui etiã decalogum abrogatum putant, & ita abrogatum, vt amplius non obligati simus ipsum seruare. Verum quidem est, quod Paulus dicit: Non estis sub lege. Et iterum: Non sumus ancillæ

Heb. 9.

Gal. 4.

Deut. 6.

Rom. 6.

Gal. 4.

cillæ

eillæ filij, sed liberæ, &c. non tamen eo modo liberati
 sumus à decalogo, vt à cæremonijs, vt cum amplius
 seruare non teneamur, sed quia decalogus credenti-
 bus in Christum non amplius tenet vim legis, quia e-
 nim ipsi per Christum spiritum sanctum acceperunt,
 decalogum quidem obseruant, verùm non lege coa-
 cti, sed spiritu ducti: non ex timore, sed ex voluntate.
 Huc pertinet illud Pauli: Iusto non est lex posita. Dein
 de etiam sic liberati sumus à decalogo, quòd per Chri-
 stum accepimus remissionem peccatorum, quæ contra
 decalogum fecimus, propter quæ & ipse decalogus om-
 nes nos damnabat, & maledictioni subiciebat. Nō
 igitur ab obseruantia decalogi, sed à maledictō, quòd
 transgressores decalogi premebat. Postremò etiā, quia
 Iudæi per decalogum remissionem peccatorum que-
 rebant, in Euangelio autem alia via obtinendi remis-
 sionem peccatorum monstratur, nempe, per merita
 Christi, ideò liberati à lege dicimur. Nam quia nemo
 præcepta seruat, quomodo per ipsa possemus remissio-
 nem acquirere? &c. Omnino autem adhuc tenemur
 moralia hæc seruare. Huc pertinet: Si vis ad vitā ingre-
 di, serua mandata. Et iterū: Qui dicit se diligere Deum, *Matt. 19.*
 & mandata eius non seruat, mendax est, &c. Obseruā. *1. Ioan. 2.*
 dum tertio circa legem, quòd triplex est effectus legis:
 primus, ostendere voluntatem Dei: secundus, coerce-
 re malos. Vnde Pau. Lex pædagogus fuit, &c. Et: Lex *Gal. 3.*
 non iusto posita, sed iniustis, adulteris, &c. Tertius est. *1. Tim. 1.*
 fecius est, ostendere & arguere peccata: per legē enim
 cognitio peccati, vt cognito peccato ad Christum pro. *Rom. 7.*
 peremus. Obseruandum quartò, quòd moralia primò
 omnium ponuntur, id quæ iustissimè: primò, quia om-
 nium maximè obtinent vim & naturam legis, ligant
 enim & indispensabiliter, & omnes, & omni tempore:
 in alijs potest dispensari. Denique non omnes, sed so-
 los Iudæos ligabant, & non omni tēpore, sed tantūm
 vsque ad Christum. Secundò, ideò meritò præponun-
 tur decem præcepta hæc, quia in ipsis summa totius
 legis cōtenta est, Omnia enim, quæ benè fieri possunt,
 in ipsis

ANNOTATIONES

in ipsis præcipiuntur; & omnia, quæ mala sunt, prohibentur. His in generali præmissis, nunc literam attendamus.

Locutusque est Dominus cunctos sermones hos.

Longè aliter hic loquitur, quàm hætenus ad patres locutus est: imò hîc vides, cur hac vice cū tonitru & fulgure venit. Singula enim hæc verba tonitruum naturam habent, nam terrêt & concutiunt naturam, imò damnant. Signanter autem dicitur, q̄ Dominus hos sermones locutus est, vt videas, vnde venerint decem illa præcepta, nempe, non ab homine, sed à Deo ipso, quare non parui pendenda, sed diligētissimè obseruanda, nemo enim tanti Domini præcepta impunè contempserit. Ob eandem causam Deus hæc decē præcepta per seipsum immediatè locutus est, cū alia per Moysen dederit, vt eò minus contemnantur. Vide aut quàm pulchrum ordinē in huiusmodi præceptis seruauit. Primò enim ponuntur ea, quæ docent, quid Deo debeamus. Secundò, quid proximo. Et quidem Deo tria debemus, fidelitatem scilicet, & reuerentiam, & cultum: Vel tria debemus, Deo fidem scilicet, spem & charitatem: Vel denique tria debemus Deo, scilicet, vt eum colamus corde, ore, opere. Idcirco tria præcepta ponuntur, quæ nos in Deum dirigunt: Primum exigit, vt Deum corde colamus, id est, fide, spe, & charitate. Secundum, vt eum ore: Tertium, vt opere eum colamus. Secundo loco post tria illa præcepta, quæ in Deum dirigunt, præcipitur honor parentibus & superioribus impendendus, his enim post Deum omnium maximè debemus, quia Dei locum in terris tenēt. Tertio loco ponuntur alia, quæ docent, quid proximo debeamus. Quadrupliciter autem proximum lædere possumus, in corpore, in vxore, in bonis temporalibus, & in fama. Ideò quatuor præcepta data sunt, quæ huiusmodi mala prohibent. Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non loqueris falsum testimonium. Postremo loco prohibetur concupiscentia, quæ quamuis sit radix omnium peccatorum, non

sine

sine causa tamen vltimo loco ponitur. Sicut enim malæ arboris superiores primùm rami præciduntur, & sic paulatim vsque ad radices peruenitur: sic prius opera mala, prout sunt cupiditati viciniora, paulatim præciduntur, & sic ad vltimum ipsa concupiscentia voce prohibentis amputatur. Obseruandum item, quòd antequam præcipere incipiat, prius quasi alliciendo dicit: Ego sum Dominus, qui eduxi te, quod verbum alibi singulis præceptis addit. Similiter & post primũ præceptum & pœnam transgressoribus, & misericordiam obedientibus taxat, quod ipsum singulis præceptis addendum est, vt vel sic ante præcepta alliciamur, & post præcepta vel minis terreamur, vel promissis trahamur. Demùm etiam hoc obseruandum, quòd fermè omnia præcepta negatiuè ponuntur. Hoc primùm ideò factum est, quia iniustos coërcere voluit. Lex enim non iustis, sed iniustis data est, & idcirco tanquam negotioso agricolæ, ea primùm illi cura impendebat, vti malis radicibus occupatam terram faciendo meliori plantationi præpararet, scilicet charitati, quæ sola iusto posita est. Vbi enim charitas est, non opus est dicere, Non occides, Non fureris, &c. Defectus igitur charitatis causa fuit, quòd præcepta negatiuè posita sunt.

1. Tim. 1.

Secundò, ideò negatiuè ponuntur, quia omne præceptum Dei magis positum est, vt ostendat iam præteritum & præsens peccatum, quàm vt prohibeat futurum. Cõclusit enim Deus oës sub peccatum, vt omnium misereatur. Præceptum igitur Dei veniens inuenit nos peccatores, & nedũ futura prohibet, sed etiam præteritorũ admonet. q. d. O miser, talis deberes esse, q̃ nullũ Deum alienũ haberes. Non occideres, Non concupisceres, &c. sed totò alius es. Terriò negatiuè ponuntur, quia negatiua est vehemētior, q̃ affirmatiua. Multò enim latrus te extēdit, cū dicitur: Nō habebis Deos alienos; quā cū dicitur, Vnum cole Deum. Nam & Samaritani vnum Deum coluerunt, sed simul etiam Deos suos. Similiter nunc Iudæi, Turcæ & Christiani

Rom. 11.

4. Reg. 17.

ANNOTATIONES

vnum Deum colunt, sed simul idola. Omnes igitur excusari possent, si affirmatiuè positum esset præceptū, &c. sic de alijs quoque. Cæterum, quamuis negatiuè posita sint præcepta, quodlibet tamen affirmatiuā includit. Vt præceptum illud, Nō habebis Deos alienos, affirmatiuam illam includit, Dominum Deum tuum diliges, & coles, vnum super omnia. Sic præceptum, Non assumes nomen Dei in vanum, hanc habet affirmatiuā, vt nomē Dei honoremus & glorificemus. Sic præceptum, Nō occides, vehementissimā affirmatiuā habet, scilicet illam, esto mitis, & ex corde mansuetus ac patiens, quietus, libenter ignoscens, &c. Sic & illud, Non mœchaberis, hanc habet affirmatiuā, Esto castus, continens, sobrius, verecundus, &c. Sic & illud, Non furtum facies, hanc habet affirmatiuam, Esto pauper spiritu, contentus præsentibus, misericors, modestus, &c. Et sic de alijs. Hæc igitur de decem præceptis in generali dicta sint. Specialem singulorum pertractationem in aliud magis idoneum tempus reseruabo. Hæc enim præcepta non solū in hoc loco ponuntur, sed sæpius repetuntur, & talia sunt, quæ breui tēpore ad plenum explicari non possunt. Interim igitur historiam prosequamur.

*Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum
buccinæ, montemque fumantem.*

Vel hoc verbo ostenditur oscitātia populi, qui plus attendebat externa illa, quæ tunc fiebant, quàm ipsam Domini vocem, quæ admodum & apud nos nihil contemptius est verbo Dei, cū hoc omnibus præferendum esset. Vel, significatur hoc verbo efficacia diuinæ vocis, vt sit sensus: ad eò vox illa & diuina & allocutio animos ipsorum penetrauerat, vt quasi ipsam viderent, nec minus terroris internè, quàm externè sentirent. Bonum autem signum est, vbi verbum Dei sic in corde sentitur, alioqui vbi tantūm aure cordis percipitur, venit diabolus, & facilè illud aufert, nè credentes salui fiant.

Perterriti, & pauore concussi steterunt procul.

Dupli-

Duplicem effectū legis hīc vides, Primò, quòd terrorem incutit propter ostensionem peccati. Deinde hominē retrocedere cogit propter irā iudicis, cui appropinquare non audet. hoc videmus in Publicano illo, qui procul stās nec oculos audebat leuare ad cælū. **Lucæ 18.** Et in prodigo, qui indignū se pronūciabat, vt in filiū reciperetur, &c. Et qui ad auditam legem nō sic terretur & retrocedit, hoc est, indignū se reputat, is nondū **Lucæ 19.** scit quid sit lex, quemadmodū Phariseus ille nunquā presumpsisset tam propè accedere, si legē intellexisset. **Lucæ 19.** Contrā, Euangelium alios duos effectus habet, quòd scilicet consolatur & allicit. Et qui ad auditū Euangelium hoc non sentit, is nescit, quid sit Euangeliū. Hinc cōijci potest, quòd pauci vel legem vel Euangelium intelligunt. Vnde etiam in nos competit illud, Cantauimus vobis, & nō saltāstis: lamentauimus, & nō plangistis. In summa, vbi tantū exigit, arguit, comminatur Deus, nemo libenter accedit: hoc autem facit in lege, ideo steterunt procul terri. Vbi autē Deus vocat, cōsolatur, promittit, ibi facilè omnes accurrunt. hinc est, quòd in Euangelio etiam publicani & peccatores ad Christum accedunt. **Matt. 23.**

Loquere tu nobis, & audiemus: & non loquatur Dominus, ne fortè moriamur.

Hīc videmus, quāto terrore fuerint perculsi, vt putarent se confestim morituros, si Deus iterum loqueretur. Quòd si tantus terror est, vbi lex datur, quantus erit terror, vbi ratio seruatae vel non seruatae legis exigeretur? Huc pertinet, quòd seruus decē millium talentorum debitor postulatus rationem, statim concidit ad pedes Domini: & alius rogatus, cur nō haberet vestem nuptialem, statim obmutuit. Cæterū, quòd populus Israel ita contremiscit ad auditum verbi, laude dignum fuit. Vnde & alibi dicitur: Quis det eos semper habere tale cor, vt me timeat, &c. Et in Isaia spiritus Domini requiescere dicitur super his, qui contremiscunt ad verbum Dei. Obseruandum autem, quòd dicitur, homines contremiscunt ad auditum verbum **Matt. 23.** **Matt. 23.** **Deut. 10.** **Isa. 66.** **Dei.**

ANNOTATIONES

Hebr. 12. Dei. Nam mali ita terrentur, quòd omninò recedunt, fugiunt, nolunt audire, ne scilicet conscientiam sentiant. De his dicit Paul. Videte ne recusetis loquentē. si enim illi non effugerunt, &c. Pij autem procul quidem stant, id est, indignos se cognoscūt, sed tamen nò fugiunt, imò eò magis veniam precantur, vt patet de Publicano & Prodigio, &c. Cæterum sicut populus hic vocem Domini audire timet, ne fortè moriantur: sic adhuc carnales vocem Domini fugiunt, ne cogantur mortificare carnem & concupiscentias suas. huc pernet, quòd Paulus ait: A veritate quidē auditum auertunt, ad fabulas autē cōuertentur, tantū eos audientes qui pruriunt auribus.

2. Tim. 4.

Nolite timere. Vt enim tentaret vos, venit Deus.

Consolatur lege territos: his enim solis consolatio vel Euangelium vtile est. Vnde Christus eis tantum refectionem promittit, qui laborant & onerati sunt.

Matt. 11.

Ostēditur etiā hic cur data sit lex, & cur Dominus tūc tam terribiliter apparuit, nempe, nò vt ad desperationem omnimodam adigeret, non vt perderet, sed primò vt tentaret, nò vt ipse aliquid disceret, quod prius ignorasset, ipse enim scit, quid est in homine, sed vt homo sibi ipsi innotesceret, quàm scilicet malus, quā impius & infirmus sit. Secundò, vt terror Domini semper in ipsis esset: Timor enim Domini expellit peccatum. Tertiò, vt non peccarent, sibi que iram Domini thesaurizarēt. Altissimus enim odio habet peccatores: Et qui peccata peccatis addunt, etiam irā Dei subinde sibi ipsis augent & thesaurizant. Ob has tres causas & olim, & nunc quoq; terribilia fecit, & facit Deus in terra. Beati, qui opera Dei intelligunt. Cōfitebor,

Rom. 2.

inquit, tibi in directione cordis, propterea quòd didici iudicia iustitiæ tuæ. In fine repetit quod supra dixerat, populum scilicet à lōgè stetisse. Ideo autem repetit, vt differentiam ostēdat inter Moysen & populum. Moyses (inquit) intrauit in caliginem: prædicatori enim opus est, vt propius accedat, sed ad Deum, & etiā obscura scripturæ rimetur, vt scilicet habeat, quo populum

Psalus.

lum famelicum reficiat. Deinde etiã ideo repetit populum à longè steterisse, vt ostenderet differentiam inter vetus & nouum testamentum. Illi enim veteres à longè steterunt, quia sub timore fuerunt: hi autem in nouo testamento propè accedunt, quia sunt sub amore: quanquam etiam illorum plerique sub amore, & nostrum multi sub timore sint.

Vos vidistis, quòd de celo locutus sim vobis.

Hic repetit quædam præcepta, & maxime primũ de cultu vnius Dei, hoc est maximum in lege mandatum, vt Deum diligamus, & illi soli seruiamus. Ideo hic præcepit, ne sibi fingant deos aureos, &c. & præmittit, Vos vidistis, quòd ego locutus sim vobis, & quòd de celo, imò experti estis meam esse potestatem & terrorem. Nullum igitur alium Deum colatis, &c. sed de his aliàs, Potest hoc verbum, Non facietis deos argenteos, &c. etiam referri moraliter ad amorem pecuniæ & auaritiã, quam Paulus nominat idolorum culturam, vt sit sensus: Nolite confidere in incerto diuitiarum, &c.

Matt. 23.

Eph. 5.
1. Tim. 6.

Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oues vestras & boues, &c.

Tria hic præcipit, quæ non tam secundum literam, quàm secundum spiritum accipienda sunt. Primum, qd altare de terra faciant: Secundò quòd in lapideo altari non adhibeant ferrum ad exsculpendũ: Tertio, ne per gradus ascendãt ad altare. Hæc si ad literã intelligantur tantũ, videbuntur cõtraria his, quæ aliàs legimus. Nam infra longè alia de altari & cultu præcepit. hic enim nihil splendoris exigit, cũ illic omnia splendida esse voluerit. Nec tamẽ contraria præcepit. Præcepturus enim de splendida illa structura tabernaculi & altaris, præmisit, vt primũ altare quã simplicissimè erigerent. Nimirum, vt scirent, qd Deus magis piẽ, quã splendide vult coli: alioqui cogitare quis posset Deum tantum splendore quærere in suo cultu, quod tamen falsum est. Nã animam plus, quærit Deus, quàm aurũ. Ideo nihil curiositatis & preciositatis hic exigit,

ANNOTATIONES

vt sciamus Deo splendida illa non ex seipsis placere, sed tantū propter animum offerentis. Contrā aut, animum piū etiam sine illis externis placere posse. Sic Deo plus placuerunt sacrificia veterum, scilicet Abel, Noe, Abraā, &c. qui humilia altaria habebant, quā sequentiū Iudeorum, in quorum cultu omnia auro nitentur. Sic & Ecclesia tunc maximè florebat, cū Deus religiosè magis, quā splendidè coleretur. tunc enim corda erāt aurea utcunq;, externa humiliter apparebant. Nunc aut externè omnia sunt aurea, sed corda nostra terrea, &c. Hęc igitur præcepta ad hoc tēdunt, vt sciamus Deo magis placere internum, quā externū cultū. Spiritus enim est Deus, &c. Deinde, ne in huiusmodi externo splendore hæreamus interno neglecto. Præterea ne eos despiciamus, qui tam splendidè Deum colere nō possunt. Postremò, ne pauperes, quib. aurum deest, putent se non posse Deo rectè sacrificare. Tertium autem præceptum de ascensu graduum ad hoc pertinet, vt in cultu diuino omnia honestè fiant.

Moraliter autem altare de terra facere iubemur, &c. id est, humilitatē scētari, quæ sola facit, vt accepta sint quæ offerimus.

MYSTICE

Altare nostrum Christus est; terra, vnde formatur, est humana natura. Qui igitur vult Deo acceptum sacrificium facere, is credat incarnationē Christi, hoc est altare de terra facere. Credat, inquā, in filium Dei incarnatum. &c. Lapidum altare, est fides nostra, quæ innititur petre, & ex solis lapidib. cōstat, id est, articulis fortib. & firmis & infallibilibus. hīc autem videndum, ne lapides illos disseceamus, hoc est, vnitatē fidei rumpamus, alioqui nihil gratum Deo offerre possumus. Vel lapides natiui integritatem operum significant. Qui enim excinduntur, ad cōplacēdum hominibus excinduntur. Nos autem in operibus nostris non hominibus, sed Deo placere debemus. Absit fucus, vana gloria, hypocrisis. Si huiusmodi affectus admiseris, contaminatur opus. Cæterū q̄ prohibemur
per

Matth. 4.

Matth. 16.

Matth. 6.

per gradus ascendere ad altare, ne appareat turpitudine nostra, hoc significat ne scilicet diuinis donis effermur, ne nostros affectus misceamus diuinis, ne denique rurpe aut obscœnũ admittamus. Vult enim, vt simus populus sanctus, &c.

CAPVT XXI. XXII. XXIII.

HOC caput cum duobus sequentibus cõtinet præcepta iudicialia & politica, de pœnis scilicet malefactorum, & alijs. Quia autem ea præcepta nos non ligant, nisi de nouo instituerentur, idcirco tria hæc capita transeo. Si quæ tamen in ipsis sunt, quæ ad nos pertinent, ad decem præcepta applicabo suo tempore. In fine tamẽ vice simi 3. capit. iterum ponuntur aliquæ promissiones obseruãtibz legem factæ, quæ quia etiam nos tangunt, paucis eas explicabo.

*Ecce (inquit) mittam angelum meum, qui præcedat te,
& custodiat in via, & introducat in locum,
quem præparauit.*

Obserua hinc denuo Dei bonitatem, qui nõ contentus ante datã legem multa promississe, nunc post datã alia & maiora promittit, cum tamẽ posset multa imponere sine aliquo præmio. Nullius enim debitor est, *Lucz 17.* & etiam si omnia faceremus quæ præcepta sunt, verè tamen inutiles serui sumus. Deo autẽ hinc ipsis promittit, videlicet felicem terræ promissæ adeptionem, & pacificam eius possessionem: quæ duo vel maximè ipsi cupiebant. Interim tamen sub illis etiam spiritualia intelliguntur, quæ tamen ipsi nõ admodũ curabãt, nimirũ pueris similis, qui magis alliciuntur pomo aut nuce, quàm auro vel margaritis. Ad felicẽ autem consecutionem terræ promissæ tria illis necessaria erant. Primum, vt via eis ostenderetur. Secundum, vt ab hostibus vndique circumstantibus non impedirentur.

ANNOTATIONES

Exod. 15. Nā per Moabitas, Amonitas, Idumęos, Amalechitas, & Philistęos eis transcundum erat. Tertium, opus habebāt auxilio supernali, vt incolas terę illius, qui multi & fortes erant, possent expellere. Omnia autem hæc eis promittit Deus: Mittā, inquit, angelum, qui præcedat, custodiat, introducat. Angelus hic fuit Iosue, quem Deus ducem populi constituit post Moysen. Dicitur autem angelus, quia à Deo missus & institutus: item, quia Dei voluntatem Israelitis in multis manifestauit: tertio, quia gentib. Dei virtutem & potentiam palàm fecit. Huius voci iubentur obtēperare, quia nomen, inquit, meum est in illo, id est, meas vices agit, & qui illum contemnit, me contemnit. Eodem modo & Christus de Apostolis dicit: Qui vos audit, me audit, &c. Et Paulus de potestate seculari: Qui potestati, inquit, resistit, Dei ordinationi resistit. Vel per angelum intelligitur angelus ille, qui in columna nubis præcedebat, vt sit sensus: sicut hætenus angelus vos duxit, sic & de cætero vos ducet, &c. Vult autem, vt eum obseruent, ne scilicet inobedientia, & rebellione eum offendant, & à se repellant, quod itidem & nobis obseruandum est circa angelos, qui ad custodiam nostri deputati sunt. Propriè autē angelus ille Christus est, quē Deus hoc loco Israelitis post datam legem promittit. q. d. nō tantūm legislator esse volo & exactor, sed etiā saluator & grātię largitor. Ideo ambulanti. sub lege suo tempore mittā angelum, nō sicut ille est, qui præcedit in colūna nubis, sed maiorē angelū, scilicet magni consilij, vt Isaias dicit, secundum editionem 70. & angelum testamenti, vt dicit Malachias. Is autem non est alius, quàm Christus. Vnde ad differentiam aliorū angelorum ad hoc additur: Erit nomē meum in illo. Non dicit, super illum. Nā & super nos inuocatum est nomen Dei, sed nomen meum, id est, virtus & potentia mea erit in illo. Item nomen meum erit in illo, id est pro naturali diuinitate eodem nomine censebitur, quo ego: Vocabitur enim æquē vt ego, Deus, Dominus omnipotens, æternus, &c.

Luc. 10.

Rom. 13.

Isai. 9.

Mal. 3.

Ier. 14.

Hic

Hic vides, quod etiam Moyses diuinitatē Christi confitetur & palam exprimit, quod tamen Iudæi non viderunt videre, nec adhuc vident. Hūc igitur angelum misit Deus etiam tunc qui Israelitis adesset, & introduceret ipsos in terram promissam. Vnde Paulus dicit, quod etiam tunc eos comitabatur & deducebat. Bibebant, inquit, de spiritali consequente eos petra, Petra autem erat Christus. Potissimè tamen missus est Christus: vt spiritaliter præcederet veros Israelitas, aperiendo ipsis portas iusticiæ, & custodiret ipsos in via, vt quod ipsi non possunt, eius consequerentur gratia: deniq; vt ipsos introduceret in locum, quem Deus electis parauit à constitutione mundi. In locum, qui mansionib. multis distinctus est, in locum scilicet, de quo ceciderunt angeli apostatæ, quibus erat pes superbiæ, & ideo expulsi sunt, nec potuerunt stare. Vide, quàm diligenter Moyses Christum descripserit. Nihil enim aliud in Euangelio audimus, quàm quæ iam dicta sunt. Hinc est, quod Christus dixit: Scrutamini scripturas, illæ testimonium perhibent de me. Et iterum: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit.

Obserua eum, & audi vocem eius.

Hic ipsos instruit, vt venturum saluatorem suscipiant. Obserua, inquit, eum, nec enim à se ipso loquetur, & insuper opera mea perficiet. Audi vocem eius: nam sub duobus testibus sermone scilicet, & opere probabit se filium Dei. Nec contemnendum putes, propterea quod homo est, quod mortalis est, quod mortuus est ex infirmitate hominis: Nam viuit ex virtute Dei, & habet potestatem iudicium facere. Nō enim dimittet, cum peccaueris, & odio illum habueris gratis: Vnde in Matthæo dicit: Auferetur à vobis regnum Dei, &c. Et iterum: Veniet super vos omnis sanguis iustus, &c. Vides, quàm diligenter eos præmonuerit, imò nihil illis promissit, nisi sub hac conditione: Si audieris vocem eius, quem tibi mittā, &c. inimicus ero inimicis tuis, &c. Eodem & in Deutero.

ANNOTATIONES

Deut. 18. nomio prædixit se ultorem futurum in eos, qui prophetam illum magnum non susciperent. Non igitur habent Iudæi, quod conquerantur.

Cæterum, hæc eadē etiam nobis dicta esse sciamus; nam Euangelium duo nobis proponit. Primò, quid Christus pro nobis fecerit: Secundò, quid à nobis exigat. Et quidem verè Christus nos præcessit, defendit, liberauit, introduxit. Nostrū est, vt eam obseruemus, id est, in eum intendamus, credamus, ei adhæreamus, eum honoremus. Deinde, vt vocem eius audiamus, id est, obediamus, imitemur, cōfiguremur. Postremò, ne ipsum contemnamus, vel gratiam oblatā respuēdo, vel ea abutendo. Non enim dimittit impunitos, qui peccant. Vnde Sodomis remissius erit in die iudicij, quàm contemptoribus Euangelij. Et iterum: Ligatē ei, qui vestem nuptialem non habet, manus & pedes, & projicite in tenebras, &c. Melius enim esset viā veritatis non cognoscere, quàm agnitam blasphemare. Si enim in legem peccans interficitur, quantò magis qui filium Dei conculcat, &c.

Matt. 11.
Matt. 22.
3. Pet. 2.

Hebr. 10.

*Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor,
inimicus ero inimicis tuis, & affligam
affligentes te.*

Rom. 8.

Hic pollicetur præmia suscipientibus Christum, & quidem ingentia. Inimicus, inquit, ero inimicis tuis, & affligentes affligam, introducā te ad locum promissum, ipse quoque perdam hostes tuos. Quomodo potuisset maiora polliceri? Huc pertinet, quod Paulus dicit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? &c. Vnde idem tam fidenter dicit: Quis nos separabit à charitate Christi? &c. Obseruandum autem, quòd omnia hæc sub conditione promittuntur, si scilicet audiamus vocem Christi, & faciamus quæ iubet, alioqui frustra de huiusmodi promissis gloriamur.

Non adorabis Deos eorum, nec coles eos.

Hic cōsequenter promittit Israelitis pacificam terrę promissæ possessionem, alioqui quid prodesset hereditatem accipere, si nō daretur pacificè eam possidere?

Ob.

Obseruandum, quòd tantùm temporalia ipsis promittit, quia ea sola quærebant, vtpotè carnales, sicut pueri poma præferunt gemmis. Apostolis autem nihil horum promissit aut dedit, non quòd eis hæc inuideret, sed quòd maiora dare voluit: sicut pater filio adulto non amplius poma dat, sed hæreditatem ipsam. Ceterùm, omnibus his promissionibus illam conditionem præmittit. Nò adorabis Deos alienos, vt sciamus promissiones Dei conditionales esse, verbi gratia: Si me audieritis, bona terræ comedetis. Sic & Christus: Si diligis me, ad eum veniemus, &c. Et iterum: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio, &c. Non igitur satis est dicere, Hoc Deus promissit, ideo fiet: sed attendendum, quibus illud promissit, & qua conditione, &c. Obseruandum etiam, quòd nunc tertio prohibet Deos alienos, nec mirum, est enim summa religionis, vnum & solum verum Deum colere. Deinde omnis infortunii causa est, à Deo vero recedere, id, quod multipliciter ostensum est in lib. Iudicum.

Vt benedicam panibus tuis & aquis.

Panis & aquæ nomine scriptura omnes cibos intelligit, vt patet 4. Reg. 6. Primum igitur, quod ad pacificam terræ possessionem facit, est sufficientia cibi & potus. Cura enim ventris maximè hominem premit & angit. Primo igitur loco abundantiam victualium promittit. Obseruandum, quòd non dicit: Dabo panem, &c. sed benedicam, vt sciamus, quòd etiam panis non cibatur, sed benedictio Domini. Non in solo pane viuit homo, &cæt. & : Benedictio Domini diuites facit. Vbi Dominus benedicit, ex paucis panibus multi fiunt, vt 3. Regum 17. de farina viduæ, & 4. Regum 4. de oleo alterius viduæ. Itemque de panibus Helisæi, & de quinque & septem panibus Euang. &cæt. Contra, vbi Dominus non benedicit, impletur illud Aggæi: Seminastis multum, & intulistis parum. Et alibi: Comedetis, & non saturabimini. Sic experimur, quòd interdum in copia terrenascentium, tamen caesa sunt omnia: Dominus enim non benedicit, & hoc

ANNOTATIONES

propter idololatriam, & impietatem, & cæt.

Et auferam infirmitatem de medio tui.

Exo. 15.

Ioan. 5.

Gen. 25.

Sap. 12.

Iosue 5.

Non satis est ad pacificam possessionē habere temporalia, si desit sanitas, idē etiam hęc promittit. Eodem modo, ut supra dictum est, Omnem languorē Aegypti non inducam supra te, si audieris me. Vnde patet, quod infirmitates sunt ex peccato, ideo & Christus: Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid cōtingat. Tertio, necdum satis faciūt hęc duo, copia scilicet rerum, & sanitas, si desint heredes, idē etiā hoc promittit: Nō erit infœcunda, aut sterilis. Vbi iterum patet, q̄ fœcunditas est benedictio Dei. Quarto, necdum sufficiunt tria prædicta, nisi ad sit longa vita. promitti, igitur etiā hoc: Numerum dierum tuorum cōplebo, id est, vita tua non breuiabitur peste, bello, fame. In super laudabilē senectutem consequeris, ut non desit gaudium innocenter transactæ vitæ, in Dei obsequio vixisse, & certū esse de re posita spe glorię. Hinc patres excessisse dicuntur pleni dierum, & in senectute bona. Quinto, quia ad pacificam possessionem maxime requiritur pax ab hostibus, ideo subdit, terrorem meum mittam ante te, & c. id est, rumore tantum & fama vestri terrebō eos, & c. Videmus hic, quod non ex fortunæ aut stellarum arbitrio, sed ex solo Deo pendet animus, fortitudo, vita, & victoria. Subdit, Mittam crabrones, & c. Hoc factum fuisse testatur liber Sapientiæ, licet nusquam alibi legatur. Potest tamen meraphoricè intelligi: Mittam crabrones, id est, ita attonitos eos reddam & stupidos, ut etiam vespæ sint eis superiores. Et sicut Aegyptios muscis domui, sic hos domabo crabronibus. Per crabrones etiam intelligi possunt anxietates & punctiones animi, quas Chananæi senserunt in aduentu Israelitarum. Sic enim scriptum est: Postquam audierunt reges Chananæorum, & c. nō remansit in eis spiritus, & c.

Non vno anno eijciam eos à facie tua, & c.

Huius causam quidem ponit, sed tamen veram causam hęc occultat: Potissimum enim ideo non omnes hostes

hostes Israelitarum simul deleuit, vt popul⁹ Israel perpetuò haberet, per quos erudiretur & exerceretur. Hæc autem causam hic nō allegat, nam si illis nunc hoc dixisset, impatientia defecissent dicentes: Num etiã in terra, quæ promittitur, ab hostibus affligemur? Vltimo ponit, quibus terminis terra promissa finiatur, vt vel sic ex magnitudine eiusdem terræ prouocentur ad amorem Dei. In fine tamen addit iteratã admonitionē: Non, inquit, in ihis fœdus cum gētibus aut dijs eorum, &c. addit causam, ne peccare te faciãt, &c. Quod quia non obseruãrunt, citius terram perdidērunt, iuxta illud: Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, &c. Hæc sunt, quæ Israelitis temporaliter promissa sunt, quæ omnia adumbrãrunt felicitatē Ecclesiæ sub Christo. Per ipsum enim Ecclesia habet abundantiam veri spiritualis panis, id est, verbi Dei, & o-

Psal. 71.
mnis generis cōsolationum, de qua abundantia frequenter in Prophetis legimus, vt cūm dicitur: Erit frumentum in terra in summis montium, &c. Item: Serui mei comedent, &c. Itē: Lætabitur deserta, &c. Secun-

Isa. 65.
dō, Christus in aduentu suo abstulit infirmitatē à nobis. Primò, scilicet peccatum originale. Secundò, peccata actualia; in super, & per spiritum sanctum infirmitatē nostram roborat. Tertiò, per eundē spiritū dat, & dedit, vt terra cordis humani per sanguinem suum rigata fructificet in bonis operibus, & Ecclesia semper filios spirituales pariat. Quartò, complet numerum dierum nostrorum. Post hanc enim vitam, æternã nobis confert. Quintò, terrorem suum mittit in hostes nostros: Ipsi enim virtute nunc etiam pueri & sc-

1. Cor. 1.
minæ principem mundi vincere possunt. Per crabrones autē, quib⁹ hostes nostros expulit, intelligere possumus Apostolos, qui etsi contēptibiles viderētur coram mundo, tamen per ipsos cōfudit Deus nobilia &

1. Cor. 4.
fortia. Crabrones erant, quia se purgamenta huius mundi & omnium per ipsa profitebantur, & tamen cōtra diabolum triumphãrunt. Obseruandum tamē, q^d Christus non omninò & simul effugauit diabolum.

ANNOTATIONES

nec omnes tentationes simul abstulit. Potuisset quidē, sed noluit, quia nobis non conduceret. Primò, si nulla esset tentatio, in superbiam erigeremur, sicque crescerent contra nos bestiaē, nam superbia diabolica est tē-
 tatio. Deinde profunt tentationes, vt per eas exerceamur. Hinc Paulo dicitur: Sufficit tibi gratia mea, non tamē auferatur et stimulus carnis. Per hoc igitur, quod hic dicitur, Non auferam eos vno anno, significatum est perpetuum sanctis bellum esse cum vitijs, itemque quòd non sine labore nostro vitia expurgantur. Paulatim tamen expelluntur, dum subinde per spiritum mortificatur caro, & crescit homo in virum nouum, ambulans de virtute in virtutem, &c. Gentes autem, quæ hic nominantur, septem peccata mortalia significant, quæ per Christi spiritum in nobis etsi nō simul, tamen paulatim expelluntur. Termini autem Ecclesie sunt à mari rubro & deserto, vsque ad mare Palæstinæ & fluuium magnum, id est, à Iudæis vsque ad gentes, Per mare rubrum designantur Iudæi pro parte electorum, per desertum idē populus pro parte reproborum, ab illis cœpit Ecclesia, & peruenit vsque ad mare magnum gentilitatis, &c.

Ephes. 4.

Psal. 43.

CAPVT XXIII.

Premissa legis datione & inductione populi ad eius obseruantiam per promissa & cōminationes, hic consequenter describitur eius receptio, ac per cōsequens fœderis inter Deum & populum renouatio & confirmatio. Primò tamen epilogum ponit eorum, quæ in capite 19. dicta sunt, videlicet, quomodo & quo ordine ad Deum accedendum sit. Ponit autem tres ordines. Quidam eorum & maior pars non audebant accedere ad montē, Seniores & cæteri aliqui vsque ascenderunt in montem, solus autem Moyses Domino appropinquare iubetur. Concordat cum eo, quod Paulus ait: Diuisiones gratia-

Exo. 19.

1. Cor. 12.

gratiarum sunt, idem autem Dominus, &c. Et sicut vnum corpus multa membra habet, singula autē singulos actus, & vnum altius & nobilius alio est: sic in corpore mystico ecclesiæ non omnibus idem locus competit, &c.

ascende ad Dominum tu & Aaron.

Mirabilis modus loquendi. Dominus loquitur idē scilicet, quod supra dixerat: Ego sum Dominus Deus tuus: & tamē iubet ad Dominum ascendere, quasi plures essent Domini, vel pluralitas Deorum. Et quamuis hīc dici potest, quōd angelus in persona Domini loquens iusserit eum ascendere ad Deum, scriptura tamen etiam in alijs plerisque locis manifestē distinctionem personarum in diuinis indicat, vt cūm Dauid dicit: Sedes tua Deus in seculum, &c. & post: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus: vbi Deum nominat, & qui vngitur, & qui vngit. Item: Dixit Dominus Domino meo, &c. Vbi iterum distinctio dominorum est. Et in Zacharia, cūm Deus dixisset: Ego ipse veniam, &c. subdit: Et scietis, quia Dominus misit me: Vbi iterum & mittens & missus Dominus vocatur. Sic & hīc Dominus iubet ascendere ad Dominum, id est, filius ad patrem, verbum ad Deum, Deus Abraham ad Deū, creatorem omnium, &c. Sic igitur etiā Moyses distinctionem personarum in diuinis expressit, licet verbis occultis. Obseruandum, quōd inter eos, qui ex omni populo electi ad Dominum ascendere iubentur, etiam Nadab & Abiu nominantur, quos tamen postea ignis à celo consumpsit. Non igitur semper bona fortuna est vel bona Dei voluntas, si ad honores prouehimur, sed sæpè maximum infortunium & certissima ira Dei, qui impios ideo exaltat, vt grauius deiciat. Hinc ad Pharaonem dicitur: In hoc exaltaui te, vt ostendam in te fortitudinem meam. Nemo igitur de potestate aut honore mundano gloriatur aut superbiat: cui enim multum datum est, multum etiam exigetur ab eo: & quantò gradus altior, tantò casus grauior.

Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus.

Hoc

ANNŌTATIONES

Hoc iam tertio promittunt se legem seruaturus
 Nam & supra c. 19. & cap. 20. hoc idem promiserunt,
 cum tamen nihil minus vnquam seruauerint, vt sequē-
 tia indicabunt. sic enim caro facile promittit: difficul-
 ter autem & raro promissa complet.

Scriptit autem Moyses omnia verba Domini.

Hic Moyses tanquam mediator veteris testamen-
 ti, cum audisset & Domini promissa, & populi volun-
 tatem, foedus inter Deum & populum facit, vel potius
 renouat. nam supra Deus foedus iniisse legitur cum Abra-
 ham & semine eius. Primo autem Moyses verba Domi-
 ni scribit, deinde altare aedificat, idque ex duodecim la-
 pidibus, vel cum duodecim columnis, vt alij legunt,
 ad ostendendum, quod nullus excluderetur, sed omnes tri-
 bus in foedere includerentur. Offert autem per duodecim
 iuuenes ex singulis tribubus, nondum enim erat sacer-
 dotium institutum Leuiticum, & adhuc primogeniti
 erant sacerdotes. Iuuenes eligit, qui ob simplicita-
 tem & vitae innocentiam magis ad hoc officium ido-
 nei essent. Deinde librum legis sumit, & de nouo Dei
 praecepta & promissa legit coram omnibus, iterumque
 de nouo populi percunctatur voluntatem. Vbi enim
 foedera iniuntur, vtraque pars ad aliquid se obligat. Ha-
 bita autem vtriusque partis voluntate, sanguinem sumit,
 & versus vtranque partem spargit, Deum quidem, qui
 spiritus est, aspergere non potuit, sed loco eius sangui-
 nis dimidiam partem super altare fudit, reliqua parte
 populum aspersit. Et haec fuit confirmatio foederis in-
 ter Deum & populum Israel, vnde & dicit: Hic est san-
 guis foederis, &c. Hoc est foedus illud, quod scriptura
 toties & tam magnifice commemorat: exempli gra-
 tia apud Ezechielem, & alibi. Imò hoc est verus illud
 testamentum, de quo in psalmis: Respice in testamen-
 tum tuum. Et iterum: Non custodierunt testamētum
 eius. & iterum: Vniuersae viae Domini misericordia &
 veritas his, qui seruant testamentum ipsius. & in Da-
 niele: Ne dissipes testamentum tuum. Non sine causa
 autem foedus hoc inter Deum & Israel etiam testa-
 mentum

Gen. 17.

Ezech. 16.

Psal. 73. &

77.

Psal. 24.

Dan. 3.

mentum dicitur. Ad testamentum enim sex requiruntur, quæ omnia hîc videmus: nempe testator, hæredes, bona legata, conscriptio, testes, confirmatio, quæ fit per mortem testatoris. Testator fuit Deus: heredes filij Israel: legata, terra promissionis: conscriptio, liber legis: testes, cælum & terra, quos Moyses inuocat: confirmatio, sanguis & mors vituli, quia enim Deus testator mori non potuit, vitulum occidi iussit, & sanguine eius testamentum confirmari. Deut. 31 & 32.

Ob easdem causas etiam nouum illud fœdus, quod Christus nobiscum fecit, dicitur testamētum nouum, & maximè propter mortem testatoris Christi. Vnde & ipse dicebat: Hic est calix noui testamenti, &c. Nec aliud differt inter vetus & nouum testamenta, nisi, quòd in veteri Moyses fuit mediator, in nouo Christus: in veteri temporalia promissa sunt, in nouo æterna: vetus per sanguinem vituli confirmatum fuit, nouum autem per sanguinem Christi. Addendum suprà dictis, quòd Moyses etiam ideò sanguine populum aspersit in signum, quòd transgressorum legis sanguis deberet effundi. Maximè autem ad significandum, quòd legis transgressio non aliter nisi sanguine expiari possit, non quidem sanguine animalium, sed sanguine Christi, ad quod significandum omnia in lege sanguine mundabantur. De quo Paulus ad Hebræos. Cæterum, sicut Moyses dimidiam partem sanguinis fudit super altare, reliqua parte aspersit populum: sic Christus duo nobis sacramenta sanguine dedit, Baptismum scilicet & Eucharistiam. Nam in morte Christi baptizati sanguine ipsius aspergimur, & de sancto altari sanguinem eius in veritate bibimus. Quòd autem Paulus asserit hanc sanguinis aspersionem factam per lanam coccineam & hyssopum, etiam suum habet mysterium. Hyssopus enim humilem significat passionis Christi fidem, Lana autem coccinea eiusdem passionis imitationem. iuxta illud Petri: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c. Matt. 26. Hebr. 9. Ibidem. 1. Pet. 2.

ANNOTATIONES

Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel.

Infr. 32.
1. Pet. 5.
2. Tim. 4.
1. Cor. 12.
 Icto foedere inter Deum & populum, lætus ascendit montem, auditurus, quid vltra præciperet Dominus. Sperabat iam sibi & populo suo omnia salua futura, quãdoquidem cum Deo confœderati essent, sed longè fallitur. Antequam enim de monte rediret, iam populus ruperat foedus, vt infrà dicitur, &c. Sic fit, vt etiam post magnam diligentiam doctoris facilè tamè populus ad consueta vitia redeat. Hinc Petrus pastoribus præcipit, vt inuigilent, & cæt. Et Paulus Timotheo præcipit, vt arguat, obsecret, increpet, &c. Ascendunt aut cum Moysse etiam alij, verùm non omnes ad Dominum, sed ad sua quisq; loca. Seniores remotius, alij propinquius, Moyses familiaris & solus colloquebatur Deo. Sic enim & nunc vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, sed non eodem modo, &c. Alij enim datur sermo sapientiæ, &c.

Viderunt Deum Israel.

Exo. 33.
Ioan. 1.
 Suprà dictum est, quòd populus vidèbat voces & fulgura, &c. non autem Deum, de his verò, quòd viderint Deū. Non tamen sic intelligèdum est, quòd viderint Deum, sicuti est in sua substantia. Scriptū enim est: Non videbit me homo, & viuet. Et longè post visionem istam Ioãnes dixit: Deum nemo vidit vnquã. Nihil igitur aliud hic vult Moyses, quàm quòd clarius cognouerint Deum, quàm populus communis: Vel, quòd in alia & clariori specie præsentiam suã illis declarare voluit. Vnde subditur:

Sub pedibus eius quasi opus lapidis.

Hæc apparitio significabat lapides fideiũ in Aegypto versos in Saphyrũ. i. seruitutẽ corporis in libertatem spiritus. Deinde hac specie significabatur omnipotentissima ac splendidissima Dei maiestas, qua præsidet cælo, cui insidet, & terrã totam scabelli instar pedibus subiectam regit & moderatur. Maximè aut per hanc speciem significabatur regni illius, in quo Deus videndus promittitur, soliditas, puritas, & altitudo.

Nec

Nec super eos misit manum suam.

Tanquam diceret: Antequā respersi essent sanguine foederis, miserat super eos manum suam, manum terribilem & tremendam, dicendo: Omnis, qui terigerit montem, morte moriatur, &c. Nunc autem quia foederati erant & sanguine foederis conspersi, non misit super eos manum, vel vindictā, nec prohibuit eos à visione sua. Per hoc præfiguratum fuit, quòd per solū sanguinem Christi accessum haberemus ad Deum. In quem qui non credit, iam iudicatus est, & manet ira Dei super eum. Igitur si manum Dei euadere cupis, vide ut sis in nouo illo foedere, quod Christus sanguine suo confirmauit.

Exod. 19.

Ioan. 1.

Videruntque Deum, & comederunt ac biberunt.

Dupliciter intelligitur: Primò, quòd ex visione diuina nihil vel animò vel corpore mutati sunt, quo minus edere vel bibere potuerint, postea ut prius, cum reliqui hominum ad huiusmodi spectacula toti concidant, ut patet in Prophetis. Secundò, intelligi potest quod hic dicitur, Comederunt & biberunt, &c. q. d. Adeò non terruit illos potètia sua, ut etiam magnum gaudium caperent ex eius visione. Nam per edere & bibere scriptura spirituales delicias circumloqui solet, ut cum Christus dicit: Ut edatis & bibatis super mensam meam. Totum autem hoc futuræ visionis fuit exemplar, in qua comedemus & bibemus, eademq; visione saturabimur & inebriabimur. Iuxta illud: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et iterum: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, &c.

Lucæ 2.

Psal. 16.

Psal. 35.

Ascende ad me in montem & esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, &c.

Hic iam tertio vocatur Moyses in montem. Qui enim populo Dei præest, opus habet, ut frequenter ascendat ad Deum in orationibus. Deinde ad ipsum pertinet omnium maximè terrena, & inferiora hæc despiciere, ad exemplum aliorum, quemadmodum Paulus ait: Estote imitatores nostri, &c. Ego enim quæ retro sunt oblitus, &c.

Philip. 2.

ANNOTATIONES

Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius.

Iosue figura fuit Christi Domini. Dicitur autem fuisse minister Moysi, tum quia Christus Moysen secutus est, tum quia legi Moysi se subiecit, tum etiam quia impleuit & perfecit, quæ Moyses prædixit & præfiguravit. Hi igitur duo ad Deum ascenderunt accipienturi verbum & legem Dei, Moyses vetus testamentum, Christus novum. Utrunque autem in monte datum est, ad significandum altitudinem tam præceptorum, quam promissorum.

Habetis Aaron & Vr vobiscum, &c.

Vide curam & sollicitudinem Moysi pro populo. Vocatus erat ad familiare colloquium Dei, & tamen non obliuiscatur populi sibi commissi. Erubescant igitur, qui tam facile ex animo eiciunt curam commissarum ouium, &c. Vide item prudentiam Moysi, qui abiturus noluit populum relinquere sine præsidibus & custodibus, ne quid iterum desit populo.

MYSTICE.

Aaron significat Christum, Vr, id est, ignis, spiritum sanctum, hi duo nobis præpositi sunt, ad quos recurrendum, si quid quæstionis inciderit.

Cumque ascendisset, nubes operuit montem.

Moyses in nube, Christus in gloria. Nubes operit montem, imò & Moysen, alioqui quomodo tam propè accedere potuisset ad ignem illum inaccessibilem, si non refrigerium habuisset? Hinc & Virgini dicitur: Virtus altissimi obumbrabit tibi. & discipulos in monte, cum Christus transfiguratus esset, operuit nubes. Obserua, quòd Moyses nò terretur igne & fumo, alijque terriculamentis, firmatus enim erat fide & familiari gratia Dei. Obseruandum & hoc, quòd non statim vocatur ad colloquium, sed post sex dies, vt discamus patienter ferre, si Dominus votis nostris & orationibus non statim affulserit. Ipse enim nouit, quid, quando, & cui donare debeat.

MYSTICE.

Nemo admittitur ad beatificam visionem Dei,
nisi

nisi sex dies huius vitæ laborauerit & expectauerit.

Species autem gloriæ Domini quasi ignis.

Non aliter apparet populo, quam in igne, vt in timore maneat. Cæterum, in lege Deus verè est ignis deuorans, in Euangelio autem est ignis illuminans, & calefaciens & purgans. Nam etiam spiritus sanctus in igne apparuit, sed non cum terrore, vt hic,

Fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Solo scilicet verbo Dei sustentatus, tam dulcis erat vox Dei. Vnde & idem Moyfes in seipso expertus est, quod alibi dicitur: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Simile quidam & de Helia legimus, 3. Regum 19. Vtrunque autem hoc diuina prouidentia factum est, vt scilicet hu-

manitas Christi idoneum haberet testimonium. Ille nanque ieiunare habebat quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt pro gula primi hominis vapular-

ret: Quia autem tam diu ieiunare supra naturam hominis est, & ob hanc causam vel Iudæi, vel hæretici occasionem arripere possent negandi Christi humanitatem, vtiliter prouidit diuinitas, vt duos testes

humanitas ieiunantes Christi haberet, ynum

ex lege, alterum ex prophetis, qui & ipsi tam

diu ieiunauerunt, cum tamen viri

homines fuerunt.

CAPVT XXV.

CVM SEQUENTIBVS.

IN hoc capite incipiunt cæremonialia Mosaicæ legis, quæ quia per Christum iam sublata sunt, non opus est, vt diu hic immoremur, nisi quis velit omnia allegoricè exponere, id quod sancti patres fecisse leguntur, magno quidè labore, verùm nõ perinde magno fructu. Ne tamè cæremonialia hæc omninò prætereamus, paucis & summatim tantum dicam, in quibus rebus constiterit cultus ille Iudaicus. Operæ precium enim est ea scire & con-

ANNOTATIONES

siderare, tū quia in seipsis splendida & ornatissima
 fuerunt, tum quia à Deo ipso instituta, tum denique
 quia Christum apertissimè adumbrârunt. quia enim
 vera iustitia nulli contingit, nisi per fidem in Christū,
 & Christus eo tempore in carne nondum reuelatus
 erat, instituuntur sacra, quæ Christum adumbrarent
 & de Christo prædicarent; vt quod nunc post incar-
 nationem Christi apertis verbis de ipso prædicatur,
 hoc ante eius incarnationem publicis ritibus vtcun-
 que exprimeretur, atque adeò, vt his sacris veluti pu-
 blicis de Christo concionibus & promissionibus fides
 in Christum conciperetur, aleretur, & confirmaretur.
 Quòd autē huc potissimum spectet Iudaici cultus in-
 stitutio, manifestè patet ex eo, quod Moyse dictum est:
 Faciant mihi tabernaculum iuxta omnem similitudi-
 nem tabernaculi, quod ostendam tibi. Et iterum: In-
 spice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte
 monstratum est. Hoc autem exemplar non fuit exter-
 num aliquod ædificium, sed cæleste, videlicet Chri-
 stus, Ecclesia, prædicatio Euangelij. hinc Paulus dicit;
 quòd legalia illa fuerint vmbrae cælestium.

Heb. 8.

Sic igitur Deus loquebatur Moyse cælestia, prius
 quam faceret terrestria, & spiritualia prius demonstra-
 bat, quàm faceret carnalia. Demonstrabat autē non
 externa visione, sed interna & prophetica: Loqueba-
 tur enim illi sicut homo loqui solet ad amicū suum,
 faciendō scilicet eum secretorum suorū consciū. Si
 igitur Moyses locutus est tanquā ad amicū, quomo-
 do ei occultasset summū amicitiae suę fructū, i. futurū
 Christi filij sui cæleste sacerdotiū? Caterū, sunt & a-
 liae causę, propter quas Deus instituit externū illum
 cultum tam operosum & magnificum, cum tamen ve-
 rus Dei cultus in spiritu consistat, harum prima, quia
 populus ille adhuc rudis erat, & ideo per externa tra-
 hendus ad interna. Secunda, quia etsi liberati erāt cor-
 pore à laboribus, nōdum tamen liber erat animus eo-
 rum à superstitionib. Aegypti, vt taceam, quòd natu-
 ræ præpoterant ad idololatriā. Necessarius igitur eis e-

Exod. 23.

rat cultus aliquis externus, quo continerentur, ne diffluendo desiderarent alium. Institurus igitur cultum, primò omnium præcipit, ut populus offerat primitias, hoc est, primam oblationem Domino: hætenus enim nihil ab ipsis exegerat. Non quòd Deus opus haberet ipsorum donarijs, sed ut eorum & fidem exploraret & merita augetet. Videmus autem hic primò, quòd Deus etiam externè coli vult: quia enim & corpus & animam nobis dedit, vult etiam ab utroque coli. Videmus secundò, quòd Deus vult sibi serui, & in cultum eius expendi quæ nobis ex gratia dedit. Videmus tertio, opera eorum, qui vel externo suo sumptu, vel consilio, vel alio quouis officij genere Ecclesiam adiuuant, cultum Dei gratissimum esse: Signanter autem addit, Ab omni homine, qui vltroneus est. Solum enim hilarem datorem diligit Deus. *2. Cor. 9.* Cæterum, cum nò tantum aurum & argentum, hoc est, res preciosæ, verum etiam pili caprarum & ligna, hoc est, res viles ad ædificationem tabernaculi exigantur, perspicuè admonemur, ut vnusquisque pro facultate sui doni diuinitus concessi Ecclesiam adiuuet. Qui igitur nò potest aurum vel argentum offerre, offerat saltem pilos caprarum, & munere suo defunctus est. Non enim oblationum quantitas, sed offerentium bonitas à Deo attenditur. Et fieri potest, ut magis Deo placeat qui parua, quàm qui magna offert, ut patet in vidua offerente duo minuta, &c. Huc pertinet caput 12. prioris epistolæ ad Corinthios: Item Ephes. 4. & parabola illa de seruis negociantibus cum pecunia Domini sui. Ut autem alacriores essent ad offerendum, addit insignem promissionem: Habitabo, inquit, in medio vestri. hæc promissio subinde repetitur. explicatur autem copiosissimè in dedicatione templi 3. Regum 7. Illic videbis, quid sit Deum habitare cum hominibus, nempe ipsis adesse, ipsorum preces exaudire, subuenire, &c. Hæc in generali de ipso Iudaico cultu dicta sint. Nunc in speciali etiam addendum, in quibus cultus ille consistit.

ANNOTATIONES

Quatuor igitur requirebantur ad eum cultum, primò, vasa: secundò, locus: tertio, ministri: quarto, sacrificia. Inter vasa Iudaici tabernaculi potissimum erat arca, quæ qualis esse deberet, ad longum in textu declaratur. Facta est autem arca, primò, vt esset iustitaculum propitiatorij; secundò, vt esset receptaculum tabularum, Manne, & virgæ Aaronis, hæc enim tria cõtinebat. Tertio, vt esset designatio publicæ parrochiæ in Israel: Vbicunq; enim erat arca, ibi licebat publica ordinaria, & legitima sacrificia peragere. Hæc autem arca manifestè adumbravit Christum, maximè quòd ad eius incarnationem vel humanitatè. Ipsa enim est, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ recòditi. Ipsa est, in qua corporaliter requieuit diuinitas. Hæc arca. i. humanitas Christi facta est ex lignis impubilibus, quia de semine patrũ fidelium eterna memoria redolentiũ incarnatus est Dei filius, vel quia caro eius nõ vidit nec videre potuit corruptionè. Secundò, arca illa secundũ omnes dimensiones suas humanæ stature accommodata erat, quia incarnata diuinitas omnib. modis mensuræ, id est, capacitati hominis benigna se charitate indulxit. Deus enim appropinquas in terra visus est, & cum hominib. conuersatus est, oculis hominum expositus, auribus hominum propositus, manibus hominum appositus est. Quod fuit (inquit Ioannes) ab initio, quod audiuius, quod vidimus oculis nostris, &c. Tertio, arca fuit deaurata intus & foris, quia Christus verè diuinitatis auro, & intus per insitam sapientiam, & foris per diuina opera clarificatus est, quòd sit Dei filius. Quarto, ornatur arca in superiore parte corona aurea, quia filio Dei quasi diadema capitis est hic miserationis ornatus, quòd & per bonitatis gratiam voluit, & potentiam maiestatis potuit hominem assumere, quod non potuisset nisi Deus. Vel, corona hæc significat in Christo aut diuinam naturam, quæ vt circulus initio ac fine caret: aut maiestatem regni, de qua passim scriptura concionatur. Circuli in angulis & vetricis ligni, sed auro tecti, quibus

arca

I.

Hebr. 9.

Deut. 10.

Psal. 15.

2. Ioan. 1.

arca portatur, significant prædicationem Euangelij: hac enim Christus gestatur ad omnes gentes. Vestes autem perpetuò in circulis arcæ manent, quia prædicatio Euangelij nunquam à Christo seiungi debet. *1. Cor. 1.*
 Nō iudicavi me, inquit, aliquid scire, nisi Iesum Chri. *1. Cor. 1.*
 stum. Et iterum: Fundamentum aliud nemo potest ponere, &c. Qui igitur iustitiam suam statuunt, & Christi gloriam negligunt, hi vestes ab arca abstrahunt & designant sacrilegiū. Quaternarius aut numerus circulorū significat quatuor orbis partes, ad quas prædicatio Euangelij de Christo vulganda erat. Item quòd vestes semper in circulis esse debent, significat quòd prædicatores semper parati esse debent ad reddendam rationem omni poscenti. Quòd arca à solis sacerdotibus portari præcipitur, id est, quod Petrus dicit: Vos estis genus electum, regale sacerdotiū, &c. & Ioannes: Qui lauet nos à peccatis, & fecit nos reges & sacerdotes, &c. Quòd indignè videntes aut trahentes arcam puniuntur, vt Bethsamtæ & Osa, hoc ipsum est, quod Christus ait: Qui non credit, iam condemnatus est. Itē: Qui ceciderit super lapidem illum, confringetur. Exempla habes in Anania & Saphira, & in Simone mago. Quòd in arcam reponuntur tabulæ legis, significat quòd Christus est impletio legis. Quòd autem & manna in ipsa reponitur, significat quòd Christus est panis vitæ, & cætera. Virga etiam Aaron in arcam reposita quæ germinauerat, significat Christum in cruce quidem mortuum, sed in resurrectione præter omnem spem rursus germinantem. *1. Pet. 2. Apocal. 1.*
 Postremò, quòd in nullo alio loco licuerit ordinariè sacrificia perficere, nisi vbi arca erat, significat partim vnum tantum esse sacrificium Christi, partim nullum opus extra Christum Deo placere. Hæc de arca breuiter dicta sufficiant. *Ioan. 3. Matt. 21. Act. 5. & Ioan. 6.*

Post arcam iubetur fieri propitiatoriū, cuius descriptionē vide in textu. Factum est autem propitiatorium primò vt esset operculum arcæ, deinde vt quemadmodum Deus antè collocutus est cum Moyse è rubo,

ANNOTATIONES

postea è nube, ita nunc deinceps cum ipso colloquere, tur de propitiatorio ac de medio duorum Cherubin. Sic enim habet textus, Inde testificabor tibi. Potissimè autem propitiatorium ideo institutum est in publicum sacramentum, quo populus certificaretur Deum tam præsentem, quam propitium esse Israelitis, ac velle ipsos defendere & tueri. Vnde & nomen propitiatorij inditum est, & dictus est Deus habitare aut sedere super Cherubin.

Postremò propitiatorium institutum est, vt adumbraret Christum, maxime in passione & cruce, per quã nos Deo propiciavit vel reconciliauit. Vnde Paulus: Christum, inquit, proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, &c. Et Ioannes: Ipse, inquit, est propitiatio pro peccatis nostris. Ad hoc congruunt omnia, quæ de propitiatorio dicuntur. Primo enim propitiatorium eiusdem longitudinis & latitudinis fuisse dicitur cum arca, quia videlicet eadem charitatis intentione filius Dei pro nobis passus, qua & incarnatus est. Deinde, sicut Moyse Deus de propitiatorio locutus est, ita nobis per Christum. Vnde dicit: Verba, quæ ego loquor, à meipso non loquor. Auro autem mundissimo operitur propitiatoriũ, quia Christus etsi passus, peccatum tamen non fecit, &c. sed verè fuit sanctus, innocens, impollutus, &c. Quòd autem propitiatorium signum erat diuinæ præsentia & gratiæ, significat Deum nobis in Christo præsentissimum & gratiosissimum esse, nec alibi Deum reperiri posse propitiũ nisi in Christo. Ad extremum, vt Cherubin expãdunt alas suas & obumbrant propitiatorium, ita diuina protectio obumbrat tam Christum, quàm credentes in ipsum. Protegit aut per angelos. Cherubin enim protectionem significare, ex eo patet, quòd ante paradysum posuit Cherubin ad custodiendã viã ligni vitæ. Vel aliter. Cherubin, quæ sunt imagines alate, & interpretantur plenitudo scientiæ, significant duo testamta, vnde scientiam Dei sitientes haurimus. Duo Cherubin duo testes Christi sunt, vetus scilicet & nouũ testamen-
tum.

2. Sal. 79.

Rom. 3.

1. Ioan. 2.

Ioan. 14.

1. Pet. 2.

Hebr. 7.

2. Sal. 90.

Gen. 3.

tum, Aurei sunt, quia vtrunque eadem Dei sapientia vera lucet, & desiderabilia sunt super aurum & lapidē Psal. 8. preciosum. Productiles sunt, quia inter tensiones & pressuras vtriusque testamenti scriptura condita est. Expandunt alas & protegunt oraculum, quia humilitatem Christi crucifixi à Judæis & hæreticis defendunt. Versis vultibus se mutuo, imò in propitiatorium respiciunt, quia vtraque testimonia in nullo à se mutuo discrepant, & vtraque Christum prædicant. Dicuntur autem à Paulo Cherubin gloriæ, quia ubiq; gloriam Christi prædicant. Alterum enim dicit, Gloria & honore coronasti eum: alterum, Vidimus gloriã eius Psal. 8.
Ioan. 1. quasi gloriã unigeniti à patre. Post propitiatorium iubetur fieri mensa, de cuius structura vide textum. Hæc mensa in hunc usum cõstructa fuit, vt in ipsa ponerentur panes propositionis 12. qui in Hebræo dicuntur panes facierum, propterea, quod coram propitiatorio ponebantur, quod dicitur conspectus Dei. Hi panes ponebantur cum thure, vt essent publicum memoriale, quo admonerentur Israelitæ sacrificij placationis. Mensa hæc iterum Christum adumbrat, sed in alio opere, nempe prædicationis. In hoc enim opere verè Psal. 24. nobis parauit mensam aduersus omnes, qui tribulant nos. Panes propositionis significant resurrectionem verbi Dei & sacramentorum. Vt enim pane pascitur corpus, ita Euangelio & annexis sacramētis pascitur animus. Et sicut panes illi perpetuò proponi debebāt, sic prædicatio Euangelij perpetuò inculcanda. Prætereà, vt panes semper quidem proponebantur, sed singulis sabbatis mutabantur: ita semper quidem Euangelium vrgendum est, sed cùm varietas delectet, varijs modis & figuris explicandum est. Thus autem panibus impositum, significat, quod post Euangelij prædicationem ad orationem cõverti debemus. Postremò, Leui. 24. non licebat nisi sacerdotibus de his panibus vesci, ita quotquot Euangelio Christi fidem adhibent, reges & sacerdotes fiunt, &c. Circa hanc mensam iubentur & alia quædam vasa fieri, vt acetabula, phialæ, &c. Per

ANNOTATIONES

hæc instrumenta admonentur suæ quisque vocatio-
nis. Sicut enim mensa adumbrat Christum & verbum
eius : ita hæc instrumenta adumbrant Christianos , &
admonent eos , vt vnusquisque iuxta modum sui do-
ni conferat operam suam ad illustrandum Christum
& Euangelium.

III. Post mensam quarto loco iubetur fieri candelabrū,
cuius constructionē vide in textu. Vsus candelabri erat,
vt lumen præberet tabernaculo, quod aliàs fenestris
carebat. Significatur autem per candelabrum Chri-
stus, in eo maximè opere, quòd spiritum sanctum Ec-
clesiæ misit, quo illuminaretur & dirigeretur in om-
nibus. Hastile igitur candelabrum Christus est, qui ve-
ri luminis sustentaculum est. Septem lucernæ, septem
dona sunt spiritus sancti. Calami ex vtroque latere si-
gnificant Apostolos : hos calamos hastile vnum fert,
quia Christus dicit: Sicut palmes non potest facere fru-
ctum, nisi manserit in vite, &c. sic nec vos, &c. Quòd
autem iuxta candelabrum iubentur etiam emunctoria
fieri, consolatio est pro his, qui non præclaris do-
nis præditi sunt in Ecclesia. Etsi enim quis non versa-
tur in summo Apostolorum ordine, tamen non est o-
pera eius tabernaculo inutilis, si saltem inter extrema
vasa aliquem locum obtinet. Admonemur etiam his
emunctorijs, vt omni studio curemus, ne errorib⁹ do-
ctrina Ecclesiæ obfussetur.

v. Quinto loco construi iubetur altare holocaustorū,
cuius constructionē & formam vide in textu. Hoc fuit
institutum, vt singulis diebus iuge sacrificium offer-
retur in ipso, itemque & reliqua sacrificia, de quibus
fit mentio in Leuitico. Verūm, quid hæc aliud fue-
runt, quàm conciones de Christo? Ipse enim est altare
nostrum, ipse sacerdos, ipse hostia. Verè autem altare
dicitur, quia nihil gratum Deo est, nisi quod huic al-
tari superponimus, id est, nisi in fide Christi fiat. Ho-
stie nostræ sunt corpora nostra. Roma. 12. Itē dona in
pauperes. Phil. 4. itē confessio & gratiarum actio. Heb.
13, item spiritus cōtribulatus. Iuxta hoc altare erant &
alia

Joan. 15.

Exod. 27.

Exod. 29.

Psal. 50.

alia quædam instrumenta, quæ significant ministros Ecclesiæ, qui diligenti suo labore conseruant ignē diuini amoris & puritatem doctrinæ. Purgāt Ecclesiam à sordibus in carne relictis, &c.

Sextum, quod ad tabernaculum pertinebat, erat al- **VL**
tare incēsi, quod & ipsum adumbravit Christū, in cuius solius nomine incensum orationis nostræ gratū Deo dat odorē. Ex omnibus his videmus, quā clarē Christus in huiusmodi corporalibus præmonstratus fuerit, & nedum ipse, sed omnia eius beneficia, incarnatio, passio, prædicatio, spiritus sancti missio, &c.

*Post constructionem vasorum sequitur constructio
tabernaculi.*

Neceffe enim erat, vt ad cultum illum, qui instituebatur, etiam locus certus deputaretur. Quia autem adhuc in deserto erant, & subinde locum mutare cogebantur, non cōueniebat, vt domum firmam & fixam ædificarent, ideo præcipitur eis, vt tabernaculum ædificarent, quod de loco ad locum transferre possent, quo etiam nedum in deserto tantū, sed etiā in terra promissa ad tempus vsi sunt, vsque dum Salomon templum ædificaret. Fuit autem hoc tabernaculum pulcherrimè adaptatum, vt videretur in litera. Significauit autem tabernaculum illud Ecclesiam fidelium vtriusque testamenti. Sicut enim tabernaculum tres distinctiones habuit: sic & Ecclesia. Primò enim antequam ad tabernaculum perueniretur, erat constructum atrium quoddam certis columnis & tapetibus distinctum ab alijs. Hæc pars significauit Ecclesiam patrum veteris testamenti: qui nondum quidem ad verā Dei domum peruenerant, sed iam erant in atrio separati à gentibus. Longitudo illius atrij significabat longanimitatem patrum, vel spaciositas atrij significat capacitatem ecclesiæ, quæ tamen respectu eorum, qui pereunt, parua sit, tamen innumeros recipit. Atrium hoc latam habebat portam, quia Ecclesia neminem excludit, qui saltem quærit. In hac prima parte erat
altare

ANNOTATIONES

altare holocaustorum & lauacrum pro sacerdotibus, quia veteres illi habebant quidem sua sacrificia & baptismata, sed non perfecta, ideo extra tabernaculum erant. Secunda pars tabernaculi dicebatur sanctum, ad hanc partem intrabatur per velum quatuor coloribus confectum. hæc pars significabat Ecclesiam militantem, ad quam ingredimur per fidem. Hæc Ecclesia internè pulchris tapetibus ornata est, id est, varijs donis spiritus sancti. Insuper habet columnas deauratas & fixas, Apostolos scilicet, qui columnæ Ecclesiæ dicuntur & sunt, nam Ecclesiam fulciunt & sustentant. Externè Ecclesia huiusmodi columnis munita est contra tentationes. Supernè autem triplex tectorium habet, quod nihil aliud signat, nisi Ecclesiam optimè à Deo munitam contra omnes inferorum portas, &c. Cæterùm, sicut tabernaculum intus pulcherrimum erat & auro & serico fulgebat, foris autè pellibus horrebat: sic Ecclesia externè quidem tentationibus impugnatur, internè autem gratia spiritus ornatur: Omnis enim gloria eius ab intus. In hac parte erant mēsa, panum, candelabrum, & altare incensi. Sic in Ecclesia est mensa scripturæ, & illuminatio spiritus, & virtus orationis. Tertia pars oratorij erat sanctum sanctorū, hæc pars significat cælum ipsum, & Ecclesiam triumphantem, inter hanc partem & priorem olim erat velum, sed in Christi morte disruptum est, ad significandum, quod iam nobis pateret via ad cælum. In hac parte est arca, id est, humanitas Christi: & propitiatorium, id est, perpetua intercessio Christi pro nobis: & Cherubin, id est, societas angelorum. In hac parte nullum candelabrum est, quia ineffabilia nobis sunt, quæ illic habentur.

Psal. 44.

Matt. 27.

Apo. 21.

Deinde ea ciuitas non eget candelabro, non opus est, vt quis alium doceat. Omnes enim Deum videbunt. Non indiget sole & luna, quia claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est agnus. In hanc partem intravit Christus, & semel intrant, qui per ipsum sacerdotes effecti sunt.

Summarium.

Ad cultum Dei nedum requiruntur vasa seu instrumenta & locus, sed etiam ministri spiritualiter ad hoc deputati. Ante institutionē sacerdotij omnes primogeniti erant sacerdotes. Vnde & primogenitos Istaac Exod. 19. Deus sibi sanctificari præcepit. Postea autē, ne turbationes & rixæ inter tot tam diuersarum tribuū primogenitos & sacerdotes (quælibet enim tribus voluisset potiorem partem sacerdotij sibi vindicare) Deus pro primogenitis elegit tribum Leui ad sacerdotium. Non autem ea ratione instituit sacerdotium, quasi per ipsum hominēs possint Deo reconciliari perfectè. Nā etiam ipsi sacerdotes fuerunt peccatores, quomodo potuerunt alios reconciliare, sed tantum per hoc sacerdotium Deus adumbratē voluit futurum Christi sacerdotium, per quod solum reconciliamur. Cur autem potissimum tribum Leui elegerit, non constat ex scriptura. Fortassis autem hoc factum fuit ad honorē ipsius Moyse & Aaron ducum populi, qui ex ea tribu erant. Cæterum, etsi tota tribus Leui electa esset ad sacerdotium, magna tamen erat differentia inter eos. Nam primò excludebantur à ministerio templi omnes, qui aliquam maculam habebant, &c. Deinde vnus tantum erat summus sacerdos in figuram Christi, qui solus & vnus nos reconciliauit Deo. Alij erant minores sacerdotes & ministri, alij tantum Leuitę dicebantur, & varia habebant ministeria, sed nō licebat illis offerre, &c. Obseruandum, quòd Aaron à Deo Leui. 21. destinatur ad sacerdotium: nemo enim sibi ipsi assumere debet hunc honorē, sed qui vocatur à Deo. Nec solum verbo Aaronem destinat sacerdotem, sed insuper publicis cæremonijs iubet eum consecrari, primò propter ipsius Aaronis constantiam: Sacerdotium enim publicum suas habet tentationes & afflictiones, vt patet Num. 16. 2. Paral. 24. & 26. Publicæ autem cæremoniæ fuerunt manifestum testimonium diuinæ vocationis. Quare, qui in hoc ministerio afflictus fuit,

potuit

ANNOTATIONES

potuit & cæremonijs constantiam suam confirmare ac certificare, quòd versetur in diuina vocatione. Secundo, cæremonijs instituitur propter populum, vt scilicet cæremoniæ electum ministrum populo cõmerdent, & vt publicum ministerium honorabile & sanctum faciant, & vt perpetuã ministri vocationẽ declarent. Cæremoniæ igitur circa consecrationẽ sacerdotum non est ludus puerilis, sed diuinum spectaculum, quo & conscientiæ sacerdotũ, & imperitiæ vulgi, & authoritari sacerdotij cõsulitur. Et quamuis cæremoniæ Iudaicæ nihil ad nos pertineant, nec nobis tamẽ licet ab aratro ad publicum ministerium Ecclesiæ sine ali-

Act. 13. &
1. Tim. 4.

qua cõsecratione irrumperet. Sic in exordio Ecclesiæ Apostoli per preces & manuum impositionem designabant ministros Ecclesiæ. Potissimum aut huiusmodi cæremonijs institutus fuit Aaron, vt per eas adumbraretur Christus. Primò igitur Aaron consecrandus in sacerdotẽ lauatur aqua, Ita Christus inchoaturus suũ ministerium prius baptizatus fuit, non q̃ ipse baptismo indigeret, sed vt officium suum cũ maiori authoritate inchoaret. Sic fideles vt esse possint spirituales sacerdotes, primò omnium baptizandi sunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, &c. Secundo loco Aaron in consecratione sua ornatur vestibus singulari diligentia ad ornatum sacerdotis deputatis. Ita Christus post baptismum ornatus est publicè spiritu sancto & voce cælesti ad Iordanem, quo manifestè reuelatum est ipsum præditum esse ea maiestate, quæ per vestes Aaronis designata & adumbrata fuit. Quòd autẽ & reliqui sacerdotes suis vestibus ornantur, præfigurauit, quòd credentes in Christum spiritu sancto induendi essent ex alto. Prima autem vestis Aaronis erant feminalia linea, per quæ designabatur castitas & publica honestas sacerdotibus necessaria.

Joan. 3.

Matt. 3.

Mysticè aut significant decus sanctæ incarnationis filij Dei, qua præornata est natura nostra ignobilis. Nõ enim de vlcerosa libidine, vt nos, ille cõceptus est, sed de munda virgine. Secunda vestis, tunica linea strictar-
hæc

hæc significat in Christo nouam ipsius vitam, & con-
 uersationem mundissimam inter homines. Tertia ve-
 stis, tunica hyacinthina vel serica: hæc significat glo-
 riosam conuersationem Christi post baptismum Ioan-
 nis. Tunc enim tintinabulis cœpit perstreperere, id est,
 aperta prædicatione Euāgelizare. Tintinabula illa au-
 rea fuerunt, quia dulcissimus est sonus euangelij. Tin-
 tinabula illa nedum in tabernaculo, sed etiā in atrio
 audiebantur, & Christi sonus vsque ad fines mundi
 peruenit. Vestis autem hæc nō sola tintinabula habet,
 sed etiam malogranata, quia Christus non nuda ver-
 ba habet, sed fructus optimos. Tintinabula & malo-
 granata potissimum appensa fuerunt in inferiori par-
 tetunicæ, & Christus in fine vitæ maximè dulcibus &
 verbis & operib. claruit, vt patet in vltima cœna, &c.
 Quarta vestis erat superhumeralis, sic dictum, quòd ab
 vtrisque humeris penderet, & sub humeris constringe-
 retur. Significat obedientiam Christi, qua portandis,
 imò tollēdis peccatis nostris humeros supposuit. Duo
 lapides Onichini in vtroq; humero, duos populos si-
 gnificant, Iudæos scilicet & gentes, pro quorum pec-
 catis mortuus est Christus. Nec solūm lapides portat,
 sed nomina insculpta filiorum Israel: Christus enim
 verè fideles suos potentia sua, quæ per humeros signi-
 ficatur, portat, defendit, conseruat. Sic in Deut. Porta-
 uit eum in humeris suis. Et in Isaia: Si potest mulier *Isai. 49.*
 obliuisci infantis sui, &c. Et Christus: Nemo rapiet o-
 ues meas de manu mea. Et iterum: Vbi ego sum, illic
 & minister meus erit, &c. Quinta vestis, Rationale, id *Ioan. 17.*
 est, ornamentum pectoris ad mensuram palmi habēs
 12. lapides inscriptos 12. nominibus filiorum Israel, si-
 gnificat, quòd Christus suos electos nedum in hume-
 ris gestat per potentiam, sed etiam in corde per dile-
 ctionem. Nec in genere tantūm, sed singula nomina:
 singuli enim fideles in pectore Christi indelebiter
 scripti sunt. Ideo nomina filiorū Israel non in papyro
 scribūtur, sed in gēmis. Magna certè cōsolatio nostra.
 Sextus ornatus sacerdotis est Baltheus, qui fortiter
 conseruat.

ANNOTATIONES

constringit vestes, vt homo reddatur agilior & constantior ad opera sua facienda. Vnde Baltheus pro veritate & cōstantia vsurpatur. Significat igitur hic Baltheus constantiam & veritatem Christi in seruandis promissis. Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorum renum, &c. Vnde Paulus: In Christo omnes promissiones sunt amen & etiam. Septimus ornatus erat Tyara, & signat regiā Christi dignitatem. Octauus erat lamina aurea, cōtinens nomen Dei sanctissimum, & significat Deitatem Christi. Ex omnibus his satis liquet, quā clarè Christus & sua beneficia etiam veteribus proposita fuerint, &c. Possent omnia prædicta ad mores & vitam sacerdotum instituendā exponi, sed omitto. Sacerdotes minores designant omnes credentes, qui per Christum fiunt reges & sacerdotes, sed differunt à Christo, sicut membra à capite; & filij adoptiui à filio naturali. Sacerdotis autem nomine confirmatur fides nostra, vt non dubitemus etiam nos partē habere in hæreditate sacerdotum, quæ est ipse Deus. Dominus, inquit, est hæreditas eorum. Secundò, hoc nomine admonemur officij nostri, vt oremus, offeramus, doceamus, &c. Vestes singulas virtutes Christianorum adumbrant, &c. Post induitionem vestium, Aaron vngitur chrismate, sed solus, ita tamen, quòd oleum è capite in barbam defluit, &c. Sic Christus vnctus est oleo lætitiæ præ participibus suis, ipsi enim datus est spiritus non ad mensuram. De plenitudine tamen eius omnes nos accipimus. Post vnctionem Aaron sacrificia offert, quorum sanguine altare conspergit, carnes autem extra tabernaculum cōburit. Sic Christus finaliter seipsum obtulit, & quidem sanguine suo nos Deo reconciliauit. Caro tamen eius igne passionis extra castra, id est, extra ciuitatem crucifixa est. Obseruandum, quòd multa in veteri testamento fuerunt sacrificia, quæ tamen omnia vnum Christi sacrificium adumbrarunt. Christus est holocaustum nostrum, quia totum se nobis dedit. Ipse est hostia pacifica, quia nos Deo recōciliauit. Ipse est ho-
stia pro

Ephes. 6.

Isa. 11.

2. Cor. 1.

Hebr. 13.

stia pro peccato, quia p peccatis nostris mortuus est. Ipse est iuge sacrificiū, cuius memoria quotidie in Ecclesia representatur, &c.

Hac de Iudaico tabernaculo & cultu summarie dicta sufficiat. Moralia quilibet facile videbit.

CAPVT XXXII.



IN hoc capite Moyses post datam legē & descriptionē Iudaici cultus & sacerdotij redit ad historię prosequentiā. Ac primò omnium describit maximum illud idololatrię peccatum, quod filij Israel commiserunt in absentia Moysi, de quo David: Cito, inquit, fecerunt, obliui sunt operū Dei, &c. Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt sculptile, & mutauerūt gloriā incorruptibilis Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deū qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, &c. In hoc igitur capite primò videmus, quantum sequiatiā Dei contra peccatum, ne quis putet peccatum leue quid esse. Secundo, ostendit caput hoc malitiā cordis humani, qua homo sibi ipsi relictus in pessima quæq; & horrendissima vitia se precipitat. Quis enim credidisset hunc populum tam benè institutū tam cito à Deo recessurū? Sed prauum est cor hominis & inscrutabile. Magna promiserant Israelitæ, videbantur timere Deū, sed nihil erat nisi hypocrisis quæ hic reuelatur. Sic tentatio probat quales simus. Sic Deus etiam pseudopphetas permittit, vt probemur, & cribremur. Præterea videmus in hoc capite quæ de etiam Iudæi peccauerunt, & egent gratia Christi, ne gentibus idololatriam improperent. Conclusi: Deus omnia sub peccato, vt omnium miseriatur, & omne os obstruatur, subditusque fiat omnis homo Deo, &c. Maximè autem in hoc capite obseruanda est malitiā diaboli contra populum Dei. Omnibus viribus enim agebat, vt populus ille periret, è quo sciebat Christum proditurum. Vnde primò excitauit con-

Pal. 104

Ier. 17.

Deut. 10.

Rom. 11.

ANNOTATIONES

tra ipsos regem Aegypti, qui ipsos perderet. Cùm autem hic conatus eius non processisset, Deo nimirum populum protegente, nunc secundò dolens ipsos aggreditur, ac omni studio hoc agit, vt Dei gratiam, cuius præsidio hætenus subsisterant, perdant, imò Dei indignationem & vindictam incurrant; sperabat quippè vel ipsos à Deo perdendos, vel saltem promissionem de Christo factam reuocandam. Ipse enim est draco ille septem capitum, qui ante gloriosam illam mulierem filium Dei parituram stetit, vt de uoraret filium eius, &c. Sed vicit veritas Dei. Hanc diaboli malitiam in hoc capitulo consideremus; vt cogitationes eius scientes cautius ambulemus. Sunt & alia multa notatu digna in hoc capite, quæ suis locis indicabimus.

Videns populus quòd moram faceret Moyses.

Videmus hic primò, quòd necessaria sit in populo Dei crebra verbi Dei prædicatio. Filij enim Israel tantum quadraginta diebus sine prædicatione verbi erant, & statim ad idololatriam pessimam declinant. Quid igitur mirum, quòd nunc etiam omnia vitia regnent, cum plerique in totum conciones verbi Dei fugiant. Non igitur sine causa Paulus præcipit: Insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, &cæt. Deinde videmus quantum damnum afferat populo absentia ducis. Quid enim mirum, quòd lupus rapit oves, vbi nullus pastor adest? Videant pastores Ecclesiæ, qui ouium curam omninò negligunt: videant, inquam, quomodo rationem reddere velint principi pastorum Christo. Non enim sine causa dixit Petrus: Si diligis me, pasce oves meas. Quatuor igitur sunt, quæ Israelitis idololatrando occasionem præstiterunt: Primum fuit absentia ducis, Secundum fuit curiositas populi, qui non contentus his, quæ à Moyse audierat, etiam sua addere volebat. Tertium fuit timiditas & conniuentia Aaronis, quem Moyses in suum locum substituerat. Is enim dum populo resistere non audet, ac ipsum contristari non vult, grauissima pes-

▲ Apoc. 12.

2. Tim. 4.

Ioan. 10.

Ioan. 21.

pes-

peccati causam præstitit. Quartum fuit falsa opinio, qua putabant quicquid bona intentione facerent, Deo placiturum. Quæ falsa opinio etiam postea effecit, vt relicto templo, vbique excelsa ædificarent cõtra verbum Domini. Ex his quatuor ceu fontibus etiam in Ecclesiam pro fluxit quicquid vnquam est aut fuit superstitionum, abusuum, deordinationum & hæresum. Nec vnquam Ecclesia ab huiusmodi peccatis libera erit, nisi quatuor illæ causæ demantur. Si Ecclesiam, inquam, à maculis purgatam volumus, primò necesse est, vt episcopi diligentius inuigilent: Secundò, vt prædicatores populi carnalibus affectibus resistent, nec ea doceant quæ populus desiderat, sed quæ vera sunt. Tertio, necesse erit, vt populus curiositatem abdicans discat ea quærere & diligere, non quæ carni arrideant, sed quæ animæ congruant. Discat non iucunda, sed vtilia amplecti. Ego, inquit, Deus docens te vtilia. Et Paulus: Quæcunq; vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, &c. si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, &c. Postremò ad purgationem Ecclesiæ necesse est, vt non nostrã rationem aut bonam intentionem sequamur, sed verbum Dei. Hæc nisi fiant, nunquam purgatam videbimus Ecclesiam.

Isa. 48.
Phil. 4.

Fac nobis deos, qui nos præcedant.

Vide insaniam populi: Fac, inquit, deos, quasi Deus humanis manibus formari possit, cum ipse potius fecerit omnia, à nullo factus ipse, Deinde multis verbis prohibuerat Deus, imò magnis comminationibus, ne aliquam imaginem facerent, quam adorarent, sed omnia hæc contemnunt. Præterea in plurali dicunt, Fac nobis deos, quasi vnus Deus non sufficeret, cum hætenus experti essent vnum Deum ipsis in omnibus succurrisse. Insuper addunt, Qui nos præcedant, cum adhuc antè oculos viderent columnam nubis & ignis, quæ ipsis hætenus viam ostenderat.

Postremò etiam contumeliosè loquuntur de Moyse: Nescimus, inquit, quid huic contigerit, quoniam

ANNOTATIONES

dicant; non possumus eum expectare, quid nobis de Moysse? Quid igitur aliud per hæc fecerunt, nisi quod & Deum & Moysen reiecerunt? Quamvis aliqui velint; quod non Deum sibi fieri petierint; sed cultum Dei, quo Deum verum demerentur, quasi dicant, Moyses tardat, forsitan mortuus est, & D E V S ipse tacet, forsitan iratus est contra nos. Agè igitur institue nobis cultum, quo eum reconciliemus, ut pergat nos precedere, quemadmodum cœperat. Nihilominus tamen gravissimè peccarunt, volentes ex seipsis cultum Deo instituerè contra apertam ipsius prohibitionem. Nam sæpè suprâ dixerat, Si audieris vocem meam, & feceris, quæ ego præcipio, &c. Unde & alibi in scriptura peccatum idololatriæ esse dicitur, non obedire. Hoc autem permisit Deus, ut hypocrisis cordis eorum, deinde ut & Zelus ducis manifestaretur, maximè autem ut patesceret primùm irâ Dei, deinde misericordia.

1. Reg. 15.

Cæterùm, hæc Israelitarum apostasia à Deo præfigurabat futuram Iudæorum defectionem à Christo: Vide igitur gravitatem peccati eorum: Primò enim manifestè peccant contra primum præceptum. Secundò, peccant in publicam ipsorum fidem & efficiuntur fidefragi. Nam suprâ scœdus inierant cù Deo, & promiserant se omnia facturos, quæ Dominus præciperet. Adhæc peccant non solum externo opere, verùm impijssima opinione, quod putant se consequi posse remissionem peccatorum per sacra, quæ ipsi institueret. Postremò, nedum in Deum, sed & contemptu peccant in Moysen servatorem ipsorum, sicq; totam Dei legem violant.

*Tollite in aures aureas de vxorum & filiorum auribus,
& afferite ad me.*

2. Reg. 24. Propter malitiam populi permittitur nonnunquam peccare prælatus, ut patet in Dauide, cùm numeraret populum, &c. Contendunt tamen quidam excusare ipsum Aaron, & dicunt quod ideo difficilia ipsi imperarit, utpote ut darèt preciosissima localia, sperans

ſperans ipſos potius ab infania deſiſtere, quàm res tam charas amittere. Reuerà tamen grauiſſimè peccauit, quia enim in Moyſi loco reſidebat, non debebat diſſimulare, ſed omnibus viribus reſiſtere impietati, etiam uſque ad mortem; Quòd autem Aaron peccauerit, ex eo patet, quòd Moyſes ipſum acriter arguit, imò quòd Deus ipſum perdere uoluit, niſi Moyſes pro ipſo exoraſſet. Deut. 9.

Non igitur opus eſt ipſum excuſare, maximè in toto, quando quidem ſcriptura ipſum aperte arguit. Aaron in hoc eos figurat, qui peccatum populi diſſimulant, qui blandiuntur, ſunt canes mutilare non valentes. Conſuunt puluillos ſub omni cubito manuum, non ſe opponunt murum pro domo Dei, magis timent homines, quàm Deum, amant applauſum hominum, & cætera. In Aarone autem diſcamus Deum timere, & in uocatione Dei ſolicite ambulare. Aaron non furatur, non latrocinatur, &c. & tamen conſenſu & adminiſtratione alieni cultus diuini tantum peccatum committit, ut extremum mereatur ſupplicium. Spiritualia igitur peccata grauiora ſunt coram iudicio Dei, quàm crassa illa externa. Item nõ ſolum peccat faciens malum, ſed etiam conſentiens & non prohibens, cum poteſt. Ezech. 13.

Deinde Aaron erat uir ſanctiſſimus, nec ſolum ſpiritu ſancto præditus, ſed etiam cum Deo familiariter conuerſatus, cum quo ſæpè collocutus erat, & cuius uirtute multa miracula fecerat, tamen tam grauius cadere permittitur. Unde autem tam grauis caſus tanto uiro accidit, niſi quia oculos auertit à uerbo Dei? Timeamus igitur Deum, Qui ſtat, uideat nec cadat. Rom. 1.
1. Cor. 10.
Rom. 11.
 Non altum ſapere, ſed time. Cæterum, ideo Deus hunc uirum tam grauius cadere permisit, Primò, ut humiliaretur. Quia ad tantum officium aſſumendus erat, poterat inde ſuperbire, ac putare ſe ſuis meritis id conſecutum, ideo prius cadere permittitur, ut ſciat eſſe gratiam, & ut cautiôr fiat. Matt. 23.
 Ob eandem cauſam & Petrus cadere permiſſus eſt. Matt. 26.
 Secundò, ideo cadere per-

ANNOTATIONES

missus est, ut videamus omnes homines quantum eſſe, que sanctos, peccatores fuisse, & gratia Christi eguisse. Tertio, ut videamus cur prius illud sacerdotium homines DEO ad plenum reconciliare non potuit, nimirum quia & ipsi sacerdotes fuerunt peccatores & infirmitate circumdati, quomodo igitur vnus captiuus alium captiuum liberare, aut maledictus maledictionem tollere, aut exosus alios reconciliare? Necessarium igitur fuit sacerdotium Christi. Is enim est pontifex sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus, &cæt. Postremo, ideo Aaron cadere permisus est, ne quis de suo statu, officio, aut gratia, quam habet, præsumat. Sic igitur etiam peccatum Aaronis multa bona nobis confert: Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Et nullum malum Deus permetteret, nisi inde aliquod bonum fidelibus proueniret.

Fecit populus quod iusserat Aaron.

Spontè & promptissimè offerunt ad idola, qui aliàs sæpè in scriptura repræhenduntur, quòd admodum difficulter darèt, quæ ad templum & cultum ministrorumque templi sustentationem pertinebant. Sic quod ad luxum, pompam, peccata pertinet, facilimè damus: vbi autem ad Dei cultum, ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem, pauperibus, vel pro re publica modicum quid dandum est, mirum in modum grauamur, ac onus importabile iudicamus. hinc est, quòd quidam mendicos expellunt, proprium autem luxum non restringunt, &cæt. Audi impie, non te pauperem facit, quod in pios vsus erogas, sed quod luxuriosè consumis, &c. Vide autem ex eo auro, quod Deus ipsis dederat, idolum contra Deum faciunt. Et quid nos aliud facimus, quàm quòd donis Dei abutimur contra Deum? Cæterùm, si hi propter idolum abijciunt preciosissima quæque, quid nobis faciendum erit pro Deo nostro?

Fecit ex eo vitulum constatilem.

Non aliam ipsis imaginem facit, quàm vituli, quia
& Apis

Hebr. 7.

Rom. 8.

Agg. 1.
Mal. 3.

& Apis Aegyptiorum summum numen in specie tauri colebatur. Dicunt tamen aliqui, quòd per fabricationem vituli voluerit ipsis illudere, quemadmodum & Helias prophetis Baal. Alij dicunt, quòd nec idolum, nec vitulum facere intendebat, sed quòd tantum projecit aurum in ignem, sperans quòd consumeretur, sicque illi & auro & idolo priuarentur, verum operante diabolo factus est vitulus. Is enim (diabolus) vt supra dictum est, potissimum fuit author & instigator huius idololatriæ. 1. Reg. 12.

Et quanuis hic vitulus non diu stetit, nihilominus tamen diabolus hoc consecutus est, quòd populus offendit Deum, & quòd multa millia propter hoc occisa fuerunt cum hoc quod parum abfuit quin omnes perderetur. Cæterum, quòd hic intermissum fuit, postea tempore Heroboam eodem diabolo instigante iterum inchoatum est, imò pro vno vitulo duo erecti sunt, quod & causa fuit captiuitatis decem tribuum. Nec sic tamen diabolus propositum Dei de mittendo Christo impedire potuit. Superat enim adhuc tribus Iuda, quæ Christum nobis dedit.

Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.

Vel hic videmus, quòd vitulum hunc in honorem Dei extruxerunt: est enim sensus: Iste est verè diuinus cultus, per quem merebimur gratiam Dei. si enim ei placuit vitulus carneus, quanto magis illi placebit vitulus aureus? Non enim tam insanierant, vt putarent hunc vitulum ipsos eduxisse, cum esset res inanimata.

Simile quiddam legimus de Micha, qui cum ad idolum suum consecutus fuisset sacerdotem de genere Leui, exultans dixit: Nunc benefaciet mihi Deus habenti sacerdotem de tribu Leui. Putabat se gratissimam rem Deo facere, cum maximè peccaret, quia contra verbum Domini. Eodem modo & hic. Putabant Israélite Deum a modo propitium se habituros, cui tantum donum obtulissent. Sed falluntur. Non vult Deus colligari iuxta verbum suum. Et Deo non obedire ipsi. Jud. 17.
1. Reg. 13.

ANNOTATIONES

ma idololatria, quantumcunque videatur bona intentione factum.

*Videns Aaron edificauit altare coram eo, dicens:
Cras solennitas est.*

Hoc est secundum peccatum Aaronis: sicut enim vitulum fecerat, sic eidem cultum vel modum colendi instituit. Cur autem eum sic cadere permisit Deus, supra dictum est. Volunt tamen nonnulli etiam hic excusare Aaronem, quasi ideo per seipsum edificauerit altare, ut tempus tereret, donec Moyses veniret. Ad idem referunt quod subditur, Cras solennitas Domini est. Ideo, inquiunt, distulit in sequentem diem, sperans Moysen interim venturum, & conatum populi prohibiturum. Verum quicquid sit de hoc, patet quod Aaron etsi possit, excusari à tanto, non tamè à toto peccato. Nec necesse est sanctos per omnia excusare, alioqui que spes nobis relicta est, si illi omninò non peccauerunt?

Surgentesque manè obtulerunt holocausta, & hostias pacificas.

Hic videmus, quomodo vitulum conflatilem coluerunt. Misera planè res, hominum ratione præditum eò dementiæ & cæcitatì prolabi posse, ut opus manuum suarum dicat esse Deum suum. Verissimum enim est, quod Psal. dicit: Similes illis fiant, qui faciunt ea, &c. Sicut enim simulacra gentium os habent & non loquuntur, &c. sed planè insensibilia sunt: sic qui idola colunt, verè trunci & stipes redduntur, nihil videtes aut intelligentes. Hanc cæcitatem idololatrantiùm pulchrè depingit Ieremias in epistola Babylonem missa, Et Paulus: Quia, inquit, cum cognouissent Deum, &c. non tamen eum glorificauerunt, propterea tradidit eos in reprobum sensum, &c.

Ab hac cæcitate Christus mundum liberauit, quam etiam nunc non desint apud nos reliquiæ quædam veteris idolatriæ. Manè autem surrexisse dicuntur Israelitæ, ut videamus promptitudinem animi ad idololatriam, cum ad fidem & verum Dei cultum semper

Psal. 113.

Baruch 6.

Rom. 1.

per

per fuerint iardi. Sic ad peccata semper currimus, ad bonum vix trahi & compelli nos patimur. Sic Isaias: *Isa. 5.* Vae qui surgunt mane ad ebrietatem, &c. Deinde libenter offerunt ad idololatriam. Sic enim & nos facimus. Ad luxum & ad peccata copiose contribuimus, pauperibus autem non item. Vide, quam statim se omnia verterint in populo illo. Paulo ante Deus ipsos ornauerat in auribus, imò arra desponsationis, eam ipsi nunc sponte abijciunt. Et quibus pedibus prius per mare transierant, eisdem nunc coram idolo saltant. Et eo ore, quo prius gloriam Dei prædicauerant, dicentes: Cantemus Domino, &c. eodem nunc idolo cantant. Quanquam, vt dixi, non putabant se idololatriam committere, propterea, quod bona intentione hoc facerent. Vnde & Aaron dixit: Cras solennitas Domini est. Eodem modo & post ædificatum templum cum passim in excelsis contra prohibitionem Domini immolarent, non putabant se malè facere, quantumcunq; prophete ipsos arguebant. Putabant enim ipsis sufficere bonam intentionem, cum Deus expressè ipsis dixisset: Non facies, quod tibi bonum videtur, sed quod ego tibi præcipio.

Sedit populus manducare & bibere. & surrexerunt ludere.

Hic fuit ipsorum cultus verè paganicus, qui tamen nunc à Christianis fermè solus obseruatur in festis. Nihil enim aliud agimus in festis nostris, &c. Vide autem, quomodo ex vno peccato semper pullulant alia. Ex idololatria ad conuiuia & gulam prorumpunt, ex gula in lasciuiam, vt verum appareat illud Sapientis: *Eccl. 14.* Initium peccati apostatare à Deo, &c.

Vade, descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Aegyptii.

Dum populus inferius in campo peccat & ludit, interim iudicium Domini in eos profertur in monte. Sic nobiscum fit. Deinde tacet quidè Deus dum peccant, sed post perpetratum peccatum adest puniturus. Sic in Isaias dicit: Tacui. Nunquid semper tacebo? Magna autem vehementia loquitur hic Deus, vt videat-

ANNOTATIONES

Joan. 5.

mus, quàm odiat peccatum. Primò, Vade, inquit, quasi abiciens Moysen, quem hastenus tã benignè tractarat. Deinde, Descende, inquit, Q. D. gloria tua, quam de populo tuo sperabas, iam perijt: non enim gloriam de eis, sed ignominiam habebis. Sic enim gloria prælati cõsistit in bonitate subditorum, secundum quod dicit Ioannes: Maiorem gratiam non habeo, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulantes, ita deicitio honoris est in populi peruersitate. Potest aut̃ etiã sic intelligi, quòd iubeat eum descendere tanquã prælatum ad puniendum peccatum populi. Hoc enim incumbit prælatis.

1. Reg. 15.

Subdit: Peccauit populus tuus. Singula verba emphasim habent: Primò, dum ipsi putant se omnia benè egisse, ac propitium Deum habere, Deus dicit ipsos peccasse. Et cùm ipsi magna sibi promitterent, Deus cogitat eos delere. Idem hoc etiam aliàs impijs contigit, dum contra verbum Dei suas bonas intentiones sequentes Deum magis offenderunt, quàm placarunt. Sic contigit Saul, dum reseruasset meliora peccora contra præceptum Domini. Et ipsi Achab reser-

2. Reg. 20.

uanti regem Benadab, qui dignus morte erat. Secundò, Populus tuus, inquit, cùm suprã sæpè dixerit: Dimitte populum meum, &c. Item primogenitus meus Israel, &c. Nunc autem eum non amplius agnoscit populum suum. Quàm diu sanctè viuimus, populus Dei sumus. Peccatum autem nos separat à Deo. Nemo igitur gloriatur se Dei filium esse, si interim impiè viuat. Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Tertiò subdit: Quem eduxisti, dissimulat se populum eduxisse, quasi pœnitens de bono collato. Verè magna & horrenda seueritas, vbi Deus sic abicit hominem, & quasi non amplius cognoscit.

Joan. 13.

Citò recesserunt de via, quam ostendi.

Singula verba peccatum ipsorum aggrauant. Primò, quòd tam citò peccarunt: Secundò, quòd nedum peccarunt, sed recesserunt à Deo: Tertiò, aggrauat peccatum

peccatum ipsorum, quòd Deus ipse viam ostenderat: Quartò, quòd contra primum præceptum fecerunt: Quintò, quòd nec dum vitulum fecerunt, sed adorauerunt: Sextò, quòd obtulerunt vitulo ea, quæ ipse eis dederat: Septimò, quòd vitulo tribuebant, quæ solius Dei erant. Sic igitur peccatum Israelis quasi filo ferreo describitur in lapide, vt nunquam aboleri possit. Videmus hîc, quomodo peccata in iudicio Dei aggrauabuntur, nisi hîc per pœnitentiam ea diluerimus. Hoc enim est, quòd in psalmo dicitur: Arguam te, & statuam contra faciẽ Psal. 42. tuam. Videmus secundò, quòd Deus omnia tanquam vbique præsens videt, &c.

Cerno, quòd populus iste duræ cervicis sit.

Post cõmemorationem peccati procedit ad pœnã: hæc enim statim sequitur, nisi sit, qui Deum teneat. Cerno, quòd duræ cervicis sit, loquitur more humano: prius enim sciuit, quales essent. Sensus autem est: Nunc hoc factò sese toti mundo prodidit, quòd verè populus duræ cervicis sit. Fructus enim declarãt arborem bonam & malam.

Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.

Mira Dei clementia. In ipsa ira misericordiæ recorAbac. 3. datur, dum subindicat, se posse teneri, imò hoc verbo Moyfi dat orandi occasionem, quis enim non oraret, cum audit Deum posse teneri? Hanc autem clementiam Deus populo illi ostendit propter Christum ab ipsis oriundam. Videmus hîc, quid fecerit Moyfes, cum audiret Deum iratum, nempe, quòd statim se ad orationem conuertit. Hinc psalmus: Dixit, vt disperPsal. 105. deret eos, nisi Moyfes electus eius stetit in contradictione, &c. id est, in corde humiliato coram Deo. Videmus hîc, quibus rebus Deus teneatur, vt non puniat, nempe fide, humilitate, oratione, promissionibus. Exempla habes Genesios 18. & 19. & Ezechielis vigesimo secundo. Quæsiui virum, qui se opponeret sepem, & cæt. His exemplis reuelatur clementia Dei ingens, quòd se quasi captiuum pijs tradat. Voluntatẽ timenPsal. 146. tium se faciet, &c. Deinde admonent hæc exempla, vt sine

ANNOTATIONES

ut sine intermissione oremus pro iniicem, & tum maxime, cum ira Dei præ oculis est.

Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, &c.

Quantumvis Deus magna Moyfi promitteret: Faciam te, inquit, in gentem magnam, plus tamen quaerit pacem populo, quam suam gloriam. Exemplum boni principis. Verè tamen Deus Moysen fecit in gentem magnam. Nunc enim omnis Christianorum populus, qui maior est Israelitis, Moyfi obtemperat, & tum agnoscit. Vide autè piam orationem Moyfi: Primo, non excusat peccatum, non abscondit, sed fatetur. Deinde, pie corrigit, quod Dominus dixerat: Populus tuus, quem eduxisti. Hoc Moyses non admittit, sed: Cur, inquit, irasceris super populum tuum, què eduxisti, quasi dicat, absit, vt sic abijcias populū tuū, &c. Tertio prætendit gloriam Dei. Ne quaso dicant Aegyptij, &c. quasi dicat, Omne tuum nomen, quod per liberationem inter gentes cognitum est, obfuscabitur: Dicent enim te non potuisse populum introducere ad locum promissum, &c. Cæterum, si peccatū dimiseris populi, omnes videbunt te non solum potentem, sed etiam misericordem. Non igitur peccata nostra aspice, sed gloriam nominis tui. Pius hominibus nihil grauius, quam blasphemia in Deum: & contemptus. Hinc Christus orare iussit, Sanctificetur nomen tuum, &c. Quarto, admonet Deum promissionū suarum: Memento, inquit, Abraham, &c. Duo promiserat Deus: Primo, se in populo Israel illustraturum nomen suum: secundo, se multiplicaturum & conseruaturum semen ipsorum. Vtriusque promissionis admonet Deum, Q. D. Si hæc mutaueris, nemo amplius tibi credet. Vincat igitur veritas tua peccata populi tui.

Et placatus est Dominus, ne faceret malum.

Hic videmus, quàm efficax sit oratio pij hominis. Moyses vnus homo toti populo veniam impetrauit. Idem postea fecit Helias. Multum igitur valet oratio iusti assidua. Discamus igitur in omnibus afflictionibus tam publicis, quam priuatis tales orationes componere,

pōnere, quibus & iram Dei mitigemus, & salutē consequamur. Ante omnia autem opus est, vt habeamus promissionem, qua Deus recepit nos exauditurum. Deinde hæc promissio fide accipienda. Postremò in oratione versanda & proponenda. Sic Christus: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16.

Descendit Moyses de monte ferens tabulas.

Hactenus in Moysè habuimus exemplum pij hominis in eo, quòd pro alienis peccatis tam sollicitè orauit etiam non rogatus. Pius enim homo non expectat donec rogetur, sed vbi cunq; videt iram Dei, precibus suis occurrit. Sic fecit Abrahā, cū audiret futurā Sodomorū destructionē: & Ezechiel, cū audiret futuram populi Israel captiuitatem. Nunc consequenter in Moysè videbimus exemplum boni principis, ad cuius officium non satis est pro populo orare, sed oportet etiam peccantes pro officio punire, ideo enim gladium portat ad vindictam malorum, &c. Gen. 18.
Ezech. 9.
Rom. 14.

Insigniter autem scriptura hunc Moysi descēsum describit: Verè enim non solum ipsi, sed toti etiam populo gloriosus fuisse ille descensus, si populus nō peccasset. Longè enim alius descendit, quàm ascenderat. In monte viderat Deum, cognouerat Dei voluntatem de futuro tempore, verbum Dei gerebat in corde, præcepta Dei in tabulis, omnia hæc ad consolationem & gloriam populi fecissent. Ipsi autem peccatis suis effecerant, vt Moysi aduentus nedum non fuerit ipsis consolatorius, sed insuper admodum tristis & terribilis. Sic nostra impietas ex miti & benigno Deo facit iracundum & terribilē iudicem: quàm pauci enim sunt, quibus secundus Christi descensus non erit terribilis. Videbunt, inquit, filium hominis, sed plangent se su. Matt. 24.
per eum omnes tribus terræ.

Ferens duas tabulas testimonij in manu sua.

Non solum verbo, sed & scripto Deus præcepta sua dare voluit, ne quis se excusare possit de ignorantia, dum & internè legē haberet scriptam in corde, & externè eam audit, & legit in libris. Duas tabulas Moysi

dedit,

ANNOTATIONES

Matt. 22.

Ezech. 30.

Matt. 5.

dedit, cum suffecisset vna, sed ostendere voluit, totam legem in duobus præceptis de dilectione Dei & proximi consistere. Vnde & in prima tabula descripta sunt tria illa, quæ in Deum nos dirigunt: in secunda autem septem, quæ ad proximum nos dirigunt. Dicuntur autem tabulæ testimonij, tum quia testantur de diuina voluntate, tum quia in testimonium cõtra impios datæ, tum quia in testimonium fœderis cum Deo initi datæ fuerunt. Quod autem lapideæ fuerunt, significauit duritiam Iudæorum. Christo euangelium suum non lapidibus inculpfit, quia per spiritum suum auferre a nobis cor lapideum, & dat carneum. Quod intus & foris scriptæ sunt tabulæ, significat, quod lex nõ tantum manum, sed animum quoq; exigit, vt Christus abundè probat. Quod digito Dei scriptæ dicuntur, idè fit, vt sciamus non hominis esse commentum, sed Dei institutum. Possumus autem & aliud quiddam ex hoc loco colligere, nempe, quod Deus primus fuit author literarum & scripturæ. Nã Cadmus, qui Græcis literas dedit, longè post illud tempus fuit, nempe, cum Othniel iudicabat Israel. Nicostrata aut vel Carmētis, quæ Latinas literas adinuenit, fuit tẽpore Lar iudicis. Hic autem dicitur Deus scripsisse, ergo ipse author fuit literarum. Decebat aut, vt nullus alius esset inuentor & author tam utilissimæ rei, nisi Deus: in toto enim vniuerso nihil est, quod proprius nos ad cognitionẽ Dei ducit, quàm literæ, quantumuis omnes creaturæ gloriam Dei prædicent. Literæ enim & de præterito nunciant, & de præsentis demonstrant, & de futuro seculo prædicunt. Literæ non solum Deum ostendunt, sed etiam ipsius cor & voluntatem. Et quod maius est, per ipsas nobis loquitur Deus, quoties volumus. Hoc igitur iam tertium Dei munus est, quo homo perducetur ad cognitionẽ Dei, & verbi sui. Primum enim donum Dei est, qd homo potest verbum Dei meditari, vt. pote creatura rationalis. Secundum, quod solus ex omnibus animantibus linguam habet eruditam, quæ ipsam suam meditationem potest eloqui. Tertiũ, quod

etiã

Etiam verbum Dei scribere, & ab alijs scriptum legere potest. Vide igitur quàm paruulo auxilio, quantum Deus & verbum eius subuenerit generi humano: Paucissimæ enim sunt literæ tam apud Hebræos, quàm apud Latinos & Græcos. Ex his tamen positum est fundamentum totius scripturæ.

Ululatus pugne auditur in castris.

Ex hoc patet, quod Iosue non fuit in vertice montis cum Deo, sed solus Moyfes, aliàs etiã Iosue audisset de peccato populi. Deinde patet, quod Moyfes nihil ipsi dixerat de eodem peccato. Sancti enim non delectantur de aliorum peccatis loqui. Patet tertio innocentia ipsius Iosue, qui quiduis potius suspicatur, quàm peccatum idololatriæ. Caritas enim non est suspiciosa. Moyfes aut: Vocem, inquit, cantatium ego audio, quasi dicat: Utinã clamor tantum bellicus esset, tunc enim haberent occasionem ad Deum clamandi. Nunc autem nedum non clamant ad Deum, sed insuper putant se benè egisse. Obserua, quod peccata multo plus nocent, quàm externa mala.

Videns vitulum, iratus est valdè.

Duplex est ira. irascuntur mali, sed inconsultè, & ex ea ira cõtra Deum agunt. Vnde ira viri iustitiã Dei nõ operatur. Irascuntur & pii, sed ex zelo Dei. Sic Phinees occidit peccantes, Helias prophetas Baal, Marthias ministrum Antiochi compellentem Iudæos ad idololatriam. Sic è zelo Christus vendentes expulit è tẽplo. Ioan. 2. Ex eodẽ zelo & Moyfes hic irascitur: Pius enim homo nõ potest æquo animo videre contemptum Dei. Qui aut hoc videre potest, pius non est.

Proiecit tabulas, & confregit eas ad radicem montis.

Et hic videtur Moyfes incõsultè egisse. Quid enim commeruerant tabulæ innociæ? imò, quid commeruerat Deus, qui tabulas dederat? Verum nihil aliud fuit hoc factum, nisi ardens zelus, Imò verè ex diuino instinctu tabulæ fractæ sunt: Primò enim hoc fecit Moyfes ad maiorem terrorem populi, qui magis signis, quàm verbis mouetur, vt videret, quid commeruissent,

nope

ANNOTATIONES

nempè omnimodam destructionem. Ob eandem causam Samuel non solis verbis arguit peccatum populi, sed cum hoc oravit, vt Deus tonitrua & fulgura daret è cælo, nimirum, vt populus magis terreretur, quod & factum est. Ob eandem causam Hieremias non solùm verbis comminabatur Iudæis, sed etiam coram impijs confringebat lagenam testaceam. Sic & Angelus nedom verbis deiectionem Babylonis, id est, mundi predixit, sed etiam lapidem molarem in mare misit, &c. Secundo Moyses fregit tabulas, vt scirent fœdus cum Deo ietum, quantum ad ipsos attinebat, iã esse ruptum. Tertio, vt ostenderet eos indignos esse specialibus donis Dei, quem tantoperè offendissent. Peccatum enim omnibus donis Dei indignos nos facit. Postremò per fractionem tabularum significatum fuit, legem Moysi olim per Christum euacuandam, itemq; regnum Dei à Iudæis ad gentes transiturum.

Arripiens vitulum, combussit & contriuit vsque ad puluerem.

Haëtenus in genere zelum Moysi vidimus, nunc in speciali, & primò omnium zelum ostēdit contra idolatriam, quam statim de medio tollit, & ita tollit, vt nihil inde relinquatur. In hoc se præbuit exemplum principibus, quorum officium est è medio tollere, quæ contra Deum fiunt. Sic fecit Ezechias, sic Iosias, ideo commendantur à scriptura. Alij reges Iuda populo conuiuebant, ideo reprehenduntur, quantumuis alias pij essent, vt Iosaphat, & alij quidam. Nō satis est magistratui, vt per se malè non faciat, nisi etiam mala aliorum tollat. Utinam & nobis contingeret Moyses quispiam, qui mala Ecclesiæ tolleret: Non enim vnum tantum vitulum habemus, sed multos. Multas scilicet superstitiones, multos abusus, multa Christianismum dedecentia. Verùm omnes cessant: Sunt quidem, qui videntur zelare gloriam Dei, sed id faciunt aut propter priuatum commodum, aut ordine præpostero. Aliqui in aliorum vitia faueri censors sunt, sed sua dissimulant: hic præposterus est ordo. Alij cæremonias tollunt

1. Reg. 12.

Ier. 19.
Apo. 18.

Matt. 21.

4. Reg. 18.
& 23.

tollunt propter quorundam in ipsas cæremonias confidentiam, sed interim manifesta illa peccata non tollunt, de quibus Paulus. Alij magno strepitu imagines Ecclesiæ tulerunt & combusserunt propter quorundam simplicium abusum, verùm hunc Zelum tantum ostenderūt contra ligneas & lapideas imagines, aureas autem & argenteas mitius tractant. hic proprium cominodum est. Alij indignè ferunt bona Ecclesiastica à malis sacerdotibus & monachis absumi, sed interim eisdem bonis nihilo melius ipsi vtuntur. Alijs auferunt aureum vitulum vt ipsis videtur, sed eundem seruant. Non sic fecit Moyfes, sed vitulū cominuit. Si malum est bonis Ecclesiasticis abuti, cur tu ea auferens ipsis abuteris? Cæterùm potuisset Moyfes aurum vituli in vsus pauperum expendisse, sed ostendendū erat, quòd Deo non tantum displiceat idololatria, sed & bona, quæ ad idololatriã conferuntur. Vnde & Sauli præcipitur, vt Amalechitas omninò perdat, nihilque ex eorum bonis concupiscat. 1. Cor. 7.

Puluerem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.

Hoc est, quod aliàs dicitur: Comeditis fructum adinventionum vestrarum, vel quod nostro prouerbio dicitur: Si bene coxisti, bene comedes: Sic hi coguntur idolum suum deuorare. hoc autem fecit primò, ad iniuriam facti & ad æternam memoriam. Secundò, per hoc testari voluit idoli impotentiam, vt contemnere discant, quod in secessum proijci videbant. Tertiò, ostendere voluit, quòd sicut cibum illum non facillè digerere possent, sic peccatum ipsorum non facillè deletur, quemadmodum & sanguinè Christi, quem super se & filios suos susceperant in hunc vsque diem digerere nō potuerunt. Vtrunq; enim peccatum eorū semper manet & durat omnibuz populis in doctrinã. Vel ad literam ideo dedit eis vituli puluerem bibere, vt hinc discerent, qui rei essent in hoc peccato: hi enim secundum Hebræos prominentibus labris aureis proditi sunt. Vide igitur quid Israelitæ ex idololatria sua consecuti sint. Primum perdiderunt aurum,

ANNOTATIONES

Secundò, Deum offenderunt. Insuper etiam restat ad huc corporalis eorum pœna, imò & æterna. Hæc sunt stipendia peccati, quòd temporalia nobis sine fructu absumūt, Dei gratia priuant, & ad æternas pœnas nos mittunt.

Quid tibi fecit populus iste, vt induceres super eum peccatum maximum?

Hactenus Moyses Zelum suum ostendit in generali, nunc eundem ostendit erga aliquos in speciali. Nec enim cessat verus iustitię Zelator, donec puniti essent, qui peccauerant præ alijs. Impunitas enim peccatorum interdum toti populo iram Dei superinducit. Sic propter furtum Achan Deus noluit Israelitas amplius iuuare: Sic tempore Dauidis famem misit Deus, propterea quòd Gabaonitis satisfactum non fuerat. Ob eam causam omnes tribus Israel tam acriter vindicarunt peccatum commissum in vxorem Leuitæ, ne scilicet ira Dei omnem populum puniret. Hinc est quòd etiam Moyses hic arguere incipit, sed dissimiliter: Aaronē enim verbis arguit, populum gladio cecidit. Alio enim corripiedi sunt q̄ ex timore, aliter qui ex malitia peccant. Ceterū, quanuis Aarō frater Moyfi erat, non tamen ei parcit: Iudex enim nec amore, nec odio, nec timore, nec munerib. à rectitudine iustitię declinare debet, sed nec personas attēdere. Primò autē arguit Aaronem, tum quia ipsi commiserat curā populi, peccatum autem populi imputatur principi. Attendant hoc qui peccata prohibere possunt, nec tamen faciūt. Quod autem Moyses Aaronem arguit summū sacerdotem, exemplum est etiam summos illos arguendos esse. Sic Samuel arguit Saulem, Nathan ipsum Dauidem, 2. Regum 12. sic Helias regem Achab, Ioannes Herodem, Christus pontifices iudæorum, Paulus Petrum. Gal. 2. Obseruandum autem quòd Moyses mansuetè corripit Aaronē: ita enim arguendi sunt prælati, vt tamen debita reuerentia eis nō subtrahatur. Vnde Paulus: Seniore[m] ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Et iterum: Oportet seruum Dei esse mansuetū, cum

1. Ios. 7.

2. Reg. 21.

Judic. 5.

1. Reg. 15.

2. Reg. 12.

1. Tim. 5.

2. Tim. 2.

tum mansuetudine arguentem, &c. Deinde nō arguit eum coram populo, iuxta illud: Corripe eum inter te & ipsum solū. Quōd autem dicit, Quid tibi fecit populus ille, significat nullum maius damnum eum potuisse populo inferre, quā peccatum eorum adiuuando. Quōd autem ei impingit, quōd peccatum magnum induxerit super populum, iterum ostendit nedum eos reos esse coram Deo, qui peccatū faciunt, sed etiam eos, qui adiuuant, consentiunt, aut non prohibent. Væ mundo à scandalis, &c. Matt. 23.

Ne indignetur Dominus meus, &c.

Deprehensus in peccato terretur, maximè propter Zelū Moysi: nunc enim videt grauitatē peccati sui, videt se nedum meruisse mortē, sed etiam infernū. Ideo trepi dat, anxiatur, nescit quo se vertat, quomodo peccatum excuset. Sic contingit homini, quem iudicium Dei apprehendit, vt patet in Adam, Cain, & Iuda traditore. Hæc erit angustia conscientiarum in iudicio Dei, quando impij se excusare cupient, & non valebunt. Tūc dicent montibus: operire nos, &c. Matt. 25.
Apoc. 6.

Tu nosti, quōd populus ille pronus sit ad malum.

More hominum facit, quōd peccatum & culpam in alios traicere studet. Sic enim olim & Adam fecit. Prætendit populi malitiam, quasi hoc ipsum excuset: prætendit vi se coactum, quasi timor semper excuset, cū fidelis potius mortem sustineat, quā impiè agat, vt patet de 7. fratribus Machabæis. Denique sic loquitur, quasi præter intentionē eius vitulus erit, cū ipse vitulum data opera formauerit. Nihil igitur valebat excusatio eius, imò mortem cōmeruerat, nisi Moyses pro ipso rogasset. Et quia Dominus peccatum eius dimiserat, etiam Moyses nō occidit eū. Sed tamen eum arguit. Discamus hic, coram Deo nullam prodesse excusationem, multum autem prodesse humilem confessionem. Excusatio enim nō tollit, sed auget peccatum, &c. Gen. 3.
2. Mach. 7.
Deut. 9.

Videns Moyses populum, quōd nudatus esset.

Tripliciter hoc exponitur, Primò sic: cū videret Moy-

ANNOTATIONES

ses, quòd populus nedum peccasset, sed etiã spoliatus
 esset auro & argento: Aaron enim eis hæc detraxerat
 in fabricatione vituli. Deinde, quòd nudatus erat gra-
 tia Dei & protectione. Postremo, quòd ignominiosus
 effectus esset coram gentibus. hæc, inquã, Moyses pro-
 fundè cogitabat. Cæterùm, cū videret populū nec sic
 pœnitere commissi, vertit se ad austeritatem, vt vela-
 liquorū occasione alij discerent Deum timere & pœni-
 tere, hoc enim Moyses quærebat. Ab alijs sic exponi-
 tur: videns quòd populus nudatus esset, id est, depræ-
 hensus & cōuictus de peccato. Aaron enim ipsum spo-
 liauerat, id est, omnem culpam in populum reiecerat,
 hoc igitur videns Moyses, Aarone relicto in populum
 vindictã exercere cœpit. Alij sic exponunt: Vidēs quòd
 populus nudatus esset, &c. id est, videns quòd deposi-
 to omni pudore peccatū suum defendere conarentur,
 & contra Moysen, qui vitulum cōfregerat, & Aaronē
 vituli factorem increpauerat seditionem velle moue-
 re, hanc, inquã, pertinaciam videns Moyses, ad gla-
 dium se conuertit. hic igitur videmus, cur in populum
 vindictã exercuit, nō autem in Aaronem: illi enim no-
 lebant fateri se malè fecisse, Aaron autem ad increpa-
 tionem Moyse humiliatus fuit, ideo ipse veniã meruit,
 illi non. Videmus igitur in Moyse duo cōtraria, mise-
 ricordiam scilicet & iudicium, vel seueritatem. Miseri-
 cordiam in eo, quòd pro populo orauit: iustitiã in eo,
 quòd tam acriter in ipsos vindicauit. Qui attēdit, quã
 piè pro ipsis orat, putare posset nihil in ipso sæueri-
 tatis esse. Contrà, qui hæc sæueritatē eius videt, puta-
 re posset nihil misericordiæ in ipso esse. Vtrunque
 autem Moyses ostendit, qui ita compassus est populo,
 vt tamen impunitum non sineret peccatum. Ita pu-
 niuit, vt tamen misericordiæ non obliuisceretur. V-
 trunque necessarium est prælatis. Misericordia enim
 sine iustitia, pusillanimitas: iustitia autem sine mise-
 ricordia, crudelitas est. Videmus item hoc loco Moy-
 sen nihil tam sæuerè vindicare, quàm contemptum
 Dei & iniuriam, hoc non potest pati, cū in alijs fue-
 rit

rit mitissimus. Nos contrarium facimus, &cæt.

Si quis est Domini, iungatur mihi.

Magistratus criminosos punire non potest, nisi adiutus à subditis, quare si admoncantur, tenentur obedire. Atque hic vnus casus est, quo licet priuato vti gladio, cùm scilicet à magistratu ipsi traditur. Aliàs nunquã tibi licet vti gladio. Omnes enim qui acceperint Matt. 26 gladiũ, gladio peribũt. Est aut̃ sensus verbi: Qui in sedere icto cum Domino manere vult, accedat.

Ponat vir gladium suum super femur suum.

Leuitis gladium permittit Moyses, Christus Apostolis gladium interdicit, quia vetus lex erat lex timoris, Euangelium autem est lex amoris: Christus nullũ vult cogere ad suum Euangelium. Non vult, vt occidantur corpora, sed vt eradicentur vitia. Spiritualib, igitur Leuitis spiritualiter præcipit, vt habeant gladiũ verbi, & ipso vtantur contra vitia. Ministerio enim Ecclesiæ addicti, debent Moyfi adhærere, quemadmodum hic Læuitæ.

Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.

Non quòd quilibet carnaliter sibi propinquos occidere deberet, siue boni essent, siue mali; sed quòd eos occidere debebant, qui in pertinacia persistebant, quicunque tandem essent, etiamsi fratres vterini aut filij essent, &c. In causa enim Dei nõ attendendus est amor priuatus, consanguinitas, &c. sed semper præceptum Dei agendum. Volunt alij, quòd tantũ iussi sint eos occidere, qui ex tribu Leui idololatriam pertinaciter defendebant, hi enim speciali quodam modo fratres & cognati erant. Melius est tamen, vt generaliter intelligatur. Nam omnes in illo populo fratres erãt & cognati, quia de vna stirpe prodierant.

Fecerunt filij Leui iuxta sermonem Moyfi.

Soli Leuitę ex tanto populo Moyfi & Deo adhærẽt, vt videamus etiã tunc veritatem habuisse verbũ hoc: Multi vocati, pauci electi. Cæterũ, quòd Leuitę hic faciunt, si externè tantũ attendatur, magna videtur crudelitas: Si autem attendamus verbum Dei & præ-

ANNOTATIONES

ceptū, videmus quòd ingens fuit zelus pro gloria Dei, ingens amor Dei & magna fides, vt quòd tam pauci non verentur multos aggredi & propter Deum, nec filijs suis parcunt, imò propter mandatum Dei implendum se & sua periculo obijciunt.

Ceciderunt illa die quasi tria millia hominum.

Ex hoc videmus, quantum damnū diabolus populo fideli intulit hoc capite vitulino. Etsi enim vitulus non tam crudelis appareat, vt leo; imò vitulus non videatur timendus, tamen diabolus per hunc vitulum propè plus damni intulit, quā per leonem, regē scilicet Aegypti, fecerat. Ille enim tantū corpora infestabat, hic vitulus Dei gratiā ipsis abstulerat, & multos in necem induxit, & demum decē trib. in perpetuā captiuitatē induxit. Hoc querebat diabolus. Sic mulierē illam Christo grauidā ferè deuorauerat caput hoc. Hinc igitur discamus agnoscere, quid diabolus quærat, & cōtra nos cogitet, &c. In Hebræo habetur, Ceciderunt illa die tria millia, quod vel de impijs ex tribu Leui intelligitur, vel de principalib. tantū, qui in populo causa fuerant idololatriæ. Cæterum, cū in fine capitis dicatur, quòd Dominus percussit populum pro reatu vituli, apparet quòd etiam alij plures, quàm illa tria millia occisi sunt, vnde potest & nostra translatio saluari de viginti tribus millibus, &c.

Consecratis manus vestras Domino.

Concludit Moyses zelum & obedientiā Leuitarū, ne vel ipsi in posterum conscientiam propter hoc sibi facerent, vel aliæ tribus contumeliæ causa ipsis hoc factum improperearent, aut ipsos odirent quasi homicidas & sanguinarios. Quem enim Deus vt iubet gladio, is nedum non peccat dum occidit, sed insuper metetur. Nō igitur peccat magistratus noxios occidēdo, quia Dei præceptum habet. Imò peccaret, si parceret, vbi Deus iubet punire. Vnde in Hieremia dicitur: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, & qui prohibet gladium suum à sanguine. Vnde & ei, qui iussus percutere prophetam noluit, dictū est: *Quia nō obe-*

obedisti voci Domini, ecce cū à me abieris, percutiet te leo. Et ibidem regi Achab dicitur: Quia dimisisti virū dignum morte, erit anima tua pro anima eius. Et in Numeris arguuntur Israelitæ, qui iussi omnes Madianitas delere, mulieres reseruauerant. Cōsecrastis manus vestras Domino, id est, quia soli Domino astitistis, soli ob hoc præ omnib. alijs tribubus habebitis sacerdotium. Docemur hic, quòd soli illi digni sunt sacerdotio, qui Zelum Dei habent, qui Deum omnibus charis præferunt, &c. Videmus autē hic, quanta bona afferat fidelis obedientia. Tribus Leui, dum aliæ trib. à sancto Iacob benedicerentur, maledictionem reportauerat. Maledictus, inquit, furor eorum, &c. In concilium illorum nō veniat anima mea, &c. Diuidā eos in Iacob, &c. hic autem eidem tribui propter fidem obedientiam maledictio vertitur in benedictionem. Hoc idem & nobis contingit. Mors maledictionis primæ sequela est, quamuis autē eam maledictionē mortis effugere non possimus, tamen si fideliter Deo obediimus, conuertitur hæc maledictio in benedictionem, vt fiat mors sanctorum preciosa in conspectu Domini: hoc idem sentiendum de cruce & alijs, quæ videntur esse maledictiones. 3. Reg. 20.
Num. 31.
Gen. 49.
Psal. 115.

Peccastis peccatum maximum.

Post punitionē impiorum Moyses populum reliquū ad pœnitentiā vocare studet, quæ se a recōciliat Deo. Sciebat enim nihil prosperè homini posse contingere, nisi Deum habeat placatum: quod vtinam omnibus nobis persuasum esset. Obserua, quòd quamuis Moyses peccatores occidisset, adhuc tamē etiam residuos dicit peccasse, ne scilicet sibi blandirentur quasi illi soli mortem cōmeriti essent. quemadmodum & Christus, cū quidam ipsi nunciassent de Galilæis, quos Pilatus occiderat, dixit: Putatis, quòd hi soli peccauerūt? dico vobis, Nisi pœnitentiā egeritis, omnes simul peribitis. Nec solū dicit eos peccasse Moyses, sed peccatū maximum peccasse, aggrauando scilicet peccatum, tum vt eò citius ad pœnitentiā eos duceret, Lucæ 13.

tum vt falsam opinionem illis auferret, qua putabant non malum esse, quod bona intentione fecerant. Cæterum, quod Moyses hic facit, hoc lex in hunc vsque diem facit. Vbique clamat, Peccastis. Ostendit enim peccatum. Cæterum, sicut lex omnibus clamat, Peccastis: sic Christus dicit, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Matt. 9.

Ascendam ad Dominum, si quo modo quiuero propitiationem obtinere pro populo.

Et hîc videmus exemplum boni pastoris, cuius est nedum docere & arguere, sed etiam orare pro populo. Quòd autem Moyses denuò ascendit, partim ostendit infirmitatem humanã, partim insignẽ ipsius prudentiam. Infirmitatis est, quòd etiam si prius audisset Dominum placatum, iterum tamen quasi nihiltale audierit, sollicitus est ac orat. Sic enim conscientia, quæ semel territa est, non faciliè conquiescit, etiam si multis promissionibus fulciatur. Quanquam etiam ex hac iterata oratione Moyse discere debeamus, quòd non satis est semel pro peccatis orasse, Lauabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, &c. Prudentiæ autem est, quòd Moyses populo non dicit se iam dudum eis veniam impetrasse, ne scilicet in vanam confidentiam & præsumptionem eos duceret. Volebat eos esse in timore. Si enim sciuisent peccata tam faciliè remitti, facilius ad alia peccata declinassent. Sic enim carnales audita facilitate veniæ assequendæ nihil aliud hinc discunt, quàm quòd securius peccant. Eiusdem prudentiæ est, quòd dubitatiuè loquitur: Si fortè, inquit, quiuero eum deprecari, quasi dicat, difficilè erit. Non quòd ipse desperaret, aut crederet Deum difficulter remittere peccata, sed vt eos interim, dum ipse orat, ad poenitentiam prouocaret.

Psal. 6.

Obsecro Domine. Peccauit populus iste peccatum maximũ, &c.

Secunda oratio Moyse pro eadem re, breuior quidem, quàm prima, sed sensu fœcundissima. In priori nihil aliud, quàm Dei gloriam & veritatem pretendebat, hîc cõfessionem peccatorum addit. Illic fidem, hîc sum-

summam charitatem ostendit. Primò autem confite-
tur Dei veritatem: Peccauit (inquit) Q. d. Ita est ò Do-
mine, vt dixisti, ita inueni, veritas verborum tuorum
certissimè apparuit. Deinde humiliter confitetur pec-
catum populi, vt eò citius veniam impetraret. Oratio
enim humiliantis se nubes penetrat.

*Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem
scripsisti.*

Circa verbum hoc multi multa adducunt subtilia
& curiosa. An scilicet quis licitè possit petere, vt de-
leatur, &c. Item, an deleri possit, qui semel inscriptus
est libro vitæ. Itè, quis sit ille liber vitæ, &c. Hęc quia
pro maiori parte ad prædestinationem pertinent, rem
nobis imperscrutabilem, ideo non hïc diutius mora-
bor, sed rem simplicissimè exponam. Primò, liber Dei
est ipsius prædestinatio æterna. Secundò, prædestinati
à Deo certò saluantur. Nemo, inquit, rapiet oues meas Ioan. 10.
de manu mea, & non peribunt in æternum. Vnde &
pro ipsis orauit, & exauditus est. Verbum igitur hoc
Moyssi primò magnum ipsius desiderium indicat pro
celeri exauditione, licet simpliciter nullo modo vellet
deleri. Est enim modus loquendi, sicut cùm quis ma-
gno desiderio aliquid petens dicit: Aut facias hoc, aut
occide me. Non tamen est intentio eius, vt ille ipsum
occidat, sed vult ostendere magnum desiderium. Sic
etiam hïc, &c. Secundò, ostèdit verbum hoc magnam
fiduciam Moyssi ad Deum, sciebat se ad eò Deo cha-
rum esse, vt potius Deus toti illi populo peccatum di-
mitteret, quàm Moysen deleret. Apud Deum enim v-
nus iustus plus valet, quàm decē millia peccatorum.
Huiusmodi fiduciales preces vel locutiones etiam ali-
bi frequenter legimus in scripturis: id, quod magnam
consolationem præstat pijs. Verè enim Deus volunta. Psal. 146.
tem timentium se facit, &c. Tertiò, verbum hoc indi-
cat omnem spem salutis nostræ in eo consistere, quòd
Deus misericors est, quod nisi esset, nullus saluari pos-
set, quantumcunque iustus, iuxta illud: Si iniquitates Psal. 139.
obseruaueris Domine, quis sustinebit? Dicit igitur

ANNOTATIONES

Moyſes, Aut dimitte, &c. q. d. ſi apud te non eſt propitiatio, ſi tantum apud te eſt iudicium ſine miſericordia, conſequitur, vt & me de libro tuo deleas. Nam & ego peccator. Magnificetur igitur miſericordia tua, vt & ego certus ſim me in libro tuo permāſurum. Quartò, verbum hoc ſummā Moyſi charitatē indicat, qua ſe totum paratus eſt impendere pro ſalute populi, nec ſolum mori pro eis cupit, ſed etiam à Deo abijci. Verè magna dilectio, maximè ſi attendas ingritudinem populi erga Moyſen, qui nullo non contumeliæ genere ab eis affectus fuit, vt ſuprà dictum eſt. Nihilominus tamen tanta charitate eos amplectitur, vt malit à Deo abijci, quàm vt Iſrael abijciatur & condēnetur. Hic igitur videmus, q̄ non ex odio aut vindicta tantum Zelum contra vitulum aureum oſtēdit, ſed ex mera charitate, ſæueritatē prætendebat exterius, ſed intus cor plenum erat charitate. Videmus ſecundò, quanta à Chriſtianiſ dilectio exigitur, nimirum non verbalis tantum, non parua, ſed ſumma, quæ totum ſe expēdat proximi vſibus. hinc dicitur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Iam in afflictionibus quiſque ſe ita diligit, vt optaret ſe alterius calamitate, à ſua redimi. Quod aut tibi vis fieri, alteri facias, ſecundum dictamē legis naturalis. Ad idē facit, quod Chriſtus dicit: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Quis aut nescit, q̄ Chriſtus ſeipſum totum nobis dedit? &c. Ad idē nos obligamur. Vide igitur, quales ſimus Chriſtiani. In nobis enim nihil minus conſpicitur, quàm charitas, & tantum abeſt, vt noſipſos proximo impendamus, vt ne tantillum quidē ei cōmunicemus. Verè charitatis exemplum videmus in Dauide, &c. Ego ſum, qui peccaui, Verte in me gladium, & non in populū, &c. In Paulo quoq; ſimile quid legimus, qui petebat anathema à Chriſto fieri pro fratribus ſuis. Perfectiſſimam autem charitatem in Chriſto videmus. Signāter hoc loco exemplum datur paſtoribus, quo ſcilicet affectu debeant complecti oues ſuas: Bonus, inquit, paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.

Matt. 22.

Matt. 7.

2. Reg. 24

Rom. 9.

Ioan. 10.

Qui peccauerit mihi, ipsum delebo de libro meo.

Non dicit, quòd nolit remittere, ne iustum Moysen in tristitiam conijciat. Nec dicit, se velle dimittere, quia eius iustitia aliud suadebat. Est autem sensus verbi, q. d. Delector quidem tanto charitatis tuæ ardore, sed iustitia conseruanda est, quæ non damnat innocētes, nec pro impijs iustos punit, sed peccatores tantū. Anima enim, quæ peccauerit, ipsa morietur. Nō portabit filius iniquitatem patris, & cæt. Vnde Abraham dicebat Deo: Absit à te, vt occidas iustum cum impio. Non est hoc tuum, qui iudicas iustè. Cæterum, quod hic dicitur de Deo, quòd aliquos scribat, aliquos deleat, &c. non sic intelligendum, quòd Deus in proposito suo mutetur, sed quòd multos, qui scripti esse videbantur, eò, q̄ confitentur se nosse Deum, de memoria tollit iudicio factorum, quia factis negant. Multi enim sunt vocati, &c. multi in præsentī Ecclesia nomina sua dando in libro confessionis conscripti, sed pauci (quod valdè pauendum est) iudicij diluuium euasuri sunt. Hoc igitur verbū potissimū militat contra eos, qui de nuda & otiosa fide gloriantur. Qui peccauerit, inquit, eum delebo, quicumque ille sit: nec solūm puniam, sed delebo de libro meo. Ad idē facit illud Christi, Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit eum. Hinc in Ieremia: Si fuerit lechonias annulus in manu mea, inde detraham eum. Obseruandum tamen, quòd nō simpliciter dicit: Qui peccauerit, eum delebo. alioqui quis non desperaret? Omnes enim peccauimus. Et septies in die cadit etiam iustus. Sed addit: Qui peccauerit mihi, quo innuitur peccatū in spiritum sanctum & finalis impœnitentia. Qui sic peccat in Deum & spiritum sanctum, is delebitur, &c. nō autem, qui ex infirmitate, ignorantia, aut tentationis vehementia peccant.

Tu autem vade, & duc populum istum, quò locutus sum tibi.

Videtur esse tentatio fidei in Moysē, negat auxilium & præsentiam, vt vehemētius rogetur. Quemadmodum

ANNOTATIONES

modum & Christus Chananaeam illam orantem repulit, vt fortius oraret, & fides eius omnibus nota fieret. Vel aliter. hoc dixit, ne Moyses proponeret deserre populum. Est autem sensus: Tu tuę vocationi inferuias, & sine me mea iudicia exercere. Factu, quod tibi mandatum, ego faciam, quę mihi iusta & æqua videbuntur. Interim tamen differam supplicium, & expectabo resipiscētiā eorum. Simile quiddam & Petro dicitur: Quid ad te? tu me sequere.

Ioan. 21.

In die autem ultionis visitabo & hoc peccatum.

Ex hoc patet, quod volebat dimittere sine punitio-
ne, Volebat tamē diminuere & differre. Videmus hic,
quod non semper culpam & pœnam simul dimittit,
imò plura exempla habemus, in quibus etiam dimissa
culpa, tamen pœnam sibi reseruauit. Vt patet de A-
dam & Eua, quibus culpā quidem dimisit, dum Chri-
stum ipsis promisit, sed interim vtrique pœnam suam
imposuit. Idem videmus in Dauide, &c. Similiter & in

Gen. 3.

2. Reg. 12.

Num. 14.

1. Cor. 11.

Numeris: Dimisi, inquit, iuxta verbum tuum, sed ta-
men omnes, qui murmurauerunt, non inducam in
terram, & cæt. Ob hanc causam Ecclesia peccatores
absolutos ad pœnitentię & satisfactionis opera inui-
tat, quibus pœnam, quam Deo debent, possint auerte-
re. Certum est enim, quod ieiunijs, orationibus, ele-
mosynis, &c. auertere possumus pœnam, quam Deus
infligere vult. Vnde Paulus: Si nos ipsos iudicemus,
non vti que iudicemur. Exempla habes Danielis 4.
Ionæ 3. & 3. Regum 21. de Achab. Quod autem addi-
tur, In die ultionis, Iudæi referunt ad nouissimam lu-
dæorum deuastrationem per Romanos, dicunt enim
hoc factum esse propter peccatum vituli, ne scilicet co-
gantur fateri se hoc perpeffos propter necem Chri-
sti. Falsum autem est, quod dicunt. Nam causa huius
deuastrationis vltimæ fuit, quod non cognouerunt
tempus visitationis suę. Alij diem vltionis intelli-
gunt mortalitatem vel pestem, qua Dominus percuf-
sit populum, pro reatu vituli, vt statim sequitur. Alij
per diē vltionis intelligunt diem extremi iudicij. Nō

Lucæ 19.

cniia

enim omnia punit Deus in præfenti, sed multa referuat æternæ ultioni.

Percussit itaque Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

Volunt aliqui, quòd hoc sit epilogus, Q. D. sic puniti sunt pro peccato vituli, vt suprà dictum est. Alij volunt, quòd noua quadam plaga ipsos percussit, ita, quòd præter illa tria millia, quos Leuitæ occiderant, etiam multi alij perirent forè peste. Vt summa omnium, qui propter vitulum interierunt, fuerit viginti tria millia hominum.

CAPVT XXXIII.

HAtenus Moyses nihil non egerat, quòd grauitatē peccati populo ostenderet, simulque iram Dei, nulla tamē ratione illis persuadere potuit, vt pœniterent, ad eò difficulter filij Adā ad pœnitentiam perducuntur, maximè ybi sibi persuaferint se non peccasse, aut non tam grauiter. Hinc est, quòd etiam Christus publicanos & meretrices facilè ad pœnitentiam conuertit, Pharissæos autem simulata iustitia tumentes, nulla ratione persuadere potuit, vt sese peccatores agnoscerent, imò e contrario obijciebant: Nunquid & nos cæci sumus, &c. Simile quid etiam Moyfi hîc contigit. Verùm quia ad Moyfi correptionem non conuertuntur, incipit Deus grauissimè ipsis comminari, donec tandem euincat, vt lugere incipiant. Caput igitur hoc publicam continet pœnitentiã populi Israel. Vnde & præmittuntur comminationes Dei grauissimæ.

Ioan. 9.

Vade, ascende de loco isto tu & populus tuus.

Indignationis plena sunt verba hæc, q. d. quia non vult agnoscere peccatum populus, sed pertinaciter in ipso perseuerat me contempto, non est, quòd diutius hîc expectetis: non est, quòd auxilium meum amplius queratis. Non enim agnosco eos, vt populum meum,

uno

ANNOTATIONES

imò nolo, vt populus meus dicatur. Eos enim reputo & agnosco pro populo, qui obediunt, mihi soli adhærent, &c. Pergite igitur qualibet, imò pergite ad terram, quã promisi, si tamen potestis sine meo auxilio. Fateor me dixisse: Semini tuo dabo terrã hanc, Fateor itẽ me dixisse: Ecce mittam angelum meum ante te, qui eiciat Chananæũ, &c. Fateor in super me voluisse vobis dare terram optimam lacte & melle manantẽ, id est, omnibus rebus fertilissimam, siue quæ ad necessitatẽ, siue quæ ad voluntatem faciunt: verũ omnia hæc promisi sub conditione, si scilicet audieritis verba mea, & seruaueritis pactum meum. quod quia non facitis, imò pactum meum rupistis, nec ego amplius teneor promissis meis. Pergite quòd vultis, ego omnẽ vestri curam eiciam. Videmini vobis vestropte ingenio satis prudẽtes esse, nihil igitur opus habetis mea directione. In his verbis eos admonet insigniũ illarũ promissionum, quas ipsis patribusq; eorum fecerat: vt viderent, q̃ benè illis sit, qui Deo adhærent, & quàm malè ijs, qui Deum contemnunt. Deinde magnificè collaudat terram, quam illis daturus erat. Primũ, inquit, lacte & melle manat: deinde, Latissima est, vt quæ multas gentes includat, &c. Ideo autem collaudat terram illam, vt ipsos pœnitere incipiat, quòd seipos tãto bono priuarunt. Nihil ad eò ad pœnitentiam prouocat, quàm si cogitemus, quàm felices sint, qui Deũ propitium habent: & quàm infelices, quibus Deo iratus est. Per hæc enim etiam filius prodigus ad pœnitentiam perductus fuit. In se, inquit, reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c. Et statim surgens venit ad patrem.

Non ascendam tecum, quia duræ ceruicis es, ne fortè disperdam te in via.

Non sic intelligendum, quòd Deus non futurus esset cum eis: ipse enim vbiq; est per essentiam, potentiam, præsentiam, imò ipse cælum & terrã implet. Sed sic intelligendum est: non ascendam tecum, id est, non sic ero tecum, vt hætenus, non tanta signa faciã, non habebis

Lucæ 15.

et. 23.

habebis me propitium, quia enim contempto verbo meo vestra ipsorum prudentia vos dirigere incepistis. Agite, abite, fruamini vestra sapientia, ego dei nceps de rebus vestris ne tantillū curabo. Non præscribā deinceps verbo meo, quid vobis in religione & ciuili Re. pub. agendum sit, sed sinā vos pro more gentium omnia iuxta vestrum arbitriū administrare. Et addit causam: populus enim durę ceruicis es, & c. q. d. cum his libenter sum, qui humiles sunt & obedientes, tremētes ad sermonē meum, his mea præsentia utilis & iucunda est: vobis plus obesset, quā prodesset, non enim ferre possem vestra peccata, omni die mihi irascēdum esset, & c. Itē, Non ascendā vobiscum, id est, nō expedit tibi, vt Deum tuum me nomines, & de lege mea glorieris, cū tā facilis & pronus sis ad malum. Leuius enim multō est Deum nescire, quā cognitum irritare: & tolerabilius est viam Dei ignorare, quā post agnitam retrorsum ire. Sic igitur Deus omne eis auxilium denegat. Verē grauiſſima comminatio. Ideō autem hæc comminatur, non quōd omninō sic futura essent, sed vt ipsos terreret, & ad pœnitentiā adduceret. Sicut enim Deus supplicia immittit nō vt perdat, sed vt admoneat de peccatis & ad pœnitentiam inuitat. Vnde Ieremias: Non humiliavit (inquit) ex corde, nec abiicit filios hominum, sic & minę nō sunt perpetua maledictio (nisi quis prorsus eas contēnat, & perduret in impœnitentia) sed sunt vocatio ad pœnitentiam & agnitio peccatorum. Sic in libro Iudicū dicitur: Non addā vltra vt liberem vos, ite ad Deos vestros, & c. & tamen cū relipſerēt, doluit Dominus super miserijs eorum. Sic Ionas minatur Niniuitis, & tamen cū pœnitentiam agerent, seruati sunt. Non enim vult Deus mortem peccatorum, sed vt magis conuertantur & viuant. Hinc in Ieremia: Si pœnitentiam egerint, agam & ego pœnitentiam, & c.

Audiens populus sermonem hunc pessimum, luxit.

Pessimus hic dicitur sermo Dei, qui optimus est sua pte natura, sed malè cedit cōtemptoribus Dei. Grauis

bonorum

ANNOTATIONES

siquidem Dei iræ est, & importabilis indignatio, si absentiam minetur auxiliij sui, si destituat sua gratia, & nos nobis ipsis relinquat. Hoc igitur verbo scinduntur dura corda ipsorum, & quò verbum Moysi non penetrabat, verbū Dei penetrat. Cæterum, corde ipsorum per verbum Dei territo omne gaudiū exit, omnis præsumptio cadit, nesciunt aliquod auxilium & cōsiliū, nihil aliud possunt, nisi lugere: Hoc enim Deus quaesierat, hoc etiam nunc quaerit, cū irascitur. Nec mirum, quòd populus luxit audito hoc verbo: qui enim per tantas minas non permouetur ad pœnitentiam, certè nunquam pœnitebit. Achab quantumuis superbus, tamen audiens minas Dei humilis efficitur. Idem videmus in Niniuitis, &c. Omnia hæc arguunt duritiam cordis nostri, qui cū nedum has, sed etiam in Euangelio multas alias comminationes habeamus, nihil tamen mouemur, &c.

Populus duræ cervicis es.

Quamuis videret lugentes, tamen pergit eos terrere, tum quia ipsis vtile erat, vt saltem timore seruili cohiberentur à malo, tum quia verisimile est, q̄ plus luxerunt propter detrimentū tēporale, quàm propter peccatum. Cæterum, hoc iā secundo vocat ipsos duricervicos: ipse enim sciebat corda ipsorum, hoc aut nomen ipsis perpetuò inhæsit, sæpiusq; ipsis à prophetis obiectum legimus. Vt cū dicitur: Neru⁹ ferreus cervix tua. Item: A seculo confregisti iugum, rupisti vincula. Itē: Transgressorem ex vtero vocavi te. Item: Indurauerunt cervicem suam, &c. Quin & diuus Stephanus hoc ipsis obiecit. Nec aliud voluit Christus, cū diceret: Quoties volui congregare filios tuos & nolisti? Vtinam nihil huiusmodi in nos Christianos competeret. Videte, inquit Paulus, ne in aliquo vestrum sit radix amaritudinis descendendi à Deo. Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c.

Semel ascendam in medio tui, & delebo te.

Dupliciter exponitur: Primò, comminatoriè, q. d. hucusque sæpius tibi peperi, verum non ideo præsumas:

Isai. 48.

Ibidem.

Ier. 7.

Acto. 7.

Matt. 23.

Hebr. 3.

mas: non enim semper parcam, &c. Aliquando sic me ostendes, quòd omninò delebo te. Verè grauissimà comminatio, & maximè timenda his potissimùm, qui perseueranter peccant hoc solo freti, quòd Deus hætenus dissimulauit peccata. Vide autè ne teipsum decipias. Exemplo tibi sint Pharaò, Sodomitæ, decem tribus, Manasses rex, & alij, quos Deus diù tolerauit, postea tamen horrendè puniuit. Secundo exponitur verbum hoc propheticè, quòd scilicet gens Israelitica finaliter delenda esset non è vita hæc, sed è terra Chanaan; imò è terra & libro viuèntium, id quòd post passionem Christi contigit, &c.

Nunc ergo depone ornamentum tuum, vt scia, quid faciam tibi.

Mira Dei bonitas, in ipsa comminatione ostendit, remedium quo euadere possint. Hoc remedium est pœnitentia, quæ hoc verbo suadetur: quòd enim hic dicitur, Depone ornatum tuum, nihil aliud est, quàm ac si diceret, Humiliare, age pœnitentiam, & quia lugere cœpisti, ostende re ipsa quòd ex animo lugeas, vt sciam quid faciam tibi, id est, an debeam ignoscere, vel non. Quãuis enim Deo cognita essent corda ipsorum, imò quamuis vera pœnitentia in corde cõsistat, tamè Deus etiam externam pœnitentiã exigit: Primò, vt videamus q̄ fructus habere vult cum arbore. Pœnitentia in corde est arbor, fructus sunt confiteri, humiliari, tundere pectus, ieiunare, orare. Vtrunque exigit Deus, quia neutrũ sine altero sufficit. Secundo ideo etiam externa pœnitentię signa exigit, quia peccatum nõ solum Deum offendit, sed etiam homines scãdalizat. Non igitur satis est Deo reconciliari, sed oportet etiã hominibus satisfacere quos offendit, & maximè propter simplices quosque & iuuenes, vt vel hinc absterreantur à peccato.

Deposuerunt filij Israel ornatum suum à monte Horeb.

Hic tandè obediunt, & in pœnitentiam cõsentiunt: terror enim Domini obediètes facit. Emphasim autè habet, quòd dicit, Circa montem Oreb, id est, eo loco, quo maximè exaltati fuerant, nũc maximè humiliantur.

ANNOTATIONES

tur. Itaque ne gloriantur de his, quæ in hoc monte acceperunt, scriptura exprimit quòd ibidem maximè inuenti fuerint peccatores. Ibi, inquit, perdiderunt omnem ornatum suum, quicquid vnquam boni nominis habuerūt, illic periit.

Moyfes quoque tetendit tabernaculum, &c.

Quia populus in pœnitentiam se dederat, etiam Moyfes eã promouere studet, vt scilicet eo citius gratiã cõsequantur. Tabernaculũ enim, quod diuinę presentię signum erat, extra castra procũ tetendit, vt vel sic agnoscerent & confiterentur indignos omni gratia & bono, maximè autem cohabitatione Dei, agnoscerētq; se longè à Deo separatos. hoc modo & publicanus in Euangelio à longè stabat. Sic olim peccatores in publica pœnitentia à longè stabant extra Ecclesiam, non audentes intrare, &c. Nominatum est autẽ tabernaculum fœderis, tum Deus ibi cum Moyse colloquebatur, tum quia ad confirmationem fœderis datum & institutum.

Lucæ 18.

Cumque egrederetur Moyfes ad tabernaculum, &c.

Hic videmus fructus pœnitentię in Israelitis, horum primus est, quòd transeunte Moyse omnes surgunt, honorant eum, quem prius contempserant: iam enim videbant verbum eius verum esse, &c. Secundus fructus, quòd non audēt eum sequi, sed stant in porta, indignos se iudicant ad Dominum accedere. Tertius fructus, quòd Moyfi post tergum respiciunt quamdiu eum videre possunt, quo ostenditur desiderium ipsorum ad recuperãdam gratiam. Quartus fructus, quòd loquente Domino cum Moyse, ipsi adorabant in portis tabernaculorum suorum.

Descendebatque columna nubis, & stabat ad ostium.

Hoc miraculo Deus confirmare voluit authoritatem Moyfi, vt scirent ipsum non ex seipso, sed ex Deo loqui. Deinde per hoc significauit se adhuc Israelitas fauore complecti, & prestò inter ipsos adesse, sicque in pœnitentia sua consolationem reciperent, pœnitentes enim consolatione opus habent. Caterum,

cũ

Acto. 1.

cum etiam Christus noster in nube ascenderit, eoque facto Deus auctoritatem eius declararit, debemus & nos in ostio tabernaculi nostri post eum aspicere & adorare. In ostio, inquit, i. parati statim exire ubi ipse vocauerit, ut cum hoc tabernaculum nostrum destructum ^{2. Cor. 5.} fuerit, ædificationem habeamus à Deo domum non manu factam, &c.

Præcipis, ut educam populum de loco, &c.

Dixerat Dominus, Mittam angelum meum tecum, & tamen Moyses hic dicit, Non indicas quem missurus sis mecum: hoc enim eum adhuc angustiabat, quod Dominus dixerat, Non ascendam tecum, &c. hoc reuocatum cupiebat. Fiduciam autem cum Deo loquendi conceperat ex eo, quod Deus cum ipso loquebatur sicut homo adamicum suum, id est, tantum consolatoria, vel ipsi reuelauit secretum cordis sui, & futura de Christo. Vel aliter: Moyses hoc verbo caufatur differri aduentum Christi. q. d. præcipis ut inducam populum in terram Chanaan, & non mittis eum qui nos inducat in terram uiuentium. Quid prodest temporalia recipere, si de sint spiritualia? Ingenue igitur fateretur Moyses hic se non sufficientem esse ad saluandum populum, sed alij hanc gloriam reseruatum, nempe Christo. Vel aliter: Moyses hic more humano conqueritur sibi imponi magnum officium, nec tamen ostendi modum quo id exequatur. Non indicas mihi, &c. id est, non ostendis media & auxilia, quibus hostes populi vincam. Quis enim ego sum, qui possim populum à tot hostibus seruare? Eodem modo & supra noluit accipere ducatum populi, donec Deus nomen suum illi indicaret, & socium vel collegam adderet Aaronem scilicet.

Si inueni gratiam, ostende mihi faciem tuam.

Id est, ostende te mihi adeo familiarem, ut prius deducendo me & populum istum per te ipsum. Vnde secundum aliquos in Hebreo habetur, ostende mihi manum tuam. Vel facies Domini Christus est. sicut enim homo ex nulla re certius cognoscitur, quam ex facie: sic & Deus ex nulla re propius cognoscitur, quam ex verbo ^{Ioan. 1.}

ANNOTATIONES

Joan. 1. & filio suo. Deum nemo vidit unquam. Unigenitus ipse enarrauit nobis. Petit igitur aduentum Christi, quo Deus manifestè & omnibus ostensus erat suam bonitatem. In Hebræo secundum aliquos habetur, Ostende mihi viam tuam, id est, consilia tua, modum & ordinem, quo populum illum introducere vis: ego enim non video quomodo hoc fieri possit, &c. quamuis enim audisset, Ego ero tecum, item, angelus præcedet, tamen non contentus est, sed vult scire modum, sic nos homines non contenti sumus promissionibus diuinis, nisi sciamus & modum, quo implendæ sunt. Unde huiusmodi curiositas arguitur in verbo, quod subditur, Facies mea præcedet te, &c. q. d. Nonne satis habes, quòd ego tecum futurus sum? Quid amplius quæris? Non satis habes, si me habes? Peige tu in vocatione tua, reliqua cõmitte mihi. sic retunditur curiositas nostra. Ita respondebat & Christus discipulis, cum curiosa quærent: Non est vestrũm nosse tempora vel momenta, &c. Sciamus itaque Deum nosse modum, quo suas promissiones impleat, & insuper quod nouit etiam in effectum posse deducere.

Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.

Ier. 18. Promittit semet deducturũ populum, vt antea fecit, sicque quodammodo reuocat, quod supra dixerat: Nõ ascendam tecum. Pœnitentia enim mutat cõminationes Dei in promissiones. Hoc igitur extorserat Moyses suis precib. ad exemplum nostrum: Non enim cessandum ab oratione, donec Deum vincamus, quẽ admodum olim Iacob eum vicit luctando. Huc pertinet parabola de malo iudice, & vidua clamante. Item alia, de eo, q. nocte panes ab amico efflagitat, &c. Vel hoc verbo promittitur Christus, qui facies Dei est. Is autẽ præcessit Moysen, & duxit eum gratia sua, deniq; & requiem ei dedit. Felix homo quem facies, verbum, & filius Dei præcedit. Is enim nunquam errabit, nec ab aliquo timere habet, vt in Psalm. dicitur.

Si non tu ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto.

Benè vtitur Moyses Domini clementia, quãdiu Deus beni-

Gen 32.
Lucæ 18.
Lucæ 11.

Psalm. 22.

benignum se ostēdit. Qui enim in messe colligit, filius Prou. 10, sapiens est. Cæterum, Moyses hoc verbo iterum urget, vt Dominus non cesset signa facere coram gentib. per quæ discant Deum esse cū Israel, sicq; timeant ipsos aggredi. Si hoc non facere vis, non educas nos. Si enim viderint quòd nos reliqueris, omnes contra nos congregabuntur. Meliusque esset nos hic perire, quā ab hostibus tam miserè occidi. Non solùm autem pro se, sed etiā pro populo rogat, imò cū suprā magna ipsi promissa essent, nō tamen contentus est, nisi & populo consolatur. Deinde in hoc verbo videmus, quāto desiderio pij homines Deū querāt & cupiant. Quantū cunque enim ipsis pmittat & det, non tamen satiatur eorū appetitus, nisi ipsum totū habeant. Deus, inquit, Psal. 72 cordis mei, & pars mea Deus in eternū. Sic Moyses hic non contentus est habere angelum, quanuis verè magnum esset, sed Deum ipsum cupit. Non q̄ angelum contemneret, sed quòd natura piorum in nulla creatura hæret, sed in solo creatore. Impij creaturis adherent, omisso creatore: pij aut̄ contrā. Præterea docet verbum hoc quanto desiderio veteres Christū quesierunt. Si non tu ipse veneris, quid nobis viuere, si per totū aduentum non restituas vitam animæ? Nec vllū certius signum diuinæ reconciliationis, quā aduentus filij Dei in carnem. Sic, inquit, Deus dilexit mundum, &c. Et Paulus; Qui filium donauit, quomodo nō omnia donaret? Vnde & per propitiatorium præfiguratus fuit, vt suprā dictum est.

Et verbum istud, quod locutus es, faciam.

Mira vbiq; Dei bonitas, tam prōpta ad largiendū. Verū igitur dicit Psalmus; Voluntatem timentium se faciet, &c. Addit aut̄ causam tam subitæ exauditionis: Inuenisti, inquit, gratiā, id est, gratus es mihi, & te noui ex nomine. Hos igitur tantū exaudit Dominus, q̄ gratiā inueniunt, & quos ex nomine nouit. Cæterum non mirum, q̄ Moyses gratiam inuenit, qui eam tam feruenter quæsiuit; & non mirū quòd Deus eum nouit ex nomine, qui tā fidelis erat in omni domo Dei.

ANNOTATIONES

Ostende mihi gloriam tuam.

Non cessat Moyses orare, quam diu Deus benignū se ostendit, ad exemplum nobis. Gradatim autē ascendit in oratione sua, subinde enim maiora petit. Primò namque petebat remissionē peccati, secundò, vt Deus cōducere vellet populum: tertiò, vt mitteret Christū. Nunc vltimo petit gloriam Dei videre. Eodem ordine & nobis orandum est, &c. Vt plurimum autem Moyses tantū spiritualia petit, quemadmodum & Salomō cū optionem haberet. Laudatur etiam ob id à Domino, & insuper etiam temporalia, quæ non petierat, adipiscitur, cū nos interim temporalia sola quæretes vtrisque priuemur. Quærite primum regnum Dei, &c. Cæterum, quod hic dicit, Ostende mihi gloriam tuam, tripliciter interpretatur. Primò, ostende signa quib. omnes homines te agnoscant, credāt, colant, timeant. Nihil enim magis cupio, quā eam gloriā videre. Idē igitur est cum eo, quod nos dicimus, Sanctificetur nomen tuum, Secundò intelligitur quòd petierit sibi ostendi essentiam diuinā. Hoc tamen non fecit ex præsumptione, sed ex magna fide & confidentia ad Deum. Non sine causa autem maiora post peccatum petit, quàm ante, quia post peccatum conscientia pluribus & maioribus indiget cōsolationibus, vt quietari possit, imò nunquā perfectè quietatur in hac vita: Satiabor, inquit, cū apparuerit gloria tua. Tertiò Moyses hoc verbo ostendit, quæ sit natura nostra, nempe quòd nō contenti audire verbū Dei, semper cupimus videre & sentire Deū, quod quia nō datur, verbum ipsum contemnimus. Similesque sumus diuiti illi, qui dicebat: Si aliquis ex mortuis ierit ad eos, credent, &c. Petiit igitur Moyses, vt quando prædicta transgressio nō aliunde venerit, quàm quòd populus Deum non vidit, ipse Deus se ostendat in aliqua specie visibili, quæ videri, sentiri, & palpari possit, & non in solo verbo, q. d. quantumcūq; dico te cum ipsis esse, te ad futurū, saluatorū, &c. tanta tamē est cæcitas, quòd non credūt, quia nō vident. Optimum igitur erit si te apertè ostē-

1. Reg. 3.

Matt. 6.

Matt. 6.

Psal. 16.

Lucæ 16.

das vt te videant, sicut subditi regem, aut filij patrem, &c. tunc te reuerentur. Simile quiddam & supra dixit, Non credent mihi, &c. extorsitque vt Deus nomen suum ipsi manifestaret. Hæc igitur est natura nostra, imò curiositas, qua non contenti verbo, semper clariora quærimus, sed frustra, vnde sequitur:

Et ostendam tibi omne bonum in conspectu tuo.

Reprimit curiositatem videndi Deum in sua essentia, ac alios modos ostendit, quibus se hominibus videndum præbet in hac vita. Primò, vult, vt eum videamus, & contemplemur in suis operibus & beneficijs, quæ nobis ostendit. Ego, inquit, ostendam tibi omne bonum, quasi dicat, non est, quòd sursum suspicias, ac veram essentiam meam videre cupias, inspice opera mea, attende bona, quæ tibi feci & faciã, ex his videbis quis ego sim, quamque propè sim his, qui me **Rom. 1.** amant. Sic enim & Paulus, quòd inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur. Et Paulus: Deus non **Acto. 14.** expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret, dans de cælo pluias ac tempora frugifera, &c. Et iterum: Non longè est ab vno quoque **Acto. 17.** nostum, in ipso viuimus, mouemur & sumus.

Vocabo in nomine Domini coram te, &c.

Aliqui hic legunt, Vocabor in nomine Domini coram te, & est sensus: Tanta signa faciam tecum & cum populo tuo, vt non solùm tu, sed etiam gentiles agnoscant me esse verum Deum, vocabunt me nomine Domini coram te, id est, te audiente & vidente. Melius tamen legitur, Vocabo in nomine Domini, qua forma loquendi promittit Moyse se audiente ipso commemoraturum & recitaturum epitheta & cognomina sua, è quibus satis intelligere possit, quæ ad salutem bona, vtilia ac necessaria sunt. Est igitur sensus: non solùm beneficia tibi præstabo, ex quibus me cognoscere poteris, sed etiam nominatim tibi declarabo per verbum meum, quis, & qualis sim, quare si me videre vis, non opus est vt huc illucque circumspicias, sed tantum attende verbum meum, & videbis me. Quod autè Deus

ANNOTATIONES

hic promittit, in initio sequentis capituli impleri videndum. Ex operibus igitur suis & verbo Deus se hic nobis ostendere vult, & non in essentia sua.

Non poteris videre faciem meam.

Tum quia oculi carnis nimium fragiles, ut qui nec claritatem solis ferre possunt, quanto minus possent sustinere claritatem diuinæ essentia? tum quia visio essentia Dei in aliam vitam reservata est. Videre enim Deum sicuti est, ipsissima beatitudo & vita æterna est, quæ huic temporis non competit. In futuro videbimus Deum sicuti est, & facie ad faciem, in hoc autem corporali seculo hoc ex parte tantum cognoscitur. In futuro cognoscemus essentiam, in hoc seculo sufficiat nobis cognoscere ipsius voluntatem. Dilcamus igitur reprimere curiositatem nostram de palpando Deo, ne scilicet inuestigemus incomprehensibilem essentiam diuinæ maiestatis, sed potius ut cognoscamus voluntatem eius. Hinc est quod Deus semper occultata maiestatis suæ facie reuelavit verbum suum primò prophetis. Nouissimè autè hisce temporibus & nobis per filium, qui etsi verus & naturalis est filius Dei & Deus, genuinam tamen & propriam faciem Dei assumpto homine obtexit. Hinc etiam est, quod Deus duas publicas conciones instituit, vnam per Moysen, alteram per Christum. In priori ostendit, quid nobis faciendum sit in posteriori, quid credendum. Vnde & supra cum decalogum daret, ac nomen suum præponeret. Ego, inquit, sum Dominus Deus, ne quis expectaret ab ipso prædicationem incomprehensibilis maiestatis suæ, statim reuocauit auditores ad manifesta opera sua, & dixit, Qui eduxite de terra Aegypti, &c. Sic & cum Philippus diceret, Domine, ostende nobis patrem, mox reuocatur ab inuestigatione incomprehensibilis maiestatis Dei ad cognoscendam voluntatem eius comprehensibilem & in Christo manifestatam. Qui me videt, inquit, videt & patrem meum.

Miserebor cui voluero, &c.

Hic Deus summam se Moyse videndum & cognoscendum

scendum præbet, quasi dicat, si cupis videre gloriam meam, en hæc est gloria mea, quòd misericors sum; imò ipsa misericordia sum, qua etiam cõplector quæcunque visum mihi fuerit. Salus enim hominis non pendet ex meritis operum suorum, sed pēdet tantum ex misericordia mea. Nam homines natura omnes damnati sunt. Quicumque igitur saluantur, mei solius misericordia saluantur, Eos autem saluo, quos volo: nullius enim sum debitor.

Hoc verbum allegat Paulus, & probat ex eo electionem ad salutem constare sola misericordia Dei: Non, Rom. 9. inquit, est volentis neque currentis, sed miserētis Dei. Et quatuorvis impij ex hoc putent se excusari in peccatis, Quid inquit, quæritur? voluntati eius quis resistit? quoniam reuerentiam Paulus seuerè arguit ibidem. Quanquam dico, impij verbo hoc abutantur in prætextum suæ malitiæ, pijs tamen admodum consolatorium est, quòd sciunt salutem suam in manu Dei esse. Nam, cum homo ex seipso nihil boni possit, nulla spes adipiscendæ salutis nobis relicta esset, si cõsecutio salutis in manu liberi arbitrij nostri reposita esset. Nūc autem, quia Deus reseruauit electionem ad salutem in manu sua, idque non in manu seueritatis suæ, sed in manu misericordiæ suæ, cuius diuitiæ sunt imperuestigabiles, certissima spes salutis nobis relinquitur. Tamet si enim dicat Deus, se eius tantum misereri, cuius ipsi visum fuerit, tamē reuelauit etiam in hac parte voluntatem suam in Christo, videlicet, quòd eius velit misereri, qui credit in Christum. Hæc, inquit, est Ioan 6. voluntas patris mei, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam, &c.

Est locus apud me, & stabis supra petram.

Exponit modum, quo sit seipsum manifestaturus, & cognomina sua reuelaturus: In montem, inquit, tibi denuò conscendendum erit, & in petra standum, quod vbi feceris, reuelabo me magna maiestate, ac ne per ea concidas, ponam te in foramine petræ, &c. & cum transiuero, videbis tergum meum, & nō faciem,

ANNOTATIONES

&c. i. cognosces me non ex propria forma, sed ex nominibus meis: non ex inuisibili & imperscrutabili essentia, sed ex visibilibus meis operibus & effectibus. Facies enim Dei hoc loco significat imperscrutabilem Dei essentiam. Posteriora autem eius manifesta opera & verba. His igitur duobus modis videmus Deum in hac vita. Potest hoc intelligi etiã de Christo, Nunc non videbis faciem meam, sed posteriora, id est, posterioribus temporibus. Videbis me in forma humana transfiguratum in monte, &c. Vel aliter: Moyses faciẽ Dei transeuntis nõ vidit, quia Iudæi nõ cognouerunt Christum, dum in mundo esset, sed postquam ascendit in cælum, & spiritum misit, plures eorum crediderunt, sicque tergum eius viderunt & nõ faciem. Et Iudæi moderni Christum, vel Deũ in Christo transeuntem non vident, quia velamen positum est super oculos eorum, in fine autem auferetur velamen, & tunc videbunt posteriora eius.

Matt. 17.

2. Cor. 3.

MYSTICE.

Qui Deum videre vult, ad locum illum vnicum ascendat, qui est Ecclesia, & ibidem in petra consistat, quæ Christus est, imò in foraminibus petræ, id est, in vulnere Christi.

1. Cor. 10.

CAPVT XXXIIII.

IN hoc capite, quia gens præuaricatrix primam fidem irritam fecerat in cõflatione vituli, & totum ædificium fœderis collapsum fuerat, penè ab alio rursus principio inchoatur. Deinde in hoc capite Deus implet, quod in fine præcedentis promiserat, nempe, se Moyse ostensurum suam maiestatem, licet non in facie, & enarraturum sua cognomina, è quibus voluntas ipsius agnosceretur. Valebit igitur caput hoc, vt sciamus, quòd per poenitentiam reparatur, quicquid per peccatum colapsum

lapsum fuit. Secundò, vt discamus veraciter Deum cognoscere. Vix enim est alius locus, vbi plura Dei nomina ponantur.

Præcide tibi duas tabulas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.

De tabulis plura superius diximus. Reparantur autem tabulæ in signum reconciliationis diuinæ cum populo. Non tamen iterum conspergitur populus sanguine foederis; sicut nec nunc post lapsum repetitur baptismus, sed sufficit collapsa per poenitentiam restituere. Quòd tabulæ bis fiant, primò à Deo, deinde ab homine, significat legem decalogi & à Deo, & à natura esse. Nam ea præcepta non solum Deus dedit, sed etiam ratio naturalis dicitur. Quòd tabulas illas non per seipsum, sed per Moysen restaurat Deus, significat per hominem Christum restaurandum genus humanum, in quo Deus imaginem suam sculpsit, sed diabolus effregerat per peccatum. Quòd Moyses tabulas quidem præcidit, Deus autem scripturam addit, significat prædicatores posse quidem præparare homines ad exemplum monendo, arguendo, clamando, dolendo, sed non possunt docere intus, nisi Deus digito, id est, spiritu suo corda hominum inscribat. Quòd Deus primas tabulas fecit, homo autem posteriores, significat, quòd olim nemo legem seruare potuit. Nunc autem per Christum spiritu sancto diffuso etiã homines eam seruare possunt. Omnia, inquit, possum in eo, qui me Phil. 4. confortat. Vel per tabulas à Deo factas iustitia Dei, per tabulas autem ab homine factas iustitia hypocritica designatur. Quòd tabulæ priores franguntur, posteriores autem manent, significabat veterem legem abolendam, nouam autem permanensuram. Imò significauit Iudæos excidendos, gentes autem inferendas. Priores lapides, quos Deus elegerat, suaque verba inscripserat, id est, populus Israel fractus est. Posteriores autem lapides, id est, gentes, quos Apostoli expolierunt, & adduxerunt, adhuc legem Dei continent. Hinc Matt. 3. Ioannes prædixit Iudæis: Nolite dicere, Patrem habet.

ANNOTATIONES

mus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Esto paratus manè, vt ascendas in montem Sinai.

Crebrò vocatur Moyfes in montem. Pij enim semper ad cælestia anhelare debent contemptis terrenis, & maximè qui alijs præsumunt. Vult autem, vt manè ascendat: amat enim Dominus hilarem & obedientem seruum. Non vult otiosos, somniculosos, & segnes.

Moraliter monemur nos, vt manè surgamus, id est, in iuuentute ad Dominum conuertamur, ne differamus vsque in mediam diem, multò minus vsq; in vesperam. Monemur, ne splendente sole adhuc dormiamus. Itemq; vt parati simus ascendere ad Dominum quacunq; hora nos vocauerit: Cras enim nobis ascendendum erit, id est, statim, vel citò, &c.

Nullus ascendat tecum.

Exo. 19,

Suprà etiam populo prohibuit ad montem cõscendere, nimirum ad reprimendam curiositatem videndi Deum. Non vult Deus, vt hic essentiam eius inuestigemus, sed vt voluntatem eius inquiramus. Ceterùm, illic septuaginta seniores cum Moyse ascendunt, iteq; Aaron, & Hur, & Iosue: Hic autè omninò nullus cum eo ascendere permittitur. Vnde patet, quòd hæc apparitio fuit maior & dignior priori, imò hæc apparitio præfigurauit Euangelij dationem. Ideò hic omnia læta sunt. In priori autem, quæ legem significat, omnia terribilia fuerunt. Ideo autem Deus præcipit, vt nullus ascendat cum Moyse, quia nemo capax est diuini colloquij, nisi qui spiritu sancto illuminatus est: Nam caro & sanguis non percipit ea, quæ Dei sunt.

Quòd autè addit, Nec quisquam videatur per totum montem, &c. ideo præceptum est, vt reuerentia & timor in populo nutrireretur, quòd lex Domini custodiat, & vt sacrosancta veneretur. Itè circa diuina cum timore & reuerentia conuersemur. Ceterùm, Moyfes vt semper, ita & hic promptissimè in omnibus obedit ad exemplum nobis.

Cumq; descendisset Dominus per nubem.

Descen.

Descendisse dicitur Dominus, non quòd reuerà ascendat aut descendat, qui vbique est, sed quòd nobis sic videtur descendisse, vbi suam præsentiam aliquo signo declarat. Pulchrè autem sibi respondent, quòd Moyses ascendit, Dominus autem descendit. Moyses fecit, quod præceptum erat, Deus impleuit, quod promiserat, atque hoc est, quod in propheta dicitur: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Si ascendere conaremur à terrenis ad cælestia, Deus certò nobis occurreret. Si impletemus præcepta, Deus impleret promissa.* Zach. i.

Stetit cum eo inuocans nomen Domini.

Totus hic locus vel ad Moysen, vel ad Deum referri potest. Si de Moyse interpretatur, sensus est, quòd Moyses ad tam magnificam apparitionem Dei coepit inuocare & laudare nomen Domini. Quid enim iustius facit homo, vbi Deus se ostendit, quàm quòd miratur, inuocat, laudat? Iam cum Deus quotidie se ostendat, vel in operibus, vel in creaturis, vel in beneficijs, semper laudandus est. Sic Paulus: Ex ipso, inquit, Rom. ii. & per ipsum, & in ipso omnia, ipsi honor & gloria in secula. Item: Regi seculorum immortalis, inuisibili soli Deo honor & gloria, &c. 1. Tim. i.

Dominator Domine Deus, misericors, &c.

Hoc modo Moyses inuocauit & laudauit nomē Domini, secundū eos, qui ad Moysen hæc referunt. Laudat autem in sua essentia, misericordia, & iustitia. Nā tria prima nomina pertinent ad essentiam, sequentia septem ad misericordiā, reliqua duo ad iustitiam. Sic igitur & Moyses non minus, quàm Dauid cantauit Domino misericordiam & iudicium. Dominator Domine De^o, in Hebræo habetur, Domine Domine De^o, quæ tria verba significant trinitatem personarum in vna diuina essentia. Deinde, quodlibet illorum speciale quoddam opus Dei significat, utpote Deus creationem, dominator gubernationem, Dominus generale dominium super omnia. Misericors, clemens, &c. hic laudat, commendat, & inuocat Dei misericordiā, idq;

ANNOTATIONES

Thren. 3. multis verbis. Nam misericordia Dei vel maximè nos homines delectat. ex ipsa est enim, quòd sumus, & quòd habemus. Misericordiæ, inquit, Domini, quòd non consumpti sumus. Deinde etiam ideo plurib. verbis Dei misericordiam commendat, quia multi sunt effectus diuinæ misericordiæ. Misericors enim est misericors nostris compatiendo, clemens peccata remittendo, patiens pœnâ differendo & dissimulando propter pœnitentiã. Multæ autem misericordiæ dicitur, quia præter compassionem & remissionem peccatorum etiam in multis alijs misericordiam suam nobis ostendit. Dicitur verax, promissa infallibiliter seruãdo. Dicitur custodire misericordiam in millia, reddendo bona non solùm operantibus, sed etiam descendantibus ab eis. Dicitur auferre scelera, & peccata, & iniquitatem, omnia peccata dimittendo, quæcunque tandem sint, & quocunq; nomine vocentur. His quinque modis Deus nobis ostendit misericordiã suam, & ad hos omnes etiam alij reduci possunt. Habes igitur insignem commendationem misericordiæ Dei hoc loco. Nec dubium est, quin ex his verbis etiã alij alias composuerunt Dei laudes. Nihil enim aliud Dauid in psalmo 102. & 144. & cæt. & multis alijs agit, quàm quòd Moyses hic facit, hoc est, misericordiam Dei commendat. Quomodo, inquit, miseretur pater filiorum, miseratus est Dominus timentibus se, &c. Item: Miserationes eius super omnia opera eius. Postremò tamen etiam iustitiæ Dei meminit, nã & iustitia ad laudẽ Dei pertinet. Iustitiæ igitur Dei est, quòd nullò apud ipsum per se est innocens, itẽ, quòd visitat peccata patrum in filios, &c. Vide, quàm succinãta, & tamen sufficiens laus Dei sit hæc. Vtinam Moysen in hoc imitemur. Alij totum hunc locum ad Deum referunt, voluntque quòd nò Moyses, sed Dominus hæc locutus sit. Sicut enim suprã dixit Deus: Vocabo in nomine Domini corã te, sic nunc facit & vocat, siue nominat, vel explicat & enumerat nomina & cognomina sua. Vt quia Moyses faciẽ Dei videre nò poterat, saltẽ ex nominib. his Dei naturam

Psal. 102.

Psal. 144.

Exo. 23.

naturam & voluntatem disceret. Igitur si Deum videre cupis, huc accede, & hæc verba attende, vide quid de seipso prædicat, & manifestè eum cognosces. Duodecim autem cognomina sibi ipsi tribuit, ex quibus vult agnosci. Primò, Ego sum dominator, quo verbo significat se eum esse, qui omnia regat & gubernet. Secundò, Ego sum Dominus, quod verbum ostendit ipsius dominium & potestatem super omnia creata. Tertio, Ego sum Deus, ostendit se creatorem. Ex his tribus verbis vult agnosci, vt is, qui solus & vnus omnia fecerit, gubernet, & omnia tribuat. Hæc tria cognomina fidem nostram roborant de omnipotentia Dei. Quartū nomen, Ego sum misericors, refertur ad effectum cordis, quasi dicat, quemadmodum mater afflicto filio, vel amicus amico periclitanti compatitur, ita & ego. Hoc confirmat fidem & spem in aduersis. Quintum nomen, Clemens, refertur ad effectum externum, Q. d. Non solùm talis sum, qui ex animo cōpator, sed etiam affectum re ipsa ostendo ad exemplū. Sextum nomen est, Patiens, quasi dicat: quanquā maximè odiam peccatum, tamen facit misericordia mea, vt non statim puniam, sed vt pœnitentiam expectem. Docet hoc verbum timorem, vt cū in peccatis benè nobis cesserit, nō ideo putemus Deum vel nescire, vel non odire peccatum, sed sciamus hoc fieri ad pœnitentiam nostrā. Patientia enim sua ad pœnitentiā nos adducere conatur. Septimum nomen, verax, certissimus, scilicet sum in verbis & promissis. Cælum & terra transibunt, verba autē mea non transibunt. Iterū hoc nomine confirmatur fides nostra. Octauū nomē, Custodiens misericordiam in millia, id est, tā liberalis & munificus benefactor sum, vt non his tantū, qui me diligunt, verū etiā vniuersæ familiæ eorū in multas generationes beneficia præstem. Inuitat autem nos hoc nomen ad obediendum Deo, & sectandam vocationem eius, vt non nos tantū habeamus liberalem & propitium Deum, sed talem etiam filijs nostris relinquamus. Nec enim meliorem hereditatē ipsis relin-

ANNOTATIONES

quere possumus. Nonum nomen, Auferens iniquita-
 tem & peccata, &c. Non solum iustis misericors sum,
 sed etiam iniustis, auferendo ipsorum peccata, qua-
 cunque tandem & quantumcunque graua sint, siue
 interna siue externa, siue contra Deum, siue contra pro-
 ximum. Hoc nomen confirmat conscientiam in ma-
 gnis peccatis contra desperationem. Decimum no-
 men, nullum faciens innocentem, sic habet transla-
 tio nostra, sed Hebraei aliter legunt, sic scilicet, dimit-
 tens impunem, non dimittens impunem, hoc est, par-
 cens his, qui conuertuntur; & eos, qui non conuer-
 tuntur, non dimittens. q. d. non sum vt tyrannus, vi-
 ctor, qui quosuis indiscriminatim caedit, sed sum vt
 clemens victor: tamen si enim omnes metiti sint mor-
 tem, tamen tam clemens sum, vt non omnes extrema
 interuicione perdam, sed alios quidem scilicet impoe-
 nitentes perire sino, alios autem poenitentes scilicet in
 gratiam recipio. Docet hoc verbu recte iudicare de his,
 qui ex populo Dei generalibus supplicijs propter pec-
 cata diuinitus omissis pereunt, vt non sentiamus eos
 omnes aeterna interuicione perire. Deinde monet v-
 numquemq; in supplicio deprehensum, vt ne sic qui-
 dem desperet, quando certum est ex hoc nomine, quod
 Deus aliquos impunes dimittat. Vltimum nomen est;
 Vitans iniquitates patrum in filios, &c. Hoc neces-
 sario in fine addidit. Cum enim haecenus de se nihil nisi
 summam misericordiam, liberalitatem, & clementiam
 recensuerit, posset quispiam existimare Deum non ha-
 bere odio peccatum, sed approbare ipsum. Additur
 ergo hoc, vt reueletur odium Dei in peccatum, & ho-
 mines timorem discant, ne super misericordia DEI
 peccent. Haec igitur sunt cognomina, quibus Deus
 vult cognosci. Haec sunt posteriora Dei, quae nobis in
 hoc seculo videre licet. Quod aut Deo haec cognomi-
 na competant, probatum est multis exemplis, & ma-
 xime in Christo. Gaudeamus, quod talem habemus
 Deum, & agamus gratias, studeamus, ne peccatis nostris
 ex misericordie ratum Deum faciamus.

Festinusque Moyses incuruatus est.

Meritò incuruatur, cui tanta reuelatio facta fuerat: meritò festinat, ne tantam oportunitatē amittat: meritò orat, qui Deum tam propitium audit. Docemur hic eò magis nos humiliare, quò plura nobis data sunt. Secūdo, docemur festinare, ne Dominus prætereat: Dum tempus, inquit, habemus, operemur bonū. Gal. 5. Itemque: Ecce nunc tempus acceptabile est, &c. Tertio docemur orare, auditis promissionibus Dei.

Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro, ut gradiaris nobiscum.

Hoc etiam supra petiuerat, idque non semel tantū, iterū tamē repetit, quia nō sufficit semel orare. Vnde & Christus tertio eandē orationē orauit in horto. Deinde etiam ideo de nouo orat, quia nouas promissiones acceperat. Singule autē orationis partes singulas promissiones respiciunt. Primò enim quòd dicit, Gradiaris nobiscum, respicit ad id, quòd Dominus dixerat: Custodiens misericordiam in millia. Audiēs enim Moyses Dominū ita affectum esse, ut posteris propter promissiones maioribus dictas beneficiat, sine vlla iā hæsitatione rogat Dominum ut tueatur hunc populum propter promissiones patribus factas. Quòd autem dicit, ut propitius sis iniquitatibus nostris, respicit ad id, quòd Dominus dixerat: Auferens iniquitatem & scelera. Et quòd ait, Accipias nos in hereditatē, respicit ad id quòd dicitur, Dimittens impunè, nō dimittēs impunè. petit enim, ut cū Israel sit populus durę ceruicis, ita eum complectatur, ut supplicijs quidem eum erudiat, & à peccatis absterreat, nunquam autē eum totū abiciat. Videmus hic quomodo fides in oratione concipiēda & cōfirmanda sit ex promissionibus Dei. Ac tū demum spiritus orationis probe inflāmur, cū promissionibus Dei accendimur. Oraturus igitur primò omnium promissiones arripiat. Obseruandum, quòd Moyses Deum quidem promissionibus suis quòdammodo vrget, sed tamen cum humilitate. Nam & seipsum deijcit: Si inueni, inquit, gratiam, & peccatū

ANNOTATIONES

populi manifestè confitetur. Ita debemus inniti promissionibus Dei, vt tamen nihil superbè at tentemus, sed agnoscamus meram gratiam esse, &c.

Ego inibo pactum videntibus cunctis.

Hic tandem omnia concedit, quæ Moyse poposcerat, imò maiora, quàm ille petere ausus fuisset. Verè igitur dictum est: Si moram fecerit, expecta eum, quia **Abac. 29.** veniens veniet. Et iterùm: Qui credit, non festinet. **Cæ. 29.** iterùm, pactum, de quo hic dicitur, vel de eo intelligi potest, quòd Deus iterum scripsit decalogum in tabulis, & repetijt alias quasdam leges, quæ & suprâ latæ fuerunt, quare manifestè restatus est se redijisse cū hoc populo in gratiam. Vel potest intelligi de eo fœdere, q̄ Dominus inijt postea cum Israelitis in terra Moab. **Deut. 28.** Melius autem intelligitur de fœdere illo nouo, quod per Christum fecit nobiscum, de quo in Hieremia diffusè scribitur. **Hier. 31.**

Et signa faciam, quæ nunquam sunt visa.

Loquitur de signis, quæ sub Iosue facta sunt, vt est transitus Iordanus, casus murorum Hiericho, statio solis, &c. Vel intelligi potest de signis, quæ per Christum ostendit. Verè enim maxima signa sunt, quòd **DEVS** homo factus est, crucifixus, mortuus est, & resurrexit. Verè enim mirabile fuit, quicquid Christus in terra fecit. Terribile autem opus Domini. Vel intelligitur de eiectione Chananæorū, vel de illustratione vultus Moyse, qua terrebantur Israelitæ. His itaque verbis satis probauit Deus se esse multæ misericordiæ. Plura enim Moyse præstitit, quàm ipse ausus fuisset postulare aut cogitare. Cæterùm, ne putemus satis esse, quòd Deus nobis dat, subnectit & repetit quædam præcepta, & maximè ea, quæ ad cultum vnius Dei pertinent, vt sciamus Deum sic nobis confœderatum, vt tamen quæ ipse præcepit faciamus.

Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cū Israel pepigi fœdus.

Non vult Deus verbū & voluntatem suam occultari, sed omnib. publicari. Vnde & Christus: Quod dico,

ro, inquit, vobis in tenebris, dicite in lumine, &c. Vide **Matt. 101**
 mus hic, ad quid utilis sit scriptura, & cur inuenta,
 nempe vt Deum cognoscamus, vel, vt Paulus ait, per
 patientiam & consolationem scripturarum spem ha- **Rom. 15.**
 beamus.

Fuit ergo cū Domino Moyses 40. dies & quadraginta noctes.

Ideo autem Deus Moysen tam diu in monte deti-
 nuit, vt populum tentaret, si in absentia Moysi in fide
 verbi persisterent, quod antea non fecerant. Ex Deu-
 teronomio autem patet, quòd Moyses bis ieiunauit
 quadraginta diebus, ante scilicet & post colloquium
 Domini. quod ideo factum est, Primò, vt discamus
 quid ante & post apparitionem Domini nobis faciē-
 dum sit, nempe vt prius nos diligenter præparemus,
 & post humiliter grati simus: vtrunque autem in mo-
 destia temperantia, & sobrietate. Secundò, ideo bis
 ieiunauit tot diebus, vt ipso factò doceret, quòd non **Deut.**
 in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod pro-
 cedit de ore Dei. Tertiò, per hoc præostensum fuit,
 quòd in monte beatitudinis cælestis non opus habe-
 mus cibo corporali: Deus enim erit nobis cibus, po-
 tus, lux, requies, & omnia in omnibus. Postremò, per
 hoc ieiunium Moysi, hæreticis præcluditur via dubi-
 tandi de vera humanitate Christi. Quidam enim pu- **Matt. 4.**
 tabant eum non verum hominem fuisse, propterea
 quòd quadraginta diebus ieiunauit. Nunc aut̄ cū vi-
 deamus etiā Moysen hoc fecisse, idq; non semel tan-
 tum, & postea etiā Heliam similiter ieiunasse, nihil est
 quòd de Christi vera humanitate dubitemus.

Ignorabat quòd cornuta esset facies sua.

Non intelligendum quòd cornua habuerit Moy-
 ses, sed quòd radij splendidi in altum procedebant è
 facie eius ad modum cornuum. Hoc autem miracu-
 lum edidit Dominus, primò vt commendaret autho-
 ritatem Moysi & Decalogi. Deinde hæc claritas faciei
 indicat, quàm clarè Moyses præ alijs cognouerit Deū.
 Si enim facies tam lucida erat, multò magis cor & cō-
 scientiam illuminata fuisse credendū est. Præterea hæc

ANNOTATIONES

Pfal. 118. claritas ostendit virtutem verbi Dei, quod verè & cōscientiam intus clarificat, & intellectum illuminat & faciem, id est, externam conuersationem splendidam & lucidam facit. Non igitur mirum, quòd & intus ignorantés, & foris tenebrofi sint, qui verbum Dei fugiunt. Meritò igitur additur, quòd hæc claritas contigerit Moyfi ex colloquio Domini. Postremò p̄ hãc claritatem vultus Moyfi etiam ostenditur spiritalis effectus legis, quæ tam clarè homini peccatum suum ostendit, tantamque iustitiam ab homine exigat, vt homo hoc ferre nō valeat, & proinde à tanta claritate terreatur.

Matt. 17. Obseruandum tamen, q̄ Moyfes faciem tantum lucidam habet, Christus aut̄ totus in gloria apparet. Christus enim vt Deus, fons est lucis; Moyfes aut̄ vt homo, lucem suam aliunde mutuatur. Christus plenus gratia.

Ioan. 1. Nos de plenitudine eius omnes accipimus. Cæterū, q̄ hic dicitur facies Moyfi lucida, suprã autē dictum est, quòd manus eius fuerit leprosa, per hoc significatus fuit status prioris populi, quia enim ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquē ad perfectum poterat adducere lex, manus leprosa fit, & in sinum recōditur tãquam nihil perfecti operis habitura. Quia aut̄ sermo legis habet scientiæ gloriam, sed occultam, rectè facies glorificatur, & tamen velamine tegitur. Subditur autem in fine, quòd Moyfes ignorabat radiare vultum suum: sancti enim non agnoscunt propriam gloriam, sed humiles permanent in conscientijs suis, nec facilè credunt de se magnifica. Domino accepta referunt, quæ habent, & non in se, verum in Domino gloriantur.

Videns autem Aaron & filij Israel, timuerunt prope accedere.

Rom. 13. Ob eam enim causam Deus huc splendorem Moyfi contulerat, vt cum reuererentur ac timerent, vtq̄ maioris apud ipsos esset authoritatis. Timorem enim & reuerentiam debemus potestati. Cæterum, Moyfes videns ipsos territos spontè eos ad se vocat, & primò seniores, Secundo populum. Ad vtrosque enim pertinet verbum Dei. Non enim est acceptor personarum
Deus.

Deus. Cæterùm, Moyses cum discretione verbum Dei proponebat; Cum senioribus, inquit, loquebatur, nimirum consolatoria illa Domini verba ipsis reuelans, Populo autē præcipiebat: Rudes enim & carnales præceptis & timore cohibendi sunt.

Ponebat velan. en super faciem suam.

Ad literam hoc idcò fecit, ne populus trepidaret ad ipsum accedere. Potestas enim ita se gerere debet, vt etiam infirmi ad ipsos accedere audeant.

Moraliter autem docemur, vt coram hominib. faciem lucidam tegamus, id est, ne hominum laudem in bonis nostris queramus. Coram Deo autē aperiamus, id est, gratias agamus pro gratia data.

Mythicè. Facies Moyſi lucida, sed operta, significat legem longè pulchriorē intus esse, quàm foris apparet. Foris enim figuræ carnales, intus veritas & lux spiritualis. Secundò, significat nullum satis posse peruestigare maiestatem & claritatem scripturæ sacræ; In multis enim etiam doctissimis obscura & operta est, vt ipse Paulus fatetur in Romanis. Tertio, significat in hac Rom. II. vita non contingere nobis perfectam Dei cognitionem, semper enim aliquid velaminis adest. Cogn. 1. Cor. 13. scimus siquidem ex parte & per speculum, in futuro autem auferetur velamen: Tunc enim videbimus eū sicuti est. Quarto, per hoc velamen præfigurata fuit excæcatio Iudæorum, qui etiam nunc non vident gloriã vultus Moyſi: habent enim velamen super corda sua, id est, falsam opinionem, quòd lux ad iustitiam sufficiat. Hæc persuasio illos impedit, ne possint videre lucem scripturæ. Cùm autem ad Christum conuersi 1. Cor. 3. fuerint, auferetur illud velamen, id est, illa persuasio. Tunc videbunt legem nō sufficere ad salutem, nec ob id datam esse, sed vt ostendat peccatum & ducat ad Christum, tunc videbunt claritatem Moyſi, & intelligent legem & prophetas.

Apud Paulum etiam Euangelium in quibusdam opertum est, sed in his tantùm, qui pereunt, & quorum 2. Cor. 4. Deus seculi huius excæcauit mentes. Oremus Deum

ANNOTATIONES

vt velamen auferat de cordibus nostris, vt & Moyses & Christum, id est, legem & Euangelium plenè agnoscamus.

QVAE sequuntur sex capita, vsque ad finè huius libri, nihil aliud continent, quàm ea, quae antè **Exod. 25.** recensita sunt. Nam quae Deus iusserat Moysen in sacris rebus facere & instituere, ea in his capitibus commemorantur esse facta, & instituta. Quia tamen omnia illa pertinent ad Iudaicas caeremonias, quae nunc per Christum abolita sunt, non est, quod hic tempus **Exod. 25.** ramus. Nam quid illa mysticè significant, suprà ostensum est. Illud vel maximè circa haec capita obseruandum, quòd Moyses tam obedienter & tam diligenter omnia peragit, quae Deus praeceperat, nec aliter facit quàm praeceptum fuerat. hinc enim nobis exemplum datum est, vt diligentissimè quidem, quae ad cultum Dei pertinent, faciamus, verù non secundum propriam rationem, sed secundum verbum Dei.

FINIT EXODVS.

BRE.

BREVIS EXPOSITIO DECALOGI EX CAPITE VI- GESIMO EXODI.



VDI *Israel mandata vite, auribus
percipe vt scias prudentiam.*

Quid est Israel quòd in terra ini- Baruch
micorum es? Inueterasti in terra alie-
na, coinquinatus es cum mortuis. De-
putatus es cum descendentibus in in-
fernum, dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via
Dei ambulasses, habitasses utiq; in pace super terram.
Disce igitur, vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit in-
tellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ, & vi-
ctus, vbi sit lumen oculorû & pax. Hæc verba nō incō-
gruè decalogo præponere libuit. Nam ipsius cū utilita-
tem, tū necessitatem pulchrè exprimit, & ad eius obser-
uantia efficacissimè inducit, quæ tria pot ssumū circa
Decalogum obseruanda sunt, & nostro hoc infelicis-
simo tēpore summè necessaria. Nunc enim præcepta
Dei apud plerosque ita viluerunt, vt ne audire quidē
ea dignentur, id quod dictu quoque horrendum est,
quid enim boni expectari potest, vbi præcepta Dei con-
temnuntur? Sicne didicimus Christū, vt præcepta Dei
contēnamus? Sicne Ecclesia & Christianismus ad nos
peruenit? imò si veteres sic fecissent, vt nos, non Chri-
stianismus, sed paganismus ad nos peruenisset. Qualē
Ecclesiā nos posteris nostris relinquemus, si ita facere
pergimus? Quòd Euangelium Christi promissiones-
que per Christum nos delectant, bonum quidem est,
sed nunquid ob id contemnenda sunt præcepta benè
viuēdi, imò præcepta Dei? Christus gratiā prædicauit,
sed nunquid præcepta contemnenda docuit? Nequa- Matt. 5
quam. Lege Mattheum, & contrarium videbis. Israeli-
tæ olim cū magnis plagis à Deo punirentur, quere-
lam deferrebant ad Moysen. Ecce, in quiūt, deficimus &

ANNOTATIONES.

consumimur. Omnis, qui ad Dominū appropinquat, moritur. Nunquid ad interuersionem omnes delendī sumus: hęc, inquam, conquærebantur, & interim non attendebant propter contemptum & transgressionē præceptorum hęc fieri. Sic & nūc sunt qui statum temporum deplorant. Sed vis scire causam omnīū malorum huius temporis, audi quid Psal. dicit: Nō audiuit, inquit, populus meus vocem meā: Israel non intendit mihi, & dimisit eos secundū desideria cordis eorū, ibūt in adinuentionibus suis. Si populus meus audisset me, &c. pro nihilo forsitan inimicos eorū humiliassē, &c.

Psal. 10. Hoc idem dicit Baruch in verbo præmissō. Sic & Moy. **Deut. 32.** ses: Quomodo, inquit, persequebatur vnus mille, & duo fugarūt 10. millia? Nonne ideo, quia Deus suis uenididit eos? Et iterū: Si dixerint, quę est hęc ira furoris Domini immēsa? Quare sic fecit Dominus terrę huic? Respondebitur. Quia dereliquit pactum Domini, &c. Et Isaias: Vtinā attendisses mādata tua, facta fuisset uelut flumen pax tua, &c. Vides unde ueniant omnia mala. Verē peccata nostra prohibent bonum à nobis, ut Hieremias ait. Quia de re operæ precium me facturum putauī, si præcepta Decalogi paucis explicarē, Primò ob id, quòd suprā circa uicesimum caput expositionem Decalogi in aliud tempus distuli, deinde etiam ob id, quòd Decalogus præcipuum illud est, quod nos in Moysē obseruare debemus. Præterea etiā ob id, quòd uideam plures etiam adultę iam ætatis, qui uel neglecti à parentibus, uel propria prauitate seducti atque peruersi Decalogum adhuc nesciunt, uel saltem non intelligunt non sine summo salutis suę periculo. &c. Antequam tamen rem aggrediar, libet pauca præmittere. Primò enim paucis ostendam Decalogi considerationē & utilem & necessariam esse: deinde paucis etiam diluam quæ contra Decalogum obijciuntur à carnalib. Postremò ostendam, in quem usum Decalogus datus sit. Quòd consideratio & occupatio circa Decalogum non sit res inutilis, patet ex tribus: Primò, ex eo quòd Deus ipse decem hęc uer-

ba protulit audiente omni populo Israel, quomodo autem non vtile esset, quòd Deus tanta solennitate locutus est, cum verè sit Deus docens non curiosa, nò nociua, nò vana, sed vtilia. Si pater carnalis filio nihil nocuū dat, quantò minus Deus? Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester dabit spiritum bonum, &c. Vnde & Paulus et si dicat carnales per legem fieri peiores, tamen subdit: Lex sancta est, & mādatum sanctum & iustum est. Secundò, quòd non inutile sit circa præcepta Domini occupari etiam illud arguit, quòd omnes pij tam strenuè & seipfos in præceptis Dei exercuerunt, & alios ad similia admonuerunt. Lege Psalm. 118. & videbis, quanto studio David præceptis Domini inuigilauerit, &c. Sic Moyses moriturus nullum aliud testamentum fecit, quàm quòd populum ad legem admonuit. Eodè modo & David Salomonem, & Thobias filium suum ante mortem & obseruantiam præceptorum admonuerunt. Idem fecerunt omnes pij. Quid enim aliud facit Salomon in Prouerbjs, & Iesus dyrach in Ecclesiastico, quàm quòd admonent ad obseruantiam præceptorum? Certum igitur ex his est, quòd non inutile est, præcepta considerare. Tertiò, vtilitas Decalogi & præceptorum etiam ex hoc patet, quòd vbique magnas habent promissiones annexas, temporales, corporales, spirituales, & etiam æternas. Sic enim Moyses dicit: Si audieris vocem Domini, &c. custodiet pactum suum, multiplicabit te, & benedicet fructui ventris tui, fructui terræ tuæ, &c. Item faciet te excelsiorem cunctis gentibus, &c. Item, Dabit tibi pacem, dormies, & non erit, qui exterreat, &c. Sic Isaias: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Et David: Beatus vir, qui timet Dominum, &c. Gloria & diuitiæ in domo eius, &cæt. hæ sunt promissiones temporales.

Deinde habent præcepta etiam corporales promissiones. Hinc suprà dictum est, Si audieris vocē meam, omnem languorem, quem vidisti in Aegypto, non in-

Isa. 49.
Luca. 11.

Rom. 7.

Psal. 118.

Deut. 10.

3. Reg. 2.

Thob. 4.

Deut. 7.

Deut. 28.

Leui. 26.

Exo. 15.

EXPOSIT. DECALOGI

- Prou. 3.** ducā super te. Et sapiēs: Ne obliuiscaris legis Domini, &c. Longitudinē. n. dierū & annos vitę affert & pacē
- Ecc. 8.** Et iterū: Qui custodit præceptum, nō experietur quicquā mali. Tertio, præcepta Dei etiā spirituales habēt promissiones. Sic iuprà audistis: Si audieris vocē meā eris mihi in peculiā & regnum sacerdotale, & gens sancta, &c. Et iterum: Ponam tabernaculum meum in medio vestri, non abijciet vos anima mea. Et in Ieremia: Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deū.
- Leui. 25.** Et Christus: Si quis diligit me, & sermonē meum seruat, hunc pater meus diligit, & ad eum veniemus, &c.
- Ier. 7.** Et iterum: Qui facit voluntatem patris mei, ille meus frater, soror, & mater est. Postremò, habent præcepta Dei etiā æternas promissiones. hinc Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et Paulus: Gloria, honor, & pax omni homini operāti bonum. Et Ioannes: Scimus quia mandatum Dei vita æterna est. Et Salomon: Qui custodit præcepta, custodit animā suam.
- Ioan. 14.** Et iterum: si volueris conseruare præcepta, conseruabunt te. Vnde psalmus beatos eos pronunciat, qui ambulānt in lege Domini. Vides igitur, quā utilis res sit, considerare præcepta Dei. Nec solūm vtile est, sed etiam necessarium, idque propter multa. Nam primò necessaria est præceptorum consideratio, quia Decalogus est quasi summa omnium legum, quicquid vel boni exigitur vel mali prohibetur, in his decem verbis compræhenditur, & insuper etiam est explicatio legis naturalis, quare necessaria est eius cognitio. Vnde & Deus non contentus decem hæc verba ore promulgasse, insuper etiam ea scripsit, imò lapidibus insculpsit. Et Moyses nō contentus ea in libro scripsisse, insuper præcipit, vt quilibet ea in postibus domus sue scriberet, &c. Item voluit, vt signa in vestimentis facerent, quibus admonerentur promissionum Dei, quæ omnia indicant necessitatem Decalogi. Secundò necessaria est Decalogi consideratio & prædicatio, quia est altera pars Christianismi. Siquidem primum est credere, Secundum benè & piè viuere. Et sicut Chri-
- stianus.

stianus dici non meretur, qui fidem Christi nō habet:
 sic nec is, qui vitam Christianā non habet. hinc Chri-
 stus: Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, in. *Matt. 7.*
 trabit in regnum, &c. Et iterum: Si diligitis me, man. *Ioan. 14.*
 data mea seruate. Et Paulus: Circumcisio nihil est nec *1. Cor. 7.*
 præputium, sed obseruatio mandatorum Dei. Et Ioan. *Ioan. 2.*
 nes: Qui dicit diligo Deum, & præcepta eius non ser-
 uat, mendax est. Tertiò, etiam ideò necessaria est præ-
 ceptorum consideratio, quia iam olim superobseruā-
 tes ea benedictionis, supertransgressores autem male-
 dictionis sententia lata est. Vnde & Moyses dicit: *Deut. 27.*
 propono vobis hodie vitā, & bonum, mortē, & malū,
 &c. Hoc cōfirmat Christus, qui futuram retributionē *Mat. 16.*
 bonorum & malorū dicit futurā secundum opera cu. *Matt. 25.*
 iuslibet. Non igitur parum in præceptis situm est. Ma-
 ximè autem necessarium est nostro tempore præcepta
 Domini inculcare, tum quia fermè omnis honestas
 cecidit, omnia autem peccata inualuerunt: tum quia
 plerique præcepta Dei omninò nesciunt, tum vel ma-
 ximè, quòd quidam falsis persuasionibus seducti pu-
 rant minus Euangelicum esse, si de præceptis & operi-
 bus mentio fiat. Horum igitur motiuis nunc tertio lo-
 co respondendum est. Tria autem sunt, quæ obijci so-
 lent contra præcepta: Primò, volunt aliqui præcepta
 esse abolita: alij volunt ea nō amplius necessaria, quan-
 do Christus ea pro nobis impleuerit. Tertij volūt præ-
 cepta impossibilia esse, ideoque neminem ad ea obli-
 gari. Videte fratres, quid conetur diabolus. Quantam
 fenestram ad omnia vitia aperiet, si hæc omnibus per-
 suasa fuerint, quod absint. Non enim est hæc persua-
 sio ex Deo. Nusquā enim hæc in scriptura legis. Primò,
 nō sunt abolita præcepta Decalogi, sicut nec lex na-
 turæ. Abolita quidem sunt cæremonialia, quia tantū
 figuræ erant in Christum: & iudicialia, quia tantūm
 faciebant ad externam politiam illius populi. Moralia
 autem manent, vnde sola lapidibus inculpta fuerunt,
 nec ab his aliter nos liberat Euangelium, quàm quòd
 per Christum aucta gratia ea nunc lubentes & spontè
 faciunt

EXPOSIT. DECALOGI

faciunt Christiani, quæ Iudæi metu pœnæ faciebant, alioqui, quæ tandem esset libertas, si liceret peierare, mœchari, furari? Non eò venit Christus in mundum, vt impunè peccaremus, sed ne omninò peccemus renati in eum, qui non nouit peccatum. Deinde falsum etiam est, præcepta non amplius necessaria esse, quando Christus ea impleuerit. Verum quidem est, q̄ Christus legem perfectissimè impleuit, & quòd eius impletio etiam credentibus imputatur: non tamen ideo omnem honestã viuendi formam abrogauit, imò sicut Christus non ideo orauit, ieiunauit, passus est, &c. vt nos nihil talium amplius facere debeamus, sed vt melius, libentius, & perfectius ea faciamus, quando quidem ipse prior ea fecit, & insuper gratiam suam nobis promissit. Nec valet, quòd dicunt præcepta impossibilia esse. Si de homine non Christiano hæc dicerentur, fortassis vera essent. Quid autem? nihilne plus habet Christianus, quàm ethnicus quisque? Cur ergo renatus est? An non membrum Christi est? An non spiritum Christi habet? An non particeps est gratiæ & influxus è capite Christo? Inuius igitur est in spiritum Christi, qui dicit Christiano præcepta impossibilia esse. Longè aliter loquuntur pij. Nam Paulus, omnia, inquit, possum in eo, qui me confortat. Et Ioannes: Præcepta Dei grauiã nō sunt. & Moyses ipse: Mandatum, quod ego tibi præcipio, non est supra te, nec à longè positum, &c. Ex his igitur vides, quàm nihil valeant, quæ pseudochristiani obijciunt. Cùm itaque præcepta Dei tractare & seruare vtile sit & necessarium, agè accingamur ad ipsa præcepta. Audiamus vocem Domini Dei. Non grauemur discere vel semel, in quo vita Christiana consistat, nemo putet hæc ad solos pueros pertinere. Nam decem hæc verba tam multa comprehendunt, quæ nemo satis peruestigare potest. Discamus igitur, vbi sit prudentia & intellectus, vt simul videamus, vbi sit longiturnitas vitæ & pax, vt verba præmissa nos monent. Prius tamen obseruandū, ad quid decalogus datus sit. Primò enim non ob id datus est

decalo.

1. Pct. 2.

Phili. 3.

Ioan. 2.

Deut. 30.

decalogus, quòd præcepta in eo contenta prius igno-
ta fuerint: nam & lex naturalis ea dicitur, & etiam gen-
tiles multa de his scripserunt. Nec ideo datus est deca-
logus, quòd per hæc externa opera sola ad salutē per-
tingere possimus. Requiritur enim etiam aliud quid-
dam, nempe fides in Christum. Si enim sola mandata
nos saluare possent, nihil opus fuisset Christo. Sed id-
eò datus est decalogus ille, primò, vt extaret diuinum
testimonium, quòd cognitio naturalis legis homini
indita sit diuinitus. Secundò, vt naturalis cognitio le-
gis per peccatum originale corrupta & obscurata, de-
calogo adiuuaretur & illustraretur: quia enim propter
peccatum Adæ spiritus sanctus ab omnibus homini-
bus ablati sunt, nō solūm adempta est homini vis per-
fectam iustitiam faciendi, verūm etiam iustitiā intel-
ligendi. Hinc est, quòd homo in tot errores cadit.

Decalogus igitur cognitionem naturalem legis ad-
iuuat. Vnde Moyses de lege dicit: Hæc est sapientia ve. Deut. 4.
stra, & intellectus præ omnibus populis, &c. Et Dauid: Psal. 118.
Testimonium Domini fidele sapientiam præstās par-
uulis. Præceptum Domini lucidum illuminans ocu-
los. Item: Super senes intellexi, quia mandata tua que. Psal. 118.
siui. Tertiò, datus & promulgatus est decalogus, vt per
ipsum peccata & damnationem nostram agnoscerem-
us. Nam per peccatum ita excæcati sumus, vt aut
existimemus naturam nostram adhuc sanam esse, aut
iram Dei non esse tam sæueram, vt prædicatur. Propo-
nitur igitur decalogus tanquam speculum, vt confe-
rentes ad eum nostram naturam & opera, perspicuè
videamus nos à vera iustitia tam longè abesse, vt in o-
mnia præcepta Dei offendamus, sicque agnoscamus
nos damnatos. (Nam maledicti sunt omnes, qui non Deut. 27.
permanent in verbis legis.) Agnita autem maledictio-
ne nostra ad Christū properemus. Hinc Paulus dicit: Gal. 4.
quòd lex pædagogus noster est ad Christum. Et ite. Ibidem.
rum: Concluserunt, inquit, scriptura omnia sub peccato,
vt promissio ex fide Christi daretur credentibus. Po-
stremò, datus est decalogus, vt haberemus breue com-
pendium

EXPOSIT. DECALOGI

pendium eorum bonorum operū , quæ Deus requirit a nobis, & quæ fidem nostrā sequi debent & comitari. Vnde perniciosè errant, qui putant decalogum tantū datum esse, vt per ipsum peccatum agnosceretur, alio. qui Paulus & frustrā dixisset, Coram Deo exigī obseruationem mandatorum, &c. Ex his omnibus videmus decalogi concionem non tantū ad peccatores manifestos pertinere, sed ad omnes homines : Nemo enim tam sanctus est, qui decalogū inspiciens, nō inueniat se peccatorem. Vnde psalmus: Pro hac, id est, remissione peccatorū orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Oēs enim dicere cogūtur: Dimitte nobis debita. Deinde videmus decalogi concionē nō ad solos pueros pertinere, sed ad quoscunq; homines. Nā & Dauid nedum non puer erat, sed insuper propheta, tamen summum eius studium erat in lege Domini, vt patet psal. 118. Ea etiā exercitatio ad hoc ei utilis erat, vt de die in diē proficeret in pietate, & si quando in peccatum lapsus fuisset, maturius resurgeret. Lex enim Domini conuertit animas, & præceptum Domini illuminat oculos. Non igitur mirum, q̄ nos contēptores mādatorum Dei de die in diē deficimus, & si in peccatum inciderimus non adieimus, vt resurgamus, &c. Hæc præfari volui, ne quis à Sathana decipiatur, qui omnibus modis id agit, ne peccator ad hoc speculū legis perueniat. Sicut enim nemo tā negligēs, qui si in speculo videat se maculatum, non abstergat: sic diabolus scit, q̄ nullus tā impius est peruersus, qui si in speculo præceptorum Dei videat, multitudinem & gravitatē peccatorum suorum & securam pœnā non cōtremiscat, & ad pœnitentiam properet. Ideò diabolus omnibus modis obstat. Sed ad rem.

Locutusque est Deus cunctos sermones hos.

Omittenda hic censui, quid præcesserit hanc legis promulgationē, videlicet, quòd Deus triduo antè hoc prædixit, & quòd Moyses populum tribus diebus sanctificauit, vt digni essent audire verbum, & quòd Deo tertia die apparuerit in magno terrore & maiestate.

Omitten-

Psal. 31.

Matt. 6.

Psal. 118.

Hier. 5.

Omittendum etiam hoc, quando, & ubi præcepta hæc data sint. De his enim supra non nulla dixi. Tantum Exo. 19. igitur pro nunc ipsa præcepta attendamus. Hæc igitur sunt præcepta illa, quæ non humana, sed diuina voce promulgata sunt, idque tantis miraculis, quanta nunquam nec antè nec post (exceptis his miraculis, quibus Euangelium de Christo reuelatum & confirmatum est) publicè in terris ædita sunt. Stabant ad radices montis Oreb plusquam sexcenta millia hominum, & Deus loquebatur ex igne per angelum suum tanta voce, ut non solum omnis populus exaudiret, verum etiam maximo omnium pauore concuteretur. Humana vox etiam si stentorea fuerit, vix tamen potest ad decem vel duodecim hominum millia penetrare. Quantam igitur & quam horrendam vocem putas fuisse, quæ non solum ad plusquam sexcèta millia penetrauit, sed etiam omnes eos in vnum congregatos ita exterruit, ut præ ingenti timore retrocesserint? Hæc sunt præcepta illa, in quib. vel vita, vel mors nostra consistit. Breuia quidem sunt & pauca, sed efficacissima. Decem tantum verba sunt, sic enim in scri. Deut. 4. ptura nominantur. Pauca autem præcepta dedit Deus, ut facilius seruari possent, & ne quis de multitudine præceptorum conqueri posset. Hæc sunt præcepta, de quibus mentio fit in tota scriptura, quibus & tot, & tantæ promissiones temporales, corporales, spirituales, & æternæ annectuntur, si obseruentur: horrendissimæ aut cõnationes temporales & æternæ, si non obseruentur. Hæc sunt verba Domini, ad quæ Moyses toto Exo. 19. triduo populum præparauit, ut videlicet diligètius audirent. Hæc sunt præcepta, quæ Deus non solum per seipsum promulgauit, sed insuper lapideis tabulis insculpsit, sicque insculpta in arca reponi iussit ad perpetuam memoriam. Hæc sunt decem illæ conchæ à vero 1. Par. 4. Salomone positæ, in quibus lauari debent non pecudum, ut olim, sed animarum nostrarum victimæ in holocaustum charitatis Deo cõsecrandæ. Hæc est decima san. Mal. 3. ctarum frugum in horreum Domini inferenda multo melius,

EXPOSIT. DECALOGI

melius, quàm illa, quæ de terræ foetibus collecta offerri solet. Hęc est cythara illa, illeq; decachordus, ad quē nos hortatur Dauid dicens: Confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite ei. Hæc deniq; sunt decē plage illę, quibus Pharao aduersarius noster percutitur, & nos per eas liberati ad terrā vsq; promissionis perducimur, terrā lacte & melle manantem, id est, lucis æternæ candore visionisq; diuine dulcedine refertam, quę nō mortuorum terra: sed viuentiū dicitur, ne quis alibi viuere cupiat, quàm vbi semper feliciter viuat, & mori non possit. Cū itaq; tanti ponderis sint, decem illa verba, congruē Salomon nos ad ea inuitat: Conserua, inquit, fili præcepta patris tui, id est, Dei, & ne dimittas legem matris tuę, id est, Ecclesię. Liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo, vt videlicet neque cogitatione, neque lingua labaris. Cū ambulaueris, gradientur tecum, & cū dormieris, custodiant te, ne pecces, & vigilans loquereris eis, &c. Circa Decalogum ergo quædam obseruanda sunt in communi. Primū, quòd Iudæi aliter ordinant Decalogum, vel numerant præcepta, quàm nos. Ipsi enim ex primo præcepto duo faciunt, sicque in prima tabula quatuor ponunt. Ex vltimis autē duobus vnum faciunt, sicq; in secunda tabula tantū sex computant. Ecclesiastici autem aliter, vt notum est. Deinde obseruandum, qđ præceptorū aliqua ad Deum nos ordinant, alia ad proximum: & illorū quidem sunt tria, harum autem septē nouissima. Propter hanc differentiam & Deus non in vna tabula, sed in duabus ea cōscripsit, & Christus totam legem in duobus præceptis charitatis complexus est. Omnia enim præcepta ad dilectionē Dei & proximi ordinantur. Vnde Paulus: Finis legis est charitas. Item: Omnis lex in vno verbo compræhenditur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Qui igitur charitatem habet, is seruat præcepta. Qui eam non habet, nullum præceptū seruat. Obseruandum terriò, quòd præcepta duobus modis attendenda sunt. Primò, vt certæ regulæ diuinæ

Psal. 32.

Prou. 6.

Matt. 22.

1. Tim. 1.

Rom. 13.

volun-

voluntatis, quibus instruimur quid agere, quodque vitare debeamus. Et quod illa pręcepta te docuerint, certò scias id Dei volūtatem & beneplacitum esse. Quod his pręceptis non concordat, scias certò Dei voluntatem non esse, imò Deo displicere. Primò igitur in pręceptis attendendū est, quid Deus pręcipiat, prohibeat. Deinde ad has regulas applicanda est vita nostra, sicq; pręcepta erunt nobis specula, in quib. nos ipsos agnoscamus. Non satis est scire quid Deus pręceperit vel prohibuerit, nisi & vitam nostram ad pręcepta corrigamus. Nec satis est ex pręceptis discere quid ex volūtate Dei pręceptum vel prohibitum sit, sed oportet etiā ex eisdem videre quid cōtra voluntatem Dei fecimus aut omisimus. Secundum hoc igitur singula pręcepta primò vt regulas, secūdò vt specula proponam. Quia enim ex nobis ipsis semper deuiamus, propterea quod & voluntas nostra peruersa est, & ratio excæcata, idè Deus nobis voluntatem suam & verbum in regulam dedit. huc pertinet, quod toties dicit: Nō declinabitis nec ad dextram, nec ad sinistram. & Non addetis ad verbum quod dedi, nec diminuetis. Quantum autem homo deuiet à recto sibi ipsi relictus, etsi non habeat verbum Dei, patet in primo homine & philosophis, Adam, quàm primum à verbo Dei se auertit, & suā rationem secutus est, perdidit seipsum & posteritatem. Quid autem sapiētes mundi boni fecerint sine verbo Dei, docet Paulus ad Romanos.

Deut. 5 &

17.

Deut. 4 & 12.

Gen. 3.

Rom. 2.

PRIMUM Pręceptum.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis.

A summo & maximo incipit. Sicut enim idololatria summum peccatū est, & radix omnium aliorū: sic verus Dei cultus summum bonum est. In omni enim lege summum est, habere Deum, qui colatur, ametur, timeatur. Hoc si affuerit, nō opus erit multis pręceptis: quia enim rectè de Deo sentit in corde, is facillè quod bonū est perficiet. Vbi autē timor & cultus Dei non est, ibi nihil prodest, etiam si omnia pręceptis plenā essent,

EXPOSIT. DECALOGI

Psal. 11.

imò etiam si omnia patibulis & crucib. plena essent, sicut videmus in mundo quàm nihil prosint plerisq; leges & pœnæ magistratum ciuilium. Vnde & Dauid cùm dixisset: Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt: in fine quasi causam omnium peccatorum addit: Non est timor Dei ante oculos eorū. Congruè igitur cultum Dei verū primò docet. Cæterum, quòd in hoc primo præcepto tã multis verbis vtitur Deus (nam & affirmatiuè & negatiuè ipsum ponit) ideo fit, vt, quia alia breuiter posita sunt, vel in hoc primo discamus, quomodo alia intelligenda sint, nempe quòd affirmatiua sint & negatiua: hoc est, quòd & bonum præcipiant, & malum prohibeāt: Quatuor autem verba habet hoc præceptū: Primum, Ego sum Dominus. Secundum, Non habebis deos alienos. Tertium, Non facies tibi sculprile, &c. Quartum, Ego sum fortis Zelo tes. Singula igitur explicemus.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxite, &c.

Hoc primum verbum dupliciter accipi potest: Primò, vt sit quasi prologus in totum decalogum. Sic enim solent legislatores mundi, antequã leges pronūciant, primò ponere nomina sua & officia, vt Nos Carolus, &c. Nos Albertus, &c. Deinde etiam causas ponūt, quid eos mouerit ad huiusmodi leges sanciedas. Ad legislatorem enim tria pertinent, primò, vt sit persona publica, nam si priuatus leges statuere vellet, risui omnibus esset. Secūdo, vt potestatem habeat in eos, quibus legē imponit: in alienos enim & non suos subditos nemo potest legem ferre. Tertio, vt nō suam, sed populi vtilitatem suis legib. quærat, alioqui nō princeps sed tyrannus esset. Omnia hæc etiam Deus hic obseruauit. Primò enim & nomen suū & maiestatem manifestat, vt scilicet eò minus legem ipsius contemnamus. Ego, inquit, sum Dominus Deus. Secūdo ostendit se etiam in nos potestatem habere cùm dicit: Deus tuus, vt sciamus & ipsum iure potuisse præcipere, & nos iure teneri ad eius legē. Tertio, ostendit se in legibus suis nō suum, sed nostrum commodum querere, cūm

eñ dicit: Qui eduxi te, &c. Q. D. Attendite animis quã-
 ram bonitatẽ semper vobis exhibuerim, & videbitis q̃
 lege mea non mihi, sed vobis consulere volui. Ex lege
 enim pax conseruatur, nociua vitatur, peccata scilicet,
 & ad æterna bona incitatur. Hoc itaque proloquio
 Deus nos incitare voluit ad spontẽ suscipienda præ-
 cepta. Secundò, accipi potest & debet verbum illud, Ego
 sum Dominus, &c. vt sit pars primi præcepti nẽpe affir-
 matiua, quæ scilicet doceat quid Deus hoc præcepto à
 nobis exigat. Secundum hoc igitur quàm ordinatẽ cõ-
 sta proponat. Primò enim antequã alienos prohibeat
 deos, seipsum manifestat verum Deum. Et antequam
 prohibeat alibi auxilium & salutẽ quærere, ostendit se
 paratũ ea omnib. præstare. Sicq; omnem nobis excu-
 sationem aufert, omnemq; occasionem ad alios deos
 confugiendi, &c. Duobus autem nominibus seipsum
 manifestat: Primò, se nominat Dominum, per quod
 ostendit suam maiestatem, sublimitatem, omnipoten-
 tiam, potestatẽ, virtutem, &c. Hæc autem nõ tam hoc
 nomine ostendit, quàm re ipsa sæpenũmerò probauit,
 vt in creatione, & varijs signis, quæ fecit ab exordio
 mundi, &c. Secundò, nominat se Deum, quo verbulo
 omnia illa compræhenduntur, quæ in scriptura Deo
 attribuuntur, vt quòd sit æternus, immensus sine prin-
 cipio, sine fine, verus, iustus, sapiẽs, bonus, misericors,
 imò fons omnis boni & vitæ, & cæt. & quicquid tale
 in scriptura Deo tribuitur. Nam sancti non satis ha-
 buerunt Deum vno nomine appellare, quia enim va-
 riè illius bonitatem experiebantur, varia etiam illi
 nomina dabant: & quia magnificè de illo sentiebant,
 magnifica etiam illi nomina dabãt, imò qualem quis-
 que Deum expertus erat in angustijs, tale ei nomen
 dabat. Hinc Dauid eum nominat suam fortitudinem,
 robur, firmamentum, refugiũ, & liberatorem, Sic al-
 ij aliter. Omnia autem hæc in hoc nomine (Deus) in-
 cluduntur. Vnde pleriq; Deum dictum putãt à dando,
 quòd paratus sit omnibus dare. Alij ab eo, quòd ni-
 hil ei defuit: Alij volunt à græco verbo deduci θεομα,

Psal. 17.

EXPOSIT. DECALOGI

quod est speculor, eò quod ipse omnia videat, & in ipso tanquam speculo omnia reluceant, &c. Obserua autem quod non dicit, Ego dicor Dominus & Deus, sed, ego sum, vt ostendat hæc nomina sibi à natura conuenire. Nam aliàs etiam alijs hæc nomina tribuuntur. Si quidem sunt Dei multi & Domini, &c. Alij enim hoc nomen (DEVS) temeritate propria rapuerunt, & sibi vsurparunt, vt Alexander & Nabuchodonosor. Alijs attributum est vana opinione hominum, vt Iouis, Baccho, Mercurio, Appollini, &c. Alijs etiam scriptura attribuit hoc nomen vel propter officium diuinum, vt, Ego dixi dij estis, & cætera. Alijs autem propter participationem diuinæ gratiæ, & adoptionem filiorum, vt dij forteter ræ vehementer eleuati sunt. Nulli tamen hoc nomē competit ex natura, nisi soli Deo. Ne quis autem curiosus ex hac diuina cognominatione fortè vellet perscrutari diuinam essentiã, additur, Qui eduxit te, &c. quo verbo nos à consideratione essentiæ suæ ad opera sua auertit, vult enim ex verbo & operibus suis cognosci. Cognominat autem se ab eo opere, quod tunc recentissimum erat, nempe liberatio ex Aegypto, cum dicere potuisset. Ego sum Deus qui creauit omnia. Sic in veteri testamēto semper à propinquioribus operibus cognominatus est. sic apud priores patriarchas dicebatur, Deus qui creauit omnia. Postea dictus est, Deus Abraham, Isaac & Iacob. Postea dictus est Deus, qui eduxit ex Aegypto. Nunc autē dicitur Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, hoc enim titulo nūc nominari gaudet. Ex primo igitur hoc verbo discimus quid credendum sit in generali, Secūdo quid de Deo vero sentiendum sit in corde: & Tertio, quales erga ipsum nos geramus. Primò, credere nos oportet quod sit Deus in genere, ne scilicet in Diagore sententiã veniamus, quod nullū putauit esse Deū, sed omnia fato, fortunæ, & casui tribuebat, quæcunq; fiebant. Hic autē error valdè perniciosus est: nam vbi ea, quæ bona nobis cōtingunt, casui aut fortunæ, non autē Deo tribuimus, non agimus gratias Deo, &c. sicq;

de

Psal. 81.

Psal. 46.

Exod. 3.

Eph. 1.

detrahimus Deo gloriã suam. q̄ si etiam mala, vt sunt
 fames, bella, pestes, &c. nō Deo sed casui tribuimus, de
 crescit in nobis timor peccãdi, &c. necessariũ igitur est
 vt credamus esse Deum qui omnia gubernet, dispen-
 set, agat, &c. Secundò, credere debemus quòd nō nisi
 vnus Deus sit. Neq; enim plures possunt esse, alioqui
 oporteret plures esse mundos. Vnum aut̄ Deum esse
 probat omnis creatura, quæ sic in suo ordine manet,
 quod nō fieret si plures essent. Alter enim destrueret
 q̄ alter institueret. Entia nolunt malè regi ait Arist. V-
 nus ergo princeps. Maximè autē scriptura ostendit v-
 num esse Deum: Audi Israel, Deus Deus tuus, Deus v-
 nus est. Tertiò credere debemus, quòd nec Iupiter,
 nec Apollo, aut alius quispiã sit verus ille Deus, sed so-
 lus ille q̄ Israel eduxit ex Aegypto, & quē scriptura no-
 bis prædicat. Nihil igitur ad nos, quę gentiles de Ioue
 & alijs scribunt. Quem scriptura nobis prædicat, hunc
 p̄ vero Deo habeamus. Quartò, credere debemus q̄
 is idem sit Dominus, hoc est, summæ maiestatis, potē-
 tiæ, virtutis, qui sua potētia, sapientia, virtute omnia
 penetret, omnia possit, &c. q̄ attingit à fine vsq; ad fi-
 nem fortiter, &c. quòd eius virtuti nemo resistere pos-
 sit, & quicquid huiusmodi est q̄ ad maiestatem eius per-
 tinet. Quintò, credere debemus, q̄ ipse etiam sit Deus,
 hoc est, summè bonus, sui ipsi⁹ diffusiu⁹, à quo oīa sunt,
 qui & omnibus benefacit, bonis & malis. Ex hoc enim
 potissimum agnosci vult, &c. Sextò, credere debes, q̄
 nedum Deus & Dominus sit, sed q̄ Dominus & Deus
 sit, hoc est, quòd non tantum in generali mundum gu-
 bernet & sua bonitate impleat, sed etiã teipsum, quòd-
 q; omnia bona ab ipso habeas, animã, corpus, vitam,
 membra, scientiã, diuitias, cibum, vestē, &c. q̄ omnia
 hæc conseruet tibi & conseruare possit, quòd paratus
 sit tibi vbiq; adesse, &c. Septimò, quia in fine additur,
 Ego fortis Zelotes, &c. credere debes, q̄ ipse & puni-
 tor sit malorũ, & remunerator bonorũ. Hæc sunt quæ
 nobis verbum hoc credenda proponit. Hinc facilè vi-
 dem⁹ quid Deus à nobis exigit, & quid illi debeamus.

EXPOSIT. DECALOGI

Primò enim, quia Dominus est, debemus ipsi reueren-
 tiã summã, magni æstimationẽ, timorẽ, humiliatio-
 nẽ, obedientiã, & plenam resignationem nostrę volũ-
 tatis, vt nos totos illi cõmittentes patienter feramus,
 quid ipse decreuerit, nec vnquam desperemus, &c. De-
 inde, quia Deus est, id est, summè bonus, debemus ei
 summũ amorem, & dilectionem super omnia, vt nihil
 illi præponamus, nihil illi in dilectione æquemus, sed
 parati simus omnia potius relinquere, quã ipsum. Prę-
 terea, quia Deus noster est, & esse vult, debemus illi o-
 mnem spem & fiduciam, vt omnia de ipso speremus,
 in omni angustia ad ipsum recurramus. Quia autem
 punitor est malorum, debemus ei timorem: & quia re-
 munerator est bonorum, ideo debemus ei obedientiã,
 &c. Hęc sunt, quę primũ præceptum à nobis exigit. V-
 bi vides q̄ primum exigit cor, itemq; humilitatẽ, fi-
 dem, spem, charitatem, fiduciam, timorẽ, obedientiã,
 reuerentiam, patientiam, & generaliter totum inter-
 num & spiritualement cultum. Spiritus enim est Deus, &
 eos q̄ adorant, in spiritu & veritate oportet adorare &
 colere. Huc igitur pertinet quicquid scriptura de fide,
 spe, & charitate dicit, timore, obedientia, &c. Ad hanc
 regulam nunc adaptemus vitam nostram, si ita affe-
 cti simus ad Deũ in fide, spe, charitate, &c. Et verè in-
 ueniemus nos in multis peccasse, nec vnquã huic præ-
 cepto satisfacisse. Sicq; hoc speculũ ostendit tibi macu-
 las tuas, &c. Primus igitur ad salutem gradus est crede-
 re Deũ esse: Secundus, credere Deo in verbis suis: Ter-
 tius, credere in Deũ, id est, fide in Deũ ire, fide Deo ad-
 herere, charitate in ipso manere, hoc summũ opus est,
 quod omniũ maximè exigitur, & ex quo omnia alia
 fluũt. Qui enim credit Deũ summè bonum, is nihil su-
 pra Deum diligit, in super & omni fiducia in ipso pẽde-
 bit. Qui credit Deũ omnipotentẽ, nõ reluctabitur ei.
 Qui credit eum summè sapientem, non murmurabit
 contra eũ, sed boni consulet quicquid Deus agit. Qui
 credit eũ summè veracem, is timebit comminationes
 eius, &c. Hinc scriptura vbiq; hortatur ad fidem, spẽ,
 cha.

charitatem, timorem Dei, & obediētiam: cōmendat eos, qui Deo crediderunt, in ipsum sperarunt, ipsum amauerunt & timuerunt, &c. Damnat autem eos, qui contrarium fecerunt, Exempla vbique patent.

Non habebis Deos alienos coram me.

Hęc est secunda pars huius p̄cepti, nempe negatiua, qua scilicet prohibetur idololatria. Quia aut̄ duplex est idololatria, interna scilicet & externa, ideo vtraque expresse prohibet, multisq̄ue verbis vtitur, quia homo pronus est ad idololatriā, sicut videmus in filijs Israel. Hoc aut̄ vel maximè agit diabolus, cuius summū studiū est & Deū sua gloria priuare, & homines in perditionē adducere. Deinde etiā ideo vtrāq̄ idololatriā expresse prohibet, vt videamus idololatriā etiā committi, in corde etiam si externè non habeas idolum. Item vt hypocrisis nostra damnetur, quæ semper videri vult se nihil mali egisse. Hoc autem verbū ad internam potissimū idololatriā pertinet, & singulę dictiones quiddā spirituale important. Primò, vbi nos legimus, Nō habebis deos alienos, in Hebræo dicitur, Nō erunt, vel sint tibi dii alieni. Nō dicit, dii alieni non sunt. Multi enim tunc erant: Aegyptij enim 1. Reg. 5. colebāt Apim, Philistæi Dagō, Sidonij Astartin, Moabitæ Camos, Ammonitæ Moloch, Accaronitę Beelzebub, Babylonij Bel, &c. Deinde aliqui solem colebant pro Deo, alij lunam, alij stellas. Inter philosophos aliqui aquam, aliqui ignem, aliqui aerem pura 4. Reg. 3.
Dan. 14. habebant esse primum principium, hoc est, Deum. Præterea etiā aliqui homines pro dijs habiti sunt, vt Iupiter, Mercurius, &c. Habebant insuper gentiles & bonos & malos deos: illos colebant, vt bona darent: hos autē, vt mala auerterēt. Aegyptij colebant adhuc humiliores deos Ibim, Crocodilū, porrū & cepæ. Vnde & adagium, O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis. His non contenti quidam principes, proprios deos sibi fingeant, sic Romulus Censum, Numa Pompilius Egeriam, Tacius Cloacinam, &c. Postremò quidam impij homines seipso pro dijs adorari volebāt,

EXPOSIT. DECALOGI

vt Caius Domitianus, Nabuchodonosor, Alexander,
 Quia igitur totus mundus plenus erat dijs alienis, nō
 dicit, Non sunt dii alieni, sed non erunt tibi: quasi di-
 cat, gentes quidem multos deos colunt, tibi autem v-
 nus tantum sit: tu enim expertus es me vnum tibi suf-
 ficere. Emphasim igitur habet, quōd dicit Tibi. Tibi
 Israelitæ, tibi Christiano vnus Deus sit. Tu enim scis
 quæ alij nescierunt, &c. Deinde non dicit. Non habe-
 bis alienos dominos, sed deos, ne quis carnalis putet
 eos, qui DEO adhærent non oportere subijci domi-
 nis temporalibus, id quod Iudæi olim putabant. Ve-
 rùm nō hoc vult Deus, ideo dicit, Non habebis deos,
 &c. Quid autem includat vocabulum, Deus, supra
 dixi, nempe quōd includat summum bonum, sum-
 mam maiestatem, summam & æternā essentiam, quæ
 meritō omnibus præponi debet, ab omnibus venera-
 ri, timeri, adorari, amari, inuocari, &c. Hæc gloriā Deus
 solus habere vult. Vnde dicit: Ego Dominus, gloriam
 meam alteri non dabo. Vult ergo, ne cuiquam crea-
 turæ hunc honorem tribuamus. Pulchrè autem deos
 alienos, vt in Psalm. vel posteros, vt hoc loco in He-
 bræo: vel novos & recentes deos nominat, quos ho-
 mines sibi fingunt. Verè enim posteri dei sunt, id est,
 post Deum verū nati, & erecti, & alieni sunt, & ignoti,
 & noui sunt. quia non ab æterno. Nec melioribus no-
 minibus digni sunt. Quia autem posteri & alieni &
 noui dii sunt, ideo & iterum peribunt. Deus autem ve-
 rus nō nouus est, sed vetustissimus, imò æternus. Nec
 alienus & incognitus est, sed cognitissimus. Non lon-
 gè enim est ab vnoquoque nostrum. Nam in ipso viui-
 mus, mouemur, & sumus. Tertio addit, Corā me, quo
 verbo quasi comminatur, Ego, inquit, omnia video:
 me præsentem omnia facis, non potes occultare corā me
 idololatriam tuam, &c. Est igitur sensus huius verbi,
 Non habebis Deos, &c. q. d. Dixi tibi quōd vnus tantū
 Deus sit, & esse possit, noli igitur plures Deos credere,
 Item dixi tibi me esse & Dominum & Deum potentis-
 simum & optimum, quare non opus habes alijs dijs.

Isa. 43.

Psal. 80.

Deut. 32.

Actos. 17.

Primò promisi tibi, quòd velim esse Deus tuus, id est: protector, pater, adiutor, &c. quare noli mihi hanc injuriam facere, vt ab alijs quæras auxilium. Postremò, volui, vt fide, spe, dilectione mihi adhæreas, noli igitur ea in alios transferre. Sine me solum Deum tuum esse, fatis enim sufficiēs sum, ego sum Deus cæli & terræ. Meum est regnum, mea est gloria, iudicium, potestas, salus, &c. Glorientur alij in curribus & equis, tu *Psal. 19.* in me sperabis. Quærant alij placere principibus, tu *Psal. 145.* stude, vt mihi placeas. Noli autem confidere in principibus. Confidant alij in sua potentia, tu scito, quòd *Psal. 43.* in me ventilabis inimicos tuos. Quærant alij voluptates, diuitias, &c. tu scito ea vana esse & peritura. *Eccles. 1.* In nulla igitur creatura extra me confidas, &c. Prohibetur igitur hoc verbo, primùm, ne credamus plures esse deos, aut quicquam diuinitatis habuisse idola gentium: Dijenim gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Secundò, ne quicquam à diabolo vel idolis quæramus, aut etiam timeamus. Dominum Deum tuum timebis. Nihil potest diabolus nocere, nisi quantum Deus permiserit, quòd autem in multos potestatem accipit, fit propter incredulitatem nostram, quòd nō in vno Deo speramus. Huc pertinet, quicquid prophetæ contra idololatriam dixerunt & scripserunt. Tertio prohibetur hic, ne cuiquam in re salutis credamus, nisi verbo Dei, atque adeò, vt falsam & extraneam doctrinam vitemus. Falsæ enim doctrinæ falsos Deos erigunt. Vnde Paulus: doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Prohibetur item, ne credamus diabolicis illis artibus, diuinationibus, chyromantijs, necromantijs, augurijs. Omnia enim hæc prohibet scriptura, vt patet in pluribus locis. Prohibetur item hic, ne fiduciam nostram in quibuscunq; creaturis ponamus, non in diuitijs, &c. non in nobisipsis aut viribus nostris, non in hominibus, non in principibus, non in angelis, non in sanctis, sed in solo Deo. Non vult Deus, vt quicquam supra ipsum ponamus, nec iuxta ipsum, sed omnia infra ipsum. Potest quidē filius à patre victua-

Deut. 6

Heb. 13.

Deut. 18.

EXPOSIT. DECALOGI

lia quærere, infirmus à medico sanitatem, subditus à
 superiori auxilium, quilibet à vicino præsidium & o-
 rationē. Possumus etiam à sanctis suffragia orationum
 quærere, &c. Verùm cauendum, ne quicquam horum
 Deo præponas, vel æquipares, alioqui verè idololatriã
 committis. Sic subditus ex prælato facit idolum, cùm
 ipsum plus timet, quàm Deum; plus ipsi obedit, quàm
 Deo: tunc enim prælatum Deo præponit. Sic de alijs
 dicere possum. Potest filius è patre facere idolum, cùm
 ipsum plus diligit, quàm Deū. Sic potest homo ex san-
 ctis facere idola, cùm ipsos Deo præponit, Dei obli-
 uiscitur, ac ab ipsis perit adiuuari, non per modum o-
 rationis, sed quasi ipsi dare possent, quæ petimus, hu-
 iusmodi frequenter fiunt, &c. Creaturis autem vti sub
 Deo, & eo loco habere, quò à Deo positæ sunt, licet.
 Itaque si boni quid à patre cõsequeris, in summum il-
 lum patrē refer. Si per orationes sanctorum aliquid cõ-
 sequeris, in Deum potissimùm refer, &c. & certus es,
 quòd non fecisti Deum alienum. Contra fiduciam in
 creaturas multa dicit scriptura. Vt, maledictus, qui, cõ-
 fidit in homine, &c. Itē, Aegyptus homo, & nō Deus.
 Itē, Qui amat patrē aut matrem plusquā me, non est
 me dignus, &c. Ad hoc igitur verbum adaptemus vi-
 tã nostram, & videbimus, quàm pauci sint, qui à solo
 Deo pendeant. Ipsa vita nostra arguit nos nō esse im-
 munes à dijs alienis. Nam temporalia impensius quæ-
 rimus, quàm Deum, & cùm ea perdimus, plus de hoc
 tristamur, quàm cùm Deum perdimus. signum est, q̄
 plus ea diligimus, quàm Deum, &c. Summa, is alienū
 Deum nō habet, qui ita mortuus est rebus, & ita Deo
 adhæret, vt nec diuitijs infletur, nec paupertate deij-
 ciatur, nec honore tumeat, nec ignominia marcescat,
 nec vita lætetur, nec morte terreatur, nec voluptate
 gaudeat, nec passionibus tristetur, sed prorsus ita est ad
 vtrunque immotus, vt quoquo modo illa cadant, sa-
 tis ei sit habere Deum, imò, vt paupertatē, ignominiã,
 passiones, mortem ament & optent: diuitias aut, glo-
 riam, voluptatem, vitam fastidiāt pro desiderio Chri-
 sti, sicut

Ysa. 36.

Ysa. 31.

Matt. 10.

fi, sicut & David: Quemadmodum desiderat cervus ad *Psal.* 42
fontes, &c. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Chri. *Phil.* 1.
10. Et Iponja: Nunciate dilecto, quia amore langueo.
Qui hunc affectum in se non sentit, confiteatur se non-
dum purum esse Dei cultorem, &c.

*Non facies tibi sculpile, neque omnem similitudinem, quæ est in
cælo desuper, & quæ in terra deorsum.*

Hic Iudæi secundum præceptum incipiunt. Eccle-
sia autem hæc verba ad primum præceptum refert, & me-
lius. Sicut enim superiori verbo internam idololatriam,
sic hic externam & crassam illam prohibet. Gentiles
enim nēdum multos deos credebant, sed etiā externa
idola instituebant, quibus divinum honorem tribue-
bant, offerebant, adorabant, invocabant, &c. id, quod
summa dementia & cæcitas erat, quæadmodum Paulus *Rom.* 1.
dicit: Obscuratum, inquit, est insipientes cor eorū, & mu-
tauerunt gloriā incorruptibilis Dei in imaginē homi-
nis corruptibilis, imō volucrum, & quadrupedum, &
serpentum. Hanc insaniam gentilium circa idola mul-
tipliciter ridet & detestatur sacra scriptura, ut patet
Isaiæ 40. 42. 44. 45. & 46. Ezechielis 6. 8. & 14. Ieremiæ
1. 2. & 10. Oseæ 3. 8. 10. 11. 14. Amos. 5. Baruch 6. Micheæ
1. &c. Maximè autem David: Omnes, inquit, dij gen-
tium dæmonia: Dominus autem cælos fecit. Et iterum: *Psal.* 113.
Simulacra gentium argentum & aurum, &c. In fine
precat, ut similes illis fiant omnes, qui faciunt ea, &
qui confidunt in eis, hoc est, ut stipites & trunci fiant.
Cæterum, quia Israelitæ multis annis inter gentes fue-
rant peregrini, viderantque idololatriam ipsorum, in-
clinati & ipsi ad idola erant, nolebant alijs gētibus es-
se vel videri inferiores, idēd sæpius cum prophete ab-
essent, idola fecerunt, ut patet in vitulo, & alijs, & ceteris.
Ob hanc igitur causam Deus etiam expressis verbis ex-
ternam idololatriam damnat & prohibet, idque mul-
tis verbis: Primò enim tam sculptilia prohibet, quam
similitudines, hoc est, tam sculpta, quam picta. Dein
de idola, vel similitudines quarumcunque rerum
prohibet fieri, ut colantur. Præterea, non adorabis
specie

EXPOSIT, DECALOGI

Exo. 25.
3. Reg. 6.

specie, neque coles affectu. Cæterùm, quòd hîc dicitur de non faciendis quibuscunque imaginibus, intelligi debet ad adorandum ea, vt in Leuitico expressè ponitur, alioqui nulla omninò imago vel fingi vel pingi posset: quod falsum est. Nam & Israelitæ in ipso templo habebant duo Cherubin fusilia, item picturata tapetia, item duodecim boues portantes mare, item cælaturas leonum & palmarum in parietibus. Non igitur omnes imagines prohibentur, sed ex duntaxat, quæ adorantur, & quibus diuinus honor exhibetur. Non igitur damnantur hîc imagines Christi & sanctorum. Non enim ad hoc institutæ sunt, vt adorètur aut colantur; sed tantùm, vt nos admoneât Christi & sanctorum, itemque vt ad pietatem incitent. Quòd si quid in his vel ex simplicitate quorundam, vel etiam ex auaritia præsentium abusus increuit, tolli potest, & debet per superiores. Non tamen opus est tâto tumultu, vt quidam fecerunt in tollendis imaginibus. Num enim idè omnes vineæ extirpandæ sunt, propterea, quòd aliqui ebriosi homicidia perpetrant? Nò, sed ebrietas prohibenda, non vineæ excindendæ: sic hîc tollatur abusus imaginum, quod bonum autè est, relinquatur. Non iustifico abusus, sed hoc tantùm volo, quòd Ecclesia filijs suis ob oculos ponens imagines Christi & sanctorum non facit contra hoc præceptum: non enim ideo ea proponit, vt colantur, sed vt admoneant & doceant. Admoneant doctos, doceant indoctos, &c. Sed, quid, inquis, ad nos hoc præceptum, cum crassa illa idololatria iam dudum per prædicationem Euangelij corruerit? Respòdeo, Vtinam corruisset omninò. Nunc autem etsi externa idola corruerint, interna tamen manent. Pro idolis enim diabolus innumera mala introduxit, videlicet superstitiones, diuinationes, incantationes, veneficia, auguria, obseruationes somniorum, & alia: sortilegia, artes prohibitas, vt est necromantia, geomantia, &c. Item fascinationes, cõiurationes, maleficia, & innumera alia, quibus totus mundus plenus est. Hæc autem omnia prohibita

hibita

hibita sunt, & vera idola sunt. Summa, ad eò spiritua-
lis illa idololatria inualuit, vt plures sint, qui seruiant
diabolo, quàm Deo: plures diabolo credât, quàm Deo;
plures diaboli auxilium quærant, quàm Dei: sic qui a-
liquid perdit, qui infirmus est, &c. ad diuinos, non ad
Deum currit, &c. Hæc in genere dicta sunt. Iam si sin-
gulos status consideres, videbis vbique idola. In aulis
principum regnat pompa, cui ceu idolo omnes cer-
tatim seruiunt. Magnates pro idolo habent suam po-
tentiam. Vide enim, quàm inde gloriantur, superbiât,
ac omnia licere sibi putent, &c. Hypocritæ idolum ha-
bent propriam iustitiam, in qua confidunt. hæretici
idolum habent proprium sensum, cui pertinaciter in-
hæret, &c. in foro aliud stat idolū, quod dicitur Mam- **Ephes. 5.**
mon vel auaritia, quam Paulus idolorum cultum di-
cit. In domibus idolum regnat venter, scilicet cui om-
nes seruiunt, hunc Venus sequitur, cuius cultus latissi-
mus est. Quid igitur prodest, non habere imaginem
Bacchi vel Veneris, cum re ipsa hoc agas, quod in cul-
tu illorum gentiles faciebant? Nec Ecclesia idolis va-
cat: illic enim vel maximè tria illa idola regnant, am-
bitio, auaritia, luxus. Quot enim sunt, qui ad Ecclesiã
nō alia intentione veniunt, quàm vt ad honores eue-
hantur, ditescant, & in luxu & otio viuant? Hi verè nō
Deo, sed idolis illis seruiunt, &c. Et quid opus multis?
in nobis ipsi vel maximè idolis plena sunt omnia: Illic
enim regnat amor mundi, amor proprius, amor ami-
corum, amor pecuniæ, amor honoris, &c. Pro his om-
nibus multò plus facimus, quàm pro Deo. Vnde ve-
raciter idololatræ sumus, &c. Sic igitur impletur illud
in nobis, quod isti Isaia dicitur: Repleta est terra ido- **Isa. 2.**
lis. Et illud: Quid niteris bonam offendere viã tuam? **Hier. 2.**
Ecce iudicio contendam tecum, &c. Item illud: Vide, **Jer. 2.**
quid isti faciant in tenebris, &c. Nunquid pro his non **Ezech. 5.**
visitabo, ait Dominus, &c.

Ego enim sum fortis zelotes vindicans, &c.

Quia hoc præceptum principale est inter omnia, ex
quo deinceps & alia oriuntur, ideo addit Dominus

EXPOSIT. DECALOGI

minas & promissiones, pœnam & præmium. Primò dicit se fortem, qui possit vindicare. Secundò, dicit se zelotem, qui omninò non velit ferre, vt vel alium Deum adores, vel creaturæ fidas. Denique & sæuerum se dicit, qui non tantùm possit & velit punire, sed etiã actu puniat, adeò, vt peccata parentum etiã in filijs & nepotibus vindicet, vsque in quartam generationē. Hoc est, tam sæuerus est, vt puniat impietatē, etiam cùm iã videatur obliuioni tradidisse. Exempla habes in posteris Adæ, qui oēs propter inobedienciã ipsius morti obnoxij sunt: item in posteris Cain, qui omnes diluuiò perierūt: item in posteris Cham, qui per Israelitas extincti sunt: item in posteris Saul, &c. Obseruandum autem, quòd idololatria hic adulterio comparatur, quemadmodum & vbique in scripturis. Sicut còtrà fides comparatur coniugio, vt patet in Osea & in Ezechiele, capite 16, & 2. Corin. II. Despondi, inquit, vos vni viro, &c. Sicut autem vir non tantùm irascitur in adulterum, sed etiam in adulteram: sic Deus non tantùm diabolum adulterum puniet, sed etiam adulteram animam. In fine etiam obseruantibus præceptum præmia promittit, faciens, inquit, misericordiã in multa millia his, qui me diligunt. sic propter Abraham & alios patres omnibùs posteris benefecit. Idem videmus in posteris Dauidis, Iob, Thobix, & aliorum. Quantò autem millenarius ternario maior est, tantò misericordia Dei superexaltat iudicium. Ideo in comminatione tantùm dicit vsque in 3. vel 4. generationem. Hic autem in promissione dicit, vsq; in mille generationes. Non autem hoc ideò ponit, vt in misericordiam Dei peccemus, sed, vt eò diligentius præcepta illius seruemus. Misais igitur terret & vrget, promissis trahit, &c.

II. Præceptum.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Breuiter assignaui circa primum præceptum, quid Deus à nobis exigit, vel etiã prohibeat, simulq; còtuli vitam

vitam nostram ad ipsum præceptum, sed tantum in
 generali, non ad viuum (vt dicitur) & tamen non du-
 bito, quin quisque audiat propriam conscientiam, sibi
 dicere, quod Daniel olim regi Balthasar dixit: Appen-
 sus es in statera, & inuentus es minus habens. Verè
 inuenti sumus minus habètes, quid fiet in iudicio Do-
 mini, vbi maiori diligētia Deus scrutabitur corda no-
 stra & ad viuum vsque? Scrutabor, inquit, Hierusalem *Soph. 1.*
 in laternis. Tunc enim manifesta erunt abscondita cor- *1. Cor. 4.*
 dis, &c. Ad pœnitentiam igitur properandum nobis
 est, quæ sola delet commissa, & restituit nobis gratiã,
 iuxta illud, quod vulgo dicitur: Si mulier reliquerit vi- *Hier. 3.*
 rum suum, &c. Tamen reuertere, & suscipiam te, &c.
 Nunc igitur ad secundum præceptum transeamus, ip-
 sumq; primò vt regulã, deinde, vt speculum attenda-
 mus. Hoc aut præceptum reformat linguã. Cùm enima
 tripliciter in Deum peccemus, corde, ore, opere. Tria
 etiam præcepta habet prima tabula. Primum reformat
 cor, Corde enim reformato, & lingua & manus suum
 officium facient, & contrã. Sic primo præcepto serua-
 to, alia facillè seruantur. Cæterum linguam reformat
 secundo loco, quia primum quod ex corde procedit,
 sunt verba. Ideò & David inter omnia externa refor-
 mationem linguæ primo loco ponit. Quis est, inquit, *Psal. 38.*
 qui vult vitam, & cetera. Prohibe linguam tuam a malo,
 &c. Circa hoc autem præceptum primò attendendū,
 quid sit nomen Dei. Dicitur autem aliquando nomen
 Dei, Deus ipse, vt cùm dicitur: Omnis, qui inuocauerit *Iohel. 2.*
 nomen Domini, saluus erit. Aliquando nomen
 Domini dicitur ipsius maiestas, potentia, clementia,
 misericordia, & id genus aliæ virtutes & epitheta
 Dei, quibus bonum nomen, & famam sibi acquisiuit
 in mundo. Sic supra dictum est, Vocabor in nomine *Exo. 33.*
 Domini coram te. Sic psalmus dicit: Narrabo nomen *Psal. 115.*
 tuum fratribus meis, id est, tuã gloriam, misericordiã,
 &c. Aliquando nomē Dei significat vices, mandatum
 ac iussionem Dei, vt cùm dicitur: Ego veni in nomine *Ioh. 5.*
 patris mei, id est, ex iussione. Aliquando nomen Dei
 dicitur

EXPOSIT. DECALOGI

Exo. 3. dicitur ipsum externum vocabulum, vt cum dicitur: Hoc est nomen meum & memoriale, &c. Plura autē vocabula Deo tribuit scriptura. Horum D. Hieronymus decem colligit. Inter quæ potissimum est summū illud nomen quatuor literarum, de quo Exod. 3. Apud Latinos autē his potissimum nominibus Dei vtimur, Deus, Dominus, creator, omnipotens, Sic & Christi nomen non illud tantum est, quod in circumcisione accepit, nempe Iesus, sed nomen ipsius est ipsius gloria, misericordia, &c. imò Euāgelium, vita, passio, sanguinis effusio, mors, resurrectio: His enim rebus nomen sibi & famam acquisiuit. Deinde etiam à nobis pluribus nominibus appellatur, vt saluator, redemptor, mediator, &c. Omnia iam dicta sub nomine Dei intelliguntur, videlicet Deus ipse, eius bona fama, eius iussum & præceptum eius, vocabula & quicquid ad Deum pertinet. Eodem modo & de nomine Christi dicere possum. Assumere autem nomen Dei, Hebraica phrasi dicitur, pro usurpare aut exprimere. Sic enim Hebræi etiam aliàs dicunt in psalmis: Qui opprobrium non accepit, id est, protulit aduersus proximos suos. Non simpliciter autem Deus prohibet nomen suum nominari. Non enim in se malum hoc est, imò bonum esset semper de Deo loqui, iuxta illud: Semper laus eius in ore meo, &c. Hinc enim nasceretur timor Domini & amor. Vnde psalmus: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo ad annunciandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Optimum, inquam esset, vt ad quemcunque casum prosperum, primū in ore esset (Deo gratia.) in casu autē aduerso, Adiuuet Deus, &c. Hoc enim multum prodesse ad fugandum diabolum, qui reuerentiam diuini nominis audire non potest. Verum non omnes ita vtuntur nomine Domini, imò sicut Paulus dicit: Nemo potest dicere Domin⁹ Iesus, nisi in spiritu sancto. Sic paucissimi sunt, qui benè vtantur nomine Domini, imò, qui non abutantur. Ideo Deus præceptum hoc posuit: Nam quia nomen Domini verum illud sanctum sanctorum

torum est omnibus reb. sanctius & nobilius, nō vult,
 vt ipso abutatur. Hinc est, quōd scriptura vbiq; tam
 insigniter loquitur de nomine Domini, vt cū Dauid
 dicit: Sanctum & terribile nomen Domini, &c. Et: A. Psal. 113.
 solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domi. Psal. 113.
 ni. Et iterum: Sanctum est nomen tuum, mirabile Pro. 16.
 in æquitate. Et Salomon: Turris fortissima nomen
 Domini, &c. Et quid opus multa adducere? Nomen
 Domini est vnica spes nostra, & refugium, & verè o-
 leum effusum. Ideo in summo honore habendum,
 nec vnquam committendum, vt dehonestetur. Sic &
 Petrus de nomine Christi loquitur: Non est aliud no- A. 16.
 men sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos
 saluos fieri. Meritò igitur dicitur, Non assumes no-
 men Dei in vanum. In vanum autem sumitur, cū
 nulla hinc vtilitas vel ad te, vel ad aliū redit, quin po-
 tius contemptus Dei & detrimentum honoris ipsius.
 Hinc igitur facile colligi potest, quādo, & vbi nomē
 Dei sine transgressione huius præcepti nominari pos-
 sit, vbi scilicet fructus sequitur, vt in Oratione potest
 nominari nomē Dei, quia hoc ad gloriā Dei pertinet.
 Sic in laude Dei, item in doctrina sacra, itidem in iu-
 ramento publico, cū scilicet hoc à te exigit vel Dei
 gloria, vel præceptum superioris, vel necessitas proxi-
 mi. Ad gloriam enim Dei facit, quod in testem verita-
 tis adducitur, vt qui solus dignus sit, cuius nomen o-
 mnem litem & controuersiam sedet. Iuxta illud: Om- Heb. 4.
 nis controuersie finis est iuramentum. Deinde iura-
 mētum sic à te exactum etiam ad hoc proficit, vt veri-
 tas & iustitia palmam ferant, & pax & charitas refor-
 mentur, tollanturq; lites & dissidia. Nec obstat quod Matt. 5.
 Christus dicit, non iurandum omninò: propria enim
 voluntate iurare omninò prohibitum est: verū cū
 superior exigit iuramentum à te, vel necessitas proxi-
 mi vel gloria Dei, iam nō ex propria voluntate iuras,
 sed vel per humilitatem seruis alienæ voluntati, vel
 per charitatem seruis alienæ necessitati, vel denique
 per fidem seruis honori diuino.

EXPOSIT. DECALOGI

Summa: qui legitimè vocatur ad præstandū iuramētum per nomen Dei, is iam habet personalem proro-gatiuam vsurpandi nominis Dei. Vt enim generale præceptum est, Non occides: Magistratus tamen ha-bet personalem vocationē & prorogatiuam occidendi fontes: ita & hic. Hæc propter eos dico, qui putant pec-catum esse etiamsi à superioribus requisiti, iurent, vt Anabaptistæ. Verùm vt ad propositum redeamus, prohibetur hoc præcepto omnis prophanatio, de-honestatio, aut iniuria diuini nominis. Multiplici-ter aut̄ dehonestatur nomen Dei: Primò, cū sine cau-sa tantum ex mala consuetudine assumitur & vsur-parur̄. Secundò, cū ridiculè aut inhonestè de DEO & rebus sacris loquimur. Tertiò, cū quæ maiestati Dei debentur, nobis aut nostris viribus, vel virtutibus asseribimus, & de nostris viribus gloriamur, quemad-modum Nabuchodonosor, & princeps Tyri Ezechie-lis vicesimo octauo & Herodes. Quartò, cū impia præ-textu diuini nominis docemus, vt olim pseudophro-phetæ loquebantur in nomine Domini mendaciter, & nunc heretici. Quintò, cū nomine Domini ad incā-tatione maleficia, & alia illicita abutimur. Sic enim di-abolus solet illudere nomen Domini. Sextò, cū si-ne causa & temerè iuramus, hoc enim expresse prohi-buit Christus. Maiori enim reuentia dignum est hoc sanctum nomen, quàm vt ad inutilia vsurpetur. Se-ptimò & maximè nomine Dei abutimur, cū peiera-mus, tunc enim Deum testem falsitatis facimus, quæ summa iniuria est. Octauò nomen Dei dehonestamus, cum mala & inutilia vouemus & promittimus. Exem-plum de Iepte. Nonò, cum vota promissa non serua-mus, si licita sunt. Nam vota illicita non seruanda sunt. Decimo, cū nomē Dei blasphemamus, hoc au-tem multipliciter fit: Primò, per maledicta & execra-tiones. sic is Deum blasphemauit, quem Moyses lapi-dari iussit. Sic Goliath ille blasphemabat Deum Israel, sic Rapsaces, sic & latro ille ad sinistram Christi pen-dens, sic Iudæi blasphemabant Christum. Deinde blas-

Isai. 14.
& Dan. 4.
Acto. 12.
Hier. 27.

Matt. 5.

Leuit. 24.
1. Reg. 17.
4. Reg. 8.
Lucz 23.
Matt. 12.

blas-

blasphemia fit, cūm fidem & Deum negamus. Præ-
 terea cum doctrina veritatis & sacramenta impugnā-
 tur. Sic Paulus dicit se fuisse blasphemum, sic omnes
 hæretici blasphemii sunt, quia viam veritatis blasphe-
 mant. Postremò dehonestatur nomen Dei impia vi-
 ta nostra, iuxta illud: Iugiter tota die nomen meum
 propter vos blasphematur inter gentes. Vnde Paulus
 monet vt honestè viuamus, ne nomen Dei propter
 nos malè audiat. Vides igitur quā latè se extendat hoc
 præceptum. Omnia hæc prohibet Deus, vt certò scias
 ea Deo placere. Sed nunquid tantūm mala prohibet
 præceptū hoc? Nequaquam. Sed insuper etiam quod
 bonum est præcipit. Nā primo præcipit, vt nomē Dei,
 & quicquid sub nomine Dei compræhenditur, magni
 æstimemus, quæ de ipso scimus & habemus, cogite-
 mus, admiremur, libenter audiamus. Secūdò, vt ipsum
 nomen Domini verbis & operib. sanctificemus. Ter-
 tiò, vt nomen Domini inuocemus, est enim turris for-
 tissima. Quartò, vt nomen Domini prædicemus, vo-
 cauit nos vt annunciemus virtutes eius qui nos voca-
 uit, &c. Sic Christus: Manifestaui nomen tuum. item:
 Clarificaui. Quintò, vt in nomine Domini confida-
 mus, iuxta illud: Hi in curribus, &c. nos autē in nomine
 Domini inuocabimus. Sextò, vt nomen Domini ti-
 meamus. Deut. 28. Septimò, vt de Deo libenter audia-
 mus, ipsum confiteamur, exaltemus, &c. Insuper etiā
 ad auditum nominis eius externam reuerentiā osten-
 damus, vnde videant alij nos nomen Domini in ho-
 nore habere. Sic Paul, dicit, quòd in nomine Domini
 omne genu flectatur. Item Christum & Deum coram
 mundo cōfiteamur, sicut martyres. Itē vt veritatē, iu-
 stitiā, &c. quæramus defendamus, contrarium perse-
 quamur, In summa, semper cogitemus illud verbū vir-
 ginis beate. Et sanctū nomen eius. Id ipsum igitur no-
 men semper sanctificemus. Habet autē & hoc præce-
 ptum adiunctam cōminationem, ne putemus Deum
 nullam habere huius peccati rationem, propterea
 quod non statim punit. Additur ergo comminatio,

1. Tim. 14.
 2. Pet. 2.
 Isa. 52. 8.
 Ezech. 36.

1. Tim. 5.

Ierem. 23.
 Prou. 18.
 1. Pet. 2.
 Ioan. 17.

Psal. 118.

Phil. 2.

EXPOSIT. DECALOGI

ut significetur, quòd etsi Deus sit longanimis, com-
 pensare tamen soleat tarditatem grauitate supplicij,
 id quod publicis etiam miraculis declarauit in Na-
 buchodonosor, in Sennacherib, & in Herode. Acto.
 12. Nunc igitur vitā nostram ad hoc præceptū, ad hanc
 regulam diuinæ voluntatis comparemus, intueamur
 præceptum hoc vt speculum, & videbimus horren-
 da monstra peccatorū, in humanas blasphemias. Pri-
 mò, vide quā parui æstimemus Deum & diuina, cir-
 culatoribus & scurris ascultamus, sed non Deo, &c.
 Deinde quā pauci sunt, qui nomen Dei, id est, mise-
 ricordiam eius, &c. item Christū & passionem eius de-
 uotè cogitēt, recolant, admirētur. O ingratitudinem,
 Tertio, quā pauci Deum laudant & gratias agunt. Sē-
 per quidem cupimus, vt Deus largiatur, sed rarò gra-
 tias agimus. Quòd si laudamus eum, tantum cum be-
 nefacit laudamus, non in aduersis. Nemo imitatur S.
 Iob qui dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit
 nomē eius benedictū, &c. Prætereā ad eò non inuoca-
 mus nomē Dei, vt rarissimè etiā oremus, vt verè in no-
 bis impleatur illud propheticū: Nō est qui inuocet no-
 men tuū. item: Non est q̄ cōsurgat & teneat te. Quan-
 tum autem Deo confidamus & nomini eius, satis pa-
 tet ex eo, q̄ in minima aduersitate aut desperamus, aut
 ad magos & dēmonū auxilia currimus. Insuper nec
 nomen Dei timemus, nec ad iudicia eius contremisci-
 mus. Me ergo nō timebitis, &c. Ad hæc pauci sunt, qui
 ex animo gloriam Dei quærant, promoueant, defen-
 dant. Videmus gloriā Dei & Christi à Turcis & hereti-
 cis pessundari, nemo obstat, nemo defendit gloriam
 Dei. VAE, VAE, VAE vobis capita Ecclesie, quib. nō est
 curæ Dei nomen & gloria. Postremò, quā facilè de-
 clinam⁹ à veritate, iustitia, &c. vel modico precio, aut
 temporali commodo inducti, &c. Vide, quā nō ho-
 noremus nomen Domini. Et vtinam hoc tantū esset,
 nisi insuper etiā horrendè id ipsum sanctissimū nomē
 de honestarem⁹. Primò enim vide, quomodo magna
 tes huius seculi nō sine titulo honoris nominemus, sic
dici-

Dan. 4.
 4. Reg. 19.

IOB.

ISA. 64.

IER. 5.

dicimus: Papalis sanctitas, Imperialis maiestas, regia serenitas, ducalis gratia hoc fecit, &c. solum nomen Dei sine omni honore proferimus, quod impius etiam Caiaphas non ausus fuit pronunciaré, nisi adderet nomen honoris: Tu, inquit, es filius Dei benedicti. Et Paul. *sc. Matt. 26.* *sc.* cum Deum nominat, addit, Qui est benedictus in secula. Nos autem sine omni honore Deum nominamus in omni colloquio sine omni necessitate, & quæ admodum sus preciosum aliquem pannum in luto volurat, sic nos nomen Dei. Nullum colloquium, nullus sermo tam vanus, tam malus, tam lasciuus, tam perniciosus, &c. cui non immisceamus nomen Domini, quod nullus nostrum suo nomini sineret fieri, &c. Deinde, vide, quam leuiter & ridiculè loquamur de Deo, deque rebus diuinis, Euangelio scilicet, sacramentis, &c. Vide quam temerè loquamur de predestinatione & occultis iudicijs Dei sine omni timore. Vide, quam impiè tractemus scripturas, tantum ea accipimus, quæ nobis blandiuntur, reliqua contemnimus. Item scripturas ad affectus nostros accommodamus, scripturis & Euangelio nostram inobedientiam, leuitatè, luxuriam, rapinas, errores honestamus, &c. Vide, quam temerariè doctrinam veritatis blasphememus, ieiunium & cælibatum vocamus doctrinam demoniorum, orationem & elemosynam vocamus hypocrisin, Ecclesie cæremonias vocamus nugas, sacramentum altaris dicimus deum impanatum, &c. representationem passionis Christi quæ in Missa fuit, vocamus summam blasphemiam, ecotra inobedientiam nostram dicimus esse Zelum Dei, &c. Sic quæ *Isa. 54.* quod bonum est, dicimus malum, quod malum, bonum, contra comminationem prophete, &c. Vide etiam, quam indeuotè & verbum Dei, & scripturas, & sacramenta, & res sacras tractemus, laici & sacerdotes. Preterea nomine sancto Dei vtimur ad obtegenda peccata: deprehensi enim per nomen Dei negamus nos mala fecisse. Sic fur sua furta, adulter sua peccata, latro sua homicidia, &c. nomine Dei tegit. O iniuriam diuini nominis. Quid dicam de pessima illa consuetudine, qua nomine

EXPOSIT. DCALOGI

Domini communiter utimur ad incantationes, sortilegia, &c. diabolica figmenta. O impios nos, qui nomen Dei nostri diabolo accommodamus ad diabolica sua figmenta. Si tantum potest diabolus, ut præ se fert, utatur suo nomine. Nec obstat quòd dicitur: sunt sancta verba, quibus utor in hac re. Si sancta sunt, ad sancta his utere, non ad prohibita. Considera insuper, quàm crebrò temerè iuramus, pro obulo, pro re nihili: nec solùm iuramus, sed deieramus, id est, valdè iuramus, cum Christus hoc omnibus modis prohibuerit. Per consuetudinem enim iurandi & honor nominis diuini decrescit, & nos paulatim ad periuriam perducimur. Vide item, quàm temerè nostris temporibus frangantur quæcunque promissa & vota etiam Deo facta, &c. cum scriptura dicat, Quæcunque uoueris Deo, redde, &c. Vide denique quàm crebra nunc sint periuria quibus Deus in resem falsitatis assumitur, quæ utique summa iniuria Dei est, unde ubique arguitur in scripturis, ut patet in Osee, &c. Quantum autem & quàm perniciosum sit peierare, vel ex eleuatione triũ digitorum colligere possumus. In hoc enim, quòd iurans tres digitos leuat, significatur quòd & famam & corpus & animam perdit, si falsò iurat. Talis enim & infamis est, & secundum leges punitur, & in cõsciẽtia damnatus est. Omnium maximè autẽ vide, quàm inoleuerit horribilis illa consuetudo blasphemandi nominis Domini inter senes & iuuenes, mulieres & viros religiosos & seculares. Quis nõ exhorrescat? Nihil sanctius est Christi passione & vulneribus, nec sine honore & laude nominanda essent, sed vide quàm indignè tractentur, quàm rabido ore blasphememus Christi sanguinem, angustiam, vulnera, &c. O impietatem horrendam, ò ineffabilem patiẽtiam Dei, qui hæc patitur. Et interim omnes hæc audimus, nemo exhorrescit, nemo obstat, nemo punit, cum sciamus in Leuitico præceptum, ut blasphemus occidatur, &c. Et interim conquerimur de Turcis, quòd res sacras vastent, cum nos peiora faciamus in sanctissimum nomẽ Do-

min

Matt. 5.

Ecl. 5.

Osee 4.

Leuit. 24.

mini, &c. Postremò, impietas vitæ nostræ manifestè diuino nomini honorem derogat apud incredulos. Et *Ezech. 12* verè nomen Dei propter nos blasphematur inter gentes. Ex his facillè videmus, quàm longè vita nostra discrepet à regula diuinæ voluntatis. Sed hocne Christianum est? Sicne ad cælum peruenire speramus? Nullo modo. Si non erit innocens qui nomen Domini in vanum acceperit, quantò minus qui nomen Domini ad extremum blasphemat? Exempla blasphemie punitæ habes in Sennacherib, in Holoferne, Nabuchodonosor, in Pharaone. *Exod. 14.* in Nicanore, *2. Mach. 4. Reg. 19. Dan. 4.* *15.* in Antiochio, *1. Machabæorum nono.* Si peccauerit vir in virum, ait Heli, propitiabitur ei: si autem in Deum quis peccauerit, quis orabit pro eo? Verè enim horrendum est incidere in manus Dei, &c. Imitemur igitur sanctos, quibus nihil dulcius fuit nomine Dei, nihilque honorabilius. id quod videmus in Psalmis & prophetis, qui vbiq; prædicant, extollunt, magnificânt nomen Domini, vt: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuû, &c. item: Confitemini Domino & iauocate nomen eius, &c. item: Quis similis tui Domini? Magnus es tu, & magnum nomen tuum, *Ier. 10.* quis non timebit te rex gentium? &c.

III. Præceptum.

Memento, vt diem sabbati sanctifices.

Sicut primum præceptum exigit cor, secundū linguam: sic hoc tertium exigit opus externū. Vult enim Deus coli corde, ore, & opere. Ad intellectum autem huius præcepti quædam præmittenda sunt nempe quid sit sabbatum, cur institutum & signanter septima die, quid significet, & quatenus nos obliget. Sabbatum, dictio Hebraica est, & requiẽ significat, vel cessationem à laboribus. Quies autem vel cessatio à laboribus. Iudæis præcepta erat: Primò, vt commodius possent vacare rebus diuinis, nam externæ occupationes distrahūt & impediunt. Secundò ideo, ne quis dicere posset se non habere tempus Deo vacandi, vt omnes

EXPOSIT. DECALOGI

facile excusationes quærimus in rebus spiritualibus. Tertio, ut auaritiæ obuiaretur, quæ hominē ita ad laborem adigit, ut putet se non posse viuere, si vel vno die à labore manuum cessaret. Contra hoc Deus præcepit feriari, ut veī sic agnosceret non labori suo, sed Deo ascribendū quod viueret. Quarto, etiam ideo institutū sabbatum, ne seruos & ancillas, imò, & pecora nimium grauarent laboribus. sic enim Deus etiam humilium, imò & brutorum curam agit, & vbiq; odit duritiem & immisericordiam etiā in quoscunq;. Quinto, institutum fuit sabbatū ad significationē spirituum & futurorum, Sic enim in Ezechiele dicitur: *Dei eis sabbata mea, ut sint signum inter me & ipsos.* Sabbatum igitur Iudaicum primò præfigurauit quietē Christi in sepulchro. Deinde præfigurauit totū tempus noui testamenti, q̄ totū à nobis sanctificari debet. Est autem vna dies, cui semper lucet sol iustitiæ, ideoq; nō stem non habet. Hinc Isaias: *Erit, inquit, mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, id est, continuum sabbatum: sic enim apud nos esse debet.* Tertio, sabbato significata fuit requies conscientiarū & spiritualesabbatū, q̄ est cessare ab operib. nostris, ut Deus in nobis sua opera operetur, & cessare à volūtate nostra, ut Dei voluntatem inquiramus. Quarto, per sabbatum adūbrata fuit requies sanctorum post hanc vitam, de qua in Apocalypsi: *A modo iam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis. Quamdiu enim sex illi dies durant huius vitæ, in labore multo sumus: cū autē septima dies illuxerit, quietem habebimus nedum à labore, sed etiam à luctu, clamore, & dolore. Tunc enim absterget Deus omnē lachrymam ab oculis, &c. imò tunc erit perpetuum gaudium. Ut autem ad illud verum sabbatum perueniamus, necesse est, ut hic incipiamus cessare à peccatis. Ad hoc Paul. hortatur, ut festinemus ingredi in illam requiem, monetque ne obturemus aures nostras, ut non à requie Domini excludamur, quemadmodum Israelitæ. Quod autem cessatio ab operibus externis potissimum in*

Ezech. 20.

Isa. 66.

Apoc. 4.

Apoc. 21.

Hebr. 14.

septi.

septimam diem indicta fuit Iudæis, idè factum est, q̄
 Deus ea die requieuit ab operibus suis, hoc est, à crea- Gen. 1.
 tione. Deinceps enim non nouas creaturas fecit, sed
 iam factas conseruauit & gubernauit. Patet igitur,
 quòd sabbatum Iudaicum potissimùm institutum
 fuit in memoriam creationis. Noluit enim Deus, vt
 hoc opus obliuioni traderetur, & quia ipse sex diebus
 homini seruiert in creatione, voluit, vt contra vel v-
 no die homo Deo seruiret, ipsiusq̄ opera cōsideran-
 do in laudem & amorem Dei seipsum excitaret. Cæte-
 rum, non eodem modo præceptum hoc nos ligat vt
 Iudæos: habet enim aliquid speciale. Nam partim cæ-
 remoniale est, partim morale. Quantum autem cæ-
 remoniale est, nihil nos obligat. Primò autem cære-
 moniale est, quòd non alia die, quàm septima celebrā-
 dum erat. Hoc autem per Christum sublatum est. Vn. Matt. 12.
 de dicebat: Filius hominis etiam est. Dominus sabba-
 ti. Idè & Paulus: Nemo vos iudicet in parte diei sab- Col. 2.
 bati, aut neomeniæ, &c. Secundò, cæremoniale erat,
 quòd in sabbato spirituales ritus & sacrificia fiebant,
 vt in Numeris habetur. Sed nec hoc nos obligat, nam Num. 28.
 Christus cæremonas legis abstulit: Tertio cæremonia-
 le & illud erat, quòd tam strictè eis labor manuum in- Exo. 16.
 terdictus erat, vt nec cibos parare in sabbato liceret,
 nec vltra mille passus ambulare (hoc enim erat iter Act. 1.
 sabbati.) Vnde & in Numeris lapidari iubetur, qui li-
 gna collegerat in die sabbati. Vnde & postea quidam Num. 15.
 tam strictè sabbatum seruauerunt, vt potius vellent
 interire, quàm seipsum defendere in sabbato. Tempo-
 re Christi Pharisei adhuc strictius laborem in sabba-
 to prohibebant, adè, vt spicas vellere ad manducan-
 dum, Matthæi 12. Item lectum tollere. Ioan. 5. & lutum Ioan. 9.
 ex sputo facere, iudicarent transgressionem sabbati.
 Sic autem non ligat nos præceptum hoc. Licet enim
 nobis in festis nostris nedum cibos parare, sed etiam si
 vel necessitas, vel proximi charitas, vel etiam Dei ho-
 nor exigat, externè laborare. In his enim tribus Chri- Matt. 12.
 stus apertè dispensat. Quantumuis autem præceptum

EXPOSIT. DECALOGI

hoc in his tribus iam dictis nos nō obliget, nō tamen ideo abrogatum est. Exigit enim etiam à nobis, vt certo tempore à ciuilibus operibus cessemus, quò conuenientius diuinis rebus vacemus. Nam cū & nos homines simus, etiam corporaliter opus habemus externa requie. Quòd enim alterna requie caret, durable non est. Deinde, quia & nos corpus & animam habemus nō minus, quàm Israelitæ, vult Deus etiam à nobis corpore & anima coli.

Prætereà, cū Christiani simus, quibus æterna promissa sunt, non conuenit, vt semper & solum terrenis occupemur. Ad hæc, quia animæ robur corporis mole ac operatione distrahitur & debilitatur, ad eò, vt perfectionem iustitiæ minus exprimat, imò à fide & charitate omninò excidat, nisi verbo & spiritualibus charismatibus subinde foueatur, necessarium est, vt certo tempore ad audiendum verbum Dei vacemus, & cætera.

Postremò, cū etiam nos seruos & ancillas habeamus, suadet hoc charitas, vt non duriores erga illos simus, quàm Iudæi: item ne laboribus nostris ipsorum salutem impediamus, maximè cū serui nostri & ipsi Christiani sint, eandem fidem, eandemque promissionem habentes, &c. Ob has inquam causas etiam à nobis exigitur, vt certo tempore vacemus à laboribus externis.

Hinc est, quòd Ecclesia ab antiquo instituit & obseruauit diem Dominicum, non quòd nulla alia dies ad hoc deputari potuerit, cū omnes dies æquè sancti sint, & Ecclesia nulli diei affixa sit: sed q̄ hæc dies commodior visa est ob resurrectionem Domini, qua eadem dies quasi consecrata est, vt perpetuò à Christianis obseruetur. Vnde & ab exordio dicta fuit dies Domini, vel Dominica, vt patet in Apocalypsi. Ob hæc causam eadē dies Dominica scilicet ab omnibus obseruari debet, ne fiat tumultus & deordinatio in Ecclesia. Non enim ideo nullis externis cæremonijs opus est, quòd Christus cæremonias legis abrogauit.

Cum

Cum enim hæc cæremonia Mosaicæ tantum præfigurassent Christum, non amplius poterant seruari postquam Christus venit: Apostoli tamen statim alios ritus instituerunt, quibus ordo seruaretur in Ecclesia, ut patet in epistola ad Corinthios, &c. His præmissis, nunc verba præcepti discutiamus.

1. Cor. I.
II. 7.

Memento, ut diem sabbati sanctifices.

Iudæi dicunt hoc verbum exhortatorium ideò positum esse in principio præcepti, ut omnia, quæ homo preciosissima habet, in decus sabbati conferat, ut scilicet, si vestem habeat nouam, eam non induat nisi sabbato. Verum hæc superstitio Iudaica est. Et nos enim in festis nostris utimur cultioribus vestimentis, verum non propter sabbatum, sed propter Ecclesiam, ne in Ecclesia immunditia aut fœtore alios offendamus. Ob eandem causam Paulus vult, ut mulieres velato capite orent, propter angelos, inquit. Reuerà autem hoc verbo, Memento, arguit & monet oscitantiam & obliuionem nostrã, qui admodum facile & Dei & diuinorum obliuiscimur, nisi subinde admoneamur, in tẽporalibus aut non item. Secundò addit, Memento, ut diem sabbati sanctifices. vbi planè apparet potissimam causam sabbati non esse otium à labore, sed sanctificationẽ. Otiari & ferari omnes sciunt, sanctificare aut non item. Sanctificare autẽ sabbatum, est sanctis rebus occupari, itemq; sanctum esse. Sanctæ res sunt Deus, verbum Dei, cõmemoratio passionis Christi, oratio, laus Dei, eleemosyna, &c. Sanctificat igitur sabbatum, qui de Deo cogitat, beneficia eius recolit, &c. Sic David: Memor ero ab initio mirabilium tuorum. Itẽ sanctificat, qui verbũ Dei audit, legit, docet, cogitat, ruminat. Sic olim etiã Iudæi in synagogis sabbato Prophetas legebant. Itẽ, qui passionem Domini, cuius memoria, imò representatio in Missa agitur, recolit. Itẽ, qui pro se & tota Ecclesia orat. Item, qui eleemosynas facit. Vera enim religio, est visitare pupillos & viduas in tribulatione. hinc Christ⁹ omnium maximè sabbatis benefecit, & re ipsa docuit sabbatis benefaciendũ. Nec satis

1. Cor. II.

Acto. 13.

Iacob. 2.

EXPOSIT, DECALOGI

est, vt sanctis rebus occupemur, sed vt sancti simus, alioqui quomodo sanctificas sabbatum, si pergas pollui & pollutus esse? Ad sanctificationem igitur hanc pertinet, vt nos Deo reconciliemus, & quod per totam septimanam impiè gessimus, tunc emendemus, & lachrymis & pœnitentia aboleamus. Hoc pro parte affirmatiua huius præcepti.

Negatiua pars est, vt cessemus ab operibus. Interdicitur igitur labor manualis, non quòd in se sit malus, cum vbique à Sapiente suadeatur, & scriptura beatum prædicet, qui labores manuum suarum comedit. Bonum igitur est laborare, sed sunt & alia, quæ meliora & magis necessaria sunt. Vnum, inquit, est necessarium, nempe vacare Deo. Labor igitur manualis etiam si in se bonus sit, tamen meliori cedat necesse est. Et quamuis Deum cogitare etiam in labore possimus & debeamus, tamen admodum difficile est: nam labor animum distrahit, & pluribus intentus minor est ad singula sensus. Vide autem, quàm pulchrè Deus omnem nobis excusationem præripiat: Primò, ne quis dicat se nò habere tēpus Deo vacandi, Deus ipse diem determinat, & laborem interdicit. Deinde, ne quis putet sibi pereundum esse, si sabbatis nò laboret, ait: Sex diebus opus tuum facies. Q. d. satis temporis habes ad laborem, etiam si hunc diem Domino dedices. Præterea, ne quis dicat. Volo quidem ego feriari, sed saltē filij & serui laborent. Et hoc prohibet Deus. Vult enim non solum te habere, sed etiam filios & seruos tuos.

Rom. 19. Nam est Deus omnium, & non est apud eum acceptio personarum. Quòd si quis querat, cur tantoperè quies à labore præcepta sit, ait: Sabbatum Domini est, Q. d. quid inania quæris, Deus ipse sabbatisauit, cur nò & tu? Dei præceptum & voluntas est, quid vterius quæris? Quis tu, vt respondeas Deo? Quòd si quis querat, cur potissimum hunc diem, & non alium feriari præceperit? Respondet: Sex diebus fecit Deus cælum, &c. Vbi planè videmus, q̄ sabbatum in memoriã creationis fuit institutum, sicut & Dominica nostra in memoriã

mōriam redemptionis. Bis enim quōdammodo Deus
 mundum creauit: Primò enim creauit, quod non erat
 per verbum. Deinde, per diem incarnatum restituit,
 quod perierat. Vtrunq; opus vult recoli, ideo prius
 institutus dies sabbati, nunc dies Dominicus. Ex his
 igitur facillè videmus, quid hoc præceptum exigat, nē.
 p̄ primò, certi temporis obseruationem, quo Deo va-
 cemur: Secundò, cessationem à labore manuali, pro-
 pterea, quòd animum impedit & distrahit: Tertio, ces-
 sationem à peccatis, quæ maximè sunt opera seruilia. Ioan 8.
 Qui enim facit peccatū, seruus est peccati. Hinc Isaias, Isa. 56.
 beatum dicit, qui sabbatum non polluit, vt faciat om-
 ne malum in eo. Et iterum: Si auerteris pedem tuum Isa. 58.
 non facere voluntatem tuam in die sancto meo, &c.
 Vbi planè videmus, quòd sabbatū violatur, cum mala
 facimus, aut voluntatem nostram sequimur. Quarto
 exigit, vt insuper etiam sanctis operibus nos occupa-
 mus. In summa, vt quòd Iudæi corporaliter exhibe-
 bant in sabbato, nempè vestes mundiores, cibum lau-
 tiorem, & otium, nos spiritualiter impleamus. Otium
 corporale significat otium spirituale à cupiditatibus
 & cogitationibus, imò & operibus malis, vt capax pos-
 sit esse homo verbi Dei, quòd requirit animā vacuā.
 Esurientes enim implet bonis, non diuites. Ornatus
 vestimentorum significat virtutes & bona opera. Lau-
 tus victus significat legere & meditare beneficia Dei,
 passionem Christi, propria peccata, &c. Summa, hoc
 præceptum expugnat acediam, hoc est, torporem, vel
 omissionem & negligentiam ad diuinum cultū, quæ
 maximè fugienda est, quia & diabolo viā facit ad cor-
 da nostra: (Vbi enim inuenerit domum vacantē, illic
 intrat:) & causam præstat ad omnia peccata. Otia enim
 dant vitia: & hominem multis bonis priuant. Et insu-
 per iræ & flagellis Dei subijcit. Ideò enim Deus desi-
 dem populum varijs flagellis exercere solet. Imò etiā
 interdum hæretica insania oues dominicas cum ipsis
 pastoribus incessere permittit, vt vel sic excitati in ne-
 gotio animerum sint magis vigilēs. Ad pellendam autē
 acediam

EXPOSIT. DECALOGI

Iob 7.

Gen. 2.

acediam multum facit, si consideremus voluntatem Dei, qui, teste Iob, hominem ad laborem creavit. Unde nec in paradiso ipsum otiosum esse voluit: deinde, si consideremus præmium operibus promissum: Tertio, si consideremus temporis huius & vitæ brevitatē: & quarto, si consideremus necessitatē: si enim hic laborem fugis, alibi laborandum erit, mors tibi auferet & tuos & tua, quæ pro Deo relinquere non vis, &c. Sic igitur videamus, quæ sit volūtas Dei in hoc præcepto. Nunc vitam nostram ad hanc regulam & speculum conferamus.

Hebr. 13.

Isai. 66.

Ecc. 3.

Aliqui ex toto contemnunt ferias & omnia externa, quod videantur sibi ipsi esse spirituales, cum nihil nisi carnem sapiant. Argumenta eorum sunt, Christiani spirituales sunt, ideo non opus habent cæremonijs, nec vident, quàm pauci sint veri Christiani. Prius igitur Christiani formandi sunt, antequam liberi pronuncientur. Alij dicunt, Oēs dies equè sancti sunt: nā Christus heri & hodiè, quasi ideo Christus velit esse author vanitatis, leuitatis & inobedientiæ. Verè scimus fidelibus esse sabbatum ex sabbato, sed iuxta etiam scimus cuique officio suum tempus esse designatum: non enim omnia simul facere possumus. Omnia tempus suum habent. Alij dominicam quidem recipiunt, sed non alia festa, quasi ecclesiæ non liceat, quod licuit synagogæ. Relebant illi suis temporibus gratiam Dei, quæ Iudith, Hester, Machabæo, &c. contigit, quare Ecclesia eandem gratiam, imò maiorem non recolat beatæ Virgini & Apostolis Martyribusque exhibitam? Alij cessant quidem ab opere externo, sed nihil amplius: non enim cessant à vitijs, nec in bonis se exercent, sed tantum otiantur, dormiunt. Olim non putabatur sabbatum peractum, nisi esset auditum sacrū officium Missæ, & verbum Dei: nunc nedum negliguntur, sed etiam ridentur. O impietas. Quod si huiusmodi sacris intersumus, quàm frigidè agimus, &c. Iridè fit in laude Dei & cultu externo. Nec in domibus fiūt, quæ fieri debent: nemo enim instituit pueros, nemo
orat,

Orat, meditatur. Et interim miramur, tanta mala in mundo esse. Multò rariùs eleemosynā præbemus, quæ vel maximè cohonestandæ essent feriæ nostræ, ne Iudæis minores essemus, ac quibus legimus, quòd in festis mittebant partes eis, qui non præparauerant sibi. **Nehc. 2.** At in nostris festis vbiq; quidem, viæ plenæ sunt hominum non infirmos visitantium, sed ad vanitates, choreas, spectacula, & ad vinum currentium, &c. Ut interim taceam, quòd nunquã maiora peccata fiunt, quàm in festis. Studetur totodie ebrietati, pompæ, ludis, luxurijs, blasphemijs, &c. Nec quisquã est, qui hæc vel recogitet, vel puniat, aut prohibeat, vt non mirum sit, quòd hostes nostri derident sabbata nostra. Imò **Thren. 2.** Deus ipse huiusmodi sabbata detestatur. Sic enim olim Iudæis dixit: Iniqui sunt cœtus vestri: Sabbata vestra odiuit anima mea. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Nec solùm detestatur, sed insuper punit. ideo dicit: Appropinquare fecisti dies tuos, id est, iudicium. **Ezech. 22.** tuum, quia sabbata mea polluisti. Vnde in **Osee: Cessa. Osee 2.** re faciam gaudium & sabbata, imò festa vestra cõuertentur in luctum, &c. **Amos 8.**

IIII. Præceptum.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.

Hactenus de tribus præceptis primæ tabulæ pauca diximus, quæ ad Deum nos dirigunt, & ad dilectionem Dei pertinet. Nunc ad secundã tabulã accedamus, quæ septem habet mandata. Omnia tamẽ ad dilectionem proximi pertinent. Obseruandum igitur, quòd Deus vtrasq; tabulas & scripsit & dedit, vt sciamus nedum dilectionem Dei, sed etiam dilectionem proximi **1. Ioan. 4.** à nobis exigi. Vnde Ioannes: Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suũ. Imò qui fratrem non diligit, iam conuincitur nec Deũ diligere, vt idẽ dicit. Dilectionem autem proximè summè nobis cõmendauit Christus: Mandatum, inquit, **Ioan. 13.** nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

EXPOSIT. DECALOGI

Rom. 13. Imò hoc ceu signo quodã vult suos discipulos agnos-
 sci, vt ibidem dicitur. Vnde & Paulus: Nemini quicquã
 debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Nec mirum, quòd
1 Cor. 13. dilectio plus exigitur à nobis Christianis, quàm ab a-
 lijs. Nos enim nedum scimus, quòd vnus naturæ &
Ephes. 4. originis sumus, sed etiam, quòd vnã fidem, vnũ ba-
 ptisma, vnã patriam cælestem, vnum patrem in cæ-
 lis Deum habeamus, vnum Dei spiritum omnes hau-
 riamus. Denique in Christo Iesu vnum corpus omnes
 sumus. Cùm itaque tot vinculis nos inuicem Deus al-
 ligauerit, omninò non conuenit, vt propria malitia
 hæc vincula pacis rumpamus. Quocunque enim nos
 vertimus, videmus fratres nostros, imò proximos. Nò
 propinquos tantum, sed proximos nominat omnes
 homines, vt cogitemus non posse nobis proximiores
 esse: quæ enim sibi inuicẽ proximius adhærent, quàm
 membra eiusdem corporis? Nec ab hoc præcepto dile-
 ctionis quisquam excipitur. Ideo in singulari dicit:
 Diliges proximum, vt sciamus, quòd etiam si omnes
 alios diligamus, & vnum tantum hominem odiamus,
 quòd præcepti transgressores sumus. Ad verã autem
 dilectionem proximi requiritur sinceritas & religio.
 Sinceritas, vt nullo alio respectu, nulla alia causa dili-
 gamus proximum, nisi propter Deum. Nam qui alium
 diligit propter suam utilitatem, aut voluptatem, non
 sinceriter diligit. Requiritur & religio vel sanctitas in
 dilectione, vt scilicet in Deo diligamus. Ad dilectionẽ
 autem proximi nos inuitare debent exempla etiã gen-
 tium, qui non tanta pignora amoris habuerunt, mul-
 ti tamen eorum pro amicis animas ponere non dubi-
 tarunt, &c. Imò ipsa natura nos inuitare debet ad mu-
 tuam dilectionem. Nam natura sic comparatum est,
Ecel. 13. vt omne animal diligat sibi simile, &c. Cæterum, quã-
Gal. 6. uis omnes diligendi sint homines, monet tamen Pau-
 lus, vt in primis domesticorum fidei rationem habe-
 mus. Vnde & Deus in præceptis suis videtur ordinem
 diligendi & obseruasse, & monstrare voluisse. Nã pri-
 mò monuit, vt Deum supra omnia amemus, deinde
 statim

statim de honorandis parentibus præceptum ponit in speciali, postea de omnibus in communi alia præcepta subdit. Congruè autem præceptum de honore parentum statim post præcepta ad Deū attinentia ponitur: Nemo enim nobis proximior est parentibus. Deinde, sicut Deus est principium omnium, sic parētes habēt rationem principij respectu filiorum: Et sicut Deum supra omnia amare iubemur, ita ordo charitatis postulat, vt parentes supremo amore prosequamur. Ob hanc causam Deus suū nomen parentib. cōmunicat: Ipse enim verè meretur dici pater, imò & mater, quia nō tantum creauit & genuit, sed aluit, educauit, nutrit, portauit. Ego, inquit, nutritius Ephraim. Itē: *Voca me, pater meus es tu.* Itē: *Si ego pater vester, vbi est amor meus?* itē: *Portamini, inquit, à meo utero. itē, portauit, & portabo, &c.* Quid enim possent parētes prestare sine Deo? Hinc sancta illa mater ad filios suos: *Nescio, inquit, quomodo in meo utero apparuistis. Neque enim ego spiritum & animā donauit vobis, &c.* Patris igitur nomen propriè Deo conuenit. Vnde Christus: *Patrem nolite vobis vocare super terram: vnus enim pater vester in celis.* Tamen hoc nomen Deus etiā parentib. cōmunicat, meritò igitur in dilectione debent esse primi. Audi igitur hoc præceptū. Breue quidem est in verbis, quia duo tantūm verba habet, sed latè se extendit. Primò enim non dicit, *Dilige patrem, &c.* sed *honora*, vt sciamus nos parentib. plus debere, quā alijs. Deinde & patrem & matrē nominat, & vtrique suum p̄nomen addit: *Patrē, inquit, tuū & matrē tuam, vt vehemētius sonet. sic & scriptūra aliās facit, vt cū Sapiens dicit: Honora patrem tuum, & ne obliuiscaris gemitus matris tuę.* Hic autē obseruandū quatenus nomen patris se extendat, deinde quid sit honorare, in his enim duob. vis præcepti consistit. Et vulgus quidem hominum simpliciter hæc verba intelligit de corporalibus parentibus, & de externa reuerentia, sed longè plura exiguntur. Primò quidem & ante omnia patris & matris nomine parētes carnis intelliguntur,

Osee.

Ier. 2.

Mal. 1.

Isa. 46.

2. Mach.

Matt. 23

Eccl. 7.

EXPOSIT. DECALOGI

nec dubium, quin ad hoc omnium maximè præceptū hoc referendum sit. Nam cum nedū in scriptura, sed & secundū communē vsū loquendi, nihil aliud sit patrem esse, quā benefacere, seruire, nutrire, &c. certum est quod nomen patris post Deū primò omnium parentibus cōuenit, à quibus maiora accepimus, &c. Hęc dico ne quis ex hoc præcepto allegoriā faciat, & literā relinquens nescio quos alios patres in locū statuat, quē admodū Iudæi quod contemptis parentibus docebāt filios tantū Deo offerre, qui verus pater esset. Præceptū igitur hoc primò omnium ad carnales parētes pertinet, sed nō ad solos. Sunt enim & alij quod patris & matris nomine appellātur, imò quod & loco parētū nobis sunt. Primò ecclesia parentū loco nobis est, & maximè matris, quia corporaliter genitos statim per baptismū regenuit, deinde lacte doctrinę & fidei nos aluit & alit. Vnde & Paul. dicit, quod spiritualis illa Hierusalem sit mater nostra. Deinde præceptores parētum officio funguntur, quod enim parentes dare nō potuerunt, hoc ipsi dant, id est, mores, scientiā, disciplinā, artes, &c. sine quibus homo nihilo melior est, quā bestia. Vnde Salomon in moribus nos instruēs sepe dicit: Audi fili mi disciplinā patris tui, &c. Præterea tutores & patroni, qui orphanorum curā habent, parentū officio funguntur: vnde & Ioseph dictus fuit pater Christi, cum tantū esset nutritius. Insuper quod in spiritualibus nobis præsumt, verbum Dei annūciant, & spiritualia nobis thesaurizant, vt Apostoli & eorū successores, patrum officio funguntur. Vnde Helizeus Heliā nominat patrem suū: Pater mi, pater mi, inquit. Ob eandē causam & Ioas rex Israel Helizeum patrē nominat. Et Paulus: In Christo, inquit, per Euāgeliū ego vos genui. Et iterū: Filioli, quos iterū parturio, &c. Et iterū: Rogo te pro filio meo Onesimo quem genui in vinculis. Ad hæc etiā reges & principes externo gladio imperantes parētum officio funguntur: quod enim à parentibus accipimus, vitam scilicet & temporalia, hoc ipsi defendunt gladio, ne maligna nobis auferant. Vnde & patres patrię etiā

apud

Matt. 23.

Gal. 4.

Pro. 1.

Luc. 2.

4. Reg. 2.

4. Reg. 13.

1. Cor. 4.

Gal. 4.

Philom.

Rom. 11.

apud gentiles vocantur. Insuper etiam patrum officio funguntur quicumque domini domus, nam & alimenta & regumenta & mercedem dant, & cæt. Vnde & vñtato nomine patrisfamilias & matrisfamilias etiam in scriptura dicuntur. Hac ratione & *Iob 29.* dicit: Pater eram pauperum. Postremò seniores quoque, qui prudentia & longa experientia edocti patrum nomine censentur. Vnde Paulus: Seniore[m] obsecra vt patrem, anus vt matres, & c. Omnes igitur *1. Tim. 5.* iam dicti, quia patris nomine censentur, & parentum officio funguntur, ad hoc præceptum pertinent. Sic igitur nomen hoc patris docet nos, qualiter omnes nobis quoque modo præpositos æstimare debemus nempe vt patris, idque ex præcepto Dei, quod vtinam attenderemus, & c. Deinde nomen hoc patris docet omnes suprà nominatos quales se exhibere debeant, nempe vt patres: Nō enim vult Deus tyrannos in hoc officio. Attēdant igitur primò parentes carnis, vt sint patres, & non perditores filiorum. Filios autem perdunt, primò, cū nimium tenerè eos diligunt, nec delinquentes corripunt, sic enim malis assuescunt, & c. Hinc sapiens: Qui parcit virgæ, odit filium suum. itē: Stultitia colligata est in corde pueri, virga expellit eā. *Prou. 13.* item: Noli subtrahere disciplinam à filio. Si percussis eum virga, non morietur. *Prou. 22.* Tu virga eum percutis, *Prou. 23.* & animam eius ab inferno liberas. Secundò perdunt filios, qui eos nimium sauerè puniunt & tractant: sic enim animum eorum in timorem & pusillanimitatē vertunt, imò in odium parentum, vt interdum aufugiant & mala perpetrent, vel propter timorem ad omnia inutiles fiant. Contra hos dicit Paulus: *Eph. 6.* Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Tertiò, qui impudica verba vel lasciuia opera coram filijs loquuntur vel faciunt, per hæc enim animas innocentium inficiunt. Quo semel imbuta est recens, seruabit odorem, testa diu.

Quartò, qui filios in vestium ornatu, incessu, & c. tantū ad mundum educant, vt mūdo similes sint, hi o-

EXPOSIT. DECALOGI

innum postea peccatorum rei sunt, quæ filij faciunt, Quintò, qui ipsos non erudiunt in disciplina & correptione Dei, vt Paul. ait. Disciplinã autẽ vel eruditionẽ Dei vocat, cũ filijs inculcamus beneficia & promissiones Dei, & maximè ea, quæ ad fidem Christi pertinet. Corruptio autem Dei est, cũ iudicia Dei filijs inculcamus, quæ olim ostendit, & adhuc ostensurus est. Quod de parentibus carnalibus dixi, hoc de alijs quoque dico. Attendant præceptores, vt patres sint, non tyranni: vt bona doceant, nõ mala, &c. Attendant prælati Ecclesie, vt patres sint, non tyranni: vt salutẽ animarum quærãt, non lucrum suũ: vt bona doceant, non mala: vt non faciant onera grauiã & importabilia, &c. vt nõ tyrannicè dominantur in populũ, sed forma sint gregis, ne similes illis fiant, cõtra quos Ezech. & alij prophetæ clamant. Attendant & principes seculares, vt patres sint, non tyranni. Non eis quiduis licet, vt quidam putant. Imitentur Moysen, non Roboam, qui tantũ tyrannidem cogitabat, &c. Timeant propheticã illam comminationem, quam in Amos legimus. Attendant quæ de ipsis dicuntur Sapientie 6. &c. Attendant etiam patres familias, vt patres sint, familiæ prouideant, ipsam regant, à malis prohibeãt, ad bona inducant, &c. Postremò attendant etiam ætate seniores, vt patres sint, lasciuam iuuentutem & inexpertam moneant, maximè autem bonis exemplis ipsos præcedant, &c. Sic igitur verbum hoc patris instruit & filios & parentes, laicos & clericos, discipulos & magistros, dominos & seruos, subditos & superiores, iuuenes & senes, &c. Nunc videamus etiam quid sibi velit verbum Honorare, nam & ipsum latè se extendit. Triplex autem est honor: Primò in affectu: sic ad Heli dicitur: Magis honorasti filios tuos, quàm me, id est, magis dilexisti. Secundò in signis, vt cùm Saul dixit ad Samuel: Honora me coram senioribus. Tertio in effectu & beneficijs: Vt honora Dominum de tua substantia. Et Paulus: Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Exigit igitur hoc præceptum, vt parentes ho-

Eph. 6.

Matt. 23.
1. Pet. 5.

Ezech. 34

3. Reg. 12.

Amos 6.

1. Reg. 2.

1. Reg. 15.

Prou. 3.

1. Tim. 4.

noremus affectu, id est, dilectione, & magni æstimatione quantumuis pauperes sint & miseri, Nam quod dicimus Honora, in Hebræo habetur Kabad, quod & magni facere significat. Quid autem significet magnificare, ex Euangelio discimus, vbi de Christo dicitur; *Et magnificabatur ab omnibus, Quasi dicat summis eum vehebant laudibus, mirabatur, nec satis laudare poterant, plus de illo, quàm de homine puro sentiebant, magnus erat in oculis eorum. Eodem modo & nos magnificè sentiamus de parētibus, iuxta illud: Fili, suscipe senectam patris tui. Si defecerint sensus eius, da ei veniam, & ne spernas illum in virtute tua. Et iterum. Oculus, qui subsannat patrem aut matrem, suffodiant eum corui de torrente. Consideranda est diuinæ maiestatis similitudo quædam in parentibus, nempe quòd filijs sunt causa vitæ. Vnde etiam si hallucinentur, maiestas tamen diuina in ipsis animaduertenda est, morositati deletio, & quibuslibet parentum vitijs opponendum est nomen patris & matris. Non quales parentes, sed quòd parentes habeamus considerandum. Pius filius cogitat: Si Deus mihi per has personas vitam dare voluit, cur mihi id displiceret? Quid sunt parētes, nisi officina Dei? Dei igitur officinā honorabo, &c. Nec tamen satis vt parētes honoremus in affectu tantū, sed oportet etiā eos honorare in signis. Vnde Sapiens: Honora patrem tuum in verbo & opere & omni patientia. Signa autem externi honoris sunt, assurgere, salutare, honorificè eis loqui, humiliari, obedire, iussā exequi, nō obmurmurare. Sic Salomon honorauit matrē ponendo eā in sella iuxta se, sic Sem & Iaphet honorarunt patrē cū ipsum discoopertū cooperirent, sic Isaac honorauit patrem suum cū ad victimam duceretur, reuerentialiter loquendo: Pater mi, inquit. item humiliter obediendo: permisit enim se ligari, paratus etiam immolari à patre. Sic Ioseph honorauit patrem suum. Vocatus enim, Præstò sum, inquit, imò missus ad fratres non abnuī, quamuis sciret eos sibi inimicos esse, &*

Lucæ 4

Eccl. 3.

Prou. 30.

Eccl. 3.

3. Reg. 2.

Gen. 9.

Gen. 22.

Gen. 37.

EXPOSIT. DECALOGI

Luce 1. Et quid opus multis exemplis, cum Christus ipse parentibus subditus fuisse legatur, non Mariæ solum, sed & Iosepho. Tertio parentes etiam honorandi sunt in effectu, in beneficiorum scilicet exhibitione. Nam etsi ope nostra indigeant, eos nos alere oportet. Si enim non donare extraneis graue peccatum est, quanto magis parentibus non dare? hinc Paulus vult, vt beneficiamus omnibus, maximè tamen domesticis fidei.

Gal. 4.

Valerius Max. li. 5. Pietatis exempla in parentes videmus in gentilibus. Sic quædam mulier matrem captiuam, proprijs verbis aluisse dicitur. Sic Cimon in vincula se dedit, vt corpus patris sui sepulturæ traderetur, & cæt. Imò eandem pietatem videmus in brutis, maximè in aquilis & ciconijs, quæ parentes suos senio confectos instar pullorum educare solent. Maximè autem exemplum pietatis in parentes videmus in Christo, qui etiã

Ioan. 19.

Thob. 4.

Ecc. 7.

in cruce pendens & morti proximus matris non fuit oblitus, & c. Hinc Thobias ad filium, Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ, Memor enim esse debes quanta pro te passa sit, & c. Vnde & Sapiens: Honora patrem tuum, & ne obliuiscaris gemitus matris tuæ. Nam etsi paueris matrem (ait Ambrosius in Lucam) non reddidisti dolores cruciatus, quos pro te passa est, non reddidisti obsequia, quibus te gestauit, & c. Videmus igitur, quòd præceptum hoc exigit non honorem tantùm, sed gratitudinem, quæ nunquam satis reddi potest parètib; sicut etiam ethnici dixerunt: Dijs, parentibus, & magistris nunquam redditur æquiualens. Nec solum in externis parentibus succurrendum est, sed etiam in spiritualibus, vt scilicet etiam ipsos vicissim vbi defecerint, doceamus, reducamus ab errore, prælegamus verbum Dei, denique pro ipsis oremus. Si enim pro inimicis orandum, quãtò magis pro parètib;? Facile etiam ex iam dictis colligi potest negatiua huius præcepti. Si enim tenemur parentes honorare, prohibemur eos quoquo modo in honorare siue verbis, siue gestibus, siue operib;.

Matt. 5.

de: Qui maledixerit patri & matri, morte moriatur. Exod. 21.
Deut. 21.
Prou. 30.
Eccl. 3.
hinc filius proteruus, qui parentib. obedire renuit, lapidari præcipitur. hinc & Sapiens: Oculus, qui subvertat patrem, effodiant eum corui. Et iterum: Ne despicias patrem in virtute tua, &c.

*Vt longo tempore viuas super terram, quam Dominus
Deus dabit tibi.*

Quamvis multa sint, quæ nos ad honorem parentum incitare debent, vt supra dictum est: addit tamen etiam Deus stimulum insignem, scilicet promissionem. Eph. 6.
Vnde & Paul. dicit, quod hoc præceptum primum sit in promissione, in secunda scilicet tabula. Nam in prima tabula etiam primum præceptum promissionem habet, vt supra. Congruè autem huic præcepto additur promissio, quia enim pietas ad parentes præcipuum opus est charitatis, meritò summæ virtuti speciale præmium decernitur.

Deinde, quatenus vitam accipiunt proles à parentibus, concedēs est, vt ea vita etiam ipsis prolongetur, cum & Deo & parentibus grati, & parentes venerentur, & Deum in parentibus colant. In hoc autem promisso non tantum intelligitur vita longa, sed omnia illa, quæ ad vitā vel vsum vitæ pertinent, vt est honor, tranquillitas, pax, successio rerū, &c. Nam sine his vita Deut. 5.
longa esset iniucunda. Vnde in Deuteron. additur, Vt benè sit tibi, & longo viuas tempore. Qui igitur parentes honorat, longo viuet tempore, vel in hac vita, vel Eccl. 3.
Sap. 4.
in futura. Sæpè enim etiam iustus ante diem rapitur ex hac vita, ne scilicet malitia sensum eius immutet. Nunquam tamen fallit promissio Dei: his enim Deus certè pro temporali vita æternam dat. Secundò, qui parentes honorant, thesaurizant sibi, ait Sapiens: Eccl. 3.
hoc est, temporalia à DEO accipiunt. Tertiò, iocundantur in filijs. Quartò, gloriam apud homines acquirunt. Gloria enim filij in honore parentis. Quintò, omnia prosperè ipsis succedunt: Eleemosyna, in- Ibidem
quit, patris nō veniet in obliuionem. Sextò, gratiā etiam Dei acquirunt: Benedictio, inquit, à Deo desuper

EXPOSIT. DECALOGI

ibidem veniet super eum, & benedictio ei in nouissimo manebit. Postremò, etiam æternaliter præmiabitur. Nā
1. Tim. 4. pietas, inquit Paulus, promissionem habet eius vitæ quæ nunc est pariter & æternæ. Omnia hæc videmus in vitis patriarcharū, item in omnib. sanctis. E contra videmus inglorios & breuis vitæ omnes, qui parentibus non obtemperāt. Vnde & tritum vulgi est prover-
2. Reg. 11. bium, Paret carnifici reuens parere parenti. Exempla videmus in Absalon, qui paruo tempore vixit, & infelicitèr occubuit. Itē in filijs Heli, qui miserabiliter perierunt. Insuper & scriptura huiusmodi inhonorantibus parentes cōminatur paupertatem: Hereditas, inquit, peruersorum filiorū peribit. Secundò ignomiā,
1. Reg. 4. Quam malæ, inquit famæ est qui derelinquit patrem. Tertio infelicem successum filiorum: ex iniquis enim omnes filij, qui nascuntur, iniqui sunt, &c. Et meritò inobedientes in filijs suis puniuntur: Iusto enim Dei iudicio eadem eis mensura remetitur Deus, qua ipsi mensi sunt parentibus suis. Ad hæc omnes maledicti sunt à Deo, iuxta illud: Maledictus qui non honorat
Eccl. 41. patrem & matrem. Deniq; & perpetuò damnandi: Si enim damnantur qui Christum in pauperibus non cibant, &c. quantò magis qui ipsum non honorant in proprijs parentibus? Sic igitur vita & mors, bonum & malum, benedictio & maledictio tibi proposita sunt, &c. Cæterum, quod de parentibus carnalibus dixi, hoc idem dico de omnibus alijs, qui parentum vi-
Eccl. 3. ces agūt. Primò igitur honorāda Ecclesia mater iuxta illud: Legem matris tuæ nō obliuiscaris, &c. Secundò honorandi præceptores, hi enim te ex bruto hominē faciunt. Quid enim est homo sine moribus & scientia, nisi brutum? Tertio honorandi sacerdotes triplici illo honore, quo suprā diximus, ipsi enim ex filijs Adæ Christianos & filios Dei faciunt per administrationē verbi & sacramentorum. Hinc Paulus: Qui benè præfunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Et iterum: Rogamus vos, vt agnoscatis eos, qui laborant
Lucæ 6. inter vos, & cæt. Nec attendenda est ipsorum persona aut
Deut. 27.
Matt. 25.
Pro. 1.
1. Tim. 5.
1. Thes. 5.

aut vita, sed officium. Habebunt illi iudicem suum, interim tamen tu non es excusatus. Quartò honorandi & principes seculi, & quicumque magistratus externi. Hi enim locum Dei tenent, & parentum officio funguntur, imò & dii appellantur, vnde & Petrus: Deum time, regem honorificate, &c. Et Paulus: Cui tributum, tributum, &c. Quintò honorandi & patres familias: Serui, inquit, subditi estote Dominis non tantùm bonis, sed etiam discolis, &c. Postremò honorandi & senes: Coramcano capite surge, ait. Et generaliter gratitudinem ostendere debemus erga quoscunque, &c. Hæc est summa huius præcepti. Possent omnia latius declarari, sed hæc sufficiant. Cōferamus nunc ad hanc regulam vitam nostram, nosque in hoc speculo contemplemur. Primò, quantus numerus est filiorum Belial, qui parentes contemnunt, irrident, mortem eorum optant, maledicunt, non obediunt, duris verbis aggrediuntur, nonnunquam & percutiunt, non subueniunt, erubescunt de parentibus, nec orant pro eis, &c. declara. Et interim miramur, vnde tam infelicia sint tempora nostra, &c. Secundò, quàm indignè tractemus matrem nostram veterem, scilicet illam Ecclesiam, quæ nos genuit, aluit, docuit, fouit, & maximè ecclesiam Romanam, quæ velis nolis mater tua est. Sicut enim ex ecclesia Hierosolymitana omnes aliæ in Antiochia, Asia, Aegypto, & Græcia, imò etiam ipsa Romana ædificata fuerunt. Sic è Romana ecclesia ædificatæ sunt ecclesiæ nostræ. Dionysius enim discipulus Pauli è Roma missus est in Galliam. Maternus discipulus sancti Petri in Treuiros, Crescens discipulus Pauli Moguntinis & Colonensibus primùm prædicauit. Sic & deinceps factum est, &c.

Vide igitur, quomodo veterem hanc matrem nostram tractemus, quàm temerè eius præcepta violamus, quamq; ipsam irrideamus, imò & diabolo tradamus. Hocine meruit Ecclesia de te? Negari quidè non potest, quin admodum deformis effecta sit per multas abusiones, sed nunquid ideo relinquenda? Nū

EXPOSIT. DECALOGI

ideo matrem abiciet filius, si infirma, deformis, vel leprosa efficiatur in senectute? Quantumcunq; deformis sit Ecclesia, tamen mater tua est, te genuit, docuit, tibi benefecit. Nec mirum, quod deformis effecta est, cum tot annis durauerit, nempe, plus mille quingentis, totque tetationes & insultus pertulerit à paganis, hæreticis, & pseudochristianis. Quid mirum, inquit, si aliquid deformitatis contraxerit, & primæ suæ pulchritudini dissimilis sit, cum nouella illa Ecclesia, que vix decem annis durauit, iam tota leprosa sit, &c. quid fiet, si centum annos duraret? Quod si propter peccata & deformitates relinquenda est Ecclesia, omnium maximè nouella illa Ecclesia est relinquenda, sicque nusquam certò constabimus, semper nouas Ecclesias fingentes, id, quod heretici fecerunt. Verus autem Ecclesie filius non sic. Non ideo relinquenda est Ecclesia, ait Cyprianus martyr, quia Zizania in ea videmus, sed nobis conandum, vt bonum frumentum simus. Boni Ecclesie filij non ideo relinquunt matrem Ecclesiam, quod deformis est, sed omnibus modis student, vt mater conualescat, & pristino decori restituatur. Hoc magis Christianum esset, quàm per scismata se ab Ecclesia separare, &cæt. Vide tertio, quàm irreuerenter tractentur sacerdotes, &c. Non excuso eorum vitia, scio, quod ipsi in causa sunt, quod ira despiciuntur, &c. sed tu non excusaris. Vide quarto, quanta sit inobediètia, odium, murmuratio, indignatio, &c. contra potestatem secularem, quàm malignè dent, quod dare coguntur, quàm inuiti obediant, quàm mallent omnes superiores perdere, &c. Vide postremò, quanta sit irreuerentia erga omnes. Nulli deferimus quantumcunque docto, potenti, seni, &c. vt certum sit nunc esse tempora illa, de quibus Paulus prædixit: In nouissimis, inquit, diebus erunt tempora periculosa. Erunt homines seipsos amantes, parentibus inobedientes, &c. Sed quid ait idem Paulus: Qui talia agant, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed qui consentiunt etiam, &c.

Cyprianus.

2. Tim. 3.

Rom. 1.

V. Præ.

V. Præceptum.

Non occides.

Haftenus dictum est de præceptis, quæ respiciunt Deum tam in seipso, quàm in suis locum tenentibus. Tria prima Deum respiciunt in seipso, quartum autè Deum in suis locum tenentibus. Vnde & quidam etiam quartum præceptum ad primam tabulâ ponunt. Restant alia sex, quæ ad proximum respiciunt. Vide autem mirum & aptum ordinem. Incipit enim prohibitio à maiori vsque ad minimum. Nam maximum damnum est occisio hominis, deinde proximum, violatio cõiugis est; tertium, ablatio facultatis; quartum, læsio famæ; qui enim in prioribus nocere nõ possunt, saltem famam lædunt. Postremò, ubi nihil horù possunt, saltem cõcupiscunt. Hoc autem præceptum prohibet, ne proximo noceamus in corpore aut vita. Et breuiter quidem positum est, verùm latissimè se extendit. Cæterùm Iudæi hoc præceptum, sicut & omnia alia, tantùm secundum literam intelligunt, tanquam nullus contra ipsum faceret, nisi qui manu propria alium occideret, quemadmodum & vulgus hominum intelligit. Hos autem arguit Paulus, cùm dicit, quòd lex spiritualis est, id est, spiritum & cor requirit ante omnia. Manichæi hoc præceptum etiã ad animalia trahunt, quasi non liceat ea occidere, vnde & cibum carniùm damnant & prohibent. Verùm hic sensus nedum absurdus est (nã sic nec arbores aut herbe succidi possent, quæ & ipsa viuunt) sed etiam hæreticus. Nam Deus omnia animantia dedit homini in cibum. Verùm aut intellectû huius præcepti dat Christus, cùm dicit: Audistis, quia dictum est antiquis, Nõ occides, &c. Ego autem dico: Omnis, qui irascitur fratri suo, reus est iudicij, & cæt. In his verbis Christus quatuor gradus huius præcepti ponit, vel quatuor genera hominum ostēdit contra hoc præceptum peccare. Primi sunt, qui irascuntur in effectu, qui occidunt ad literam & in opere nimirum primo omnium peccant

Rom. 7.

Gen 9.

Matt. 5.

EXPOSIT. DECALOGI

tant contra hoc præceptum. Nemini enim licet occi-
 dere, nisi soli potestati, imò nec potestati, nisi quantũ
 & vbi Deus iusserit. Primò omnium igitur attenden-
 da est grauitas homicidij, quò diligentius euitetur. Est
 enim homicidium contra naturam, etiam si nulla il-
 lud lex prohibuisset. Nec enim lupus lupum, nec leo
 leonem, nec draco draconẽ occidit, natura nimirum
 abhorrente à cæde huiusmodi, quantò magis in ho-
 mine? Deinde ipsa creatio hominis nos monet, quan-
 tum ab hoc peccato abesse debeamus, cùm enim alia
 animalia membra habeãt, quibus nocere possunt, vn-
 gulas scilicet & dentes, solus homo nullũ habet mem-
 brum nociuum. Occidere igitur op^o inhumanum est,
 Deinde etiam impium est in Deum. Nã homo est ima-
 go Dei & præcipuum opus ipsius, quod tam diligen-
 ter creauit, & tam carè emit, sanguine scilicet filij sui:
 Iniurius igitur est in Deum, qui occidit hominẽ. Præ-
 terea etiam ex lege nature probari potest grauitas ho-
 micidij. Tunc enim Deus dixit ad Cain: Quid fecisti?
 Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.
 Maledictus igitur sis, &c. Sic & ad Noë dictum est. Om-
 nis, qui effuderit sanguinem humanum, effunderetur
 sanguis eius. Homicidium etiam graue iudicabatur a-
 pud gentiles, maximè apud Romanos. Imò nullũ pec-
 catum adeò repugnat Christianismo, vt homicidium,
 Nam Christus omnium maximè charitatem à Chri-
 stianis exigit. Insuper grauitatem huius peccati ex lege
 Moyfi multipliciter colligere possumus. Præcipit enim
 ea lex, vt homicida occidatur: item, vt oculum pro o-
 culo, dentem pro dente excutiant. Item, quòd homi-
 cidæ voluntarius nedum è ciuitate refugij, sed etiam
 ab altari Domini abstractus occidatur. Item, vt inuen-
 tum cadauer hominis spiritualibus victimis & oratio-
 nibus expietur, &c. Ob eandem causam etiam bos si
 occiderit hominem; lapidari præcipitur. Ob hanc
 causam etiam Dauid quantumuis sanctus templum
 Domino ædificare non permittitur, qui tamen tan-
 tum contra infideles pugnauerat. Et in summa, idèd
Deus

Gen. 4.

Gen. 9.

Ioan. 13.

Exo. 21.

Ibidem.

Deut. 21.

2. Reg. 7.

Deus sanguinem pecorum sibi offerri voluit, itē, prohibuit sanguinē edere, vt hinc æstimare discerent sanguinem hominis. Maximè tamen grauitatem homicidij indicat, quòd etiam Christus author Euangelij, qui aliàs omnibus peccatoribus parcat, homicidas tamen puniendos decernit: Omnes, inquit, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Magnum igitur peccatum sit oportet, quod nec in lege naturæ, nec Moyſi, nec in Euangelio remissionem inuenit. Et quid multis opus? homicidium verè diabolicum est peccatum. Ille enim fuit homicida ab initio. Et is author est & fuit homicidiorum: Ad ipsum igitur pertinent homicidæ, non ad Christum, qui venit animas non perdere, sed saluare. Genus enim humanum in duas generationes diuisum est. Est enim generatio viperarū, in qua sunt Cain, Nemroth, Abimelech, Achab, &c. Et est generatio quærentium dominum: hi sunt innocētes & mundo corde, &c. Verūm de grauitate homicidij satis dictum sit, videndum nunc, quot modis homicidium cōmittatur, ne quis se excusare possit. Tripliciter autē committitur homicidium, perficiendo, procurando, & omittendo. Primò committitur homicidium, dum quis vel sibi ipsi, vel alteri vim facit, & vitam adimit, quocunque tandem modo siue gladio siue veneno id fiat, &c. vel quocunque alio modo. Non solūm autem propria manu committitur homicidium: nam & Dauid non propria manu occiderat Vriam, & tamen ei dicitur à propheta: Tu es ille, qui hanc rem fecisti. Nec Manassēs propria manu occidebat, tamen de eo dicitur, quòd repleuerit Ierusalem sanguine. Committitur igitur homicidium etiā aliena manu. Primò, cūm potestas abutitur gladio. Potestati datus est gladius, sed ad vindictam malefactorum. Vnde Moyſes, Phinees, &c. non peccauerunt occidendo: nec Salomon occidendo impios. Cūm enim potestas impios occidit, non ipsa occidit, sed Deus. Vbi autem potestas gladio abutitur ad propriam vindictam, odium, tyrānidem, &c. verè homicidium committit, quia non ad hæc accepit.

Ioan. 8.

Ioan. 19.

Lucæ 9.

Matt. 3.

Psal. 23.

2. Reg. 12.

4. Reg. 21.

Rom. 13.

3. Reg. 7.

cepit

EXPOSIT. DECALOGI

Ioan. 19.
Exo. 2.
Thob. 1.
Dan. 11.
3. Reg. 21.
Matt. 14.
Acto. 12.
Matt. 27.
Judith.
Deut. 19.

cepit gladium. Non licet principi, quos vult occidere secundum libitum suum. Vnde & Christus Pilatum arguit, cum diceret: Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, &c. Homicidæ igitur erant Pharaos pueros submergi præcipiendo, Saul Dauidem persequendo, & sacerdotes occidendo, Sennacherib Israelitas perdendo, item Herodes pueros Bethleem occidendo, &c. Deinde homicidium fit, ubi in iudicio iniusta sententia fertur. Vbi enim iuste iudicatur, non iudices, sed ipsa lex occidit hominem: ubi autem iudicant ex amore, timore, odio, cupiditate, aut alio quouis affectu, verè homicidium committunt. Scriptum enim est, Innocentem & iustum non occidas: item, Quod iustum est, iuste exequaris. Homicidæ igitur fuerunt, qui iustum Nabob in gratiam Iesabelis ad mortem condemnauerunt. Sic & Herodes homicida fuit condemnando Ioannem in gratiam adulteræ, & alter Herodes occidendo Iacobum, quia videbat hoc placere Iudæis. Et Pilatus crucifigendo Christum ad timorem Cæsaris. Præterea homicidium fit in bello iniusto. Sic Nabuchodonosor etsi ipse manu sua neminem fortè occiderit, quia tamen Holofernè misit, qui in omnes crudeliter desæuit, verè reus fuit omnis sanguinis effusi. Sic principes rei sunt omnis sanguinis, qui in bello effunditur, si bellum incipiunt sine iusta causa. Quam raro autem iusta causa bella fiant, plerunque enim ambitio & stultitia principum bella excitant, id, quod patet ferè in omnibus historijs. Exempla sint Cyrus, Alexâder, Iulius, &c. idem in nobis videtur. Quid autem terribilius, quàm tot cædium, &c. reum esse? Christiani principis est, non temerè bellum gerere, nisi necessitas cogat, ut puta Dei gloria vel publica tranquillitas, & bonum reipublicæ hoc exigat. Deinde bellum iusta causa susceptum iustis etiam conditionibus est exequendum, & nihil crudeliter agendum, maximè contra fratres. Vnde in lege præcipitur, ut pugnaturi, prius pacem offerant: deinde, ut innocentibus parcant. imò præcipitur, ne arbores fructuosas succidant, & hoc

hoc etiam in terris infidelium. Si hæc præstanda sunt infidelibus, quantum magis fidelibus? Sic filij Israel pugnaturi contra tribum Benjamin, primo pacem obtulerunt. Deinde post deletos hostes propter eorum pertinaciam, fleuerunt coram Domino ipsis occisis compatiendo. Præterea in residuos nedum non sæuierunt, sed etiã pro viribus illis consuluerunt. Sic Ioab cum Absalã dux seditiosus occubuisset, statim receptui cecinit, parcens multitudini. Idem cum sibi oblatũ fuisset caput Siba seditiosi hominis, statim ab obsessioe aliorum cessauit. Sic Dauid ipse post sedatam seditio- nem nedum non sæuijt in innoxios, sed insuper ipsum ducem Amasam benignè suscepit, imò & ipso Semei blasphemus & læsæ maiestatis reo pepercit. Vbi nunc tanta clementia in bello testatur? imo merus furor & crudelitas apud nos cernitur. Et interim nemo cogitat hoc præceptum, Non occides. Committitur etiam homicidium prouocando, quod fit pestifera lingua: Primo eorũ, qui principes ad bella & cædes prouocant, quales fuerunt Aman, qui Assuerum in cædẽ Iudæorũ prouocabat: itẽ Doeck, qui Saulem in cædẽ sacerdotũ prouocabat: itẽ filij Saruiz, qui Dauidẽ prouocabant in cædem Semei & Saulis, quales nunc sunt adulatores principum, qui omnia apud principes deferunt, etiam quæ occultè dicta fuerunt, sicque principes exasperant, cædes excitant, &c. O pestiferi homines, qui vno impetu tria homicidia perpetrant. Occidunt enim seipsum per peccatum, principes, quos incitant, & eos, quos accusant. Nec solùm homicidæ sunt, qui principes ad cædes exasperant, sed etiã, qui priuatim dissensiones & rixas & odia suscitant, quales sunt detrectatores, & maximè bilingues, qui ab vtraque parte accendunt ignẽ furoris. Contra hoc Sapiens: Lingua tertia, inquit, multos commouit, &c. Sic Dauid cum ei delatum fuisset, quomodo Nabal ei impropersset, ita exasperatus fuit, vt totã ipsius domũ delere vellet, & fecisset, nisi Abigail ipsum verbis deprecatorijs amouisset. Homicidæ igitur sunt omnes susurronee, quia cædes & odia

2. Reg. 19.

2. Reg. 20.

Hester 1.

1. Reg. 12.

Eccl. 28.

1. Reg. 25.

EXPOSIT. DECALOGI

& odia prouocant. Similiter & detractores. Homicidæ
 etiam sunt, qui adiuuant, vt qui principibus etiam in
 malis obsequuntur, nec cogitant præceptum esse, vt
 Deo magis obediatur, quàm hominibus. Item, qui te-
 merè ad bella currunt, ex mera leuitate, & sola spe pe-
 cuniæ, aut prædæ ducti, & plerunque contra volunta-
 tem suorum superiorum, &c. Hi veri homicidæ sunt
 coram Deo, etiam si propria manu neminem occidât.
 Adiuuant enim alios, & si domi manerent, bella non
 essent. Et quid opus multa enumerare? Homicidij reus
 est, quicumque consilio, auxilio, assensu, &c. adiuuat.
 Postremò committitur homicidium etiam omissione,
 cum scilicet quis succurrere pereunti posset, & nō fa-
 cit. Vnde Augustinus: *Pasce fame morientem. Si non
 pauisti, occidisti.* Itemq; qui alium remoratur, vel im-
 pedit, ne pereunti succurrat. Vide, quàm latè pateat
 hoc præceptum, vt vix inueniatur, qui nō sit reus san-
 guinis, & tamē adhuc tantum in primo gradu sumus,
 & de homicidio externo loquimur. *Quid dicemus de
 animicidis, qui animas occidunt, vt qui aliquem occi-
 dit, qui in peccato mortali est, nedum corpus, sed etiã
 animam eius occidit: perpetuò enim perit. Et quomo-
 do coram Deo apparere audebis, qui proximi & cor-
 pus, quod Deus fecit, & animam, quam Christ⁹ rede-
 mit, vno ictu occidis? Hoc vnum nos ab homicidijs
 abstertere deberet, ne scilicet simul & animam occi-
 deremus & corpus. Animas itém occidunt, qui impia
 docent. Item, qui lasciuis verbis corda innocentium
 inficiunt. Item, qui malis exemplis aut cōsilijs ad pec-
 cata alios pertrahunt. In summa, qui occiderit, reus e-
 rit iudicij. Sed nunquid is solus? Nequaquam. Nam
 Christus etiam alios tres gradus addit. Occidere scili-
 cet lingua, signis, vel corde. De primo dicit, *Qui dicit
 fratri suo, Fatue, hîc tangit eos, qui etsi non opere, ta-
 men lingua occidunt.* Hoc enim verbo compræhendit
 omnes maledictiones, conuitia, imprecationes malas,
 contumelias, &c. quæ per linguam proximo irrogan-
 tur, vt cum alijs imprecamur in infernum, &c.*

Quid

Quid enim hæc aliud sunt, quàm quidam pestiferi-
 ctus? Si enim fieret quod imprecaris, statim proximus
 tuus moreretur. Meritò igitur à Deo p homicidio re-
 putatur. Secundò dicit Christus? Qui dicit Racha, &c.
 Hoc verbo prohibet etiam signa irati animi, vt sunt a-
 uertere vultum, nolle alloqui, &c. quid autem hæc a-
 liud indicant, quàm animum maletuolum atque adco-
 anum homicidam? Meritò igitur à Deo sic reputa-
 tur homo, qui sic iracundiæ & odio suo respondet. Ter-
 tiò, Qui irascitur, inquit, fratri, &c. Etiam istam prohi-
 bet, & meritò: nam ira est radix homicidij, ira est gla-
 dius, quo Cain fratrem, Iudæi Christum occiderunt.
 Meritò igitur homicida reputatur, qui etsi de facto ne-
 minem occidit, tamen gladium secum habet in vagi-
 na cordis absconditum. Vnde Ioannes: Qui odit fra-
 trem suum, homicida est. Ex his igitur videmus, quòd
 præceptum hoc reformat vim irascibilè, prohibet vin-
 dictam, & exigit cor mite & beneuolum etga omnes,
 etiam inimicos, imò tale cor, quòd potius omnia pati
 velit, quàm seipsum vindicare. Hæc igitur est voluntas
 Dei in hoc præcepto, huc pertinet quicquid Christus
 de dilectione & patientia loquitur. Iam vitam nostrã
 confer ad ea, quæ dixi, & videbis eam ex omni parte
 dissentire ab hac regula diuinæ voluntatis. Primò e-
 nim quàm nulla charitas in nobis est, quàm facilè rum-
 pitur, quanta odia videmus in mundo capitalia, quàm
 amaræ imprecationes, quàm nullum auxilium labo-
 rantibus exhibetur, quot externa homicidia, venefi-
 cia, quot bella temerè assumpta & crudeliter gesta,
 quot susurrationses, diffamationes, &c. In summa, ma-
 nus nostræ sanguine plenæ sunt. Impleturque illud
 Jeremiæ: Terra repleta est sanguine. & illud Psalmi:
 Sepulchrũ patens est guttur eorum, venenum aspidũ
 sub labijs eorum. Os eorum maledictione plenum, ve-
 loces pedes eorum ad effundendum sanguinem, &c.
 Quomodo autem tam cruētis manibus apparere au-
 debimus coram iudice Deo, qui dicit: Qui tangit
 vos, tangit pupillã oculi mei. Et iterum: Quod vni ex

i. Ioan.

Isa. 64.
Hier. 2.
Psal. 137.Zach. 2.
Matt. 23.

EXPOSIT. DECALOGI

minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ad poenitentiam igitur festinemus, & misericordiam Dei fusis lacrymis postulemus. Verè enim depræhensi sumus: nam sub alis nostris inuentus est sanguis pauperum, &c.

VI. Præceptum.

Non mechaberis.

Psal. 102.

Nouit Deus figmentum nostrum, quàm miser simus &, quàm proni ad malum ab adolescètia nostra. Ideo multipliciter præuenire studet, ne in malum nos

Gen. 6.

ipsos præcipitemus, nunc verbis, nunc precibus, nunc minis, nunc promissis, maximè aut lege sua obstare vult.

Leuit.

Ideo postquam prohibuit, ne proximo noceamus in persona sua, nunc aliud malum æquè perniciosum prohibet, nempe ne proximo noceamus in sibi cõiunctis, vt sunt vxor, filia, familia, &c. Non enim tantum vult Deus, vt mites inter nos simus, sed etiã, vt casti & verè recudi, imò sancti simus: Sancti, inquit, estote, quoniã ego sanctus sum. Cæterum, etiam hoc præceptum tantum externè exponunt de adulterio tantum, Christus autem etiam ad cor & concupiscentiam trahit, vt patet Matth. 5. Imò ipsa scriptura planè ostendit, quòd non tantum adulterium prohibitum sit, sed multa alia.

Gen. 38.

Nam cùm Her & Onã filij Iudæ legantur puniti, propterea quod malè agebant etiã cum vxoribus proprijs, item quod demoniũ occidebat eos, qui tantum voluptatis gratia

Tob. 3.

Saram illam sanctam virginem in matrimonium ducere cupiebant. Imò quòd diluuium ideo perdidit mundum, quòd etiam filij Dei filias hominum voluptatis gratia ducerent. Patet, quod etiam ad hoc præceptum pertinet quicquid in honestum in matrimonio

Gen. 6.

cõmittitur. Deinde in lege poena statuitur de florantis virginem, imò filia quæ in domo paterna defornicata fuisse conuincitur, occidi iubetur. Vnde patet, quòd etiam stuprum prohibitum est. Prætereà cùm lex prohibeat in certis gradib. cõtrahere cum sanguine iunctis,

Exod. 22.

Deut. 22.

patet quod etiam incestus prohibitus est. Insuper cùm præceptum sit, vt nulla meretrix sit è filiab. Israel, neque

Leuit. 18.

scortator, patet quod etiam meretricum fornicatio

ta

ta sit, quæ tamen apud gentiles non reputabantur esse peccata: Vnde Paulus gentilibus conuersis scribens, ubiq; fornicationem & omnem illicitam cohabitationem damnat: Fugite, inquit, fornicationem. Omne enim peccatum extra corpus fit, &c. Item: Neq; fornicemur ut illi, &c. Lege 1. Cor. 5. 1. Thef. 4. Eph. 5. videbis ubique damnari fornicationem. Ad hæc in lege pœna mortis statuitur his, qui cum brutis vel aliis contra naturam peccant. Vnde patet, quod etiam hoc prohibitum sit, &c. Omnia igitur hæc in hoc præcepto comprehenduntur, & generaliter omnis luxuria extra matrimonium. Omnia enim hæc mala sunt prohibita, vnde & Deus olim terribiliter ea puniuit. Adulterio enim pœna mortis statuitur, & propter adulterium tota tribus Benjamin deletur. Propter adulterium David è regno depellitur: Sic propter stuprum percussus fuit Sichem cum ciuitate & populo suo: propter incestum occisus fuit Amon, propter vitium Sodomiticum perierunt Sodoma, &c. Propter fornicationem percussi sunt in Israel vigin-
 tiquinq; millia. Nec solum temporaliter puniuntur, sed æternaliter. Vnde Paul. Omnis fornicator aut adulter non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Et iterum. Fornicatores iudicabit Deus. Et Deus ipse: Ero testis velox omnibus adulteris, &c. Sic itaque videmus quantum malum sit adulterium, fornicatio, aut quæcunque luxuria. Primò enim occidit animam, & excludit à regno cælorum: Secundò, aufert sensum hominis. Vinum enim & mulieres auferunt cor: Tertio, damnificat corpus: Quarto, aufert famam, & postremò etiam pessundat substantiam. Omnia hæc nos abstertere debent, quemadmodum & scriptura sapius nos absterret, vt cum dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus, &c. Item obsecro vos abstinere à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam, &c. Primò igitur prohibetur hoc præcepto adulterium, quod in se magnum est peccatum, magna iniuria proximi, deinde etiam à gentibus grauitè punitum, & postremò etiam causa est multorum malorum. Secundò

1. Cor. 6.

1. Cor. 6.

Leuit. 18.

Iudic. 20.

2. Reg. 12.

Gen. 4.

2. Reg. 12.

Gen. 19.

Eph. 5.

Heb. 13.

Mal. 4.

1. Pet. 2.

EXPOSIT. DECALOGI

prohibentur hic omnia illa, de quibus supra dixi, scilicet stuprum, incestus, meretricium, fornicatio, bestialitas, & Sodomia, imò etiam excessus in matrimonio: Tertio prohibentur hic omnia verba lasciuia, impudica, & lasciuæ cantiones, scripturæ, picturæ. Corruptum enim bonos mores colloquia praua. Quarto, prohibetur hic abusus quinque sensuum, &c. Quinto, prohibentur hic omnia, quæ ad luxuriam incitant, quorum multa sunt: Primum est societas mala, consortia mulierum, cohabitatio illicita, &c. Secundum, est ornatus nimium lasciuus, & meretricius. Tertium, choræ impudicæ, quæ mirum in modum incitant ad luxuriam. Quartum, est ocium, sentina omnium malorum. Sic Dina ociose in ambulâs cecidit: Sic David ociose prospectâs. **Gen. 34.** **2. Reg. 11.** **Ezech. 16.** Sic peccatum Sodomorum dicitur fuisse ocium. Quintum incitamentum est ebrietas. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, &c. Omnia hæc prohibita sunt. Nec solum quod malum est prohibet hoc præceptum, sed insuper exigit à nobis puritatem, castitatem, verecundiam in verbis, gestibus, operibus, & cogitationibus. Huc pertinet quod Paulus ait: **1. Thef. 4.** Vnusquisque studeat vas suum custodire in sanctitate & honore, &c. Item: Nescitis quod corpora vestra templum sunt spiritus S. &c. Item tempus breue est. Reliquum est, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint, &c. Nunc comparemus vitam nostram ad hoc speculum, & videbimus quanta sit miseria nostra. Peccatum enim luxuriæ totos nos habet & possidet à minimo usque ad maximum. Nec arbitror vel tempore diluuii, vel etiam in Sodomis carnaliorem & bestialiorem unquam fuisse vitam hominum. Primum enim, quam frequens nunc est adulterium, maxime apud magnates, qui id ferme sibi licere putant, ac de ipso gloriantur. Nam Iulia lex omnino dormit. Vide quam frequens sit fornicatio, & maxime etiam apud clericos. O horrendum malum, horrenda cæcitas, tam impudice vivere, tam indignè sacra tractare, tot homines scandalizare, imò sic Ecclesiam & ministerium sacrum contami-

raminare. Væ his, quorum negligentia hæc mala in Ecclesiam irrepserunt, & adhuc tolerantur. Clamat contra nos mundus, minatur Deus, & non audimus, sic absorpti sumus in hac immunditia. Quàm fœda facies Ecclesiæ, quàm meritò quis exclamet: Quomodo obscuratum est aurum, & cæt. Filij Syon amplexati sunt stercora, &c. Vide denique, quanta leuitas sit in populo, quàm omnes studeant luxuriæ, quasi hæc summa felicitas sit. Vide, quàm plena sint omnia turpidus verbis, scripturis, picturis, &c. Ad hanc leuitatem plurimùm præbet occasionem impia vita clericorum, deinde pseudoprophetæ, qui carnalem libertatem docent, vitia extenuant, &c. Præterea multitudo meretricum, quæ omnes angulos occupantes alliciunt transeuntes. Occasionem etiam præstat conuiuètia superiorum, & neglectus verbi Dei, &c. Quid igitur aliud expectare possumus, quàm iram Dei, quando qui deum tam proteruè peccamus? &c. Ut igitur vitio huic resistere possimus, attendamus primò eius grauitatē, & quàm terribiliter olim punitum sit. Secundò, Christi passionem, qua nostra voluptas expiata est: Tertio, fugiamus occasiones; Quarto non ociemur: Quintò, apprehendamus ieiunium, abstinentiam, &c. Sextò, oremus. Nam hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio. Ante omnia autem studeamus paruulos Babylonis, id est, primas titillationes al-
Matt. 17.
Mal. 123.

VII. Præceptum.

Non furtum facies.

Hoc præcepto Deus aliud quoddam Iolij & Zizaniorum genus eradicare vult, nempe auaritiam, quæ non minus radices fixit in cordibus nostris, quàm ira aut concupiscentia carnalis. Nec minus etiam damnosa est. Vnde Deus hoc præcepto obsistere vult, ne in malos fructus erumpat. Cæterùm etiam hoc præceptum, sicut & alia, Iudæi tantùm ad literam intelligunt. Vnde, cum Christus præceptū hoc spiritualiter

EXPOSIT. DECALOGI

Lucæ 16. exponeret contra auaritiã, Pharisæi, qui auari erãt, audientes irridebant eum. Verùm facessant Iudæi cū sua hypocrisi, nos præcepti huius verũ sensum quæramus. Primò igitur, furtum propriè loquẽdo est v. surpatio rei alienæ inuito Domino & ignorante, & secundum hoc rãtũm ad ea refertur, quæ occultè subtrahuntur, Hoc modo de furto loquuntur leges & cõmunis vsus. Verùm multò latiùs extẽdit se furti nomen in hoc præcepto, nempe ad quamcunq; v. surpationem rei alienæ, siue sciat, siue nesciat Dominus, imò ad quamcunque damnificationem proximi in rebus corporalibus. Dupliciter autẽ alienas res v. surpare quis potest, occultè scilicet & publicè. Si occultè fit, furtum nominatur, quod tamen suos gradus habet & species. Nam grauius est peculatus, hoc est, cū reipub. damnum infertur, quàm vbi priuatæ personæ. Et grauius est sacrilegium, quàm simplex furtum aut etiam peculatus, &c. Cæterùm, sunt qui furtum pro ignominia quidem reputant coram mundo, sed non pro peccato. Hinc fit, vt vbiq; furta committantur sine omni conscientia. Verùm sciat fidelis furtum etiam occultum peccatũ esse: Primò, quia est contra legem naturæ quæ dicit: Quod tibi nõ vis fieri, alteri ne facias. **Matt. 7.** Secundò, est contra legem scriptã, vt patet hic: Quicquid autẽ contra præcepta Dei fit, verè peccatũ est. Tertiò, quia grauius punitum fuit à Deo in veteri testa. **Iosue 7.** Nam Achan propter furtum lapidatus fuit, imò Deus Israelitas dereliquit, vsq; quo furem illum exterminarent. Patet etiam ex eo furti grauitas, quòd nõ sola poenitentia tollitur vt alia peccata, sed oportet etiam vt furtum restituatur. Peccatum enim nõ dimittitur, nisi restituatur ablatum. Non vult Deus tibi reconciliari, nisi prius reconcilieris fratri. Et quid opus multa adducere, vt probetur furtum esse peccatum, cū Paulus manifestè inter vitia capitalia, quæ ex hæreditate Christi nos excludunt, etiam furtum ponat? Et Zacharias de volumine illo q̄ vidit, Hæc, inquit, est maledictio super omnem terram, quia omnis fur sicut in illo scri-

Matt. 5.

1. Cor. 6.

Zacha. 5.

scri-

scriptum est, iudicabitur, & cæt. Hæc pro simplicioribus dicta sint, vt sciant furtum etiam simplex esse peccatum. Obseruandum nunc, quòd furtum dupliciter committitur; in rebus, & personis. Furtum in rebus commisit Achan, de quo supra, & Iudas proditor. Furtum in personis, cum alicui aut vxor, aut filia subtrahuntur. Sic Sichem surripuit Dinam. Sic Saul Dauidi vxorem Michol. Et Philistæi Sampsoni vxorem surripuerunt. Hoc autem furtum personarum grauius est, quàm furtum rerum temporaliũ, ideo in legibus grauius punitur. Obseruandum secundo, quòd non tantum furti reus est, qui sua manu aliena surripit, sed etiam qui adiuuant, consulunt, fouent, participant. hinc de principibus Israel dicitur, quòd sint socij furum. Obseruandum tertio, quod non solum furtum est aliena surripere, sed etiam aliena tenere, vt faciunt filij & hæredes raptorũ. Item testamentarij testamenta non exequentes, item q̄ res inuentas non reddunt. Omnes hi fures sunt, quia alienas res vsurpant Domino inuito & ignorate, &c. Obseruandum quarto, quòd non solum furtum est, aliena surripere aut retinere, sed etiam alios in bonis suis damnificare, vt solet infidelis familia, quæ & clanculo surripit & damnificat dominos, aut non prohibet damna cum potest, vel per negligentiam, aut interdum malitiam sinit perire, quæ posset prohibere, &c. Omnia hæc furta sunt. Precipit Paulus, vt serui obediãt dominis suis sicut Christo. Quicquid igitur fraudis vel infidelitatis domino tuo ostendis, hoc in Christum ipsum committis. His alijsque modis peccatur contra hoc præceptum occultè. Verum vt dixi, vsurpatio rei alienæ etiam publice fit. Hoc etsi apud homines furtum non dicatur, nec semper in mundo puniatur, tamen verè furtum est coram Deo, imò plusquam furtum. Et hoc perpetrantes suum patibulum inuenient in inferno. Sicut enim aues etsi araneorum telis non capiuntur, sed pererrant, aucupis tamen amitem, pedices, retia, & viscum pererrere non possunt, sic etiam si leges hic effugas

Ioan. 12.

Gen. 24.

1 Reg. 25.

Iudic. 14.

Ips. 1.

Eph. 6.

EXPOSIT. DECALOGI

(nam leges hodiè arenearum telis similes sunt, quæ tantum muscas capiunt, crabrones per rumpunt: sic parui fures vt plurimum plectuntur, magni per rumpunt) non tamen Dei iusti iudicis iudicium euadent. Duplīciter autem quis rem alienam publicè vsurpat: Primò, vñ; deinde fraude.

Violenter vsurpant alienas res, qui latrocinia & rapinas exercent, id quod hodiè valdè frequens est, vt fermè nusquam tutò ire liceat, quod tamen etiam apud Turcas licet. Sic peiores inuenimur Turcis. Illos plus cohibet lex apostatæ, quàm nos Euāgelium Christi, adèd ex cæcauit nos auaritia, &c. Imò quod apud gentiles etiam scelestissimum fuit, hodiè apud nostrates gloriosum est, maximè apud nobiles. Hi enim gloriæ sibi ducunt mercatores spoliare, pecora abigere, villas incendere, &c. Cæterùm, reuerà in nullo meliores sunt publicis latronibus: quod enim latrones faciunt in syluis, hoc illi faciunt in castris & carceribus suis. Qui in sylua homines occidunt, semel hominibus malefaciunt: qui homines abripiunt, captiuos tormentis & inedia exercent, & tandem cogunt animam omni substantia redimere. Et quid est aliud hominem ad paupertatem adigere, quàm occidere? Nam iuxta Sapientem, melius est mori, quàm indigere. Sed dicunt se iustitiæ defensores esse, & se mercatores propter vsuram punire. Sed friuola excusatio est: Primò enim, quis te ad hoc vocauit, vt vindictam exerceas? Deinde, si sentis vsuram esse malam & puniendam, cur tu seruas ea, quæ mercatoribus aufers? &c.

Non est vocationis tuæ iustitiam exequi, alioqui cui libet potentiori liceret seipsum vel alium quemlibet vindicare, & publicam sibi potestatem vsurpare. Item, si vis iustitiam exequi, cur propter vnū, qui iniuriam patitur, tu plures iniuria afficis? An non iniustissimum est, vnū velle defendere, & multos eosque innocentes opprimere? Secundò, res alienas publicè vsurpant, qui in bello non contenti stipendijs, imò eisdem impiè dilapidatis rapinas & furta, imò & sacrilegia

committunt contra præceptum Ioannis. Tertiò, res alienas publicè violenter vsurpant, qui in iudicijs pauperi in gratiam diuitum iniuriam faciunt, vel iniuste contra eum sententiando, vel iudicium prorogando in magnum dispendium pauperi. Huc pertinent iuriste, qui semper aliquid ingerunt, vt lis protrahatur, ipsisque maius commodum, alijs autem incommodum accedat. Itē, qui muneribus illecti leges torquēt, & iudicem interdum à iusta sententia impediunt freti impia illa sententia, qua dicunt: Vigilanti iura subuenire, cū non vigilanti, hoc est, astuto, sed iusto iura subuenire debeant. Iuste iudicate, &c. Quàm frequenter scriptura contra huiusmodi fures clamat? Huc pertinet et alij, qui in iudicijs vndiq; pecunias extorquēt & plus æquo. Nam aliàs dignus est mercenarius cibo suo. Quartò, res alienas violenter vsurpant, qui tyrannicè præsumunt subditis, qui impias & graues exactiones faciunt, idque nulla iusta causa, sed tantum, vt pomposius viuant, &c. sicque pellem, vt propheta ait, desuper carnibus auferunt populo, &c. Contra hos scriptura multum & sæpè clamat, & principes in medio eius quasi lupi rapientes prædam, &c. Item: Principes tui infideles socij furum. Omnes diligunt munera, &c. Item: Audite hoc vaccæ pingues in monte Samariæ, quæ calumniam facitis, &c. Item: Audite principes. Nunquid non vestrum est scire iudicium, &c. Itē: principes eius in medio eius quasi leones, &c. Horum impiorum principum pater est Nemrod, qui primus homines oppressit, & ad ædificationem turtis coegit. De tyrannorum impietate lege Job 24. Quintò committunt, vt plurimum rapinam officiales principum, dum sibi consulunt, pauperes grauant, & interdum etiam principes defraudāt, vnde vt plurimum ditescunt, interim principes pauperescunt. Contra hos dicit Isaias: Populū meum exactores eius spoliauerunt, &c. & post pauca: Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi. Vos depastistis vineam meam, &c. Quintò rapinam committunt, qui debita creditoribus non sol-

Exo. 23.

Matt. 23.

Michee 3.

Amos 6.

Zech. 22.

Isa. 1.

Amos 4.

Mich. 3.

Soph. 3.

Gen. 10. &c.

12

Job 24.

Isa. 4.

EXPOSIT. DECALOGI

unt, hi enim tripliciter peccant : primò enim rem a-
 lienam detinent. Secundò ingrati sunt in creditorem.
 Tertiò etiam periuri, nam plerunq; iuramento etiam
 promittūt se daturos. Rapinam etiam cōmittunt, qui
 mercenarijs mercedem non reddunt, quod quàm gra-
 ue sit peccatum, ex hoc patet, quòd in cælum clamare
 dicitur : Ecce, inquit, merces operariorum vestrorum,
 quæ fraudata est à vobis, clamat in cælum, &c. Vnde
 & in lege præcipitur : Non morabitur opus mercena-
 rij apud te vltque mane. Et iterum : Non negabis mer-
 cedem indigentis & pauperis fratris tui, sed eadē die
 reddes ei, quia pauper est, &c. Et Thobias : Quicūq; tibi
 aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem redde, &c.
 Qui enim defraudat mercedem mercenarij, & qui ef-
 fundit sanguinem fratres sunt. Rapinam etiam com-
 mittunt, qui debita inclementer ab his repetunt, qui
 soluendo nō sunt, cūm lex sit, vt pauperi pignus acce-
 ptum ante noctem restituatur, &c. Rapina item est, si
 non reddis, quod debes siue potestati, siue ecclesiæ, si-
 ue pauperibus. Vide, quàm latè se extendat hoc ma-
 lūm, quàm pauci sint, qui non habeant rapinam pau-
 peris in domo sua. Vide autem, quid Deus contra hu-
 iusmodi dicat : Væ qui congregat non sua. Væ qui cō-
 gregat auaritiā malā domui suæ, vt sit in excelsis ni-
 dus eius. Cogitasti contra domum tuā confusionem :
 Lapis enim ex pariete clamabit, &c. Væ qui ædificat
 ciuitatē in sanguinibus, &c. Itē : Væ qui agrum agro,
 domum domui copulatis. Nunquid vos soli habitabi-
 tis super terram? &c. Hæc de vsurpatione rei alienæ per
 vim & violentiam. Restat, vt nunc dicamus de vsurpa-
 tione rerum alienarum, quæ per fraudem fit, nā & hoc
 prohibitum à Christo : Ne fraudem feceris. Cōmittitur
 autem fraus primò in negotijs & mercationibus, vbi
 carius æquo venditur res, vel vbi malæ merces pro bo-
 nis exponuntur, vel fraus committitur in falsis men-
 suris, ponderibus, numismatis, &c. Non habebis, in-
 quit, in sacco diuersa pondera, &c. Secundò, fraus
 committitur in omnibus artificijs : nam fraudis om-
 nia ple-

Jacob. 5.

Leui. 19.

Deut. 24.

Thob. 4.

Eccl. 34.

Deut. 24.

Isa. 3.

Abac. 2.

Ma. 5.

Deut. 25.

nia plena sunt. Omnes de ea queruntur. Et qui alio-
 qui etiam videntur rudes vt rustici, tamē ad fraudem
 sunt instructissimi. Et sanē hoc vnum præceptum sa-
 ris indicat, quid sit mundus, cūm sit non nisi rapina
 mutua rerum. Vani filij hominum, mendaces filij ho- Psal. 67.
 minum in stateris vt decipiant, ipsi de vanitate in id-
 ipsum. Et, quod magis dolendum est, ea nunc consue-
 tudine fraus agitur, vt ne conscientiam quidem inde
 patiantur, quin benē etiam se fecisse sibi videantur, si
 alter alterum illuserit, & imposuerit. Sed vā mundo.
 Tertio, fraudem cōmittunt, qui mercedem accipiunt,
 & tamen infideliter laborant, &c. Quarto, fraus com-
 mittitur in ludo, qui & aliās prohibitus est. Quinto, in
 vsura, & hæc vel maxima & pessima fraus est, sed ad-
 modum frequens nunc etiam inter Christianos. V-
 surarius enim verē sanguisuga populi est, & compa-
 ratur vermi in pomo vel nuce, qui totum intus va-
 stat, ita vsurarius substantiam ciuitatis deuorat mi-
 ris & occultis modis. Hoc peccato maximē labo-
 rant Iudæi, qui putant se licitē posse vsurari cum ex-
 traneis, quando id videtur ipsis permissum in lege. Deut. 23.
 Christiani autem peiores Iudæis sunt, qui ne fratri-
 bus quidem parcunt, vt taceam illos, qui occultē Iu-
 dæorū vsuræ participant, &c. Vsura prohibetur Exod.
 22. & Leuit. 25. Deut. 23. Nehemias acriter in vsurarios Nehem. 5.
 inuehitur. Sic & Ezechiel. Contra, David eum beatiff. Ezech. 22.
 cat, qui pecuniam suam nō dedit ad vsurā. In summa, Psal. 14.
 vsura è diabolo est, sicut omnia alia vitia. Vsura cōtra
 Deum est, contra naturam, contra scripturam. Vsura
 est contra fidem, spem & charitatem, & totum Chri-
 stianismum. Vsura est contra politias, contra leges ci-
 uiles, & ecclesiasticas. Vsura eneruat ciuitates, exhau-
 rit pauperes, depauperat artifices, &c. Vsura maculat
 nomen Christianum coram incredulis. Vsura fomes
 est superbiæ, pompositatis, crapulæ, &c. In summa, V-
 sura ex Christianis Iudæos facit, & simul & bursam &
 infernum replet. Sexto fraus committitur in spiri-
 tuali vsura, id est, Simonia, cuius nunc omnia plena
 sunt,

EXPOSIT. DECALOGI

sunt, hæc pestis omnia ad se trahit, omnia venalia exponit, etiam sacratissima, &c. Septimò committitur fraus ab illis, qui sub habitu religionis, & sub prætextu prolixæ orationis domos deuorant viduarum, omnia ad se rapiunt mendacijs & dolis, nunquam exiurari queunt, &c. Fraudem etiam committunt, qui sub specie bona Euangelij ecclesiastica & monastica bona ad se trahunt, quasi ea velint in meliorem vsum cõuvertere, cùm nihil minus fiat, &c. Et quis potest omnes fraudes recensere? itaque finem faciam. Ex iam dictis enim facilè etiam alia intelligi possunt. Vides igitur, quòd nedum furto occulto, sed etiam fraude & rapina contra hoc præceptum peccatur. Et ad hæc omnia, potest quis etiam furtum committere in proprijs bonis: sicut enim quis homicidium committere potest in seipso, & adulterium propria vxore, sic & furtum in rebus proprijs, idque primò cùm ea nimium diligit. Vnde psal. Nolite sperare in iniquitate, rapinas nolite concupiscere. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Secundò, cùm diuitijs abuteris tantùm ad luxum, ad superfluum vestitum, aut ornatum, & ad pomposa ædificia, interim pauperibus nihil relinquēs. Maximè autem, qui bonis ecclesiasticis abutuntur, vel ea recipiunt, & nihil pro his faciunt, &c. Non enim idè tibi datæ sunt diuitiæ, vt eas in hos tantùm vsus profundas, sed vt tibi amicos facias de mammona iniquitatis. Præceptum igitur hoc non tantùm prohibet, ne proximo damnum inferamus in rebus suis, sed etiam vt proximo indigenti largiamur, subueniamus, mutuo demūs, nihil inde sperantes: Vnde patet, quòd præceptum hoc omnibus modis auaritiam impugnat. Iam igitur vitam nostram ad hoc præceptum cõpara, & videbis, quòd auaritia omnes nos facit fures. Videbis secundò, quòd reuerà tantùm parui fures suspèduntur. Videbis tertidò, quòd verè in nos competit illud Hieremiæ. Omnes auaritiæ student à minori vsq; ad maximum. Item: Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Quàm sæuerum autem nos iudiciū

mancat

Matt. 23.

Psal. 61.

Lucæ 16.

Lucæ 6.

Mic. 6.

Isai. 1.

maneat, vel hinc discamus, quòd parui fures in mundo etiam morte plectantur, quid igitur alijs expectandum, qui peiora committunt? Quanquam Deus etiã nunc multipliciter furta nostra puniat, nunc fame, nunc bellis, nunc peste, nunc alijs malis, vt plerique non cessent rapere, furari, decipere, & tamen nihilo ditiores sunt. Propterea ad pœnitentiã, agnoscamus peccata nostra, &c.

VIII. Præceptum.

Non loquaris falsum testimonium contra proximum tuum.

Hoc præceptum iterum ad reformationem linguæ pertinet. Trifariam enim homo in proximum peccat, opere nimirum, verbo, & animo. Superioribus autem præceptis huius tabulæ monemur, ne quo modo opere fratrem lædamus tum in corpore, tum in rebus. Nunc præsentis præcepto vetat, ne verbo proximum lædamus. In ultimis duobus monet, vt in fratres animo bono simus. Obserua hinc, quòd lingua fermè contra omnia Dei præcepta peccat, demptis primo & duobus ultimis, quæ tantum ad cor pertinent, adeò magnum & irreuerentum malum est linguæ vitium. Vnde merito dicit Sapiens: Mors & vita in manibus linguæ. Et Prou. 18. Iacobus: Qui in verbo non offendit, hic perfectus est. Iac. 3. Et iterum: Linguam nullus vnquam domare potest, &c. Pulchrè autem hoc præceptum statim sequitur post prohibitionem furti: nam furtum & mendacium sunt vitia cognata. Qui enim furatur, facilè etiam mentitur, & contra. Cæterum, præceptum hoc etsi secundum literam tantum videatur prohibere falsum testimonium, reuerà tamen omne mendacium prohibetur, id, quod & scriptura aliàs facit. Nam in Leuitico Leui. 19. dicitur: Non mentiemini, nec decipiatis proximos. Et Zach. 8. in Zacharia: Loquamini veritatem vnuiquisque cum proximo. Item: Pacem & veritatem diligite. et Christus: Sit sermo vester, est est, non non. Et Paulus: Depo- Ephes. 4. nentes mendacium, loquimini veritatem, &c. Merito igitur præceptum hoc considerandum est, nam men-
daciust

EXPOSIT. DECALOGI

dacium hodie in omnibus negotijs, tractatib⁹, pactis, fœderibus, literis, sigillis latissimè regnat & potentissimè, iuxta illud: Non est veritas, non est misericordia, &c. sed maledictum, mendacium, &c. Hoc autem non aliunde prouenit, quàm quòd huius regulæ obliuiscimur: **Quod tibi vis fieri, fac alteri, &c.** Vide aut, quàm graue sit peccatum mendacij: Primò enim est contra naturam hominis. Vnde etsi omnia alia peccata hominem non fœdarent, hoc solùm sufficeret. **Quid enim natura hominis magis desiderat, quàm scire? qd magis horret, quàm falli?** Mendacium igitur contra naturam hominis, qui ex natura desiderat veritatem. Secundò, mendacium hominem similem facit diabolo. Ille enim mendax est, & pater mendacij, longè igitur peius est alijs peccatis. Nam alia quidem brutis similes nos faciunt, vt ira, gula, luxuria: hoc autem ipsi diabolo. hinc est, quòd inter omnia conuicia nullum atrocius est, quàm si quis dicatur in faciem mentiri. Vrit enim hoc conuicium maximè, quia natura faciens sentit quasi sibi contrarium. Poenam aut mendacij videmus in Anania & Saphira. Obserua igitur, qd duplex est mendacium, publicum & priuatum, & vtrunque multipliciter fit. Publicum est, quod fit in iudicio publico adhibitis solennitatibus & ritibus consuetis, vel coram superiore, vel coram Ecclesia, vel cōgregatione. Coram iudicio fit mendacium publicum, primò cùm peieratur, hoc autem pertinet ad secundū præceptum. Secundò fit mendacium publicum in iudicio, cùm falsum testimonium perhibetur, quod aliquando fit ex inuidia, vt patet in his, qui Stephanum accusauerūt & Paulū. Aliquando fit ex cupiditate vindiçæ, vt patet in accusatoribus Susannæ. Aliquãdo fit ex timore, vt patet in accusatoribus ipsius Naboth. Aliquando fit in gratiã dominorū, vt patet in accusatoribus Christi. Sēper tamen est peccatum maximum, quia in iudicio potissimū secundum testes iudicatur. Falsus igitur testis peccat primò, in Deū, cuius præceptum contēnit. Deinde, in iudicē, quē decipit. Tertiò, in pro-

Matt. 7.

Ioan. 8.

Act. 5.

Acto. 6.

Act. 24.

Dan. 13.

3. Reg. 21.

Matt. 26.

in proximum, quem lædit. Quartò, in rempublicam, quam cõtristat & inquietat. Ideò secundum leges infamis fit, & tenetur ad restitutionem damni, in super & iudicio Dei obnoxius est. Testis, inquit, falsus peribit. Et iterum: Testis falsus non erit impunitus. Et Dauid: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Tertiò fit mendacium publicum, cum in iudicio mala causa defenditur, & bona supprimitur legibus ad hoc miserè contortis. Nec excusat, quòd dicunt vigilantij iura subuenire. Non enim vigilantij, id est, astuto subuenire debent, sed iusto. Iustè iudicate. Quartò fit mendacium publicum, cum falsa docentur è suggesto, vel scribuntur coram mundo. Maximum hoc peccatum est veritatē Dei & scripturæ conuertere in mendacium. Vnde Dauid: Beatus, inquit, vir, qui in cathedra pestilentia non sedit. Et iterum: Filij hominũ usquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Contra hos multa in prophetis. Mendacium etiã publicum dicit iudex, cum iniustam sententiam fert. Tunc enim dicit & pronunciat malum bonum, & bonum malum, & cæt. Vnde caueat, ne temerè sententiam ferat. Mendacium autem priuatum triplex est: Primò, officiosum, quod scilicet proximo vtile est, & nulli nocet: tale fuit mendacium obstetricum & Raab. Secundò, mendacium iocosum, quod fit causa solatij aut in ioco. hoc etsi non tam graue peccatum sit, vt perniciosum, tamen non caret culpa, quia verbum otiosum est, vnde reddendã dicit Christus rationē. Nec Paulus huiusmodi scurrilitates esse, vel audiri inter Christianos, &c. Mendacium autem perniciosum est, quod in damnum proximi vergit. Et hoc primò fit adulatione, vel iniqua & occulta delatione. Plerique enim sunt tam inuidi, vt quos manu occidere non possunt, maledicta & venenata lingua deferant, accusent, criminentur, nec desistant, donec illi pereant, quos oderunt. Tales calumniatores habuit Hieremias, itē Daniel, itē Dauid à Ziphis. Talis erat & Doech, item Achitofel, & Iudas.

EXPOSIT. DECALOGI

Hester 7. Hos tamen impios interdum iusto Dei iudicio propria
 malitia punit, vt in foueam incidant, quam alijs fode-
 runt. Sic contigit impio Aman, sic accusatoribus Da-
 nielis & Susannæ, sic Achitofel, &c. sic Iudæ, &c. Dein
 de mendacium perniciosum est temerè alios iudicare.
 Sicut enim peccat, qui iniustam sententiam in iudi-
 cio pronunciat in insontem: sic & qui temerè iudicat,
 quod nescit. Nam & is pronunciat sententiam. Sicque
Rom. 14. quod Dei est vel potestatis, sibi vsurpat, &c. Quis est tu,
 qui iudicas alienum seruum: Domino suo stat. Iudi-
Thob. 3. cium temerarium erat, quod de Sara dicebatur. inter-
Hier. 38. fectrix virorum, & quod de Hieremia, Homo ille non
Matt. 11. quærit bonum populi. Et de Christo: Non est hic ho-
 mo à Deo. Item: Vorax est & potator vini, &c. Et de
Acto. 27. Paulo: Hic homicida est, quia vltio non sinit eum vi-
 uere. Pro mendacio etiam pernicioso & falso testimo-
 nio apud Deum iudicatur, proximo occultè detrahe-
 re, infamare, peccatum eius hinc inde publicare, &c.
 Primò enim teipsum iudicem fratris cõstituis. Secun-
 dò, occultè ea profers, quæ apertè non posses conuin-
 gere. Tertio, in absentia fratris peccatum ipsius pro-
 fers, vnde nulla ipsius emendatio sequitur. Postremò,
Matt. 18. non obseruas regulam à Christo traditam: Si pecca-
 uerit in te frater tuus, vade, corripe inter te & ipsum
 solum, &c. Christiani hominis est peccata aliorum te-
 gere, emendare, excusare, &c. sicut membra in honesta
 reguntur. Sic igitur præceptum hoc primò prohibet
 falsa testimonia, iudicia, &c. Vult enim Deus, vt om-
 nia iustè & decèter vbiuis fiant, in templo, domo, fo-
 ro, prætorio, &c. Quia autè iustitia multis modis im-
 peditur, vel ignorantia iudicis, vel mendacio testis, vel
 deprauatione procuratoris, vel etiam mendacio accu-
 satoris, meritò Deus hoc præceptum interposuit, &c.
 Quanquam si Christiani essemus verè, nihil iudicio
 opus esset. Nullus enim alteri faceret iniuriam, & et-
 iam læsus ab alio non facilè lites sequeretur, sed iniu-
 riam suam Domino commendaret, qui in alio repen-
 dere potest. Vnde Christus: Si quis te percusserit in vnâ
 maxillam,

maxillā, præbe ei & alteram, &c. Sic Ioseph non vindicauit iniuriam sibi à fratrib. illatam. Nec Dauid iniuriam à domo Saulis sibi factam, nec Christus. Multa, inquit, habeo de vobis loqui & iudicare, sed verax est qui misit me, &c. Nos autē ni hil curamus vel verba Christi, vel exempla piorum, putamus nihil ea ad nos pertinere. Iusto igitur Dei iudicio, quia nolumus palium amittere, cogimur etiā camisiā dare, & quia nolumus fratri cedere in decē solidis, cogimur decē aureas expendere in procuratores & causidicos. Sicque pecuniā profundimus cū peccato, quā cū merito poteramus relinquere fratri, sicq; inuiti implemus mandatū Christi de præbenda altera maxilla, q̄ voluntariē implere nolimus. Verē iustus Dominus, & rectū iudiciū eius. Sed ad propositū. Prohibet, inquā, hoc præceptū, falsum testimoniū, deinde quodcūq; mendaciū, & generaliter omnia verba, quib. proximus damnificatur contra iustitiam & charitatē quod non sine causa addo, Nā ex charitate & iustitia arguendus est proximus peccans. Nec solūm q̄ malum est prohibet hoc præceptum, sed etiam præcipit bonū, nempe vt veritatem dicamus, Nam etiā veritatem tacere, proximo nocet. Cū igitur vides proximo tuo fieri iniuriā & falso eum damnari, teneris etiam non vocatis dicere veritatem. Eripite, inquit pauperē de manu fortiorum. sic fecit Ionathas excusando Dauidem, cui & pacem impetrauit. Sic fecit Abdemelech, q̄ Hieremiā iniuste in carcerem coniectum liberauit. Sic Daniel liberauit Susannaam, sic Nicodemus Christū damnantibus obstitit. Nunquid, inquit, lex nostra iudicat hominem antequam audiat, &c. Eodem modo & Gamaliel liberauit Apostolos. O verē bonū & pium opus. Sic etiā priuatim tenemur iniuriam, infamiā, ignominiam fratris omni studio excusare, & accusantib. obistere. Sic fecit cæcus ille à Domino illuminatus, qui omni studio famā Christi defendebat contra phariseos. Idem fecit latro ille cōtra sociū suum, qui Christū blasphemabat. Tenemur etiā peccata aliorū extenuare, cōtra-

Gen. 41.

Ioan. 2.

Psal. 110.

Psal. 37.

1. Reg. 19.

Hic. 38.

Dan. 13.

Ioan. 7.

Actor. 5.

Ioan. 9.

Luc. 23.

EXPOSIT. DECALOGI

dicere, infamantib. non præbere aures. sic enim sibi quilibet vellet fieri, sicque officimur filij spiritus sancti, qui ideo paraclitus dicitur, quia loquitur bona pro nobis, & dat testimonium spiritui nostro bonum, contra omnia testimonia diaboli & conscientiar. Tenemur etiã docere ignorantes Deum, Deique voluntatem, monere errantes, resistere decipientibus & hereticis mentium deceptoribus, &c. Ad hanc regulam si vitam nostram cõferamus, videbimus in nobis impleri illud propheticum: Os eorum locutum est mendaciũ, linguis suis dolosè agebant, &c. Item: Vnusquisque à fratre suo se custodiat, quia omnis frater supplantans est. Extenderunt linguam suam sicut arcum mendacij, &c. Itẽ in Isaia: Labia vestra locuta sunt mendacium. Non est, qui inuocet iustitiam, &c. Et paulò post: Corruit veritas in plateis, & æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in obliuionem, &c. Curramus igitur ad penitentiam, nam etiam hic deprehensi sumus peccatores, &c.

Psal. 5.

Hier. 9.

II.

IX. Præceptum.

Non concupisces domum proximi tui.

X. Præceptum.

Nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinũ, nec omnia, quæ illius sunt.

Hæc duo præcepta Iudæi coniungunt, ac pro vno habent, quemadmodum & Paulus videtur facere, dũ indeterminatè hoc præceptum ponit, Non concupisces. Vt tamen denarius numerus præceptorum consistat, quem lex expressè ponit Exod. 34. Deutero. 4. & 10. etiam primo præcepto primæ tabulæ duo faciunt, vt suprã quoque dictum est. Nostri autem in prima tabula tantũm tria posuerunt propter mysterium trinitatis, quod Iudæi ignorabant. Septem autem in secunda propter septiformem gratiam spiritus sancti, qua sola impletur lex. Cæterũ, quicquid sit de numero & diuisione præceptorum, certum est quod hæc duo verba ponuntur in secunda tabula, & ex consequenti

Rom. 7.

quenti nos obligant. Mirum autem alicui videri pos-
 set, quòd cum hæc duo in superioribus satis intelli-
 gantur & compræhendantur, Deus tamen expressè
 ponere voluerit. Verùm nihil sine causa loquitur
 Deus. Ideo igitur hæc duo præcepta prioribus addi-
 dit ad explicationem aliorum, vt sciamus quòd sint
 intelligenda non tantùm de externis factis, sed etiam
 de affectibus cordis. Deinde vt sciamus etiam cogita-
 tiones malas peccata esse, id quod vulgus non credit,
 propterea quòd nulla externa pœna cogitationibus
 constituta legitur. Præterea ideo illa præcepta addi-
 ta sunt, vt eo profundius peccata nostra cognosca-
 mus, & ne quis sibi videatur iustus. Verè enim præ-
 cepta hæc omnes nos damnant & peccatores osten-
 dunt. Nam etsi externè nihil mali feceris, tamen in-
 tus in corde gestas concupiscentiam & fomitem pec-
 cati, qui ita naturæ infixus est, vt nunquam ad perfe-
 ctum eradicari possit in hac vita. Imò ideo Deus
 tuit corpus nostrum in puluerem redigere, & per
 ignem vniuersalem incinerare, vt consummatum
 ne vitium carnis nostræ per ignem, adeò odit Deus
 hanc immunditiam. Hæc igitur duo præcepta fa-
 ciunt, vt etiam omnibus sanctis orandum sit pro re-
 missione peccatorum, vt Psalm. ait, & quòd etiam A-
 postoli orare iubentur, Dimitte nobis debita nostra. Psalm. 111.
Matt. 6.
 Ideo & omnes sancti de se ipsis desperantes timore
 sue immunditiæ sperârunt in Dei misericordia, vt sic Psalm. 146.
 beneplacitum stet Dei super timentes eum, & speran-
 tes in misericordia eius. Sed nunquid satis est ex his
 præceptis cognoscere peccatum? Nequaquam. Rom. 7.
 Verum quidem est, quòd Paulus dicit, Per legem cog-
 nitio peccati, & maximè per has duas. Vis enim horum
 verborum est non tantùm indicare peccatum, sed et-
 iam monere, vt resistamus & strenui aduersus ty-
 rannidem carnis pugnemus. Magnus quidem ty- Iacob. 4.
 rannus est concupiscentia, sed debilitatus adeò vt ab
 acri quocunque sine negotio vinci possit. Tyrannus Iob 41.
 non perfectè regnat cui contradicitur. Hinc Iaco-

EXPOSIT. DECALOGI

Epe. 6.
Col. 3.
Tit. 2.

1. Pet. 2.

Rom. 6.

Judic. 3.

Gen. 3.
2. Reg. 11.

Psal. 118.
IOB 31.

bus: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Quis autem prunas concupiscentiæ in nobis accendit nisi diabolus? Vnde Paulus: Assumite armaturam Dei, vt possitis resistere, &c. Et iterum: Deponite veterem hominem, iram, indignationem, &c. Et iterum: Apparuit gratia Dei vt abnegantes secularia desideria, &c. Et Petrus: Obsecro vt abstineatis à carnalibus desiderijs, &c. Quorsum autem nobis arma sumenda sunt, si pugnandum non est? Exigunt igitur hæc præcepta vt concupiscentiæ reluctemur, & vt fortius pugnemus. Paulus victoriam pollicetur: Peccatum, inquit vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Vnde & ibidem dicit: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Concupiscentiæ stimuli sunt Chanaanæi illi, quos Dominus reliquit in terra promissionis, vt in illis erudiret filios Israel. Vt autem ignis concupiscentiæ facilius extingatur, vultum adiuuat custodia sensuum. Vbi enim sensus externè delectabile quid apprehenderunt, statim concupiscentia excitatur ad illud appetendum. Sic enim ex aspectu pomi, sic David ex aspectu mulieris in concupiscentiam exarsit. Itidem fit per auditum & alios sensus. hinc David: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Et Iob: Pepigi foedus cū oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Præcipitur igitur in his duobus vltimis verbis, vt sensus custodiamus, sine quorum custodia non refrenatur concupiscentia. Hic est sensus horum præceptorum secundum communem expositionem. Verùm si ritè attendimus, videntur etiam aliud quiddam innuere, nempe vt contenti his, quæ habemus, non studeamus aliorum bona ad nos trahere etiam iusto titulo, si id sine damno proximi fieri non possit. Plerunque etiam fit vt aliorum domus, agri, &c. videantur meliora, quàm nostra sunt (sic enim vicinum pecus semper pinguius vber habet) hinc statim irritatur concupiscentia, cupimus enim ea nostris adiungere, non rapina aut furto, sed iusto titulo. Proximum igitur maximè si pau-

per

per sit, instigamus vt vendat nobis ea. Promittimus magna, donec intentum consequamur. hinc fit, quòd pauper quispiam vel importunitate victus, vel extimore ne incurrat indignationem diuitis vel potentioris venditaliquando quod aliàs nunquam vendidisset, & inuitus hoc facit, nec sine suo damno. hoc non curans emptor cùm pecuniam debitam, soluit, putat se nihil peccasse, propterea quòd emerit rem illam, nec coram mundo quisquam eum accusare potest. Verùm quid ait Deus: Non concupisces domum proximi tui, præcipit vt sis contentus tuis rebus, & alijs quoque faueas, quæ à Domino acceperunt, ne omnia ad te trahas, nò curando quid alij habeant. Vult Deus vt non tantùm tuæ cupiditatis, sed etiam proximi rationem habeas, vt tecum viuere possit. Alioqui similis eris impio Achab, qui veniam Naboth concupiuit. Et in te competet illud Isaia: Vt qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis &c. Imò tibi continget quod Diuiti illi contigit. Stulte, hac nocte tollent animam tuam, & quæ præparasti, cuius erunt? Diues enim cùm dormierit, non sumet omnia, &c. Quis autem non videat hanc alienarum rerum concupiscentiam sub honesto tamen titulo nunc vbique regnare in iudicijs, in negotiationibus, &c. vbi quisque quod potest ad se trahit sine respectu proximi. Itidem fit in hæreditatibus magnis, item in spiritualibus beneficijs. itē in temporalibus, iurisdictionibus, vbiq; quæ aliorum sunt nobis placēt, adeò oculus noster nequam est. Hinc vbiq; causas querimus quomodo ad nos perueniant. Hoc solo còtenti quod ea non vi vel furto, sed per iustam vt putamus sententiam iudicis, vel iure belli, vel contractu licito acquisiuimus, &c. Abraam quidem induxit Ephrō Gen. 23. ad venditionē agri non còcupiscentia ductus, sed necessitate: vt haberet locū sepeliendi mortuū suum. Sic & Dauid induxit Ornā Iebuseum, vt vèderet sibi auream, verùm nò propria cupiditate ductus, sed ita iustus à Deo. Et quod de concupiscentia rei alienę dictū

EXPO. DECAL. IN EXOD. Cap. XX.

est in **mono**prcepto, hoc idem dicendū est de concu-
piscētia vxoris & familię. Vbi enim videmus vxorem
honestā, optamus eam nobis non ad abusum, sed ad
coniugiū: q̄ quia fieri non potest viuente viro, inter-
dum inuidemus ei vitā longiorem, sicq̄; cum damno
proximi eius vxorē cupimus contra hocpræceptum.
Apud Iudæos, quib. licuit vxores repudiare, magis lo-
cum habuit hocpræceptum. Qui enim tunc cupiebat
vxorē alterius in coniugium, facilè poterat efficere, vt
dissidiū aliquod oriretur inter ipsos, vt sic repudiatā
vxorem ipse habere posset. Hoc tamen apud nos locū
non habet. Nobis enim non licet dimittere vxores. Sic
& prohibitū hic est, ne si proximus tuus seruū habeat
pb̄m & fidelē, aut ancillam, aut pecora, tu ea cōcupi-
scas, & hoc agas, vt ad te perueniant, quantūuis proxi-
mo tuo inde incommodum oriatur. &c. Summa, vult
prohibere auaritiā in omnibus, vt discamus esse con-
tenti cū habuerimus victum & quibus tegamur. Nec
enim hic habemus manentē ciuitatem, &c. Iam igitur
compara vitam nostrā ad duo illa præcepta, & videbis
quomodo omnino peccatores, &c. Sic igitur omnia præce-
pta nos cōfundunt, vt videamus verū esse quod Psal-
mista dicit: Delicta quis intelligit? Et q̄ in Iob dicitur:
Homo bibit quasi aquam impietatē, &c. Merito igi-
tur scriptura pronunciat omnes homines esse peccato-
res. & Ioan: Si dixerimus quia peccatū non habemus,
nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Hęc i-
gitur sunt decem illa verba, quę Dominus Moyse scri-
pta dedit. Hic est liber mandatorum Dei & lex, quę est
in æternum. Omnes qui tenent eam, peruenient ad vi-
tā, &c. Cōuertere Iacob & apprehende eā, &c. Ne tra-
das alteri gloriam tuam, &c. Beati sumus Israel,
&c. vide ibidē. Attendamus quis ea præce-
pta dederit, & q̄ nos simus, quid præ-
mij obseruantibus, & poenę trās-
gredientibus debeatur.

FINIT EXODVS.

HISTO.

Mat. 19.

Lebr. 13.

Psal. 18.

Iob.

Baruch. 4.

HISTORIA PROFECTIONIS FI- LIORVM ISRAEL A MONTE SYNA VERSVS TERRAM PRO-

*missionis, ex libro Numerorum &
sequentibus.*



INSIGNEM illam, vereque diu-
nam, ac summè consolatoriam egres-
sionis filiorum Israel ex Aegypto hi-
storiam, qua potui diligentia & bre-
uitate in Exod. exposui: restat nunc,
vt eiusdem populi profectiōem ver-
sus terrā pmissam quoq; audiamus.

Sicut enim liberatio ipsorum ex Aegypto p̄figurauit futuram liberationem generis humani per Christum, sic profectio ipsorum per desertum, vitā fidelium per desertum huius mundi contendentium ad patriam adūbrauit. Non igitur ociosum est considerare, quid ipsis in ea profectiōe boni & mali acciderit: per hoc enim nos ex vna parte cautiōres, ex altera fortiores reddimur: Nam quod ipsis accidit, hoc nobis quoque accidit ad minus spiritualiter, nonnunquā & corporaliter. Optandum igitur, vt ipsorum mala nos cautiōres, bona autem fortiores & magis pios reddant.

Cæterum, quamuis Moyses profectiōem Israelis per desertum in Exodo cœperit, eam tamen non nisi ad montem syna in eo libro perduxit. Huius causa fuit datio legis & institutio cultus diuini: quæ quia pluribus verbis populo inculcanda & scribenda fuerunt, coactus fuit Moyses historiam inceptā interrūpere, ac differre. Ideo à vicesimo capite Exodi vsque ad finem libri, & per totum Leviticum fermè nihil aliud agit, quàm quòd legalia describit. Post descriptiōnem autem legis & institutionem cultus diuini redit

ANNOTATIONES

Moyſes ad deſcribendam hiftoriam, idq; in libro Numerorum. Interim tamen etiam hic multa legalia intermiſcet: quare & in hoc libro non eſt animus ſingula & omnia per ordinem exponere, ſed tantum ea, quæ ad hiftoriam pertinent, quemadmodũ & in Exod. feci.

In hoc autem libro primò omnium diſponitur populus ad profectiõnem. Ac primò, numeratur, & in ordinem cogitur. Deinde docetur, quem ordinem tenere debeat in caſtrorum poſitione. Tertio, quo ordine proficiſci debeant. Quarto, ordinantur etiam Leuitæ: quæ omnia & lectu iucunda, & fructu vtilia ſunt. In ſumma, antequam proficiſcantur, omnibus modis ita inſtruuntur & ordinantur, vt acies & exercitus eorum non hominibus tantũ, ſed etiam dæmonibus terribilis eſſet. Vt infra audiemus.

Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſrael per congregationes & domos ſuas, &c.

Contententibus ad veram promiſſionis terrã primò omnium neceſſarium eſt, vt in cultu Dei vero inſtituantur, hinc Deus filios Iſrael per integrum annũ reſtauit circa montem Synai. Nã tertio mense egreſſionis primò venerunt ad montem Syna. Nunc autẽ in ſecundo mense ſecundi anni adhuc ibidem fuiſſe ſcribuntur. Nolebat enim Deus, vt proficiſcerentur niſi prius eſſent inſtructi omnibus quæ ad populum Dei pertinent. Illis autem perfectis, iam ad profectiõnẽ præparantur. Ac primò iubet vt numerentur. hoc autem idẽ fecit primò vt in ordinem ipſos cogeret. Ad populum enim Dei maximè exigitur ordo, vt quilibet in ſua vocatione maneat, miſiſtret, ſciat quis ſibi præpoſitus, quid ſibi agendũ, quæ partes ſibi defendẽde ſint. Hic ordo etiam in externa pòlitia neceſſarius eſt, maximè tamen in ſpiritualibus vbi eſt maius periculũ. Ideo Paulus tam diligenter monet, vt omnia ordinatè fiant, tam diligenter inſtruit cuiuſlibet conditionis homines parentes, filios, ſeruos, &c. ne quid inordinatum ſit in Eccleſia. Secundò, populum numerare iuſſit vt vel ſic & ipſi & nos mira circum hunc populum Dei

Exod. 19.

1. Cor. 14.

Eph. 5. & 6.

Dei

Dei opera clari⁹ videre possemus. Ipsa enim multitu-
do Dei opera magnificat. Primò enim, miraculū est,
quod in tam breui tempore in tā immēsum numerum
eos multiplicauit. Nam 70. animæ in Aegyptum cum
Jacob intrârunt, nunc autem sexcēta millia peditum
numerantur. Quis nūc dubitet de promissionibus di-
uinis? Si hoc potuit, quid non poterit? Deinde hæc
multitudo etiā illud opus Dei magnificat, quòd tam
in numerum populum & tot annis in deserto susten-
tare potuit sine ipsorum labore & agricultura. Quis
non miretur Dei potentiam? Imò quis non benè spe- *Isa. 50.*
ret de Deo? Nondum enim abbreviata est manus Dei.
Tertiò, etiam signum dilectionis est, quòd Deus iussit
numerari populum. sicut enim pecuniam, quam dili-
gimus, sepè numeram⁹; & pastor oues, quas diligit, sæ-
pè numerat, ne fortè aliqua perierit: sic & Deus pro
nobis sollicitus est. Vnde & Christus dicit: Quos dedi *Joann.*
sibi mihi, non perdidi ex eo quenquam. Quarto, nume-
ratur populus in figura nostri. Per hoc enim significa-
tur omnium electorum nomina apud Deum scripta
& numerata esse in libro prædestinationis, & sic scri-
pta, vt nunquam obliuioni dentur. Nec cuiquam hoc
impossibile videatur, quòd omnium electorum, qui
fuerunt, sunt, et erūt, nomina comperta habeat Deus.
De ipso enim dicitur, quòd etiam numerat multitudi-
nem stellarū, & omnibus eius nomina vocat. Et Chri-
stus dicit apud Deum etiam capillos capitis nostri nu-
meratos esse, quantò magis nomina nostra? Hoc au-
tem summam nobis consolationem præbet. Vnde
Christus: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in *Lucas 10.*
cælis. Et iterum: Qui vicerit, non delebo nomen eius *Apoc. 3.*
de libro meo, sed confitebor eum, &c.

Observandum autem, quòd Moyses numerando
populum non peccauit, quia præceptum Domini ha-
buit, & ex obedientia fecit. Dauid autem numerando
peccauit, quia nullum præceptum habebat, & non ex
obedientia, sed ex superbia hoc faciebat. Sic vnum &
idem opus in altero meritum, in altero peccatum est.

ANNOTATIONES

quia dissimilis erat causa, dissimilis intentio. Nemo igitur dicat. si hoc huic licet, licebit & mihi. sed quilibet vocationem statumque suum consideret, maxime autem verbum Dei. Multa licuerunt patribus veteribus, quæ nobis non licent, quia prohibita, & cetera. Observandum item, quod Moyses numerando populum, primo principes conuocat, deinde quamlibet tribum seorsum numerat, nullam præterit, solos tamē Israelitas numerat, nec omnes tamen, sed tantum viros, & à vice simo anno & supra. Nec eos numerat ante transitum maris, sed post, nec tamen statim post, sed cum multas iam tentationes sustinuisset. Omnia hæc sua habent mysteria. Primo, ut dixi, numeratio populi designat electorum inscriptionem in librum vitæ. Observandum autem, quod duplex est electio. Aliqui eliguntur & vocantur ad præsentem Ecclesiam tantum: aliqui etiam ad triumphantem. Vnde Israelitæ bis numerantur. Primo, hoc loco. Deinde iterum cum iam transituri essent Iordanem, sed longè dissimiliter. Ex his enim, qui primo numerati sunt, vix duo inueniunt in terram. qui autem postremo numerantur, ad terram promissam perueniunt. Sic & Christiani bis numeramur. Primo, cum ad fidem & Baptisma venimus, tunc enim Ecclesiæ inscribimur & incorporamur: Verum non omnes ad terram promissam peruenimus, quia non omnes currimus, ut comprehendamus. Secundo autem iterum numerabuntur electi, cum scilicet mittet filius hominis angelos suos & colligent electos suos à quatuor ventis, & qui tunc numerabuntur, hi omnes ad salutem perueniēt, audient enim: Venite benedicti patris mei, &c. Prima igitur hæc numeratio significat vocationem fidelium ad præsentem Ecclesiam.

1. Cor. 9.

Matt. 24.

Matt. 25.

Vide igitur, quomodo, & quo ordine quibusque conditionibus vocemur in Ecclesiam. Primo Moyses vocauit duodecim principes: & Christus primo vocauit duodecim Apostolos. Secundo Moyses vnà cum principibus populum numerare cœpit, non in vna tribu tan-

Matt. 10.

butan.

bu tantum, sed in omnibus indifferenter. Et Christus Apo. 5.
 electos suos vocavit non ex vno aliquo populo, sed ex
 omni tribu, populo & lingua, & cæt. Iudæi putabant
 ad se solos pertinere salutem. Christus autem dicebat: Ioan. 10.
 Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & cæt. Mach. 3.
 Et iterum: Multi venient ab oriente & occidente, &
 cæt. Vnde & Apostolis dicebat: Prædicate Euange. Mar. 16.
 lium omni creaturæ. Non est acceptor personarum
 DEVS. Non est Iudæorum Deus tantum, vnde & Matt. 23.
 serui in parabola iubentur introducere ad nuptias
 quoscunque inuenerint. Tertio Moyses Israelita tan-
 tum numerat, non Aegyptios, non seruos alienige-
 nas. Sic & Christus, etsi nullam gentem respuat, non
 vult tamen gentiles & Aegyptios mores. Ideo ad pœ-
 nitentiam & innouationem vitæ nos vocat, vt qui Rom. 6.
 serui fuimus peccati, nunc simus serui iustitiæ. Quod
 si Aegyptius quisque se immiscuerit, cum indigna-
 tione eijcitur, vt patet de eo, qui ad nuptias intra-
 uit sine veste nuptiali. Sic & Paulus quendam AE-
 gyptijs moribus præditum eiecit. Et insuper vult, Cor. 5.
 vt tales etiam in posterum eijciantur. Expurgate, in-
 quit, vetus fermentum, vt fiat noua conspersio. Et Gal. 2.
 iterum: si quis frater est fornicator, ebrius, aut aua-
 rus, & cæter. cum hoc nec cibum sumere. Quarto,
 Moyses tantum viros numerat, non mulieres: & Chri-
 stus etsi sexum muliebrem non abiiciat, (In ipso e-
 nim omnes vnum sumus. Non est mas, neque fœ-
 mina.) non tamen tolerat muliebres mores, molli-
 tiem, timiditatem, inconstantiam, sed vult habere
 viros, id est, fortes, voluptatum & sui ipsorum con-
 temptores. Qui vult venire post me, abneget semet. Matt. 16.
 ipsum. Vult habere constantes. Qui mittit manum Lucæ 9.
 ad aratrum, & aspicit retrò, non est aptus ad regnum
 cælorum. Quinto Moyses numerat viros tantum à
 viginti annis, & supra, non pueros. Sic CHRISTVS
 etsi pueros vult ad se adduci, non vult tamen in no-
 bis pueriles mores, leuitatem scilicet, ignorantiam &
 stultitiam. Vnde Paulus: Stultiloquium autem & Eph. 4.
 scurili.

ANNOTATIONES.

Scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, nec nominen-
 tur in vobis. Et iterum: Nolite effici pueri sensu, sed
 malitia paruuli estote. Et iterum: Cùm essem paruulus,
 loquebar vt paruulus, &c. Cùm autem factus sum vir,
 euacuauit, quæ sunt paruuli, &c. Sextò, Moyses nõ nu-
 merat populum, nisi post transitum maris rubri, sic
 Christus nullum inter suos agnoscit, nisi prius bapti-
 zatus sit. Nisi, inquit, quis renatus fuerit ex aqua &
 spiritu sancto, non potest intrare in regnum cælorum.
 Septimò, nec statim post transitum maris eos nume-
 rat Moyses, sed cùm iã aliquandiu in deserto fuissent,
 & plures tentationes sustinuis-
 sent. Sic nec tu statim
 Christianum te esse putes & inter electos numerandũ,
 si baptizatus sis. Oportet, vt tentationibus proberis,
 cum Amalechitis, id est, cum peccatis pugnes, ad mon-
 tem Dei conscendas, id est, ad superiora te erigas, &c.
 tunc dignus es, qui inter Christianos numereris. Non
 coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. 2. Timoth. 2.
 Iudicò in Apocal. tam sæpè repetitur. Qui vicerit, dabũ
 ei, & cætera.

Postremò Moyses cùm numerasset populum, ma-
 gnum numerum inuenit. Et Christus magnum habet
 numerum, Vtrinque autem impletur illud Isaia: Mul-
 tiplicasti gentem, non magnificasti lætitiã. Ex tanto
 enim numero eorum, quos Moyses numerauit, tan-
 tũ duo intrauerunt terram promissionis. Alij in de-
 sero prostrati sunt. Aliquos enim deuorauit ignis, a-
 lios terra. Alios infecerunt serpẽtes, alij perierunt gla-
 dio. Sic ex magna illa multitudine Christianorum vix
 pauci saluantur. Multi enim sunt vocati, pauci verò e-
 lecti. Alios enim deuorat ignis concupiscentiæ, alios
 terra auaritiæ, alios venenum hæreticæ persuasionis,
 &c. Eodem modo & Dauid numerans populum ma-
 gnam summam inuenit, videlicet vndecies centena
 millia. In Apocalypsi autem, vbi electi tantũ signã-
 tur, non inueniuntur, nisi ceterum viginti quatuor mil-
 lia, ex qualibet scilicet tribu duodecim millia tantũ.
 Omnia hæc ad correptionem nostram scripta sunt, ait
 Paulus,

2. Cor. 14.

1. Cor. 13.

Ioan. 3.

Isa. 9.

Matt. 20.

1. Para. 25.

Apo. 7.

Paulus,

Paulus. Nemo igitur in eo confidat, quòd baptizatus *1. Cor. 10.* est, quòd nomen Christiani habet, quòd inter Christianos viuit, sed studeat ita viuere, vt non mereatur *1. Cor. 9.* eijci, ita currat, vt compræhendat.

CAPVT II.

IN hoc capite describitur dispositio, vel ordinatio castrorum. Ordinata enim castra militantibus fiducia & munitionem cōferunt, & aduersarijs terrorem incutiunt. Ordinatio autē illa castrorum quinque complectitur. Primò enim Moyses duodecim illas tribus in quatuor partes diuidit, ac semper tres tribus cōiungit sub vno vexillo. Secundò, castra ponere iubet versus quatuor partes orbis, ad quamlibet partē tres tribus. Ad Orientem tribum Iuda, Isaschar & Zabulon. Ad Occidentem tribum Ephraim, Manasse & Benjamin. Ad Meridiem tribum Ruben, Simeon & Gad. Ad Aquilonem tribum Dan, Aser & Neptalim. Tertiò, tabernaculum fœderis in medio castrorum ponit, tum vt populus consolationem haberet de Dei præsentia, tum vt semper Deum ob oculos habentes timerent peccare, tum tertiò, vt nunquam cultus diuini obliuiscerentur. Et postremò etiam idèd, ne aliqua tribus conqueri posset se sperni, si remotius à tabernaculo castrametari iuberetur. Ob hanc causam tabernaculum in medio ponitur, vt æquè distaret à singulis. Quartò, Moyses Leuitas ordinat circa tabernaculum, nam illi quia ad cultum Dei ordinati erant nō cum alijs numerati sunt, nec in castris aliorum manserunt, sed separatim & circa tabernaculum, idq; ad quatuor plagas orbis. Nam Moyses & Aaron castra habebant ad orientem circa introitum tabernaculi, Caathitæ ad meridiem, Gersonitæ ad occidentem, & Meraritæ ad septentrionē. Idèd autem Leuitas sic posuit in medio & circa tabernaculum, vt & ipsi admonerētur officij sui, & populus ob-

uios ha.

ANNOTATIONES

uos haberet à quibus doceretur verbum Dei. Quintò, sic ordinatis castris eijci iubetur leprosi & alij im- mundi, imò iubentur etiam egredi, qui ad requisita naturæ pergunt. Sancti estote, quia ego sanctus in me- dio vestri sum.

Num. 26. Quis non miretur hanc castrorum ordinationem & pulchritudinem? Imò Balaam ipse coactus fuit eam laudare, quamuis libentius maledixisset. Quàm pul- chra, inquit, tabernacula Iacob, &c.

Omnia autem hæc in figura illis contigerunt, scri- pta sunt autem ad doctrinā nostram. Nos enim adhuc sumus in castris: vnde Pet. corpus suum vocat taber- naculum. Velox, inquit, est depositio tabernaculi mei.

1. Cor. 5. Et Paulus: Quàm diu, inquit, sumus in hoc tabernacu- lo, in gemiscimus, &c. Imò ipsa Ecclesia dicitur castrorum acies ordinata. Ordinata, inquam, nam etiam hic vel maximè ordo necessarius est. Vnde & Paulus vult, vt omnia secundum ordinē fiant in Ecclesia. Ad hunc autem ordinem pertinet, primò, vt vnusquisque in sua vocatione progrediatur & laboret pro virili sua. Non enim in eisdem castris omnes manere possumus, non vnum officium & statum omnes habemus. Quilibet igitur sua castra, suum statum boni consulat, & in ip- so inuigilet. Secundò, ad ordinem Ecclesiæ pertinet, vt ad quatuor mundi partes respiciat, id est, vt an- tè & retrò, à dextris & sinistris munita sit. Ante se videat Deum & æterna, post se mortem & iudicium. A dextris mundi fallaciam, à sinistris diaboli astutias. Tertiò, requiritur ad ordinem Ecclesiæ, vt membra e- ius in charitate, & vinculo pacis vniantur, vt scilicet, quamuis multa sint membra & officia, vna tamen fi- des & charitas, vnus spiritus in eis permaneat. Quar- tò necessarium est, vt tabernaculum Dei in medio sui habeat, hoc est, vt omnia in gloriā Dei referat, ad hoc vnum spectat, Deum colat, Deum præsentē esse sciat, &c. Deum timeat. Hoc enim si desit, frustrā assunt alia. Quintò necessariū est, vt Leuitæ, id est, ministri Eccle- siæ in suo ordine stent. Ordo aut Leuitarum cōsistit in quinque.

quinque. Primò, vt non inter turbam, sed seorsim man-
 neant, vt abstrahant se à tumultu seculi, mundi sint à
 peccatis, quibus vulgus subiacet, &c. Secundò, vt ma-
 neant circa tabernaculum, agnoscant se Dei seruitio
 deputatos. Non omittant cultum, & alijs se implicēt.
 O necessaria admonitio. Tertio, vt sint in medio po-
 puli, sciant se seruos esse, & omnium debitores, parati
 sint omnibus subuenire, &c. Quarto, vt inter se ordi-
 nem seruent parati obedire, & subesse maioribus. Nā
 & ipsi diuersa ministeria habent. Alios enim dedit A. Ephē. 4
 postolos, alios Euāgelistas, &c. Quintò, vt ad quatuor
 partes mundi circa tabernaculum castra habeant. Ni-
 mirum, vt & docere possint ingrediētes in Ecclesiam
 ab oriente. Et versus meridiem accendere & inflama-
 re segnes & desides. aduersus occidentem consolari
 territos morte & iudicio. Et ad septētrionem robo-
 rare pusillanimes contra diabolū. Hic est ordo Le-
 uitarum. Postremò ad ordinem Ecclesiæ requiritur, vt
 & principes & magistratus in officio sint. Ad ipsos autē
 pertinet, vt ad orientem castra habeant, id est, ad Deū
 studia sua dirigant. Secundò, vt in medio populi sint,
 id est, populi cura tangantur, agnoscant se non domi-
 nos, sed seruos. Tertio, vt in introitu tabernaculi castra
 habeant, id est, vt ipsi primò pietatē colant in exemplū
 aliorum. Quarto, vt illic habitēt, vt & tabernaculum,
 & populum, & Leuitas videre, & circūspicere possint,
 ne quid vsquam desit, &c. Postremò, vt Moyses & Aa-
 ron simul habitent, id est, potestas secularis & ecclesia-
 stica cōiungantur, & inter se inuicē cōueniant, se mu-
 tuò adiuuent. O felix Ecclesia, in qua talis ordo est. Vi-
 demus ex his, quid hodie desit Ecclesiæ, &c. Hęc de or-
 dine castrorum breuiter dicta sint. Curandum in fine,
 ne quid immundum, indecens aut offensiuum in ca-
 stris relinquamus, aut faciamus, &c.

Restat nunc dicere, quem ordinem filij Israel ser-
 uauerint in professione castrorum, de quo
 habetur Numeror. 2. & 4.

Hęc autem summa rei est, primò, Non mouebant
 castra,

ANNOTATIONES

Num. 9.

Num. 4.

Num. 7.

Ibidem.

castra, quàm diu columna nubis stabat supra tabernaculum. Ad verbum enim Domini proficiscebantur, & ad verbum ipsius figebant tentoria. Quando autè columna procedebat, tunc & ipsi proficiscebantur, sed ordinatissimè. Primò, cùm columna vel nubes procedere incipiebant, Aaron ingrediebatur cum filijs in tabernaculum, & inuoluebat arcam, & alia, quæ Leuitæ portare debebant, &c. Interim qui ad orientem habebant castra, primi proficiscebantur, tribus scilicet Iuda, quæ & maior & fortior erat, cuique debebatur regnum, imò & Christus. Hæc igitur tribus cum duabus adiunctis Isaschar scilicet & Zabulon primò proficiscebatur, & in suo exercitu habebat ceterum octoginta sex millia & quadringentos bellatores. Post hos secundo loco mouebant castra, qui ad meridiem iacebant, tribus scilicet Ruben cum tribu Simeon & Gad, & horum erant centum quinquaginta vnum millia quadringenti. Post hos incedebant Leuitæ portantes tabernaculum & vasa sacra & primò Caathitæ, qui portabant in humeris arcam & propitiatorium, mensam & candelabrum, altare thimiamatis & altare holocaustorum cum suis vasis. Horum enim cura ad ipsos pertinebat. Portabant autem omnia hæc velata, vt nec ipsi, nec populus ea videret. Post hos incedebant Gersonitæ, hi portabant cortinas, vela, tectum tabernaculi, funes, &c. Post hos sequebantur Meraritæ, hi portabant tabulas & vectes, columnas & bases, clauos & alia. Ante omnes autè incedebat Aaron cum filijs suis ad quos pertinebat conseruare, & portare oleum vntionis. Post profectiorem Leuitarum proficiscebantur, qui ad occidentem castra habebant, tribus scilicet Ephraim cū duabus adiunctis Manasse scilicet & Benjamin, horum erant centum & octo millia. Post hos mouebant castra, qui ad aquilonem erant tribus scilicet Dan, cū tribubus Azer & Neptalim. Horum erant centum quinquaginta septem millia sexcenti. Nouissimè sequebatur vulgus promiscuum, quod ex Aegypto & alijs regionibus Israelitis adhæserat.

Cùm

Cum autem sic mouerent castra filij Israel, maxime quando Leuitæ arcam in humeros suos leuabant, stabat Moyses extensis in cælum palmis, & dicebat: Surge Domine & dissipetur inimici tui, &c. Cum autem disponeretur arca, dicebat: Reuertere Domine ad multitudinem Israel. Hic fuit ordo profectiois castrorum, procedebant armati, sequebantur armati Leuitæ cum reliquijs & tabernaculo in medio erant. Nec mirum, quod taliter tamq; ordinatè incedentes terrâ Chanaan expugnare potuerunt. Imò nulli dubium, quin etiam nunc eadem terra à paganis recipi posset si taliter ordinaremus nostros exercitus, quo tamen nihil minus facimus: & interim conamur Turcas expugnare ipsi Turcis peiores, & cæt. Sed hæc aliàs. Cæterum, hæc profectio totum nobis ob oculos ponit veterit testamenti statum. Primò enim nihil aliud, quàm proficiscebantur veteres illi, vel, vt Paulus ait, tanquàm peregrini & aduenæ veram patriam inquirebant, &c. Deinde licebat illis etiam armis externis pugnare cætra impios, ne scilicet exterminaretur gens, è qua Christus nasciturus erat. Postremò portabant etiam ipsi Christi saluatoris sacramenta & mysteria, verùm testâ & inuoluta, & paucissimis cognita. Nec solùm veteris testamenti statum nobis ostendit hæc historia, sed simul etiam præfigurauit noui testamenti statum, & profectioem Ecclesiæ. Nam ipsa non cessat proficisci à temporibus Apostolorum vsque nunc, nec cessabit vsque in finem mundi. Præostensum igitur fuit in illa figura, quòd Ecclesia in principio habitura esset fortissimos bellatores Apostolos scilicet, & Martyres, qui parati essent pro fide Christi sanguinem fundere, pati ac mori. Deinde aut sanctos & pios sacerdotes, qui curarent ea, quæ tabernaculi essent, scripturas exponerent, pietatē verbo & exemplo docerent. Nouissima aut habitura esset homines pigros, indeuotos, malos, &c. priorib. omninò dissimiles, & qui vix à lōgè sequerentur vestigia præcedentium, &c. In hoc nouissimo agmine nos sumus, in quos fines seculorum,

ANNOTATIONES

1. Cor. 10. deuenērūt. Atq; vtinam vel longè sequeremur vestigia
 præcedentiū. Iam enim erubescimus exempla patrum
 sequi. Quilibet seipsum ducere vult, quā feliciter autē
 id fiat, indies videmus. Erras, mi frater, si neglecta re-
 gia via, quā sancti Martyres & Cōfessores incesserūt,
Philip. 3. propriā excogitaueris. Vna est via, quę ducit ad vitā.
 Paul. monet, vt vestigijs præcedentiū insistamus. Imit-
Hebr. 11. tates, inquit, mei estote, & obseruate eos, qui ita am-
 bulant, &c. Idem ad Hebræos pulchrè exempla vete-
 rum ad memoriam nobis reuocat, &c. Nec solūm sta-
 tum Ecclesiæ hæc profectio filiorum Israel præfigura-
 uit, sed insuper etiam docet quid quisque in sua voca-
 tione agere debeat. Primò enim Moyses in exemplum
 propositus est principib. secularibus. Sicut enim Moy-
 ses omnia diligenter instituit è verbo Dei, nec solūm
 instituit, sed superattendit ne quid prætermittatur nec
 tamen suæ prudentię innititur, sed cum hoc Deum o-
 rat & gratiam petit, sic potestati seculari agendum est,
 &c. Spirituali aut potestati Aaron exemplo sit. Is enim
 cū Moyses externa ordinat, ipse ante omnia curat ne
 arca relinquatur & tabernaculū in quo omnis spes eo-
 rum consistebat. Secundò, curat ne arca indignè tra-
 ctetur aut curiosè conspiciatur. Prætereà singulis Leui-
 tis sua onera portanda decernit. Postremò & ipse cum
 filijs ante ipsos incedit. Hæc sunt, quæ ad Episcopos
Matt. 7. pertinēt, &c. Vt scilicet spiritualia curent, sanctū cani-
 bus non obijciant, nec sinant margaritas conculcari à
 porcis, vtq; clericos in officio contineant quemadmo-
 dum docet epistola ad Timotheum. Et vt ipsi alijs ex-
 emplo bono præcedant, ne scilicet cū alijs onera im-
Matt. 23. portabilia imponunt ipsi ea digito vno non attingāt,
 &c. Clericis in exemplum propositi sunt Leuitæ: hi e-
 nim in medio exercitus incedebant, & tabernaculum
 portabant vt supra dictum est. Sic clericorum mini-
Matt. 5. strorū Ecclesiæ & religiosorum est, primò vt sciant se
 in medio populi esse, sciāt omniū oculos in ipsos con-
 iectos, quia ipsi sunt sal terrę, lux mundi, ciuitas supra
 montem posita, &c. Sciāt deinde se omniū debitores
 esse,

esse, & ad ipsos pertinere, vt omniū miserijs condo-
 leant, omnib. seruire parati sint. Itē ad ipsos perinet
 portare tabernaculum, curare diuina. Dominus enim
 pars eorū est, Vnde & clerici dicuntur, id est, in partem
 Domini vocati. In tabernaculo autē portando quilibet
 pro suo statu & officio laboret. Filij Aaron, id est, præ-
 lati studeant portare oleū misericordiæ & compassio-
 nis, maximè autē oleum gratiæ q̄ ab ipsis etiam in al-
 ios defluat. Caathitæ, id est, pastores, qui curā anima-
 rum habent studeant hæc quinq; portare, primò arcā
 testamenti, id est, notitiam scripturæ. labia enim sa-
 cerdotis custodiunt scientiam. Secundò, mensam pa-
 num, id est, verbū prædicationis & doctrine qua homo
 spiritualiter sustentatur. Non enim in solo pane viuunt
 homo, &c. Tertio, candelabrum, id est, lumen exem-
 plaris vitæ. Sic luceat lux vestra, &c. Quarto, altare incē-
 si, id est, odorē orationis. Dirigatur, inquit, oratio mea
 sicut incensum in conspectu tuo, &c. Quintò, altare
 holocaustorū, id est, regionem disciplinæ. Iuxta illud:
 Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentē, &c. Pau-
 lus hoc portabat cū diceret: Castigo corpus meum,
 &c. Gersonitæ, id est, clerici nō pastoris etsi tam ma-
 gna & perniciofa illis commissā sint, vt Caathitis ne-
 queram multa portare habeāt, tamen nec ipsos ocio-
 sos esse sinit Aaron, sed coguntur etiā ipsi partē aliquā
 tabernaculi portare videlicet cortinas, testū taberna-
 culi & funes. Per cortinas quatuor colorib. textas signi-
 ficantur quatuor virtutes cardinales, iustitia, pruden-
 tia, fortitudo, temperantia. Tectum designat exte-
 riore honestatem in conuersatione. Funes cōnexionē
 charitatis. Hæc pertinent ad clericos. Cæterū, Me-
 raritæ, id est, religiosi portare habent tabulas, vestes,
 columnas & ea quæ muniunt tabernaculum. Etsi e-
 nim cura animarum illis commissā non sit, ex cha-
 ritate tamen debent & ipsi supportare onus Ecclesiæ
 docendo, sanctè viuendo, orando, his enim tribus sul-
 citur Ecclesia, &c. In Leuitis igitur expressum est, ex-
 emplum omnibus in statu spirituali constitutis, &c.

Mal. 2

Deut. 8

Mal. 14

1 Cor. 12

1 Cor. 12

ANNOTATIONES

1. Pet. 5.
Eph. 6.

Cæterùm populo Christiano in cõmuni exemplũ præbēt bellatores illi in castris Israel. Hi enim armati pergunt & ita pergunt, quòd quamuis in quatuor exercitus diuisi sint, in vna tamen viã gradiantur. Denique Leuitas cum sacris vasis in medio habent, & ita incedunt, vt priores vltimos non despiciant, vltimi primis non inuideant. Hæc autem sunt, quæ ad omnes Christianos in communi pertinēt, primò scilicet vt armati incedant. Aduersarios enim multos habemus. Armati aut̃ sint armis iustitiæ quæ Paulus enumerat.

Deinde ad verbum Domini proficiscatur. Tertio, in eadem via, in vnitate fidei & dilectionis. Quarto, non negligent Leuitas & cultum Dei. Quinto, ita incedant, vt iudas confessio præcedat, Ruben filius visionis, id est, cognitio Dei vel fides sequatur. Deinde, sequatur Ephraim fructificans, id est, bona operatio. Vltimo exercitum claudat Dan iudicium, id est, humilitas quæ ex consideratione iudicij oritur: hæc enim priora omnia conseruat & custodit. Sine humilitate enim non manent, imò nihil profunt aliæ virtutes. Vides igitur quàm pulchrè omnes status in hac historia admoneantur. huc adduci posset quicquid de vita Christiana in Euangelio & Paulo præcipitur, sed omitto, ne lōgior æquo sim. Post ordinē in profectiōe conseruandum Moyses legalia quædam intermiscet, quæ quia secundum literam ad nos nihil pertinent nec ad historiam quã solam tractandam suscepi faciunt, insuper & tædiosum esset allegorias tantũ quærere, ideo omitto. Vnum ad huc restat quod ante profectiōnẽ fieri debebat, nempe tubarum institutio. Quia enim populus multus erat & in quatuor castra diuisus, necessaria erāt signa aliqua, quæ à longè audiri & à longè positis quæ fieri debebant significare possent. Ad hoc igitur tubæ institutæ fuerunt. Penè enim naturale est humanos animos tubarum cantibus affici, & pro qualitate sonituum vel terrore concuti aut animositate efferri, aut reuerentia componi. Argenteas autem
tubas

Ex capit.
decimo.

• tubas fieri iubet, tum propter maiestatem Domini, tum propter sonoritatem. Tubis autem vti debebant ad quatuor. Primò, ad conuocationem populi. Secundò, ad castrorum motionem, tertio, ad belli congressum; & Quartò, ad festorū celebrationē. Semper tamen alio & alio modo clangendæ erant. In conuocatione principū vna tantū tuba clangebat, & simpliciter sine concisione. In cōuocatione populi vtraq; clangebat, sed etiā simpliciter sine cōciso sono. Cū autē conciso sono clangebant, signū erat profectiois, & ad primū clāgorē mouebāt castra q; ad orientē erāt, ad secūdū hi, q; ad austrū, ad tertiuū hi, qui ad occidentē, ad quartū autē clangorē mouebant castra hi, qui ad aquilonē erant. In bello autē tubis clangebant, vt & in populo fides & oratio excitaretur, & hostib. timor incuteretur. In festis verò tubarum sono corda hominum excitabantur ad gaudium de beneficijs Domini, quē admodum nos campanis & organis. Externis enim huiusmodi non solum delectantur rudes, sed etiam iuuantur & excitātur ad bonum. Hic igitur erat vsus tubarum secundum literam. quantumuis autem tubæ illæ res parvæ videbantur, ad multa tamen proderant populo, imò necessariæ erant. Mysticè tubæ signi-
 ficiant voces prædicatorum iuxta illud: Exalta sicut tuba vocem tuam. Hæ tubæ necessariæ sunt in Ecclesia, imò sine eis nemo in ordine & officio manet. Sunt autem argenteæ & ductiles quia prædicatorum est fulgere puritate vitæ & virtute patientiæ. Duæ autem sunt, vel propter geminam charitatem, quæ debet esse in prædicatoribus, vel propter duo testamenta quæ prædicanda sunt, vel deniq; propter duos aduētus Christi, qui vel maximè in scriptura denunciantur. Ad quadruplicem autem vsum tubæ prædicationis in Ecclesia resonare debent; primò, vt conuocetur populus ad vnitatem fidei; secundò, vt vocati admoneantur ad profectum meriti; tertio, vt proficientes armentur aduersus insultus diaboli; & quartò, vt electi inuidentur ad festum cælestis gaudij. Cæterum hoc opus. hic

ANNOTATIONES

labor est, vt debito modo tubæ illæ resonent; non enim semper eodem modo sonandæ sunt, alioqui populus non ordinatior, sed magis dubius reddetur, id quod nunc videmus. Vbique resonant tubæ prædicationis, & tamen populus nihilo ordinatior incedit. Huius causa est, q̄ prædicatores non scitè sonant tubas. Consolâtur enim plerunq; , vbi opus esset austerâ reprehensione, vbi admonitione blanda opus esset, illic insaniunt & clamant. Vbi omnibus viribus consistendum esset in exhortatione bonæ vitæ, illic omnè operam remittunt. Nec mirum, quòd tubas non sciūt rectè inflare & sonare, plerique enim non vocati prædicationis officium arripiunt, cū hic expressè dicatur quòd soli filij Aaron tubis clangere debeāt, id est, qui à Deo vocati sūt. Verus autem vsus tubarū est, vt cū populus primò ad fidem vocandus est, simplex sit clāgor, hoc est, vt simpliciter quæ fidei sunt proponantur, sed duabus tubis, vt scilicet simul eis proponantur fides & opera, lex & Euangeliū, misericordia & iustitia, primus & secundus aduentus Christi, Itēq; charitas Dei & proximi. Exēpla habes in Christo, item in Pet. Act. secundo & tertio, itē in Paul. Act. 13. & 17. &c. Cū autē ad professionem in virtutibus admonendi sunt, hic opus est maiori sono & vehementiori admonitione. Sic Paulus: hora est nos de somno surgere, &c. Item: Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra, &c. Cū autem cōtra vitia bellandū est, illic terribiliter tuba sonet vt terreantur impij. Sic Paulus: Reuelatur ira Dei super omnem impietatem hominum, &c. Cū autem principibus, id est, his qui iam benè instituti sunt loquendum est, tunc familiare habeatur colloquium de gratia & promissionib. Dei. Sic Paulus facit ad Timotheum & Titum. Pugnantes verò contra diabolum excitandi sunt verbo diuinæ consolationis, &c. Demum in festis & cū habemus epulum, id est, celebramus mysteriorum eucharistiæ, clangendum est tuba, inculcanda Dei beneficia, &c. Vnde & Paulus: Quotiescunque panem Domini

Matt. 9.

Rom. 13.
Rom. 12.

Rom. 1.

1. Cor. 11.

man.

manducatis, &c. mortem Domini annuntiabitis, &c. Hic, inquam, esset verus modus clangendi tubis. Vel aliter: Corā principibus multitudinis semel tantū clangendum, id est vniformi & simplici doctrina proferenda est vnitas fidei & charitatis, vt scilicet in vna fide & dilectione consentiant, & de salute sua, & subditorum cōcorditer consolant, ne zelus & cōtentio & scismata generētur. Magnum enim periculū est vbi principes non sana doctrina instruātur: Si enim error aliquis ipsis persuasus fuerit, statim populus eundē errorem sequitur aut sequi cogitur, sicq; sectę fiunt. Nō merito igitur precipitur, vt in vocatione principū, semel & simpliciter sonēt tubę. Eodē modo & populus simplici sono & nō conciso conuocāndus, id est, simplici & aperta locutione instruatur, vt quę dicūtur intelligant vt emendētur. In concionib. enim publicis non obscura prædicāda sunt. Nō ostentāda sciētia, sed quęrenda populi emendatio. Vnde Paul. Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis p̄dero, &c. Simplici igitur & aperto clāgore populus conuocandus est, sed tamē nō vna tuba tantū, vt principes. Neque enim in tanta varietate annorū & morum vna eadēque admonitio sufficit, sed alij consolandi sunt, alij arguendi, &c. Cū autem ad profectum virtutū admonendi sunt homines, necesse est, vt prolixus & concisus sonus fiat, idque non semel, sed sæpius. Nō enim omnes eodē modo affecti sumus. Qui ad orientē castra habent ad primū clangorē expergiscuntur. Qui autē ad occidentē, & septentrionem iacent, hi vix ad tertium vel quartū sonum excitātur. Sæpē igitur clangendum & prolixè, iuxta illud: Insta oportunè, importunè, &c.

Anno secundo, mense secundo vicefima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fæderis.

Hic Moyses reuertitur ad describendam profectio-
nem filiorum Israel versus terram promissam. Potest
autem tota ea historia diuidi in tres partes vel profe-
ctiones. Prima fuit de Aegypto vsque ad montē Syna.
Secunda à monte Syna vsque ad Iordanem. Tertia à

ANNOTATIONES

Jordane in terram promissam. Sic & Christianus habet tres profectioes facere, primam è peccatis & statu damnationis vsque ad montem, id est, cognitionè Christi. Secundam à cognitione Christi vsque ad mortem. Tertiam à morte vsque ad iudicium. In prima requiritur magnus labor, donec homo perfectè peccatis renunciet, & Christum perfectè cognoscat. Multa enim obstant & impediunt. Hinc Pharaò, id est, diabolus, illinc mundus & caro. Quin etiam in secunda profectioe nõdũ sumus securi. quantũuis enim Christum cognoscamus, nõdũ tamen patriã apprehendimus, sed etiam nũc inter medios hostes versamur. Vnde & multi in hac profectioe pereũt. Qui aut in duabus illis profectioib. perstiterit, is tertiam illam feliciter & sine labore perficit. Secus autem, si hic cessaerit, tunc enim illic laborẽ & perpetuũ laborẽ inueniet Adq; sine omni fructu. Ceterũ, in hac secũda profectioe Moyses primò tempus & diẽ describit, tum propter historię certitudinẽ, tum vt sciamus, quamdiu iuxta montem Syna resederint. Videtur quidem longũ tempus, imò & Israelitis ipsis graue erat tamdiu cessare, sed tamen necessarium erat, vt, antequã vltèrius proficiscerentur, prius instruerentur in cognitione Dei & voluntate ipsius. Nam si etiam tam diligenter instructi tam citò defecerunt, quid factum fuisset, si nihil instructionis habuissent? Profecturus igitur ad patriam in exordio non festinet, sed prius fundamentum bonum colligat. Prius in cognitione Dei proficiat, prius seipsum spiritu sancto roborer, ne si preproperè pergere festinet, ipsi contingat, quod Petro, qui Domino dicenti, non potes me sequi modò, non credidit donec re ipsa experiretur se nondum satis virium collegisse. Ideo Christus dicebat Apostolis: Manete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Idẽ: Accipietis, inquit, virtutem spiritus S. in vos & tũc eritis mihi testes, &c. Nemo sanæ mentis in militiam proficiscitur, qui nõ ad se accipiat quod necessariũ est. Nemo sapiens turri in ædificat, nisi prius sumptus cõputet, &c.

Vti.

Psal. 532.

Ioan. 13.

Lucæ 24.

Acto. 1.

Lucæ 14.

Vtilis igitur est mora circa montem Domini, imò & necessaria ad patriam profecturo.

Elevata est nubes de tabernaculo.

Hoc signanter addit Moyses quasi rationem reddens, cur nunc & non antè profecti sunt. Illo, inquit, die nubes signum proficiscendi dedit. Atque hoc est illud, quod superiori capite inculcat. Ad imperiū Domini mouebant castra, &c. In profectioe ad veram patriam omnium maximè necessarium est, vt ad verbum Domini gressus dirigamus non tantū, quando præcipit surgamus, sed etiam quomodo præcipit, faciamus. Antè omnia inspiciendum est verbum, & quocunque illud ducit, sequendum, quantumcunque reclamet ratio aut natura. Hoc si non fecerimus, frustra ambulamus, & in vanum currimus. Hinc Pharisei arguuntur in Euangelio, quòd suas traditiones seruarēt, præcepta autem Dei negligenter. Huc pertinet, quod Paulus dixit: Domine, quid me vis facere? Et David: Vias tuas demonstra mihi, &c. Hinc Christus dicit: Non veni, vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me. Et iterum: Meus cibus est, vt faciam voluntatē patris. Imò idem Christus verè ad imperium Domini proficiscebatur. Hinc vbique dicitur, quòd hoc vel illud fecerit, aut passus sit, vt impleretur scriptura. Hinc Petro passionem & crucem abominanti dixit: Vade retrò sathana, &c. Eidem crucem etiam gladio auertere volenti respondit: Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum? Quomodo implebuntur scripturæ? Eodem modo & Apostoli post acceptū spiritum sanctum ad imperium Domini proficiscebantur, arcamque & propitiatorium eò portabant, quò Dominus iubebat. Sic Petrus iussu Domini ad gentes intrauit contradicentibus Iudæis. Sic Paulus: Non permisit, inquit, nos spiritus loqui verbū in Asia. Cū autem ei, quasi vir Macedo in somnis astitisset, &c. statim illuc profectus est ad imperiū scilicet Domini. Ita nobis quoque faciendum est, &c.

ANNOTATIONES

*Moueruntque castra, primum iuxta imperium Domini per
m m m m m Moysi.*

De ordine profectionis supra satis dictum est. Hæc autem hîc addenda sunt. Primò, quòd non omnes simul mouerunt castra, sed ordinatè. Ex Aegypto autè abeuntibus omnes simul properabant sine ordine. Vbi enim fugienda sunt peccata, hic nullus alium expectet, nullus vltimus remaneat. Exite de Babylone populus meus. Fugite, & saluet vnusquisque animam suã. Vbi autem ad Ecclesiam peruentum fuerit, illic oportet, vt ordo seruetur, ne quis suum locum deserens aliorum loca temerè occupet. In Ecclesia enim nihil refert, in primis an in vltimis castris quis sit, dummodo faciat, quæ officij sui sint. nec enim plus habet, qui in primis castris, id est, in magnis officijs est, eo, qui in vltimis castris est. Imo, qui in vltimis castris, id est, in humili statu est, æquè Deo placere potest, vt is, qui in supremo statu est. Sic Christus pauperulam viduam omnibus alijs præfert, & manifestè asserit, quòd vltimò in vineam venientes plenam mercedem recipient æquè vt primi. Quòd autem tribus Iuda primò castra mouet, ideo factum est, quia maior erat numero, & fortior fide, animosior etiam ad repugnandum aduersarijs. Denique & ad regnum electa. Maximè autem ideo, quòd Christus inde oriundus erat. Hîc igitur impleri cœpit, quod Iacob prædixerat. Iuda, te laudabunt fratres tui, &c. In spiritali etiam profectione Ecclesiæ tribus Iuda primatum habuit. Ipsis enim primò prædicatum fuit Euangelium. Et Apostoli ex Iudæis nati primi fuerunt ductores exercitus Christi. Obseruandum circa hanc profectionem, quòd nouissimi semper sequuti sunt viam & vestigia præcedentium. Hoc enim vel maximè necessarium. Vnde Paulus monet, vt ipsum imitemur, & eos, qui formam eius obseruent. Nec enim aliud nunc ita turbauit statum Ecclesiæ, quàm quòd vestigia præcedentium amisimus, & cæt. Obseruandum secundò, quòd Israelitæ proficiscebantur secundum ordinè motus solis, qui incipit ab oriente & per

meridiam

Apo. 11.

Luc. 21.

Matt. 20.

Gen. 49.

Phil. 3.

Ecl. 1.

meridiem transit ad occidentem, & inde flectitur ad orientem per aquilonem. Eodem modo & filij Israel proficiscebantur. Primò hi, qui ad orientem, &c. Per hoc autem significatum est, quòd nobis proficiscendum est ad instinctum solis iustitiæ Christi, cuius vita in terris disciplina morum fuit. Vnde & sæpe ad imitationem sui nos hortatur, Matt. 11. & Ioan. 13. Observandum tertio, quòd Israelitæ arcam & tabernaculum cum Leuitis in medio sui exercitus habebāt: Vnde patet, quòd magnam curam habuerunt pro arca. Per hoc autem reprehenditur nostra impietas, qui arcam cum Leuitis in nouissimum agmen reijcimus: Omnia enim alia diligentius curamus, quàm cultū Dei. Omnia nunc florent & crescunt in summū, solus Dei cultus decrescit. Hoc nē pacto putamus nos ad terram promissam peruenturos? Nequaquam. Non est Christiana profectio, vbi arca Dei nouissimū locum tenet. Primū, inquit, quærite regnum Dei. Imitemur igitur Israelitas & arcam Dei cum ministris in medium agmen recipiamus. Nec patiamur, vt soli Leuitæ sanctuarium portent eo modo, quo supra expressi. Habeant illi externum ministerium, nos autē spirituale tabernaculum apprehendamus. Nam & per Christum spirituales sacerdotes facti sumus. Assumat igitur vnò arcam portandam, id est, cogitet incarnationem Christi. Alius sumat propitiatorium, id est, cogitet passionem Christi, qua reconciliati sumus, &c. Et sic de singulis, quæ Leuitæ corporaliter portârunt, &c.

Dixit Moyses Hobab filio Ragucl Madianite cognato suo.

Non cessat Moyses facere, quæ pium decent hominem & sapientē principem. Pij hominis est, quoscuq; potest adducere ad Christum & salutem, quemadmodum Paulus ad Agrippam. Opto, inquit, non solū te, sed & omnes alios esse sicut meipsum exceptis vinculis his. Sapiētis autem principis est & diuinitus & humanitus quærere & adhibere, quæ ad commodū subditorum pertinere videntur. Vtrunque autē fecit Moyses. quantumuis enim de diuino auxilio certus esset,

hura.

Matt. 4.

1. Pet. 2.

Acto. 12.

ANNOTATIONES.

humana tamen non spreuit auxilia, ne scilicet Deum tentaret. Quamquam cognatum suum non tam propter se & populum, quam propter ipsius salutem retinere studebat. Utitur autem admodum electis verbis, quibus sperabat eum retinere. Proficiscimur, inquit, &c. Q. d. non te moueat, quòd exules nunc videmur, ad certam hæreditatem proficiscimur non nostris viribus, sed Dei promissione confisi. Deinde magna illi bona promittit, carnales enim maximè donis & promissis trahuntur.

Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. †

Ingenium carnalis hominis, qui nihil curat Dei promissiones, nihil curat spiritualia, nihil mouetur, dū videt alios spiritualia querere, ipse solūm terrenis delectatur. Verè miserrimi homines, qui vident alios ad cælos festinare, ipsi in terra, imò in luto manent. Nec tamen cessat Moyses, donec euincat. Alia tamen via eum aggreditur, quia enim videt eum nō curare Deū, simulat se quasi ipse eius opera desideret, & quasi eius præsentia tantūm in deserto desideret, sperans ipsum interim in fide vnus Dei solidandum. Igitur ingentia dona promittit. Verè pium cor, & exemplum diligenter obseruandum.

Arca fœderis præcedebat eos tribus diebus, providens castrorum locum.

Apparet ex hoc hac vice ordinem non seruatum, quem supra descripsit, arcam scilicet in medio exercitus. Nondum enim aderāt hostes. Vel hac vice eos per hoc animare voluit ad progressum. Vel per arcam Domini nubis columna intelligitur, quæ & ipsa signum erat diuinæ præsentia. Vnde & supra dicitur, quòd nubes recubuit in solitudine Pharan. Ut illic populus quoque sequeretur.

Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cū incederent

Psal. 104.

Deut. 32.

Aliud miraculum & beneficium, de quo Dauid perquam magnificè loquitur: Expandit, inquit, nubem in protectionem eorum, videlicet ab æstu solis. Verè igitur de

tur de ipso dicitur, & portauerit eos in humeris suis.

Mysticè autem etiam nos præcessit arca Christus. Ioan. 14. Vado, inquit, parate vobis locum. Similiter & Deus etiam nunc credentes nube gratiæ suæ protegit. Per psal. 120. diem, inquit, sol non vr̄ete, neque luna per noctem: Dominus enim custodit introitum & exitum tuum, &c. Cæterùm, quòd Moyses in eleuatione arcæ dicit: Surge Domine, supra expositum est. Illud addendum, quòd inimicos populi Dei nominat inimicos DEI. Quod enim vni ex minimis, qui ad eum pertinent infertur, ipsi fertur. Addendum & illud, quòd pij exemplo Moysi omnia cum Deo incipiunt & finiunt. Matt. 23.

CAPVT XI.

Dilectè admodum Moyses populum iuxta verbū Domini ordinauerat. Iamq; cum gaudio proficiscebantur versus terram promissam, sed non diu durauit. Nunc enim iterum tentationes adueniunt & impedimenta, quibus progressus ille impediabatur. Vt veraciter de hoc intelligi possit, quòd in Apocalypsi legitur de libro, quem Apo. 10. Ioannes deuorare iussus est, qui in ore erat sicut mel, sed in ventre amarus. Sic liber hic ab exordio vsque 1. Cor. 10. huc admodum pulchra habuit, nunc autem deinceps ea continet, quæ pius homo sine dolore legere non potest, peccata scilicet populi varia & contra terribiles plagas Dei. Omnia autem ad correptionem nostram. *Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium, displicuitque in auribus Domini, & audiens, iratus est.*

Prima tentatio, quæ proficiscentes ad patriam inuadit, est grauitas corporis, lassitudo, segnities, quòd statim feruor tepescit. Spiritus enim promptus est, ca- Matt. 26. ro autem infirma. Et corpus, quod corrumpitur, aggra Sap 9. uat animam, &c. Contra hanc necessarium est, vt firmetur animus, alioqui incipiet homo murmurare propter laborem, imò cessabit tandem à bono, sicq; omnia prio-

ANNOTATIONES

Lucæ 26.
Ioan. 12.

nia priora bona perdet. Hinc Christus vbique suos spæ præmiorum cōsolatur aduersus grauitatem laborum. Nolite, inquit, timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Et iterū: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, &c.

Exo. 31.

Cæterū, quòd Israelitæ murmurant, hinc est, q̄ per triduum continuum proficisci coacti erant. Breue quidem tēpus erat, sed carnalibus omnia graua sunt. Indignissimè autem murmurant, tum quia rectā ad patriam properabant. Vnde eò iustus gaudere debebant, quò celerius proficiscebantur: tum quia ex tam graui seruitute Aegypti liberati de tam paruo labore conqueri non debebant, etiamsi non ad patriam ducerentur: tum denique, quia etsi non sine labore proficiscebantur, multas tamen consolationes habebāt, ex columna scilicet præcedente, ex nube protegente, ex arca Deum repræsentante, ex manna vbiq; obuia. Verū ipsi omnia illorum obliti erant, contra Deum murmurant. Cū ipse differret in monte Syna, illi properare volebant. Nunc cū Deus properat, ipsi murmurant, & tamen Deus omnia propter ipsos facit. Pulchrè hic ostenditur impietas cordis humani, quæ Deum non timet, beneficia eius statim obliuiscitur, culpat Dei opera & iudicia, inuoluntaria est in labore, impatiens in cruce: murmurat, imo blasphemat, &c. Quid autem damnabilius in homine Christiano, quàm huiusmodi ingratitude? Imo, quid insanius, quàm contra Deum murmurare? Murmurando enim & impatienter ferendo malum augemus, & insuper Deum offendimus. Non murmurandum, sed orandū est in aduersitate. Postremò, quid Deum magis ad vindictam mouere potest, quàm huiusmodi ingratitude? hóc cine reddis Domino popule stulte? Nonne ipse est pater tuus? Si bona suscepisti de manu Domini, mala quare non vis sustinere? Si molestum est, in commodum tuū laborare, quando labores gratis pro Deo? Si grauaris pati quid pro regno cælorum, quando patereris pro CHRISTO? & cæt. Secundo videmus hic

Deut. 32.
Ob 2.

Hic impietatem cordis humani non minui, sed augeri *Ecl. 8.*
 Dei indulgentia. Quò diutius enim Deus eis parce-
 bat, eò peiores illi efficiebantur. Quia non citò profer-
 tur in impios sententia, filij hominum absque timo-
 re peccant. Videmus tertio neminem in hac vita secu-
 rum à casu. Si enim filij Israel post tot signa tamen sic
 cadunt, quid nobis sperandum? Qui igitur stat, videat, *1. Cor. 10.*
 ne cadat.

Ignis Domini accensus, deuorauit extremam castrorum partem.

Hic videmus, quàm Deo displiceat ingratitude &
 murmuratio. Suprà non puniuit, possetque hinc quis
 æstimare, paruū aut nullum esse peccatum, verum hic
 contrarium videmus. Obserua, quòd antequam le-
 gem acceperunt, Deus non puniuit murmuraciones
 eorum. Post datam autem legem semper puniuit. Pa-
 tet igitur, quòd post agnitionem Dei grauius pecca-
 tur, quàm antè. Hinc Petrus de huiusmodi. Melius, in *2. Pet. 1.*
 quit, eis erat viam veritatis non cognouisse, quàm post
 agnitam retrorsum conuerti. Et Christus: Seruus sciēs
 voluntatem Domini, & cæt. Et iterum: Si non venissem, *Ioan. 15.*
 sem, & locutus eis fuissē, peccatum non haberent.
 Nemo igitur graui⁹ peccat, quàm Christiani, nec quis-
 quam grauius damnatur, quàm ijdem, si malè viuant,
 ipsi enim præ omnibus alijs maiorem cognitionem
 Dei acceperunt. Cæterum, quòd ignis Domini accen-
 sus dicitur, potest generaliter intelligi de ira Dei, quæ
 in scriptura plerunque ignis dicitur. Vt cum dicitur, *Deut. 12.*
 ignis accensus est in ira mea, & ardebit vsque ad infer- *Psal. 17.*
 ni nouissima. Item: Ignis à facie eius ascendit, carbo-
 nes succensi sunt ab eo. Potest etiam intelligi de igne
 cælesti, vel fulmine, quòd scilicet per fulmen & ignem
 è cælo perierint. Cōgruè autem è cælo puniuntur, qui
 in cælum contra Deum murmurauerant. Congruè ab
 igne deuorantur, qui linguas habent igne gehennæ in-
 flammatas. Quòd aut ignis dicitur extremam partem *Iaco. 1.*
 castrorum deuorasse duntaxat, intelligitur secundum
 quod extremum accipitur, vel de parte superiore, vel
 inferiore. Deuorauit igitur extremam partem, id est,
 inferiorem.

inferiores, & maximè vulgus promiscuum, quod sequebatur ad terrorem aliorum. Vel extremā partem, id est, superiores, propterea, quòd murmurantes non puniebant.

Leuit. 24.
Dan. 3.

Audiant hoc principes, qui Dei blasphemiam non puniunt, quòd hoc tandem in ipsorum caput recidet. In Leuitico iubetur blasphemus lapidari. Nabuchodonosor rex gentilis edictum proposuit, vt occideretur, qui Deum Israel blasphemaret. Et nos Christiani hoc toleramus.

Cumque clamasset populus ad Moysen, orauit Moyses ad Dominum, &c.

Iaco. 5.

Vexatio dat intellectum, qui Deum spreuerant, coguntur ab homine petere auxilium. Sciebant Moysen Deo gratum, experti erant preces eius efficaces esse. Moyses autem pij hominis exemplar statim orat & impetrat. Oratio enim iusti efficax est. Vbiq; Deus ostendit, quantum possit oratio ex fide. In perpetuam autem memoriam etiam posterorum Moyses loco illi nomen dedit in cēsis, vt omnes scirent, quomodo peccatum murmuratiōis punitum sit.

Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio carniū, sedens & flens.

Psal. 90.

Psal. 106.

Alia tentatio: aliaque murmuratio. Suprà murmurauerant ex tædio laboris, hîc murmurant ex concupiscentia cibi delicatioris. sic ad patriam proficiscens vtrinq; tentatur, à dextris & à sinistris, & prosperitate scilicet & aduersitate: & vtrinq; multi cadunt, plures tamen concupiscentia & prosperitas, quàm aduersitas perdit. Cadent à latere tuo mille, & decē milia à dextris tuis. Deinde prima tentatio, quæ nobis occurrit est tædium laboris. Hanc sequitur fastidium cibi spiritualis, de qua Dauid: Omnem escam abominata est anima eorū, transierunt vsque ad portas mortis. & hæc multò periculosior est prima. Etsi enim quis in bono lassetur, tamen si adhuc ei sapit esca spiritualis potest vires recuperare. Cùm autem cœperit fastidium verbi, tunc homo appropinquat ad portas mortis, ca-

tis, cadit de peccato in peccatum. Sic igitur diabolus
 quib. primò persuasit tædiū laboris, his & persuadere
 nititur fastidium cibi spiritualis. quod cū perfeceris
 surgit concupiscentia voluptatis, de qua hic sermo fit.
 Contra huiusmodi tentationes necesse est, vt muniamur
 verbo Dei, alioqui nō persistemus. Ceterū, quod
 Moyles duas illas murmuraciones per coniunctionē
 quippe coniungit, idē factum est, quia semper vna se-
 quitur aliam. tædiū laboris concupiscentia volupta-
 tis. Vulgus autem promiscuum intelligere possumus
 vel de populo communi Israelitarum, vel Aegyptijs
 quorum multi secuti fuerant, vt supra dictū est: & hoc
 videtur verisimilius. Per hoc igitur excusantur Israelitæ Exod. 14.
 tæ, sed non ex toto. Etsi enim ipsi hanc murmuratio-
 nem non inceperint, tamen postea imitati sunt, vnde
 & eandem pœnam meruerunt. Digni enim sunt mor-
 te non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui con-
 sentiunt. Non mirum autem, quod Aegyptij murmu-
 rant, quod spiritualia fastidiunt, carnalia querunt.
 Quid aliud faceret infidelis ignorās Deum? Valdē au-
 tem mtrum, intō summē reprehensibile est, vbi Israe-
 litæ & Christiani simile quid faciunt, apud quos sola
 gratiarum actio, contemptus terrenorum & appetitus
 spiritualium esse debet.

Cæterum sicut vulgus promiscuum & Aegyptij
 intermixti tunc murmuracionem hanc excitabant,
 sic etiam hodiè carnales & solo nomine Christiani Ec-
 clesiam perturbant, scindunt rete verbi Dei, inficiunt
 bonos, inquietant iustos, Denique impediunt, ne p̄
 proficisci queant. Vnde & Paulus de huiusmodi con- Philip. 2.
 queritur. Multi, inquit, ambulant vt inimici crucis
 Christi, quorum Deus venter est, &c. Vide autem
 quid faciat vulgus illud promiscuum. Sedebat & fle-
 bat more malorum puerorum, quibus desideria sua
 negantur: sedent, nolunt pergere. Huiusmodi pertina-
 cia quali cogere volunt Deum, vt det quod cupiunt.
 Verè Aegyptij mores. Tunc Deum cogere cona-
 ris qui nihil tibi debet? Erras. Precibus impetrandum

ANNOTATIONES

est quod cupis. Gratia enim est quod DEVS dat. Vulgus autem illud non orat, sed in murmurat. Itidem & nos facimus. Conquerimur de malo statu omnium rerum, de sterilitate temporum, &c. tamen non oramus, nec taliter viuimus, vt capaces esse possimus beneficiorum Dei. Audi impie, indignaris quod Deus non ea tempora tibi dat, quæ patres tui habuerunt, & tu dedignaris ita viuere, vt patres tui vixerunt. Deinde flent non de peccatis, non quod tam multi perierint, sed de desiderio carniuni. hoc impijs lachrymas excutit temporale scilicet damnum. interim non curant Dei iniuriam, Ecclesiæ pericula, &c. O Aegyptios mores.

Quis dabit nobis carnes ad vescendum?

Singula verba impietatem eorum aggrauant & vere Aegyptios mores produnt. Primo, manna habebant ad iufficientiam, & tamen alia quærun. Deinde multa animalia secum habebant, quæ tamen ex auaritia occidere volebant, cupientes à Deo habere carnes. Præterea non simpliciter carnes cupiunt, sed delicatas. Hi sunt Aegyptij mores, dum non contenti sumus necessarijs contra verbum Pauli, habentes victum & vestitum, his contenti simus. Deinde dum ex auaritia recondimus, quæ ex Dei benignitate vtenda accepimus. Postremo dum in cibis tantum voluptatem quærimus. In hoc autem nedum vulgus promiscuum, sed etiam filij Israel culpabiles inueniuntur, quia etiã pios interdum sollicitat cura ventris & voluptas ciborum. Natura paucis esset contenta, sed concupiscentia semper delicata quærit.

Gen. 9.

Ante diluuium plus, quàm bis mille annis non erat vsus carniuni, nos vix duob. diebus abstinere possumus. Romani post deuictam Italiam, Africam, Græciam, adeo simplicibus contenti erant, vt nihil apud ipsos vilius fuerit, quàm coquus. Danieli & socijs eius licebat de regijs cibis vesci, sed contenti erant leguminibus. Helix angelus delicatissima adferre poterat, sed attulit panem & aquam. Nos autem dum

Dan. 1.

2. Reg. 19.

COR.

concupiscentiæ satisfacere studemus, naturam gra-
uamus & corrūpimus, vt verum appareat illud, quòd **Ecd. 17.**
multò plures crapula, quàm gladio perierunt.

Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis.

Iam concupierant carnes, nunc concupiscūt pisces
& alia. Qui enim fastidiunt spiritualia, hi in incon-
stantiam corruunt, vt nunc hoc, nunc illud appetant
similes arundini, quæ nedum instabilis, sed & infru-
gifera & intus vacua est. Nec mirum, quòd huc & il-
luc diffluunt, quia nihil sub sole est, quod desiderium
hominis satiare possit, vnde & Sapiens ait: Vanitas vā **Ecd. 1.**
nitatum, &c. Mentimur autem quòd dicūt se pisces
gratis comedisse in Aegypto, Aegyptus enim, i. mun-
dus nihil gratis dat. Imò multò carius emitur, quod
mundus dat, quàm quod Deus, & facilius quis mino-
riq; labore regnū cælorum acquirit, quàm vnā partē
regni terrarum, vtpote diuitias vel gloriam. Ceterū
non solūm carnes & pisces appetunt, sed etiam cucu-
meres, cæpe & allia. Nihil enim est, quod impius homo
non præferat spiritualibus bonis.

Verè autem quicquid mundus habet, nihil aliud **Luc. 15.**
sunt, quā cucumeres, cæpe, allia, imò siliquæ porcorū,
id est, talia sunt, quæ aut infrigidant aut oculos excæ-
cant, aut hominem foetere faciunt, &c. Quanta igitur
intanta est hæc concupiscere, & spiritualia contemne-
re? Venite, inquit Christus, ad me, qui laboratis & ego **Matt. 12.**
reficiam vos. Et iterum: Quare appenditis argentum **Isa. 55.**
& non in panibus, &c.

*Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi no-
stri, nisi Man.*

Hic vel maximè produnt impietatem suam, quòd
scilicet nihil faciant manna, cum tamen esset sum-
mum beneficium. Illi autem omninò contemptim
de ipso loquuntur. Vt autem maior appareat eorum **Exod. 16.**
impietas, Moytes iterum explicat, quale fuerit man-
na illud, de quibus supra satis dictum. Ceterū hi si-
ue molerent, siue contunderent, siue coquerent man-
na, non sapiebat illis, cum tamen pijs omne delecta-

ANNOTATIONES

mentum præstaret. Sic & verbum Dei carnalibus nunquam sapit, quomocunque tandem proponatur.

Ioan. 6.

Cæterum, quod Israelitæ hic faciunt, hoc Iudæi fecerunt tempore Christi, qui cōtempore pane viuo qui de cælo venerat, ad sua carnalia cōsenescebant, hoc idē etiam nunc pseudochristiani faciunt, qui tantū hoc agunt, vt sua desideria impleant quantumuis audiant Christum aliter docentem & admonentem.

Audiuit Moyses flentem populum per familias.

Patet hīc, quod nō pauci murmurauerunt, sed multi & quod nō in occulto, sed in manifesto, in foribus, inquit, tabernaculorū suorum. Cæterum, quod Moyses dicitur audisse populum flentem, exemplum est pij principis, qui facile & citō audit querelas & miseras subditorum. Non enim facit, sicut impius ille iudex, qui viduam illam audire noluit, donec tandem importunitate eius victus esset.

Lucz 12.

Ezech. 34.

Amos 6.

1. Reg. 12.

Bonus pastor sæpius visitat gregem suum. Impius autem princeps non curat miseras subditorum, dum modō sibi benè sit. Dormiunt, inquit, & lasciuunt in lectis eburneis, & nihil contristantur super contritione Ioseph. Imò nedum non compatiuntur miserijs subditorum, sed insuper eas miseras augment. vt patet in Pharaone & in Roboam. De huiusmodi malis principibus lege Iob. 24. Moyses autem statim audit querelas populi, maximè si quid contra Deum sit vt in hoc loco, vnde subditur:

Sed & Moysi intoleranda res visa est.

Verè intoleranda res in populo Dei audire murmura, blasphemias, ingritudinem, &c. Verum non omnib. hoc videtur esse intolerabile: Impij enim principes Dei iniuriam nihil curant. Moysi autem & qui spiritu Moysi præditi sunt, his verè intoleranda res videtur & est, vbi contra Deum peccatur. Sic Phinees

Num. 25.

1. Mach. 2.

1. Reg. 17.

2. Reg. 18.

ferre non potuit fornicantes, sic Mathathias ferre non potuit idolis sacrificantem in conspectu populi. Sic Dauid ferre non potuit quod Philistæus exprobraret agminibus Dei viuientis. Sic Helias ferre non potuit

potuit impietatem prophetarum Baal, nec Ioannes Matt. 14.
adulterium Herodis, nec Christus dehonestantes Matt. 21.
templum.

Cur afflixisti seruum tuum?

Moyſes ſemper ad Dominũ confugit, ipſe enim eſt
refugium iuſtorum Pſal. 30. Vnde & Ioſaphat: Cũ 2. Par. 20.
neſcimus quid agere debemus, hoc nobis reſtat, vt o-
culos leuemus ad te, &c. Videntur autem etiam Moy-
ſi verba non nihil impatientię præ ſe ferre, & fieri po-
teſt, vt humanũ aliquid paſſus ſit. Attamen ſi verba i-
pſius propius excutiamus, videbimus q̄ nihil aliud fa-
cit, quã miſerias animi ſui, quas diu potãuerat, corã
Deo effundit. Inuitus officium aſſumpſerat & quan-
quam multa perpeſſus fuerat, omnia tamẽ animo ſuo
preſſit, hic autem tãdem quod diu preſſerat erumpit.
Nec ſolum cor ſuum Deo aperit in his verbis, ſed etiã
inſigniter oſtendit ſuam fidem, ſpem, & charitatem
erga Deum & proximum. Fidei erat, quod tam con-
fidenter cum Deo loquitur. Spei autem, quod neceſ-
ſitatem ſuam aperit de auxilio non diffidẽs. Charita-
tis autem eſt, quod tam familiariter cum Deo expo-
ſtulat, quaſi amicus cũ amico; ſubinde eum beneficen-
tiã ſuã admonens. Omnia tamen in cõmodum popu-
li ordinabat. Timebat, ne fortẽ ſua negligentia popu-
lus peccaret (ſic enim p̄ i ſemper timent, ne fortẽ offi-
cio ſuo non ſatisfaciant) optaret igitur, vt alius magis
idoneus populo præficeretur. Latenter autẽ in Chri-
ſtum futurum reſpicit, hunc cupit mitti. Oſtendunt i-
gitur verba Moyſi primò pium eius animũ. Pius autẽ
animus eſt qui aduerſa tanquam à Deo accipit. Vnde Amos 3.
Moyſes dicit: Cur afflixisti? Non dicit diabolus vel po-
pulus me affligit, ſed tu. Non enim eſt malum in ciui-
tate, quod Dominus non fecerit. Qui ſic mala tanquã
à Deo accipit, is non irasceſtur, non in odium exarde-
ſcet, non vindictam cogitabit, &c. Deinde pius ani-
mus eſt, qui proximorum incommoda vt propria ſen-
tit. Sic Moyſes populi miſerias ſuam afflictionem du-
cit. Qui enim proximorum incommoda non ſentit,

ANNOTATIONES

is pius non habet animum. Qui habet substantiam
 huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatē ha-
 bere, & claudit viscera sua ab eo, quomodo charitas
 patris manet in eo? Maximè autem pius animum o-
 stendit zelus contra iniuriam & blasphemiam Dei.
 Itemque contra peccatum. Omnia autem hæc vide-
 mus in Moyse. Deinde videmus ex verbis Moyfi, quid
 in suo principatu quæsierit, nempe nihil aliud, quam
 populi commodum & Dei gloriam. Hæc quia non-
 dum plenè consecutus erat, putabat se nondum gra-
 tiam Dei inuenisse. Præterea videmus hic, quòd Moy-
 ses officium suum, non honorem, sed onus iudicauit.
 Cur, inquit, imposuisti mihi onus? &c. Hoc qui atten-
 derent, vel non tantùm ad prælaturas contenderent,
 vel diligentius, quæ officij sui sint, exequerentur. In-
 super in verbis suis planè ostēdit, quid ad bonum prin-
 cipem requiratur. Primò, ut miserias populi suas es-
 se ducat. Secundò, ut iniuriam Dei nō dissimulet. Ter-
 tio, ut non aliquorum, sed vniuersi populi, id est, tam
 pauperum, quàm diuitum curâ & onus suscipiat. Quar-
 to, ut affectum parentis, imò & nutricis erga subditos
 ostendat & eos quasi in sinu portet. Quintò, ut eos
 portet in terram, quam Dominus promissit, id est, ut
 omnia ad æternam salutem ordinet. Quæ quia admo-
 dum ardua sunt, & quasi supra vires humanas, rectè
 Moyse insufficientiam suam confitetur. Nunquid,
 inquit, ego concepi, &c. Q. D. nunquid ego homo
 hoc præstare possum, nisi tu dederis? Interim etiam
 Deum suæ bonitatis admonet. Non ego, inquit, eos cō-
 cepi, &c. sed tu. tuū igitur est ipsis prouidere, &c. Quod
 autem addit, non possum solus sustinere, non impa-
 tientis verbum est, aut obedientiam subtrahentis, sed
 agnoscit & confitetur propriam infirmitatem. Sic &
 quòd mortem optat, non ex impatientia est, sed ut o-
 stendat per hoc sibi grauem esse hanc pronitatem po-
 puli ad peccandum, & se malle mori, quàm ut semper
 hæc videre cogatur. Eundem affectum videmus & in
 Helia cū videret omnes ad idololatriam propensos.

Sufficit,

Sufficit, inquit, mihi, tolle animam meam, non enim ^{3. Reg. 19} melior sum, quàm patres mei. Observandum autem quod Moyses sic optat mori vt tamen gratiam Dei inueniat. Qui enim gratiam Dei inuenit, is securus moritur.

Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, &c.

Respondet ad id, quod Moyses petierat, habebat quidem Moyses adiutores in externis, vt supra dictum ^{Exod. 18.} est. Sed in spiritualibus & in his, quæ ad Deum pertinebant, solus hætenus fuit. Ideo cupiebat & in spiritualibus adiutores. Nemo enim tam sapiens aut fidelis, qui solus omnia subire possit. Ideo & Christus non vnum tantum, sed duodecim Apostolos elegit, Nec hos solum, sed post ipsos & alios septuaginta duos. Et ^{Matt. 10.} crescente numero discipulorum Petrus adhuc septem ^{Lucæ 10.} alios ordinauit ministros. Et Paulus ubiq; ^{Acto. 6.} construit presbyteros & episcopos. ^{Tit. 1.} Idem præcepit & Tito, vt faceret similiter. Sic postea sequentes quoque fecerunt & merito. Nemo enim vineam Domini solus colere potest. Vade & paterfamilias subinde alios & alios colonos mittit.

Vide autem quomodo Deus instituat qui in spiritualibus populo præesse debeant. Primò vocationem ipsorum committit Moyfi, adductos autem à Moyse ipse confirmat. Sic electio & vocatio ministrorum Ecclesiæ pertinet ad superiores. Et qui ab his legitimè vocatur, is verè à Deo vocatum se sciat. Non enim est, quod expectes quando Deus è cælo te vocet. Vade, inquit ad Moysen, congrega tu, &c. Vult autem non quoscunque spontè occurrentes assumi, sed cõgrega, inquit, disquire, elige meliores. Vel congregari eos vult, vt scilicet vno spiritu & vna fide incedant, q̄ vel maxime ad prædicatores pertinet, vt scilicet idem sapiant. Alioqui si dissentiant, quod vnus ædificat, alter destruet. Deinde non dicit sume pueros aut mulieres, sed viros inquit. Mores enim muliebres & pueriles huic officio non conueniunt. Præterea non dicit sume

ANNOTATIONES

cognatos tuos, sed de senioribus Israel. Insuper addit, quos tu nosti quod sint senes. Q. D. non quero multos annos, sed multam virtutem, Non canos capillos, sed canam mentem, nō speciem externam senectutis, sed mores senectutis bonæ, sapientiam scilicet, prudentiam, gravitatem, contemptum voluptatum, tædium præsentis vitæ, meditationem futuræ, &c. Hanc senectutem querit Deus. qui hos mores habet, is verè senex est, etiamsi non multos annos numeret. Senectus, inquit, venerabilis, non diuturna nec numero annorum computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. Vnde Paulus Timotheo scribit. nemo adolescentiam tuam contemner, sed præbe te exemplum, &c. Emphasim habet & illud, quod dicit, quos tu nosti: Vult enim per hoc, vt non secundum externam apparentiam eos eligar, sed secundum conscientiam. Quæ omnia indicant quanta diligentia adhibenda sit in institutione ministrorū Ecclesiæ. Magnum enim periculum est, vbi tantum officium minus idoneo cōmittitur. Hinc in primitiua Ecclesiā cum summa maturitate instituebantur. Exempla habes in electione Matthiæ, Item septem diaconorum. Item institutione Pauli & Barnabæ. Hoc idem observatum fuisse & post tēpora Apostolorū indicant pontificalia, quibus etiam nunc vtitur Ecclesia in ordinatione ministrorū Ecclesiæ. Paulatim tamē res ad hoc deuenit, vt tam fermè nihil negligentius curetur, quàm hoc, Hinc rot millia in Ecclesiam irrūpunt, &c. Viderint quorum negligentia hæc fiunt, quicquid enim hic peccatur, in ipsorum caput recidet. Hinc Paulus Tim. Nemini, inquit, citò manus imposueris, nec alienorum peccatorum particeps fias,

Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.

Moyses eligit, Deus spiritum dat. Necessarius est enim spiritus ad spirituale ministerium. Sine me, inquit, nihil potestis facere. Et iterum: Manete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Signanter autem dicit

Sap. 4.

2. Tim. 4.

Acto. 1.
Acto 6.
Acto, 13.

1. Tim. 5.

Ioan. 15.

dicit de spiritu tuo. Non enim quicumque spiritus, sed spiritus Moysi hic necessarius est. Non tamen *Lucæ 24.* pueriliter accipiendum est, quòd DEVS vel animam Moysi in particulas diuiserit, vel quòd gratia, quam habebat Moyses, diminuta sit illi, sed sic intelligendum: Auferam de spiritu, id est, de cura tua. Vel eundem ipsis dabo spiritum, quem tibi dedi, eandem fidem, cognitionem, feruorem, diligentiam, &c. Fuerunt enim illuminati absque diminutione gratiæ ipsius Moysi, sicut à lumine vnus candelæ illuminatur plures absque sui diminutione. Subditur. Ut sustentet tecum onus populi. Hic videmus, ad quid detur gratia & spiritus sanctus, nempè, vt Paulus ait ad ædificatio- *Ephæ. 4.* nem corporis Christi. Videmus secundò, ad quid vocati sint ministri Ecclesiæ, nempè, non ad otium, non ad voluptates, sed ad labores. Sic Petro dicitur: Si dili- *Ioan. 21.* gis me, pasce oues meas.

Sanctificamini in crastinum.

Hic respondet Deus etiam ad murmuraciones populi, & quod mirum est. promittit se daturum, quod importunè, & impiè postulauerant. Sic enim Deus interdum etiam impia murmura exaudit. Non tamen *Rom. 3.* propter ipsa murmura, sed primò, vt ostendat suã veritatem, quam nec hominum malitia & incrudelitas euacuare potest. Vnde Paulus: Si nos increduli fueri- *2. Tim.* mus, ipse fidelis manet, se ipsum negare nõ potest. Secundò impia murmura exaudit ad ostensionem suæ *Exod. 34.* bonitatis, vt qui verè Deus patiens sit, & multæ misericordiæ, solem suum oriri faciens super bonos & malos, &c. Tertiò etiam ideo aliquando impijs dat, quod petunt, vt vel beneficio eos vincat, vel si nolint, omnem eis excusationem adimat. Postremò, quia eos hic remunerare vult, nihil autem ipsis dare de æterna hæ- *Psal. 115.* reditate. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.

Obserua, quòd carniū, & tam miraculosè recepturà Deo iubentur sanctificari, vt sciamus omnia Dei beneficia cum gratiarum actione accipienda esse ma-

ANNOTATIONES

ximè autem insignia & magna, &c. Quòd si comessuri carnes sanctificati iubentur, quanta sanctificatione opus est spiritualia Dei beneficia recepturis? Observandum & hoc, quòd Deus dicit se audisse murmurationes eorum. Verè enim audit & videt omnia, tam bona, quam mala.

Non vno die, nec duobus, sed per mensem.

Rom. 1.

Hic videm⁹, quòd magis ex ira, quam ex gratia impij desideria sua implet. Non semper gratiæ est, dum impijs datur, quòd cupiunt. Videmus secundò, quòd ingratitude impijs omnia Dei dona maledicit, quemadmodum pijs omnia benedicta sunt etiã, quæ videntur mala. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Videmus tertio, quòd impijs quidem carnes promittit, sed vsq; ad nauseam. sic impij multa quidem habent, sed interim habent fastidium, ita, quòd pauper quispiam maiori cum voluptate panem cibarium edit, quam diues phasianum. Sic Deus mirabiliter omnia ordinat, vt pauper, qui modicum habet, cum voluptate edat, diues autem cum fastidio. Quantum igitur ad fructum cibi attinet, qui est sustentatio vitæ & iucunditas, non minus consequitur pauper è suo modico, quam diues ex sua abundantia.

Summa, impijs omnia maledicta sunt, ideo nausæ & fastidium ipsis pariunt etiam optima. Ideo aut impijs maledicuntur omnia, quia repellunt Dominum, qui in medio ipsorum est, id est, quamuis quotidie Dei bonitatem experiantur, videantq; Deum esse presentissimum, tamen ingrati sunt, & non contenti his, quæ habet, magna cupiunt, cum ipsi Deo ne minimū quidem præstent, hoc est repellere Deum, & hæc causa est, quòd malè nobis cedunt beneficia Dei, &c.

Sexcenta peditum millia huius populi sunt, &c.

Mat. 6.

Videtur Moyses dubitare, quæadmodum & Philippus, cum diceret: Ducentorum denariorum panes nõ sufficiunt, vt quis modicum quid accipiat. Propriè tamen Moyses non diffidit de Dei promisso, sed admiratur Dei miram bonitatem & potentiam, quemadmodum

modum & Abraham, cùm diceret: Putásne centena- Gén. 18.
rio nascetur puer? Deinde Moyses non dubitat de pro-
missis, sed querit modum, quomodo implenda essent,
quæadmodum & virgo Maria. Quomodo, inquit, fiet Lucz 1.
illud, quoniam virum non cognosco, &c.

Nunquid manus Domini inualida est?

Q. D. Quid miraris de promissione mea, nescis, quod
omnipotēs sum? Si ex nihilo omnia creare potui, pot-
sum & creata cōseruare. Si omnibus viuentibus cibos
dare possum, possum & huic populo. Sit sanè magnus
numerus ipsorum, maior tamen est numerus aliorum
hominum & animalium. Verbum hoc summè notan-
dum, docet enim nunquam dubitandum de verbo
Dei. Deinde docet nunquam desperandum de Dei po-
tentia. Verè enim nõdum abbreviata est manus Do-
mini. Qui cogitat, & credit manum Domini omnia Isa. 59.
posse, is nunquam dubitabit, nec desperabit.

Venit Moyses, & narrauit populo verba Domini.

Commendat hoc verbum Moyli & fidem & obe-
dientiam, hæc enim duo simul esse oportet. Non est fi-
des, si non sequatur obedientia, & contrà. Fidei erat,
quòd nihil dubitans populo promissa Domini annun-
ciat, quæ tamen multis incredibilia videri poterant.
Longè aliter facit, quàm princeps ille, qui dicebat: Et-
iam si fecerit Dominus cataraclas in cælo, fieri nõ pos-
set, quod tu dicis. Fidelis homo respicit verbum & pa-
tientiam Dei. Infidelis autem tantum rem, quæ pro-
mittitur attendit. Obedientiæ est, quòd Moyses ex-
quitur, quæ Dominus iusserat, idque diligenter & sta-
tim, nihil prætermittens. 4. Reg. 7.

Descendit Dominus in nube, & locutus est ad eum, &c.

Pulchra consequentia. Moyses credit & obedit,
Deus descendit, & promissa implet. Si nos crederemus,
& obediremus, statim Deus adesset, hinc Marthæ dici- Ioan. 11.
tur: Nõne dixi tibi, si credideris, videbis gloriã Dei.
Et alij cuidam. Si potes credere. Omnia possibile sunt Mar.
credenti. Nostra igitur culpa fit, quòd DEVS pro-
missa non implet. Non enim credimus, nec obedimus.

Obfer.

ANNOTATIONES

Obseruādum, quōd Deus daturus spiritum senioribus descendit, id est, in signo visibili apparuit, vt scient scilicet, vnde & à quo haberent spiritum, & cui accepto ferre deberent. Deinde daturus spiritum prius loquitur, vt discerent, ad quid acciperent spiritū. Loquitur autem non cum ipsis, sed cum Moyse, vt non ideo se Moyse æquarent aut præferrēt, quōd spiritum accepissent, sed sciunt Moysen longè ipsos excellere, sicque in humilitate manerent,

Hæc tria omnibus spiritum sanctum habentibus necessaria sunt, vt scilicet cogitent, vnde gratiam habeant, & ad quid data sit, & vt sciant se non omnia habere. Quomodo autē de spiritu Moyse senioribus datum sit, supra ostensum est. Per hoc præostensum est, quōd ritè vocatis & promptè obedientibus Deus gratiam dare velit, id quod summè consolatur vocatos ad ministerium spirituale, &c.

Prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.

Spiritus sanctus non ociatur, sed operatur magna & incessanter. Cæterum, prophetare multa significat. Aliquando idem est, quod futura prædicere, & hinc veteres illi prophetae appellati sunt. Omnes enim futura prædixerunt. Aliquando significat prophetias legere vel cantare. Sic Aman & Asaph fuerunt prophetae. Aliquando significat Deum laudare, Sic de Zacharia dicitur, quōd prophetauit dicens: Benedictus Dominus, & cetera. Aliquando idem est, quod scripturas populo interpretari & exponere, docere, admonere. hoc modo accipitur in Paulo & in Actis 13. Potest igitur intelligi, quōd septuaginta illi prophetare inceperunt, id est, Deum laudare, quemadmodum Apostoli accepto spiritu sancto, loquebantur magnalia Dei, vel prophetauerunt, id est, verbum Dei prædicare coeperunt. ad hoc enim vocati erant.

Obserua, quōd spiritus dicitur requieuisse in his & alijs, sed longè aliter, quàm in Christo, In Christo requieuit per essentiam. Vnde in Isaia dicitur, quōd requieuerit super eum spiritus sapientiæ & intellectus, &c.

Luc. 1.

1. Cor. 14.

Acto. 2.

Isa. 11.

&c. Item in Christo mansit semper iuxta illud : Super Ioan. 1.
 quem videris spiritum descendentem & manentem,
 &c. Solus enim Christus est, qui peccatum non fecit, 1. Pet. 2.
 &c. in ipso igitur solo spiritus permansit. Alij nō sem-
 per habuerunt spiritum. Vnde Dauid : Spiritum san-
 ctum tuum ne auferas à me. Et iterum : Redde mihi ^{psal. 50.}
 letitiam salutaris tui, & spiritu principali cōfirma me.
*Remanserant autem duo viri in castris, quorum vnus vocabatur
 Eldad, & alter Medad.*

Non ex contemptu, sed ex humilitate. Iudicabant
 enim se indignos tanto officio. Abscondi cupiebant,
 sed frustra. Non est, qui se abscondat à calore eius. Sic Ionæ 1.
 Ionas etiam ad mare fugiens non potuit effugere spi-
 ritum Domini, imo, quò magis te humilias, & indi-
 gnum te sentis, cò citi⁹ te inuenit spiritus sanctus. Su-
 per quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super ^{Isa. 66.}
 humilem, & cæt. Sic Dauid fratrum minimus à spiritu
 sancto in regem & prophetam electus fuit. Sic & Io-
 seph, & cæt. ^{1. Reg. 16.}

Domine mi Moyses prohibe eos.

Zelabat Iosue pro Domino. Timebat enim, ne vul-
 gato dono spiritus sancti, auctoritas Moysi minuere-
 tur. Sic & discipuli Ioannis emulabantur pro ipso cō-
 tra Christum. Qui tecum, inquit, erat ad Iordanem, ^{Ioa. 1.}
 is nunc baptizat, & omnes ad eum veniunt. Vtrinque
 Zelus erat, sed non secundum scientiam. Erat Zelus
 carnalis. Nō enim prohibendus est, qui benefacit. Ne-
 mini inuidere debemus gratiam Dei. Cuicumq; Deus
 gratiam dat, & per quemcunque gratū nobis sit, Deus
 vult esse in donis suis. An non, inquit, licet mihi face- ^{Matt. 20.}
 re, quod volo? An ideo oculus tuus nequam est, quia
 ego tam bonus?

Quis tribuet, vt omnis populus prophetet?

Vox pij cordis. Planè enim videmus ex hoc verbo,
 quòd fuit Zelator gloriæ Dei non suæ, fidelis populo
 non sibi. Voluisset enim minimus haberi in donis, vt
 alij omnes sanctimonia excellentiore Domino place-
 rent. Non sibi, sed nomini diuino gloriam asserere cu-
 piebat,

ANNOTATIONES.

Ioan. 1.

piebat, nolebat solus reputari, sed totū populum sanctum esse cupiebat. Eandē pietatem & spiritum videamus in Ioanne: Nunc, inquit, gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Si talis spiritus in nobis esset, iam dudum Ecclesia reunita esset. Nihil enim aliud sectas & discordias alit & retinet, quā quod quisque gloriæ suæ timet, nullus minor alijs videri vult, nullus videri vult, quod errauerit. Sic igitur dum quisque gloriæ suæ studet, fit ut gloria Dei & salus populi negligatur. Nō est hic spiritus Moysi, sed superbiæ, &c. Cæterum, quod Moyses & seniores perfectis his, quorum gratia ad tabernaculum exierāt, redierūt in castra, docet pastores, ut post orationes & colloquia cum Deo populum visitent, & doceant, currentque, imō quilibet Christianus, si gratiam aliquam specialem à Deo acceperit, ad castra reuertatur, non se præponat alijs, sed studeat proximo seruire. Sic fecit

1. Cor. 13.

Paulus, quamuis enim raptus fuisset in tertium cælum, ad castra tamen rediit seruiturus fratribus. Idem fecerunt tres illi discipuli, coram quibus Dominus se transfigurauit, &c. Idem & nobis faciendum erit.

Matt. 17.

runt tres illi discipuli, coram quibus Dominus se transfigurauit, &c. Idem & nobis faciendum erit.

Ventus egressus à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit.

Mat. 4.

Hic implet Deus etiam, quod populo promiserat, iterumque se ostendit veracem in promissis. Vide autem, quam facile Deus efficere possit, etiam quæ nobis impossibilia videntur. quod enim multi homines & multo tempore non potuissent efficere, hoc ipse in momento perficit. Non emittit angelos, non exercitum aliquem magnum, sed tantum ventum. Verè igitur de ipso dicitur, quod non laboret, neque deficiat, hoc est, quod non graue ei sit etiam quæcunque facere. Hoc autem miraculo Deus pijs omnem pusillanimitatem & sollicitudinē de victu auferre voluit. Si enim ingratis tanto miraculo subuenit, quomodo suos desereret? Nō est igitur, quod pius de victu desperet. Grauia quidem videntur temporalia contemnere, usuræ & lucris nō insistere, sua pauperibus distribuere, propter Christum

omnia

omnia periculis exponere, &c. Leuia tamen fient, nec de victu dubitabis, si attendas, quomodo Deus, ante Gen. 1. quam hominem crearet, cibum ei prouidit. Item quo 3. Reg. 17. modo Heliã per coruos & per angelum paut, Danie. Dan. 14. lem autem per prophetam Abacuc, &c.

Quod autem Deus non oues aut boues, &c, sed co. Eccl. 16. turnices adduxit, quemadmodum & prius etiam fecerat, ideo factum est, vt mirabilius esset op⁹ illud. Deinde, vt eò minus conqueri possent, cum nō tantum carnes, sed delicatas & dulces carnes accepissent. Verè enim non est, quod conqueramur de Domino, qui homini multò melius prouidit de cibo, quàm cuiquam aliorum animalium. Ecce, inquit, dedi vobis omnem Gen. 1. herbam virentem, & omne lignum pomiferum, &c. Et Gen. 9. iterum: Sit terror vester super omnia animantia, & super omnes volucres cæli, &c.

Moraliter aut non pisces, non quadrupedia eis in cibum dedit, sed volatilia, vt sciant, qui ad terram promissam contendunt, quod non in terra reperere, nō in aquis voluptatum mergi debeant, sed ad alta volare, ac animo cælestia penetrare. Iuxta illud Pauli: Si con Col. 2. surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, &c.

Obserua, quod citra omnē laborem ipsorum desiderio eorum satisfecit Deus. Volabant, inquit, coturnices duobus cubitis super terram, &c. non opus habebant ad alta scandere, vt aues caperent, nec longius excurrere. Imo nec opus habebant se incuruare, sed stando appræhendere poterant. hoc aut ideo factū est, vt certò scirent, hoc Dei opus esse. nec enim ex natura est, vt aues sic homini appropinquent. Deinde Deus etiam hoc ideo sic fecit, vt appareret eorum auaritia, vnde sequitur:

Collegerunt ergo tota die & nocte, &c.

Videtur prouidentia esse, quod nedum coturnices, congregauerunt pro præsentī necessitate, sed etiam reposuerunt pro futura. Verè tamen nihil aliud est, quàm auaritia, incredulitas, luxus & crudelitas. Auaritia erat, quod non cōtenti erant præsentī necessitate succur.

ANNOTATIONES

succursum esse. Incredulitatis erat, quia non credebant Deum in posterum quoque daturum. Luxuriæ erat, quòd plus congregant, quàm consumere valent, sic enim impij omnia simul consumere student. Crudelitatis erat, quòd innoxias auiculas, quibus opus non habebant, trucidant. Eandem auaritiam & impiã sollicitudinem de victu etiam suprã ostenderunt circa manna, cùm aliqui plus colligerent, quàm edere poterant. Alij nec sabbato parcebant. Aliàs autem non malum est, frumenta reponere in hyemem, hoc enim Sapiens vult. cùm ad formicã nos mittit, quæ in æstate sibi victum parat, &c. Vnde & idem postea dicit: Qui congregat in æstate, filius sapiens est. Vbi autẽ accesserit auaritia & incredulitas, itemquæ fraus & impostura, hïc verè impia sollicitudo est, quæ Christianis interdicitur. Sicut igitur Israelitæ, quod cupierant adepti sunt, sic impij fruuntur bonis huius vitæ, sed quid sequitur?

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, &c.

Hoc idem ei psalm. pulchrè describit. Manducauerunt, inquit, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis. Non sunt fraudati à desiderio suo. Vide, quòt verbis vititur. Sequitur: Adhuc escæ erant in ore ipsorum, &c. Hïc igitur videmus, quem finẽ sortitur gaudium & luxuria mundi. Verè enim extrema gaudij luctus occupat. Videmus, quomodo Deus impijs dat, quod cupiunt, sed plerunquæ in medijs voluptatibus eos punit. Exemplo sit Balthasar rex. Itẽ Holofernes Iudithi: Item Philistæi capto Sampson. Videmus autem vel maximè ex hoc loco, quomodo Deus crapulam & luxum in cibo & potu punit. Percussit, inquit, eos plaga magna nimis. Quæ autem fuerit hæc plaga, non exprimit. Verè autem etiã nunc plaga magna nimis percutitur crapula nostra. An nõ plaga magna est, quòd tam foedè nos ipsos dehonestamus, & tã nefandis vitijs nos conspurcamus? Vnde autem hoc, nisi ex crapula? An non magna plaga est, tot rixæ, contentiones, imò & homicidia? Verùm hoc prouenit ex
crapula.

Exo. 16.

Pro. 6.
Pro. 10.

Mat. 16.

Psal. 77.

Pro. 14.

Dan. 5.
Judic. 16.

crapula. Sic & plaga magna, quòd tot subinde novos
 morbos videmus, vnde autem hæc, nisi ex crapula? Sic
 & plaga magna est, quòd omnia nunc carius vendun-
 tur, quàm antehac. Item quòd tam superiores, quàm
 inferiores paupertate premuntur. quātūmuis rapiūt,
 &c. cū tamen prædecessores nostri omnium rerum
 diuites fuerint. Vnde, inquam, hæc, nisi ex crapula?
 Sic igitur Deus etiam nunc crapulam iustis plagis pu-
 nit. In fine autem sequetur æterna plaga. Paulò enim
 teste, hi, qui ventrem pro Deo habent, eorū finis e-
 rit interitus. Discamus igitur hic sobrietatem. Si te-
 tentat crapula, cogita melius esse, vt hīc cupitis ca-
 reas, quàm vt in futuro perpetuò crucieris. Cogita
 crapulam esse omnium peccatorum occasionem &
 fomentum. Sic enim in Ierem. dicitur: Saturavi eos
 & mœchati sunt. Et peccato Sodomorum occasione
 præbuit ocium & saturitas panis, vt Ezechiel ait. Me-
 ritò igitur & Christus monet, ne grauemus corda no-
 stra crapula & ebrietate. Non est Christianū hunc aut
 illum cibum contemnere & deliciares appetere: sed
 cum gratiarum actione omnia suscipienda sunt. Non
 enim ideo viuimus, vt edamus: sed ideo edere debe-
 mus, vt viuamus. Habentes igitur victum & vestitum
 his contenti simus. Nihil enim intulimus in mundū,
 quid igitur delicata appetimus, &c.

Phil. 3.

Ier. 5.

Ezech. 16.

Luc 3.

I. Tim. 6.

Moraliter, qui post gustatum manna carnes desi-
 derant, id est, post gustatam gratiam carnalia quæ-
 runt, hi à Domino percutiuntur. Nemo enim mittens
 manum suā ad aratum & aspiciens retrò, aptus est
 regno Dei. Sic Ananias & Saphira post acceptam fidē
 ad temporalia respicientes à Domino occisi fuerūt. Aucto. 5.
 Simon etiam Magus ob eandem causam à Petro ma-
 ledictus fuit. Sepulchra autem concupiscentiæ lo-
 cus ille nomen accepit ad perpetuam memo-
 riam & diuinæ potentiæ & iræ
 ibidem ostensæ.

ANNOTATIONES CAPVT XII.



Eccl. 2.

IN hoc capite describitur tertium in-
pedimentum profectiois Israeliticæ.
Primum siquidem impedimentū fuit,
quòd populus tædio laboris progredi
cessabat. Secundum fuit plaga Dei,
qua percussi fuerunt qui concupierant
carnes. Tertium fuit, quòd Maria leprosa facta est.
hoc quanuis non diu durauit, tamen ad septem dies
impediuit eos à profectioe & progressu. Hoc igitur est
quod Sapiens dicit. 'Fili accedēs ad seruitutem Dei sta
in timore & præpara animam tuam ad tentationem.
Qui in via ad terram promissam incedit, is multa in-
ueniet impedimēta. inter omnia autem nihil est quod
magis impediatur, quàm peccatum, id quod videmus in
filijs Israel. Conabatur eos Amalech impedire, ne pro-
grederentur, sed frustrà. Idem postea conati sunt rex
Balach, rex Seon & rex Og, sed frustrà. Demum om-
nes reges Chanaā conglobati impedire eos conaban-
tur, sed frustrà, Omnia perrempebant Israelitæ. Om-
nia ipsis aperta & peruia erant: Quando autem in Deū
suum peccabant, tunc sistebatur tota acies, nec pote-
rant progredi. Summa, quod ad hostes ipsorum atti-
nebat, facile potuissent occupare terram promissam:
propter peccata autem sua quadraginta annis in de-
serto esse cogebantur, &c. Sic verè etiam nobis nulla
noceret aduersitas, si nulla nobis dominaretur iniqui-
tas. Quis, (inquit Petrus) vobis nocebit, si boni emula-
tores fueritis?

2. Pet. 1.

Locuta est Maria & Aarō cōtra Moysen propter vxorē Aethiopsā.

Haftenus de peccato vulgi audiuius, hīc maius
quiddam audimus, nempe quòd etiā Aaron & Maria
offenderunt in Moysen, qui tamen corā populo sum-
mæ reputationis erant, & insuper etiam spiritu pro-
phetiæ clari. Is enim Aaron est, qui vna cum Moysen co-
ram Aegyptijs signa fecit & populum eduxit. Et ea est
Maria, quæ post transitū maris rubri sumpsit tympa-
num

num & præcinebat mulieribus dicēs: Cantemus Domino gloriosè, &c. Vterque autem hīc peccat.

Exod. 15.

Videmus igitur hīc, quòd omnes homines fuerunt peccatores, & eguerunt gloria Dei, vt obstruatur omne os, & subditus fiat omnis homo Deo. Videmus secundò, neminem tam sanctum esse in hac vita, qui nō possit cadere. Videmus tertio, sacerdotiū legis infuficiens fuisse, quando quidem & ipsi sacerdotes fuerūt peccatores. Necessarius igitur erat talis sacerdos, qui sanctus esset, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Is autem fuit Christus Dominus noster, qui aded peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, vt securè etiam aduersarijs suis dicere aude-
ret. Quis ex vobis arguet me de peccato? Obserua-
tem quòd in hoc loco Maria præponitur ipsi Aaron, non honoris causa, sed vt ostendatur, quòd ipsa hanc murmurationem inceperit, ac insuper etiam fratrem ad hoc induxerit. Est enim sexus muliebris pronus ad emulationes, inuidiam, rixas, oblocutionem, &c. id quod & suprā vidimus in Sara & Agar. Itē in Rachele & Lya, quare non adeo mirum est, quòd etiam Maria in hoc offendit.

1. Cor. 14.

1. Pet. 2.

Gen. 16.
Gen. 30.

De Aarone autē meritò quis mirari posset, qui cōtra fratrem & talem fratrem tam temerè loqui præsumpsit, cū ipse potius Moysen ab aliorum calumnijs defendere debuisset. Verum quis tam iustus, qui non aliquando cadat? Quis tam cautus, quem lingua tertia non aliquando inficiat? Meritò igitur monet sapiens, ne detrectatores audiamus. Septi, inquit, aures tuas spinis, &c.

Ecccl. 21.

Cæterum, quòd cōtra Moysen loquuntur etiā qui ipsi coniunctissimi erant, probat verum esse, quod Christus dixit: Non est propheta sine honore nisi in patria, in domo & cognatione sua. Sic Ieremias à suis contēptus, à rege Babylonis honoratur. Idē legimus de Daniele. Idem contigit Christo & Apostolis. Deinde videmus hīc, quantum molestiæ incumbat his, qui alijs præsumunt. Nemo enim est, qui omnib. satisfaciat.

Marc. 6.
Ier. 39.

Hebr. 2.

ANNOTATIONES

ère possit, quando etiam Moyses fidelissimus in do-
 mo Dei obrectationes hominum vitare non valuit.
 Non est tamen cur despondeat animum Christianus
 princeps, si benefaciens malè audiat, id enim & alijs
 contigit. Imò eò magis augetur ipsius meritum. Vnde
 Petrus. Hęc est gratia si benefaciētes, mala sustineatis,
 &c. Et Christus: Beati estis cùm maledixerint vobis
 homines, &c. Secus est de his, qui propter peccata aut
 negligentiam suam in officio malè audiunt & arguū-
 tur. Sic enim & Saul sæpius repræhēsus fuit à Samue-
 le, & Achab ab Helia, &c. sed propter peccata sua & iu-
 stè. Moyses autem iniustè, ideo ad gloriam illi cedit co-
 ram Deo & hominibus.

Propter uxorem eius AEthiopissam.

Exod. 2

Facile inuenit inuidia quod mordeat. Facile etiam
 inter mulieres rixę oriuntur. Cæterùm fingunt hęc Iu-
 dæi, quòd hæc vxor Moyse fuerit filia regis AEthiopū,
 quam Moyses iure belli acquisierat, &c. Verū ex scri-
 ptūra auctoritatem non habet. Melius & verisimilius
 est, quòd fuerit Sephora filia Iethro Madianitæ que ta-
 men hic dicitur AEthiopissa, quia Madianitæ, conter-
 mini sunt AEthiopibus. Vel ex contemptu eam nomi-
 nant AEthiopissam quæadmodū solet facere inuidia.
 Fortassis autē inter Mariam & Sephoram rixa aliqua
 & contentiō mulieribus exorta fuit, qua altera alteri
 se præposuit, cui contentioni se Aaron immiscuit. Vel
 ideo loquuti sunt contra Moysen, quòd vxorē alieni-
 genam duxisset, cùm Moyses in hoc non peccasset. Nā
 eam duxit, antequam dux esset constitutus & ante da-
 tam legem: Imò cùm adhuc esset exul, nec sciret an-
 vnquam redire posset ad populum Israel. Denique &
 ipsa Sephora ad fidē conuersa erat. Non igitur habue-
 runt causam contra Moysen hac de re murmurandi.
 Verum aliud ipsos mordebat, hic tantum erat præte-
 xtus. cæterùm verba ipsorū indicant quòd Moyse in-
 uidebant tantam gratiam & dignitatem & maximè
 quādo iam videbant septuaginta viros è spiritu Moy-
 si illuminatos esse. Quò enim magis crescebat glo-
 ria

zia Moyſi, eò magis augebatur eorum inuidia.

Num per ſolum Moysen locutus eſt Dominus?

Eſt ſuperbia carnali prorumpūt in ſuperbiam ſpiritualem, ſuperbiunt de donis Dei, nolunt inferiores videri, inuident maiorib. Hòc frequenter accidit & in Eccleſia Chriſti, vt magiſtrum ſucceſcentes diſcipuli, prælatum illuſtrem ſubditi, patrē contentioſè audeāt obſcurare ingrati filij. Tale quiddā contigit & Paulo, cui pseudoapſtoli derogabant. Vnde Cor. ſcribens, 1. Cor. 1.
Iam, inquit, diuites facti eſtis, Iam ſine nobis regnatis, &c. Et iterum. Eſſi multos pædagogos habeatis, 1. Cor. 4.
ſed non multos patres. Imò propria hæc eſt vox hæreticorum contemnentium orthodoxos veteres. Nūquid, inquit, per ſolos illos locutus eſt, Deus? Nōne & nobis ſimiliter locutus eſt, &c? Quantum autem damni Eccleſiæ intulit hæc ſuperbia ſpiritualis, iam dudum experti ſumus & etiam nunc experimur.

Audiens Dominus iratus eſt contra eos.

Sicut Deus ſibi ipſi reſeruauit punitionem malorū principum, iuxta illud: Mihi vindictam, & ego retribuam. Sic etiam ſibi ipſi reſeruauit vindicare iniuriam bonis rectoribus illatam. Corripuit, inquit, pro eis reges. Nolite tangere Chriſtos meos. Ob id igitur etiam hîc Moyſe tacente & diſſimulante iniuriam ſibi illatam, Deus iudicem agit ſeuerum in verbis, multò autem ſeueriores in factis. Cæterum, quòd dicit Dominum audiſſe murmurationes eorum, iterum indicium eſt, quòd Deus vbique præſens eſt, audit quæ loquimur, videt quæ facimus. Deniq; & ſcit quid cogitemus, iuxta illud: Dominus ſcit cogitationes hominū, quia vanæ ſunt, &c. Ideo autem ſcriptura roties inculcat Deū omnia videre & audire, primò, vt pij in afflictionib. non deſperent, cū audiant Deum tam præſentem eſſe. Secundò, vt impij à peccatis abſterreantur, cū audiant iudicē ſuum omnia ſcire. Verè enim (vt Boetius ait) magna nobis indiçta eſt neceſſitas probitatis, quando omnia facimus coram oculis iudicis ſuncta cernentis. Pſal. 104.
Pſalm.
BOETIUS

ANNOTATIONES

contra Aaron & Mariam, qui tamen non contra Deū, sed contra Moysen murmurauerant, palā ostendit, q̄ non solum iram Dei meretur, qui directè in Deū peccat, sed etiā qui peccat in proximū: quod nō sine causa moneo. Nā pleriq; sunt q̄ cū preculas suas absoluerint, &c. nō putāt se peccare, si proximū decipiāt, infamantem, &c. Tales olim erant Iudæi, qui ieiunijs suis Deo placere putabant, cū interim durissimi in fratres essent. Quid autem dicit Ioannes? Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suū. Vnde & Christus duo præcepta dilectionis coniunxit. In his, inquit duobus tota lex pender, &c.

Isa. 58.

2. Ioan. 4.

Matt. 22.

*Erat autem Moyses vir mitissimus super omnes homines,
qui morabantur in terra.*

Hoc verbo causam reddit, cur Deus tam seueriter hīc Moysi iniuriā vlciscatur, quia, inquit, ipse erat vir mansuetus, id est, ipse nihil tale meruerat, dignus erat laude, non detractioe. Deinde ideo etiam Deus iudicem agere voluit, quia Moyses non se defendebat, non suam iniuriam vindicabat, sed patienter ferebat, cōmittens Domino vindictam.

Luc. 18.

Hinc patet, quòd qui patienter ferunt iniurias, Deū vindicem sibi constituunt. Reuera enim Deus iniurias suorum vindicat, etsi ad tempus dissimulare videtur, Exempla habemus de Dauide & Saule. Item de Dauide & Nabal. Item de Dauide & Semei, &c. Non est igitur, quod vindicemus nos ipsos, quomodo enim Deus non faceret iudicium his, qui die ac nocte ad ipsum clamant? Cæterum magna laus Moysi hoc verbo cōtinetur, cū dicitur q̄ mitissimus fuerit omnium hominum. Hoc enim verum iudicium erat inhabitantis in ipso spiritus S., cui attribuitur benignitas & gratia in opere & sermone. Nec populo regendo aptior quisquā, quàm in quo benignitas est & mansuetudo, quæ tamē nō careat animi fortitudine & zelo iustitiæ, quemadmodū suprā vidimus in Moysē. Alioqui qui omnia dissimulat, etiā Dei iniuriam, is non mitis, sed pusillanimus censendus est, &c. Ponitur igitur Moy-
sa

ses in exemplum rectoribus, imò omnibus Christianis, vt discant patienter ferre iniurias. Vnde & Christus: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, &c. Imò ne dum Moyses, sed & Christus in exemplum patientiæ nobis propositus est, qui cum malediceretur, non maledicebat, &c. 1. Pet. 2.

Egredimini vos tres soli ad tabernaculum federis.

Egredi eos iubet, ne Aaronem sacerdotem coram populo confundat, sicq; postea à populo contemneretur. Deinde seorsum eos vocat, vt occultè arguat peccatum quod occultè commiserant. Qui autem publicè peccant, publicè etiam arguendi sunt, vt Paulus docet. Præterea has tres personas seorsum vocat, voluit enim eas omnibus in exemplum ponere, vt sciat quilibet quid à Deo expectet.

Si quis fuerit propheta, in visione apparebo ei.

Respondet ad ipsorum verba, quib. de prophetiæ dono & reuelatione Domini gloriati fuerant, ac omnibus modis Moysen ipsis præfert, Q. d. habetis quidè dona, sed non omnia, nec tanta, quanta Moyses: non est igitur, q̄ eivos æquare conemini. Pulchrè autè hic exprimuntur genera prophetiarum, quarum primum est p̄ visionem dum aliquid prophetæ oculis corporaliter subicitur vt Isa. 6. Ier. 1. & in Apocalypsi, &c. Aliud in somnis non sine visione imaginatur, vt Matthæi 1. & secundo de Ioseph & de magis. Tertium quando sine tali visione imaginaria, intellectus à Deo illustratus cognoscit veritatem supernaturalè. Et hic tertius gradus altior est prioribus. Variæ igitur sunt reuelationes Dei, sicut & diuersa genera gratiarum, quæ tamen ab vno & eodem spiritu distribuuntur, &c. 1. Col. 12.

Non sic autem seruus meus Moyses.

Præponit Moysen alijs prophetis & meritò. Ipse enim sine aliqua visione imaginaria voluntatè Dei intelligebat. Loquebatur enim ei Deus, sicut loqui solet homo ad amicū suum. Vide autè, quàm nihil noceat pio homini detractio. Quò enim magis illi Moyse detraxerunt, eò magis Deus ipsum laudat. Imò in tota scri- Exod. 32.

ANNOTATIONES

ptura nunquam tam magnificè laudauit Moysen, vt hic, vt videamus q̄ detractor pio homini ne dum nō obest, sed insuper etiam prodest, imò tantum sibi ipsi nocet. Nā detractor similis est viperæ illi, quæ manum Paul. inuaserat, sed ab eodē illæso in ignē excussa fuit. Sic detractor inuadit quidem pios, sed nihil nocet ipsis, seipsum tamen in æternum ignem conijcit.

Obseruandum autē hic, quæ sit vera laus Christiani hominis. Cōmendatur enim Moyses non à progenie, non à diuitijs, non à scientia, &c. sed à seruitute Dei & fidelitate in domo Dei. Is enim solus Deo probatur, qui ipsius seruus est, & q̄ fidelis in domo Dei, id est, in Ecclesia est, Ad hanc igitur laudem cōtendamus, vt & ad præmium fidelium seruorum peruenire valeamus.

Quare ergo non timuisti detrabere seruo meo Moysi?

Patet ex hoc verbo quantum peccatum sit detrabere Moysi, quomodocunq; cū accipias, siue vt hominem, siue vt prælatū, siue vt seruum Dei & verbi præconem. Graue, inquam, peccatū est detrabere proximo. Vnde David. Quid gloriaris in malitia? &c. tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, &c. Propterea Deus destruet te in finem, &c. Et iterū: Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filiū matris tuæ ponebas scandalum, &c. Et Paulus: Maledici regnū Dei non possidebunt. Maius autem peccatum est detrabere superioribus. Vnde in lege prohibitum fuit. Dijs nō detrahes. Et maledicēs patri aut matri occidi iubetur.

Exemplum habemus in Semei, qui maledixerat Dauidi, postea autem permittente Deo iustam penā suscepit à Salomone. Maximum autem peccatum est cōtra legem & verbum Dei detrabere aut murmurare. Verissimè igitur dictum est, qui custodit os suum, custodit animam suam. Vnde & Paulus: Omnis sermo malus non procedat ex ore vestro. Si enim de omni verbo ocioso reddenda nobis est ratio, quantò magis de verbis detractorijs? &c.

Iratus contra eos, abiit.

Bis positum est, quòd iratus contra eos fuerit, & iustè

Acto. 21.

Matt. 25.

Psal. 51.

**Psal. 40.
1. Cor. 6.**

**Exod. 21.
1. Reg. 2.**

Matt. 12.

stè quidem. Primò iratus fuit, quòd peccauerant, nūc
 secundò irascitur, quòd non pœnitebant, quòd pec-
 catum non confitebantur, Imò non solùm irascitur,
 sed etiam se auertit ab eis, quod verè grauissimū est.
 Vnde Dauid: Auertisti, inquit, faciē tuam à me, & fa-
 ctus sum cōturbatus. Et idem precatur: Ne auertas fa-
 ciem tuam à me, & c. Hinc igitur patet longè grauius
 esse in peccatis perseuerare, quàm peccare. Impœni-
 tentia enim meretur, vt Deus se totum auertat.

Psal. 28.

Psal. 26.

Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix.

Vbi Deus faciem auertit, nihil aliud expectandum,
 quàm vindicta & pœna, id, quod hoc loco videmus.
 Quòd autem Mariam tam seueriter punit, primò fa-
 ctum est ad terrorē ipsius Aaron, vt hinc disceret, quid
 ipse meritus esset. Sic enim ex pœnis aliorum quilibet
 discere debet, quid ipse commeruerit. Si in viridi li-
 gno hoc faciūt, quid fiet in arido? Si interdum qui pa-
 rum peccāt, seueriter puniuntur, quid fiet impijs? De-
 inde Maria punita fuit ad exemplum alijs mulieribus,
 vt discant, cohibere linguam, & c. Maximè autē hoc fa-
 ctum est ad terrorem detractorum, vt sciant se nō im-
 punè laturos, quòd pijs detrahunt. Pulchrè autē pœna
 illa correspondet peccato. Nam detractor verè lepro-
 sus est. Primò enim in corde corruptus est: Deinde te-
 trum odorem & foetorem emittit. Insuper alios infi-
 cit, & dign⁹ est, qui eijciatur, nedum ex ecclesia huius
 temporis, sed etiam ex superna Ierusalem, ex societate
 omnium sanctorum. Sola autem Maria punitur lepra,
 & nō Aaron, tum quia ipsa plus peccauerat, tum quia
 Aaron summus sacerdos erat, quem non cōueniebat
 eijci: Tum tertio, quia Aaron peccatum confitebatur,
 quod de Maria non legimus, Sola enim confessio iram
 Dei à nobis auertit.

Lucæ 23.

*Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod
 stultè commisimus.*

Territus Aaron in conscientia, videbat enim iudi-
 cium Dei. Videbat se grauiora meruisse, ideo ad hu-
 militatem & preces se vertit, & quem prius, vt fratrem

ANNOTATIONES.

despexerat, nunc ut Dominum suum orat. Deniq; & peccatum suum confitetur, & pro sorore rogat. Vides, quid operetur iudicium Dei in electis. Impij aut nihil inde terrentur, multò minus emendantur. Sic igitur Aaroni in bonum cessit punitio Mariæ. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, &c. hic iterum videmus, quòd detractio detrahenti plus nocet, quàm ei, cui detrahitur. Nunc enim Moyses multò gloriosior efficitur, & Aaron cum Maria confusio- nem & pœnam portant.

Obsecro Domine, sana eam.

Hic videmus, quàm verè de Moysè dictum fuit, quòd esset vir mansuetissimus. Nedum enim ignoscit in se peccantibus, sed insuper pro eis orat. Sic pij ho- mines facillè remittunt iniurias proximis, sciunt enim & sibi remitti à Deo, iuxta illud: Remittite, & remittetur vobis.

Si pater spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?

Remittere vult pœnam, sed non statim, ut & ipsa humilietur, & alij terreatur. Habemus hîc locum, quo discimus non semper pœnam cum culpa remitti, id, quod & supra non semel ostendimus. Rectè igitur Ec- clesia filios suos post acceptam veniam, vel remissio- nem peccatorum hortatur ad opera pœnitentiæ, vel satisfactionis. Habet enim ad hoc auctoritatem scriptu- ræ. Nam Daniel non simpliciter dixit regi: Pœniteat te peccatorum, sed peccata tua elemosynis redime, &c. Et Ioannes: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et Pau- lus: Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniusti- tiæ, & cæt.

Separaretur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur.

Magna seueritas Dei. si tam sanctis hominibus ius- tam pœnam non remittit, quid de impijs fiet? Cæte- rum, etsi videatur Dominus hîc Mariam abijcere, in salutem tamen illius fit: quemadmodum & Paulus à sathana collaphizari permissus est, ne magnitudo re- uelationum ipsum extolleret. Summa, flagellat quidè
Deus

Rom. 8.

Luce 6.

Dan. 4.

Matt. 3.

Rom. 6.

1. Cor. 12.

Deus iustos, sed non perdit, quemadmodum promisit in psal. 88. Cæterum, quod populus non mouit castra, donec reuocaretur Maria, compassionem & obseruantiam ipsorum ostendit erga Moysen. Docemur autem & nos, ne infirmos relinquamus, sed cûremus, vt nobiscum pergant, vt conualescant, toleremusque eos, donec & ipsi fortiores fiant. Sic Paulus: Cupio dissol. Phil. 2. ui, &c. sed manere necessarium propter vos.

Allegoria huius capituli.

Moyses uxorem habes Aethiopiſſam Christi Dominum significat, qui peccatricem de gentibus non est aspernatus Ecclesiam. Hoc autem Aaron & Maria, id est, carnale Iudeorum sacerdotium, & tota illorum vetus synagoga ægrè ferunt, de hoc murmurant, magnumque inde habent tormentum, semper enim gentium salutem oderunt. Ex hac aut inuidia etiam in ipſius Christi odium proruperunt, & etiam nunc propter condescensionem miserorum contra ipsam misericordiam conſigunt. Dicunt enim: Num per solum Christum vestrum locutus est Deus? Nonne & nobis, id est, prophetis nostris similiter locutus est? Habet namque lex nostra viros virtutis, qui de terra pariter & de cælo fecerunt signa. Mare rubrum & Iordanem diuiserunt, manna de cælo disposuerunt, solem in cælo stare, vel etiam retrocedere fecerunt, &c. Sic in Euangelio Ioan. 9. dicunt: Scimus, quia Moyſi locutus est Deus. Hunc aut nescimus unde sit. Cæterum, propter hanc ipsorum inuidiam Deus populo illi iratus fuit, cumque lepra percussit, ac de castris Israel eiecit, ex Ecclesia scilicet credentium. Et quantumuis tota patrum antiquorum pro illagente interueniat fides, non tamen sanabitur, nec reuocabitur in castra, donec euoluantur septem dies, Roma. 15. id est, donec plenitudo gentium introeat. tunc enim omnis Israel saluus fiet. Interim tamen Ecclesia expectat, nec perungere potest ad promissam patriam, donec & Iudæi reuocentur, & fiat vnus ouile, Ioan. 10. & vnus pastor.

ANNOTATIONES
CAPVT XIII.



In hoc capite alia incipit historia, imò aliud oritur impedimentum, quo obstante, filij Israel procedere non poterant. Imò grauiſſimum impedimentum hæc historia cõtinet, quo vel maximè effectum est, vt sexcenta millia virorum nedum non procedere potuerunt, sed insuper etiam in deserto mori coacti sunt, Ob hanc causam verè terribilis est historia hæc, & meritò terrorem nobis incutere deberet. Quod enim illi fecerunt, nos quotidie facimus. eundem igitur finem & exitum timeamus.

Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filijs Israel.

Deut. 1.

In Deuteronomio dicitur, quòd populus sollicitauerit Moysen pro mittendis exploratoribus, quod planè indicat, quòd adhuc increduli erant de auxilio & assistentia Dei. Quantumuis enim Deus promiserat, Angelus meus præcedet te. Item, introducã te in terram Chanaanæ, Ego eijciam eos, Ego faciam magna signa, &c. non tamen credebant, sed ratione & naturali industria volebant experiri, an hoc fieri posset. Et quæ maior Dei iniuria, quàm cum plus rationi nostræ credimus, quàm ipsius verbo: quid enim aliud hoc est, nisi Deum mendacem facere? Eadem impietas etiam in nobis est, qui non credimus Deo, nisi quantum videmus, &c. Permittit autè Deus, vt curiositati eorum satisfiat in malum scilicet ipsorum. Nam, vt infra audiemus, per exploratores decepti, imo seducti irã Dei maximam incurrerunt. Sic nobis cedunt nostra cõsilia, vbi ea verbo diuino præponimus. Summa, quotiescunque populus ille sua cõsilia sequebatur, vbique impingebat, quando autem verbum DEI sequebatur, omnia prosperè cedebant. Nihil igitur securius est, quàm verbum Dei sequi, ac Deum ducem imitari, quemadmodum Abraham fecit & alij. hinc sancti sæpè orant:

p̄e orant : Deduc me Domine in semita mandatorum Psal. 112.
tuorum, &c. Semper igitur fidelis dicit: Domine, quid Acto. 9.
me vis facere? Item: Fiat voluntas tua.

Fecit Moyses, quod Dominus iusserat.

Summa diligentia Moyses elegit ex omni populo,
qui videbantur huic negotio pares, & quos putabat
negotiū hoc benè executuros: sed longè fallitur. Ideo
etiam si secundum humanā prudentiam omnia per-
fecerimus, adhuc tamen egemus gratia Dei, vt felici-
ter res cedat. Non enim omne, quod rutilat, aurum est.
Et sapientes etiam stultè agere possunt. & magni prin-
cipes etiā possunt esse nebulones. Nemo igitur in ho-
mine cōfidat. Nemo de propria sapiētia & fortitudi-
ne gloriatur, sed qui gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Cor. 10.

Observandum, quòd CHRISTVS pauperes A-
postolos elegit, Moyses autem principes & capita ple-
bis, & tamen Christus per pauperes suos plus fecit,
quàm Moyses per principes. Sic Deus per infirma mū-
di confundere potest fortia. Nemo tam abiectus, per 1. Cor. 1.
quem Deus non magna efficere possit. Nec quisquam
tam magnus, qui aliquid possit, si Deus ipsum relin-
quat. Nemo igitur de sua humilitate desperet. Nemo Lucæ 1.
item de sua altitudine præsumat. Dei proprium est
deijcere superbos & exaltare humiles. Ceterum, Moy-
ses etiam nomina exploratorum ponit, tum propter
certitudinem historiæ, tum ad perpetuam ignominia
impiorum, laudem vetò bonorum, qui tantum duo
erant Caleb scilicet & Iosue. Observandum, quòd ipsi
Iosue nomen mutatur. Prius enim dictus fuit Osee.
Nunc autem, cum à Moysse mitteretur, nomen accipit
Iosue. Hæc autē mutatio nominis significabat ipsum
ad magnum aliquod electum esse à Deo, quemadmo-
dum & suprā audiimus de Abraham, Sara & Iacob. Gen. 17. &
Meritò autem Iosue nominatur futurus dux populi 32.
in figuram CHRISTI. Nam Iosue vel Iehosua &
Iesus vnus vnū & idē nomen est. Cum itaq; Iosue figu-
ra esset Christi, congruum erat, vt etiam nomen Chri-
sti præferret.

Cumque

ANNOTATIONES

Cumque ascendissent, explorauerunt terram à deserto Sin, vsque Rhobob intransibus Emath.

Non omnes simul ierunt, hoc enim periculo non caruisset, sed bini & bini forsan. Signanter autem dicitur, quòd etiam in Hebron venerint. Qui enim boni erant, ideo ad Hebron ierunt, vt ibi ad sepulchra patrum suorum Deum adorarent. In Hebron enim Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Lya, positi sunt. Imo etiam Adam maximus illic sepultus est. Qui autem mali erant permissu Dei, ad Hebron venerunt, vt gigantes viderent, sicque magis terrerentur, id, quod factum est. Nam hec ciuitas omnium maximè ipsos terruit propter gigantes, vt infra patebit.

Gen. 49.
Iosue 14.

Rom. 1.

1. Cor. 9.

Sic igitur vna & eadem ciuitas, quæ pios maximè consolabatur, impios maximè terruit. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, & contra. Obseruandum hoc, quòd Pharan, vnde Moyses misit exploratores, prope terram promissam erat. Sicq; filij Israel, cum quasi in limine essent, retrò ceciderunt. Nemo enim tantum profecit, qui non possit deficere. Non igitur satis est currere, nisi sic curramus, vt comprehendamus.

Reuersi exploratores post 40. dies.

Maiori tempore opus habuissent, si diligenter iniunctum officium exequi voluissent. Verum cum in Hebron vidissent gigantes, iam desperauerant, se posse terram acquirere, quare statim redeunt. Sic inter spirituales exploratores plerique sunt, qui sacras literas vix à limine salutârunt, & tamen videntur sibi omnia scire, statimque docere incipiunt, quod ipsi non didicerunt, sicque populum miserabiliter decipiunt: hinc Paulus dicit, quòd hoc vel maximè ad dispensatorem requiritur, vt sit fidelis. Nullus enim rectè docere poterit, nisi qui totam terram promissam, id est, scripturam sacram explorauerit. Qui autem tantum in vno loco scripturam attendit & non in alio, is facillè & se, & alios decipiet. hinc Paulus Timotheum adlectionem sacrarum literarum adhortatur.

1. Cor. 4.

1. Tim. 4.

Veniunt

*Venimus in terram, ad quam misistis nos, quæ reuerà
fuit lacte & melle, &c.*

Hic videmus, quomodo legationem suam renun-
cient, subdolè scilicet & infideliter, imò & impiè. Pri-
mò enim terram ipsam egregiè laudant. Est, inquit,
reuerà talis terra, quæ fuit lacte & melle. Statim ta-
mè ab ea dissuadent populum, ac omnia exaggerant,
quæ populum terrere possent. Primò, inquit, habet
cultores fortissimos. Secundò, habet vrbes muratas.
Tertiò, vidimus gigantes & tales, ad quorum compa-
rationem videbamur locustæ esse. Quartò, terra deuo-
rat habitatores suos, & cæt. Quintò, recensent multas
gentes. Amalech, inquit, habitat ad meridiem, &c.
Et interim nullam Dei aut promissionû faciunt men-
tionem, planè increduli Deo, &c. His similes sunt, qui
ex scriptura nihil aliud obseruant, quàm quòd po-
pulum à terra promissâ retineat, quales sunt, qui vel
tantùm libertatem carnalem docent, vel viam salutis
ad eò strictam faciunt, vt vulgus desperet, se posse sa-
lutem consequi. Sic igitur Deus, cum populum punire
vult, dat malos præpositos aut prædicatores, idque ius-
tè, vt qui dilectionè veritatis noluerunt: credât men-
dacio, qui veritatem repulerunt. Ideo statim sequitur, 2. Thef. 2.
quòd populus murmurare cœpit. Sicut enim sacer-
dòs, sic & populus. vnde Ieremias: Prophetæ prophe- Ier. 5.
tabant mendacium, & sacerdotes plaudebant mani-
bus, & populus meus dilexit talia.

*Inter hæc Caleb compefcens murmur populi, qui oriebatur
contra Moysen, &c.*

Semper Deus bonos & fideles aliquot prophetas
reſeruat, qui viam veritatis doceant propter electos.
Obserua aut, quòd decem exploratores impiè agunt,
tantùm autem duo fideles sunt. sic rarus est, qui fide-
liter agat in ministerio verbi. Omnes, inquit, quæ sua Phil. 2.
sunt, quærunt. Sic multi vocati, pauci verò electi. Nec
semper vera sunt, quæ plures approbant. Multitudo
enim vt plurimum peiora amplectitur. Cæterùm,
quamuis solus Caleb hic nominetur, in sequenti tamen
capite

ANNOTATIONES

capite etiam Iosue cum ipso nominatur. Hi igitur duo typum habent verorum prædicatorum, qui magno animo se pseudoprophetis opponunt. Eorum autem verba sunt: Ascendamus, & cæt. Sic omnes pij prædicatores admonent. Verùm, quò fidelius hi suadent, eò pertinacius alij decem obstitunt, donec tandem populus non meliori, sed maiori parti se addicat in malum suum.

ALLEGORIA.

Exploratores sunt prædicatores, qui scripturam cognitam & exploratam habere debent. Cæterùm, non omnes sunt fideles. Sic enim in veteri testamento fuerunt pseudoprophetæ, in nouo autem pseudoapostoli & hæretici, & mali prælati, qui plus impediunt, quàm promouent populum. Boni autem exploratores fuerunt Prophetæ, & Apostoli, hi explorârunt terrâ promissam. Ipsi enim reuelauit Deus secreta sua, & cæt. Ea autem fideliter nobis annunciârunt, quæ scilicet audierunt & viderunt: Vnde Ioannes: Quod audiui-
 mus, & vidimus, & manus nostræ congregauerunt, &c. Denique & fructus terræ promissæ nobis attulerunt, per ipsorum enim prædicationem, & gratia, & spiritus sanctus, gaudium, iustitia & pax ad nos venerunt. Potissimum autem attulerunt nobis botrum illum Christum scilicet, qui in torculari crucis sanguinem suum effudit in redemptionem nostrâ. Hunc botrum duo in veste portauerunt, quia & veteres prophetæ, & Apostoli Christum prædicauerunt, sed differenter. Illi quidem præcesserunt, & ideo Christum quidem portauerunt, sed ipsum non viderunt. Apostoli autem secuti sunt, ideo etiam viderunt Christum, quem nobis portârunt. Hoc igitur fructu interim, cum in deserto sumus, vtamur, donec ad promissam terram veniamus. Est enim verè fructus dulcissimus. Qui sitit, inquit, veniat ad me, & bibat. Item: Venite ad me, ego reficiam vos. Interim autem, dum pij prædicatores veritatem docent, hæretici magna ipsis negotia faciunt, & resistunt, id, quod etiam Paulus expertus est. imò

Ioan. 1.

Ioan. 7.
Matt. 11.

est. Imò & Ieremias & alij. Nō tamen cessare debent Ier. 26: pij, iuxta illud Pauli: Argue, obsecra, increpa, &c. Erit enim tēpus, cūm sanam doctrinam nō sustinebūt, &c. 2. Tim. 4:

CAPVT XIII.



In hoc capite describitur alia trāsgressio filiorum Israel, & quidem maxima, propter quā vel maximè iram Dei meruerunt. Hic enim non solum murmurant, quod & suprà sæpius fecisse leguntur, sed planè desperāt. Ad hāc autem desperationem eos induxerant exploratores, nimium magni facientes aduersariorum fortitudinem, subtrahentes interim Dei promissiones & potētiam omni humana maiorem. Sunt & adhuc, qui viam ad salutem tam arctam & angustam faciunt, vt plerique desperent se posse ad salutem pertingere. Alij contrā, viam ad salutem tam facilem faciunt, vt plerique etiam maximi peccatores per omnem vitam stertentes, imò peccantes, tamen certò sibi persuadeant salutem. Vtrique errant, & populum non minus seducunt, quā exploratores illi fecerunt. Veri prophetæ regia via incedūt, nec ad dextram nec ad sinistram declinant. Hoc est, ita à peccātis absterrent, vt tamen gratiæ Dei non obliuiscantur. Ita gratiam prædicant, ne tamen carnalibus frenis laxentur.

Igitur vociferans omnis multi: udo fleuit nocte illa.

Quintupliciter hic peccarunt filij Israel. Primò, quod tam citò seductoribus crediderunt, obliti omnium, quæ vel audierant, vel viderant: Multa audierāt à Moysse consolatoria, Deus ipse locutus ipsis fuerat. Et nunc Caleb & Iosue admonere non cessabant, sed omnia frustra ea erant, adeò animis suis infixerant verba seductorum. Quid autem aliud hoc erat, quā quod hominibus plus credebant, quā Deo? & quæ maior iniuria Deo fieri potest, quā cum verbis eius fidem adhibere nolumus, maximè quando scimus verba ipsius esse quemadmodū Israelitæ sciebant, &c.

ANNOTATIONES

Et quot etiam nunc sunt, qui sciunt voluntatem Domini, vel propria conscientia teste, tamen dissimulāt & aliō se conuertunt ad seductores scilicet, qui aurib. blandiuntur, &c. Hi sunt, de quibus Isaias loquitur: Dicunt (inquit) videntibus, nolite videre, &c. Loqui-
Isa. 30. mini nobis placentia, &c.

Hęc igitur est impietas & peruersitas nature nostrę, quōd semper mala citius accipit, quā bona, & fabulis magis afficitur, quā veritate. De hac peruersitate omnes prophetę conquesti sunt. Sic enim primus prædi-

Exod. 4.
Isa. 53.
Ier. 20.
Mich. 7.

cator Moyses dicit: Nō audient me, neq; credēt mihi. Et Isa. Domine quis credidit auditui nostro? Et Hier. Factus sum eis in derisum & subsannationem, &c. Et Mich. Væ mihi quia factus sum sicut qui racemos col-

Math. 11.
Joan. 5.

ligit, &c. Et Christus: Cantauimus vobis, & non saltastis, &c. Et iterum: Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me. Alius veniet in nomine suo, hunc recipietis. Et Paulus: Erit tempus, cū sanam doctrinā non sustinebunt, &c. Quis non videt hęc iam impleri? nec tamen terremur aut trepidamus, &c.

2. Tim. 4.

Magnū igitur peccatum est, relicta manifesta veritate mendacijs credere. Secundum peccatum Israelitarum est, quōd non vnus aut alter peccauit, sed omnis multitudo. Ideō Moyses sæpius repetit, Omnis, inquit multitudo vociferati sunt, & populus fleuit, & omnes filij Israel murmurauerunt, &c. Multum autē aggrauat peccatum, vbi omnes simul peccant. tunc enim nemo est, qui iram Dei auertat, vt patet in diluuiō, Item in Sodomis, &c. & postea in ciuitate Ierusalem. Circuite, inquit, vias Ierusalem, & videte si inueniatis virum, qui faciat iudicium, & propiciabor eis. Omnes auaritię student, &c. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, &c.

Ier. 5.

Eodem modo & nos omnes simul peccamus. Nec est quisquam, qui statum suum debite obseruet. Omnes declinauimus, &c. Apud superiores nulla diligentia, apud subditos nulla obedientia, apud sacerdotes nulla religio, apud plebrios nullus Dei timor, apud

coniugatos nulla dilectio, apud vicinos nulla fides, apud senes nulla maturitas, apud iuvenes nulla disciplina, &c. Quid igitur boni expectare possumus? &c. Tertium Israelitarum peccatum, quod pœnitebat eos ex Aegypto exiisse, pœnitebat eos omnium quæ à Deo acceperant. Vtinam, inquit, mortui essemus, &c. Imò cupiebant ne Deus pergeret eos vlteriùs ducere, &c. quo quid magis impium magisque insanum? &c. Hoc peccatum ipsorum Dauid pulchrè exprimit, Et pro nihilo, inquit, habuerunt terram desiderabilem. Timebant bella & labores, & potiùs pmissa terra in totum carere volebant, quàm modicum quid in acquisitione eius laborare. Similes his sunt, qui ad eò pœnitentiã fugiunt, vt potiùs in peccatis mori velint, quàm sibiipsis in modico vim facere, stultissimi homines, qui potiùs æternaliter volunt perire, quàm pauca propter Christũ pati. Sic plerosque terret quòd sciunt ipsis pugnandum esse cum dæmonibus. Nec attendunt, quòd Christus dicit: Ecce ego vobiscum sum. Item. Confidite, ego vici mundum. Quartum Israelitarum peccatum est, quòd planè desperantes in Aegyptum reuerti volunt, cum scirent Aegyptios sibi infensissimos. Atque vtinam soli hoc cogitassent. Nunc aut experientia videmus, quòd nihilo meliores illis sumus. Quotusquisq; enim est, qui post primam liberationem à peccatis iterũ non redierit in Aegyptũ: & tamen adhuc Dominus dissimulat. Quid aliud conqueritur Christus, cũ dicit: Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, olim pœnituissent, &c. Quintum & maximũ Israelitarum peccatum est, quòd etiam benè monentes lapidare voluerunt. hoc præmium dat mundus, benè consulentibus. Sic seductores in honore habentur benè autem consulentes persecutionem pati coguntur. Sic igitur quicquid Moyses hætenus suis verbis in populo illo ædificauerat, seductores illi vno sermone labefactârunt. Tã pernitiõsa res est falsa doctrina. Serpit enim vt cancer, vt Paulus ait. Meritò igitur Christus monet. Videte ne seducamini,

Psalm.

Matt. 28.
Ioan. 16.

Matt. 23

2. Tim. 27

Matt. 24

ANNOTATIONES

Eph. 4. camini & Paulus: ne moueamur omni vento doctrinae.
Heb. 13. nae. & iterum, ne doctrinis varijs & peregrinis abducamur. Et Ioannes: ne omni spiritui credamus.

Audientes autem Moyses & Aaron, ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel.

Imaginem hinc videmus & boni principis & pii hominis, quod enim Moyses & Aarō hinc faciūt, hoc pius quisque & maximè bonus princeps facit, cum audit Deū blasphemari, &c. Ceciderunt tanquam audire non valentes tantam impietatem. Vel ceciderunt deprecaturi Dominū, cuius iam iam praeuidebant iram & vindictam. vel ceciderunt quasi flexis genibus deprecantes populum, ne tam impiè agerent, iuxta illud Pauli: Argue, obsecra, increpa, &c. Nos multa maiora & terribiora videmus & audimus, nemo tamen est, qui super hoc doleat, qui inter terram cadat deprecaturus Dominum. Atque hoc est, quod in propheta Dominus conuenitur, quod nemo sit, qui se opponat irae Dei pro populo, &c. Lugebat Iacob Iosephum perditum, Dauid Absolonē in peccatis mortuum, Hieremias populum in captiuitatem abductum, Mathias templum prophanatum. Atqui haec omnia iam videmus, nec tamen lugemus. O dura pectora, &c.

1. Tim. 4.

Ezech. 15.

At verò Caleb & Iosue scissis vestibus, &c.

Exemplum est piorum praedicatorū, quid in tempore malo agere debeant. Sciderunt, inquit, vestes, ad significandum dolorem, & ut populum magis mouerent. Deinde, insignē addunt admonitionem, vbi primò eos promissionibus allicere student. Terra, inquit, quam iustitiamus, valdè bona est, &c. Secundò terribus eos reprimere student. Nolite, inquit, rebelles esse contra Dominum. quibus verbis tacitè submonēt eos quid in praeterito senserint irato Domino. Postremò addunt consolationes. Nolite, inquit, timere eos, cum Dominus nobiscum est, &c. Vere insignis admonitio, qua melior vix fieri posset in tempore malo, quale nunc vel maximè est, &c. Verū frustra ea erat tunc apud Israelitas, vtinam non etiam apud nos, &c.

&c. Imò insuper etiam eos lapidare volebant, de quo paulò ante dictum est. Quare Deus non amplius dixeret aut taceret. Vnde subditur:

Apparuit gloria Domini super tectum federis.

Vulgus insaniciens nullis medijs humanis reprimi potest. (Sequit enim ignobile vulgus) nisi Dei gloria, ira, vindicta appareat: tunc enim emolliuntur, sicut cæra, &c. Cùm itaq; nec Moyses, nec prædicatores quicquam efficere possunt, restat vt à Deo expectetur auxilium. Videmus hic quòd peccata nostra in caelum clamant, & Deum quasi ad vindicandam prouocant & cogunt, iuxta illud: Heu, inquit, consolabor super hostibus meis, &c. Cæterùm non dicit, apparuit Dominus, sed gloria Domini, nimirum in signo terribili vt iam tunc impij in seipsis senserint, ad quid venisset. Præsumit enim semper scæua conscientia perturbata. Obseruandum quòd nō loquitur ad populum, sed ad Moysen Deus: iam enim populus indignus erat Dei colloquio. Nec amplius nominantur populus Dei, sed simpliciter dicit. Quouique detrahet mihi populus ille, ad confusionem scilicet eorum. Sed nec quicquam consolatorium hic loquitur Deus, verùm admodum horrenda.

Duo autem ipsis obijcit, quòd scilicet Deo detraxerint, & quòd Deo non credant. Vbi nota, quòd murmurari & malè de Deo loqui est, Deo detrahere. Item quòd magnam iniuriam sibi factam reputat Deus, vbi ipsi non credimus. Quanto autem plura & maiora Deus de nobis conqueri posset? &c.

Veriam igitur eos pestilentia atque consumam: te autē faciam principē super gentem magnā, & fortiorem quā hæc est.

Comminatur plagam, vt magis terreat, & Moysen ad orationem prouocet. Quoties Deus minatur, toties occasionem orandi & pœnitendi nobis præstat, &c. Videmus hic vndenam proueniat pestis. Astrologi stellis hæc mala tribuunt, scriptura autem Deo vindici hæc ascribit. Peccata nostra sunt illa pessima constellatione quæ nobis omnia mala adfert, gladiū, famē, Leuit. 26.

ANNOTATIONES

pestem, &c. Moyſi autem contra promittit magnam posteritatem, ut ex reſponſo ipſius appareat eius pietas. Verè enim piè reſpondit Moyſes, qui etiam quod ait gloriam ſuam facere videbatur poſtpoſuit gloriæ Dei & ſaluti populi. Obſervandum hic, quomodo peccata ex Deo placato iratum nobis Deum faciant, iuxta illud: Cum perverſo perverteris, &c. Sic autem dicit:

Vt audiant Aegyptij.

Impij audita ſententia Dei, ſtatim concidunt, non orant veniam, ſed deſperant, ut Cain, &c. Maior eſt, **Gen. 4.** inquit, iniquitas mea, &c. Sic etiam Achab noluit ſignum à Deo petere, nimirum deſperans de venia. **Iſa. 7.** Contra huiusmodi deſperantes dicit Ieremias: *Quis eſt iſte, qui dicit, ex ore Domini non procedit nec bonum nec malum? Scrutemur, inquit, vias noſtras & reuerſamur ad Dominum. Impij igitur deſperant. Pij autem orant: ſciunt enim Deum miſericordem, & ſepius ad pœnitentiam hominum mutare ſuam ſententiã, ut patet Iere. 18. Primò igitur Moyſes ad orationem conſugit, hoc enim ultimum refugium eſt pijs hominibus, ut dicit Ioſaphat. Hoc ſolo iram Dei euadere poſſumus. Deinde non orat pro ſe, ſed pro populo. Magna ipſi promiſerat Deus, ſed Moyſes ea diſſimulat, præponens ſalutem populi propriæ gloriæ. Verè pium cor, ſed rarum. Præterea nulla allegat merita, quemadmodum Dauid nonnunquam allegat iuſtitiam ſuam & innocentiam, ſimiliter & Ezechias. Moyſes autem nullam meritorum facit mentionem, quia nulla erant in populo. Conſimilem orationem & in Daniele legis. Non, inquit, in iuſtitijs noſtris proſternimus nos, ſed in miſerationibus tuis multis. Inſuper nec patrum mentionem hic facit Moyſes, quod tamen ſuprà fecerat. Nunc enim non erant digni, ut cognominarentur à patribus: Nec ſpes erat patrum memoriam populo poſſe prodeſſe, cū tam diſſimiles patribus erant. **Gen. 15.** Abrahã credebat etiã ſine ſignis. Item patiens erat in peregrinatione ſua. Illi autem omninò cõtrario modo*

de

do agebant. Postremò solam Dei gloriam prætendit. Ut audiebant, inquit, q. d. Magna audierunt de tua bonitate, iamq; timere te cœperūt. Hæc tua gloria minuetur, si populum occideris, lætabuntur impij, lugent piij, scandalizabitur mundus, improbabitur veritas. Deniq; omnia magnalia tua flocci pendētur. Magnificetur igitur fortitudo tua, &c. Obseruandum qd fortitudo Domini nec augetur nec decreuit, sed semper eadem est & manet. verum non semper ab hominibus agnoscitur. Vult Moyses, vt Deus fortitudinem suã non puniendo, sed parcendo, & miserãdo manifestet, quò scilicet gentes ipsum nõ vt tyrannũ, sed vt misericordẽ cognoscant. Maior enim gloria est bonũ esse, quã fortis esse. Et plus attrahuntur homines bonitate, quã terrore. Vide quomodo sancti orauerint. Hoc est verè orare, vt sanctificetur nomen Dei. Vide *Matt. 6.* cõtra, quã dissimiliter nos oremus, &c. Vltimo loco Moyses Deum admonet promissionum suarum. Quæ autem hic dicit, Deũ dixisse, supra inuenies in *Exod. 14.* His igitur verbis Moyses nunc vsq; seruatis fidem suã in oratione firmat, ac quodãmodo Deum vrget suis promissis. Discamus igitur in aduersis orare, & ex fide orare: fidem autẽ promissionibus diuinis confirmare, quemadmodum hic facit Moyses, &c.

Dimisi iuxta verbum tuum.

Hactenus audiuius & peccatum populi & orationem vel intercessionem Moyse, nunc audiamus sententiã iudicis. Hæc autem sententia & gratiam & irã præfert, & tamen plus gratiæ, quã iræ: vt vel hinc videamus, qd Deus pronior est ad misericordiã, quã ad puniendũ, & qd etiam cũ irascitur, misericordiæ nõ obliuiscitur. Primò enim magnæ gratiæ indicium quòd Deus plurius fecit vnus hominis piij orationem, quã sexcentorum millium peccata. Si vnus Moyses tantũ potuit apud Deum, quid poterunt plures iusti? Si pro peccatoribus tantum impetrare potuit iustus, quid pro se ipso impetraret? Sed quomodo dicit, Dimisi, &c. cũ postea poenã subiiciat? Responso, ipsa verba

se exponunt: Non enim simpliciter dicit, dimisi, sed secundum verbum tuum. Moyses autem hoc potissimum orauerat, nec totum populum perderet & consummaret, quod Dominus comminatus fuerat. Ad hoc igitur respondet Dominus. q.d. quanuis meruissent totaliter cum omni posteritate deleri, propter tuam tamen orationem non taliter eos puniam, sed parentes tantum, non filios. Vel dimisi eis peccatum, sed non poenam. Vel dimisi poenam aeternam, quam meruerat, sed non temporalem. Sic Deus in Baptismo dimittit peccatum originale, sed non aufert poenas illi peccato debitas, miseras scilicet huius mundi. Sic etiam in poenitentia dimittit peccatum, quod animam liberat & corpus disciplinae poenitentiae & mortificationi subiecit ex poena aeterna temporariam & paternam disciplinam vel correctionem facit. Errant igitur, qui post acceptam absolutionem putant sibi non opus esse poenitentia, ieiunijs, elemosynis, restitutione rei alienae, &c. Hic enim audis Dominum ipsum absolueret, (Dimisi inquit) & tamen poenam reseruare. Recte igitur Ecclesia confessis & absolutis opera poenitentiae praescribit, quae qui negligunt seipso decipiunt. Nam maiori poenae seipso reseruant. Si enim nosipso iudicarem, non utique iudicaremur.

1. Cor. II.

Viuo ego, & implebitur gloria Domini in vniuersa terra.

Etiam hoc magne gratiae verbum est, quod non simpliciter promittit remissionem, sed addito iuramento, est enim sensus: sicut verum est quod ego viuo, imo sum vita per essentiam, sic verum est quod dimisi peccatum populi. Ideo autem iurat, ut Moyses citius quietem cordis adipisceretur. Admodum enim territus erat priori illa sententia: Feriam illos & consumam. Deinde iuramentum addidit, ut populus aequanimius ferret temporalem illam poenam, cum audiret aeternam poenam sublatam, imo & indignationem Domini. Praeterea ut omnes hinc videamus, quam pronus sit ad miserandum. Specialiter tamen hoc verbo Moyse & alijs iustis de illo populo preostedit gratiam noui testamenti.

NON

Non enim simpliciter dicit: Vos videbitis gloriã meã, sed omnis terra implebitur gloria mea, Q. D. quia tãto perẽ cupis, vt gloria & nomen meum ab omnibus agnoscat ur, agẽ ostendam tibi, quid facturus sim. Pri- mo enim misericordiam meam ostẽdam circa popu- lum hunc. Deinde hoc idem faciam circa totũ huma- num genus. Olim enim seponam omnem indignatio- nem meam, dabo filium meum, mittam spiritum san- ctum, prædicari faciam in toto orbe euangelium gra- tiæ, & iubilæum, omnes vocabo ad gratiam, & omni- bus modis me ostendam, vt bona de me dici possint. Omnia autem hæc tam certò præstabo, quàm certum est, quòd viuo. Quanto putas gaudio Moyses exulta- uerit hoc audiens? verè & ipse hic vidit diem Christi, Ioan. 8. & gauisus est. Attendamus nos hanc promissionem. Agamus gratias, quòd nostro tempore impleta est, & quotidie impletur. Studeamus, ne gratiam hanc præ- tereamus. Multò autem magis, ne ea abutamur.

Attamen omnes, qui viderunt maiestatem, & signa, que feci in Aegypto & in solitudine, &c.

Hic videmus, quòd Deus peccatum quidem dimi- sit, sed nõ pœnam, quemadmodum & Adamo & Da- uidi, &c. Item, sic remisit populo peccanti, quòd non totum populum consumpsit: Noluit tamen impuni- tos permittere peccatores. Nec hoc Moyses impetrare potuit. Non enim erat comminatio, vt illud longè. Ad- huc quadraginta dies, &c. sed erat diffinitiuã senten- tiã, quam nemo impedire potest. Simile quiddã legis apud Ieremiã. Tu, inquit, noli orare pro populo, quia non exaudiam te. Et iterum: Si steterint Moyses & Sa- muel coram me, non est anima mea ad populum istũ. Et in Ezechiele: Si fuerint Noe, Daniel, & Iob in me- dio ciuitatis, nõ liberabunt filios & filias, sed tantũ animas suas. Sic & hic. Sententia igitur Dei erat, quòd nullus eorum ad terram promissam veniret. Verè ter- ribilis sententia, si verba aspicias: terribilius autẽ est, si attendas, quòd vna sententia tot hominum millia ad mortem condemnantur. Terribilissimum autem,

ANNOTATIONES

- quòd ea sententia super illum populum fertur, qui solus inter omnes, & præ omnibus alijs dicebatur, & erat populus Dei. Meritò igitur Paulus dicit, quod ad correptionem nostram hæc scripta sint. Terribilis, inquam, erat sententia, quia carnalibus nihil durius contingere potest, quàm si temporalia auferantur. Spiritualia tantùm damna non curant. Hinc igitur videmus, quòd non est iocus, vbi Deus comminatur. **2. Cor. 10.** **Exo. 33.** **Matt. 23.** **Psal. 7.** **Eccl. 21.** **Mal. 2.** præ dixerat Deus: Semel ascendam in medio tui, & delebo te. Hoc quia non statim factum fuerat, iam in obliuionem trãsserat. Verùm hic tandem impletur, cum nihil minus timerent. Sic Iudæis nihil minus timentibus, quàm antiquas illas comminationes Dei, Christus dixit, veniet super vos omnis sanguis iustus, & cetera. Idem & nobis continget, &c. Videmus hinc secundo, quòd Deus tardè quidem punit, sed rigidè, vel, vt Ethnicus ait, tarditatem supplicij grauitate compensat. Vnde & in scriptura nomen habet, quòd sit iustus & patiens, vellonganimis, &c. Videmus tertio, quòd continuatio peccatorum finaliter nihil aliud adfert, nisi certam mortè. Meritò igitur nos monet Sapiēs, vt à peccato tanquam à colubro fugiamus. Vide autem, in quos sic cadat sententia mortis, pulchrè enim Deus subdit causas tantæ seueritatis, ne quis putet Deum iniustum. Prima causa huius tam duræ sententiæ erat, quòd Dei maiestatem viderant in monte scilicet Sinai. Deinde etiam signa Dei viderant in Aegypto, & in deserto. Hinc patet, quòd quantò maior est cognitio, tantò grauius sit peccatum. Consequitur igitur, quòd doctus etiam in eodem opere grauius peccat, quàm indoctus; & clericus plus, quàm laicus, quia clericus plura scire tenetur. Legem, inquit, ex ore eius requirunt. Sic grauius peccat senex, quàm puer, quia plura expertus. Sic grauius peccat diues, quàm pauper, quia plura signa Dei circa se vidit. i. plura accepit. Cui autè multū datur, multum etiam exigetur ab eo. Finaliter sequitur, quòd Christianus etiam in eodè peccato grauius peccat, quàm vel Iudæus, vel Turca. Secunda causa tam

fa tam duræ sententiæ est. Tentauerunt, inquit, me per
 decem vices. Poterat Deus plura ipsorum peccata e-
 numerare, sed tantum præcipua commemorat. Sic &
 in Ezechiele in peccatis Sodomæ non omnia, sed ma- Ezech. 16.
 iora enumerat. Hæc, inquit, fuit iniquitas Sodomæ,
 & cæt. Videmus hic, quod omnia peccata nostra apud
 Deum numerata sunt, quantumcunque à nobis par-
 uipendantur. Videmus item, quod continuatio pec-
 catorum peccata etiam olim remissa iterum viuificat,
 non quod culpa redeat, sed quod pœna tantò grauior
 fiat. Decem aut illæ tentationes sic numerantur. Pri-
 ma fuit ante egressum de Aegypto Exo. 5. Secunda in Exo. 15.
 recessu, Exod. 13. Tertia ad aquas Marath. Quarta in Num. 11.
 murmure pro defectu carniū. Quinta plus colligen. Exo. 16.
 do de manna & seruando. Sexta in Raphidim, pro de. Exo. 17.
 defectu aquæ. Septima in conflatione vituli, Exod. 32. Num. 16.
 Octaua ex impatientia laboris, Num. 11. Nona ex con-
 cupiscencia carniū. Decima ex desperatione in hoc lo-
 co. Potest etiam sic intelligi. Tentauerunt me per de-
 cem vices, id est, sæpè, vt sit numerus determina-
 tus pro indeterminato. Vel per decem vices, id est, sine
 cessatiōe. Vel per decem vices, id est, peruenerunt ad sum-
 mum, impleuerunt mensuram suā. Nam decem est nu-
 merus perfectus. Deus enim ab æterno proposuit, quā
 diu singulis populis, imò hominib⁹ parcere velit. Hoc
 tēpore elapso dicit: Hæc fecisti & tacui, &c. Nunc ar- Psal. 19.
 guam te, & statuā contra faciem tuam. Sic in prophe- Dan. 7.
 tis legimus præfinitum tempus tyrannidis impiorum
 regum. Sic in Apocalypsi præfinitum est tēpus tyran-
 nidis antichristi vsq; ad tempus, inquit, & tempora, &
 dimidium temporis. Sic Christus ad Ierusalē, hæc dies Lucæ 19.
 ad pacem tibi data est, sed veniet tempus, quando ini- Matt. 25.
 mici tui circundabunt te vallo, &c. Et iterum: implete
 mensuram patrum vestrorum. Hinc etiam de Zodo- Gen. 19.
 mis dicitur: Videbo, an peccatum eorum impletū sit,
 &c. Qui igitur sapit, pœniteat, antequā mensura im- Rom. 2.
 pleatur, nec peccata peccatis addat, ne sibi ipsi iram
 Dei thesaurizet. Tertia causa tam duræ sententiæ fuit,

ANNOTATIONES

quòd non crediderunt, sed detraxerunt Deo. Hęc nos non iudicamus esse peccata, &c.

Seruum meum Caleb, qui alio spiritu plenus.

Sicut enim Deus nullum malum sinit impunitum, sic nullum bonum relinquit irremuneratum. Et sicut certò scit, & videt opera mala impiorum, sic certò scit, & videt opera bona piorum. Nouit enim Dominus viã iustorum, & iter impiorum peribit. Caleb ille fuit vnus ex 12 exploratoribus, vt supra dictum est, verùm non fuit reus in transgressione ipsorum, imò omnibus viribus restitit tam ipsis, quàm populo. Huius operis nunc Deus recordatus, ipsumque insigniter laudat, & etiam remunerat ad cõsolationem omnium piorum. Laudat autẽ ipsum primò ex nomine, cùm ipsum nominat. Iustos enim nouit Deus ex nomine, nò autem impios. & nomina iustorum scripta sunt in cœlis. Vnde & in Isaia de vero Israel dicit: Ecce in manib⁹ meis descripsi te. In huius figuram sacerdos summus portabat in pectore nomina filiorum Israel gẽmis insculpta. Et quid opus multis? in memoria æterna erit iustus, &c. Secundò, commendat eum ab opere, cùm seruum suum nominat. verè magna dignitas tale testimonium habere. Summa ingenuitas (ait sancta Agatha) in seruitute Christi probatur. Tertiò commendat ipsum ex officio, quòd bono spiritu executus sit mandatum Moyssi. Habebunt & alij decem exploratores spiritum, sed mundanum, spiritum humanum, spiritum carnis, vnde & ipsi decepti fuerunt, & in super totum populum deceperunt. Caleb autem commendatur, quòd alio spiritu plenus fuerit, nimirum spiritu S. Hinc patet, quòd multùm refert, quo spiritu singula agamus. Non enim omnes spiritus boni sunt, sæpè enim vnum idemque opus facientes non tamen equaliter præmiantur, quia non eodem spiritu ducuntur, vt patet de exploratoribus illis, qui vnum agebant explorationis officium, verùm non eodem spiritu, idè non vnum finem consequuntur. Idẽ videmus in duobus illis, qui ascendebant in templum orare. Vnde

Christus:

Psal. 1.

Exo. 33.

Lucæ 10.

Isa. 49.

Exo. 26.

Psal. 111.

Lucæ 11.

Christus. Duo erunt in agro, vnus assumetur, & alius Matt. 24.
 relinquetur, &c. Maximè autem refert, vt bono spiritu
 terram promissionis, id est, scripturam sacram explo-
 remus. Si enim oculus simplex fuerit, totum corp⁹ lu-
 cidum erit. Sin autem nequam fuerit oculus, si nõ re-
 cto spiritu & intentione scripturas consulimus, & nos
 decipimur. & alios in foueam ducimus, id, quod Ec-
 clesia frequenter cum magno suo damno experta est,
 & etiam nunc experitur. Meritò igitur præcipit Ioan- 1. Ioan. 5.
 nes, ne omni spiritui credamus, sed probemus spirit⁹,
 an ex Deo sint. Nec solùm verbis laudatur Caleb, sed
 etiam remuneratur. Ipsum, inquit, inducam, & cæt. &
 hoc est, quod Dauid ait: Inquirentes Dominum non Psal. 12.
 deficient omnibono. Et Thobias: Multa bona habe- Thob. 4-
 bimus, si timuerimus Deum. Et Sapiens: timenti, in- Eccl. 33.
 quit, Deum non occurrent mala, & cæt. Nec solùm in
 persona sua remuneratur, sed etiam in filijs & poste-
 ris. Semen, inquit, eius possidebit eam. Tam bonus est Exo. 20.
 Deus, quòd misericordiam suam custodit in mille ge-
 nerationes his, qui diligunt eum. hinc Dauid: Nun- Psal. 36.
 quam vidi iustum derelictum, nec semen eius querens
 panem. Et iterum: Beatus vir, qui timet Dominum, Psal. 111.
 &c. Potens in terra erit semen eius, &c. Hæc Dei mu-
 nificencia incitare nos debet ad pietatem sectandam.

*Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam
 maris rubri.*

Hæc est tertia sententia, quæ simul bonos & ma-
 los complectitur. Nam in huiusmodi externis etiã bo-
 ni interdum cum malis flagellantur, licet bonis nihil
 inde decreseat, imo lucrum eorum & meritum augea-
 tur. Sic Daniel iustus cum alijs malis in captiuitatem Dan. 1.
 ductus fuit, sed nihil illi obfuit. Deum enim etiam in
 Babylone inuenit. Idem contigit Thobiae, qui etiam Thob. 6.
 in captiuitate positus propitium regẽ inuenit. Sic etsi
 Caleb & Iosue ad tempus promissa hæreditate carere
 cogebantur propter malos, nihil tamẽ inde minus ha-
 buerunt, quia spe subleuabantur certa. Sic p̄ etiam nunc
 propter malos multis infortunijs subiiciuntur. simul
 enim

ANNOTATIONES

enim patiuntur famem & bella, &c. sed longè diffini-
liter. Impij enim & externè patiuntur & internè, quia
sciunt Deum ipsis iratum, malam habent conscien-
tiam, & denique nullam spem, sed perpetuum timo-
rem maiorum malorum. Pij autem solùm patiuntur
externè. Intus gaudent, quia Deum vident, bonam con-
scientiam habent, & spem, quò citò finietur miseria hæc.
Non est igitur, quòd iusti despondeant animùm, &c. Cæ-
terùm, quòd hic iubentur retrocedere, grauis fuit sen-
tentia malis præsertim. Primò enim ante trecetos an-
nos Deus terram Chanaan promiserat semini Abraham
se daturum. Eadem promissionem renouauit per Moy-
sen. ea spe ex Aegypto exierant, & iam alterum annum
per desertum vagati fuerant, vixq; magno labore ter-
minos terræ promissæ attigerant, & ecce nunc retro-
cedere iubentur sine omni spe reuersionis, quomodo
non graue hoc fuisset? Verùm sic puniri debuit eorum
inobedientia. Quàm diu obediebant, procedebant, nec
quicquam illis obistere potuit. Cùm autem inobedien-
tes effecti essent, vellent nollent, non poterant proce-
dere. Sic vera obedientia mandatorum Dei nos ad sa-
lutem promouet: inobedientia repellit. Secundò etiã
ideo fuit ipsis hæc sententia, quia etsi audissent, quò nul-
lus eorum peruerturus esset ad terram promissam, po-
terant tamè suspicari, quò tantum esset comminatio &
non finalis sententia. Nunc autem cùm re ipsa retrocede-
re iubentur, vident rem seriã agi, & verè sententiam
diffinitiuam fuisse. Facile enim conijcere poterant, si
eam viam repetere deberent, qua venerant, paucos eo-
rum superfuturos fore, maximè, cùm iratum Deum ha-
berent, quandoquidem prius non sine labore & peri-
culis ea via venerant, cùm tamen Deum haberent præ-
sentissimum. Sic multi cùm fermè ad finem laborum
peruenerint, cadunt, quemadmodum Salomon in se-
nectute deceptus est. Et Ioas cùm benè incepisset, pes-
simè conclusit, &cæt. Qui igitur stat, videat ne cadat,
vt Paulus rectè monet. Signanter autem dicitur hic,
quòd per viam ad mare rubrum reuerti debeant. Cu-
pierant

Gen. 12.
& 15.

3. Reg. 11.
2. Par. 24.
2. Cor. 10.

perant ipsi reuerti in Aegyptum, verum nec hoc eis conceditur, sed inter Aegyptum, & terram promissam mori coguntur. Sic omnes impij inter caelum & terram pereunt. Terram enim retinere non possunt, nec caelum attingere. Temporalia amittunt, spiritualibus indigni sunt.

Amalechites & Chanaanys habitantes in vallibus?

Causa additur, cur non procedere, sed retrocedere debeant. hostes, inquit, propè sunt, quare moneo, ne procedatis, ne pereatis, non enim vobiscum sum. In remigitur vestram est, vt fugiatis. Mira Dei clemètia, quòd etiã malos monet. Verè igitur dictum est, quòd Abac. 2. etiam dum irascitur; misericordie recordatur. Poterat ipsos non monere, vt statim perirent, sed noluit vt tẽpus pœnitentiæ haberent, ne simul corpore & anima perirent. Sic Deus etiam nũc monet peccatores & expectat. Væ illis, qui hac Dei longanimitate nõ trahuntur ad pœnitentiam. Rom. 3.

Vino ego. Sicut locuti estis. sic faciam.

Sententiam in Israelitas latam nunc latius explicat, & ex parte mitigat. Primò autem iterum repetit & inculcat, imò aggrauat peccatũ ipsorũ. Vsquequo, inquit, &c. Hoc aut̃ ideo facit, ne quis putet Deum contra fœdus, quod cum Israelitis fecerat, egisse. Ipsi, inquit, primũm ruperunt, & non semel, & nec sic quidẽ cessant. Vnde nihil ipsis amplius teneor. Obseruadum hic, quid Deus potissimũm de hominib⁹ cõqueratur, nempe, non q̃ peccent, hoc enim humanum est, sed quòd peccare nõ cessant, nec vnquã pœnitēt. hinc est, q̃ hanc querelã sæpius in scriptura inuenim⁹, vt cum Exo. 10. dicit ad Pharaonem: Vsquequo nõ vis subijci mihi? Et Exo. 16. iterum: Vsquequo nõ vultis custodire mãdata mea? Et Ios. 18. iterum: Vsquequo marceitis ignauia, & nõ intratis in terrã, quam Dominus dedit? Itẽ: Vsquequo claudicatis 1. Reg. 12. in duas partes, &c. Itẽ: Vsquequo paruuli diligitis infantiã, &c. Itẽ: Vsquequo piger dormis? Vsquequo delitijs dissolueris filia vaga? Et Christ⁹: O generatio incredula, quã diu vobiscũ ero, quã diu vos patiar?

Deinde

ANNOTATIONES

Deinde Dominus repetit sententiam, idque non simpliciter, sed cum iuramento. hoc autem ideo facit, quia neminem videbat orare pro venia. Ideo in sententia perseverat, imo eandem irrevocabiliter statuit. Cum alias certum sit, quod oratione aboleri possit flagellum Dei. sic Davide orante angelus gladium, quo percutiebat populum, in vaginam reposuit, Et Ezechias per orationem à morte est liberatus. Declinari etiam potest poena à Deo comminata, si poenitentiam agamus, ut patet in Niniuitis. Item in rege Achab, propter cuius poenitentiam Deus poenam distulit. Vide autem iustam Domini sententiam, quod optauerant, hoc ferre coguntur. hoc idem & nobis sæpè contingit, quod per impatientiam nobis aliquid imprecamur, quod postea ferre cogimur inuiti.

Omnes, qui numerati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam.

Hic sententiam explicat, & mitigat, ne quis dicere posset, sicut Abraham olim dixit: Nunquid perdes iustum cum impio? &c. Quod igitur supra generaliter dixerat, Omnes, qui viderunt maiestatem meam, hoc nunc restringit, & mitigat, cum dicit: Omnes, qui numerati estis, &c. Hic igitur à sententia prædicta excipiuntur pueri. Deinde generaliter omnes, qui infra viginti annos erant, quorum sine dubio magnus numerus fuit, & fortè maior, quàm eorum, qui numerati erant, sicut plerunque maior est numerus puerorum, quàm virorum. Sic igitur videmus, quod misericordia Dei superexaltat iudicium. Suprà enim cum præmia ipsi Caleb decernerentur, etiam filij cum ipso computantur. hic autem cum poenæ decernuntur, soli peccantes pereunt, expressè autem excipiuntur filij, quo planè videmus Deum propitium esse ad miserendum, quàm ad puniendum. Caleb vnus erat, & propter eum tota posteritas benedicitur. hic autem filios non in-

Ezech. 18. uoluit peccatum parentum, iuxta illud: Non portabit filius

filius iniquitatem patris, &c. nisi forte filij sint imita. **Ezech. 18.**
 tores paternorum scelerum; tunc enim meritò cum
 ipsis puniuntur. Sic igitur Deus vna hac sententia &
 iustitiæ & promissioni, satisfacit: iustitiæ cū peccato-
 res punit, promissioni, cū filios eorū sententię eximit.
 Nullus igitur dicere potuit, q̄ vel non esset iustus, vel
 non esset verax. Cæterū si mysterium huius historiæ
 attendimus. Nos sumus filij illi, qui ad terrā promiss. **Matt. 23.**
 sionis admissi sumus patribus nostris reiectis. Iudæi
 noluerunt fidem Christi, idè excederunt. Nos in locū
 eorū successimus, sicq; impletū est quod Ioan. ait: Po-
 tens est Deus ex lapidib. suscitare filios Abrahæ. Hanc
 grātiā perpendens Paulus scribit ad nos gentiles, vi. **Rom. 11.**
 de homo, inquit, bonitatem Dei & seueritatem; &c.

Filij vestri vagi erunt in deserto quadraginta annis.

Non statim Deus perdit eos, qui peccauerant, &
 super quos sententiam mortis dederat, sed quadragin-
 ta annos ipsis dat, tum vt tempus habeant pœnitentiæ,
 tum ne filij eorū, quorum aliqui adhuc parui erant,
 omni solatio destituerentur, tum deniq; vt idem filij
 in parentibus suis quasi coram positam cernerent iu-
 stitiam Dei, sicque in timore Dei adolescerent. Quoti-
 diè enim per hos quadraginta annos videbāt aliquos
 perire, vt veritas verbi Dei probaretur. Magnū iuen-
 tuti ad virtutem incitamentū est, considerare quomo-
 do olim Deus punierit peccatores. Deinde Deus etiam
 filios præuaricatorū non statim admittere voluit, vel
 introduxit in terram promissam, donec ad legitimam
 ætatem venissent & in laborib. exercitati essent. Hinc
 enim præostensum est quod nullus admittitur ad ter-
 ram viuentium, nisi qui hic in intellectu & fide fuerit
 illuminatus & in opere exercitatus. Non enim co-
 ronabitur nisi qui legitimè certauerit. Magnum et-
 iam tempus præfigit præuaricatoribus, primò vt nō
 causari possent se non habuisse tempus pœnitendi. Se-
 cundò, quia hic eos punire voluit, non in futuro, ideo
 tempus prolongauit. Tertio, vt magis affligeren-
 tur, eoq; sæpius eos pœniteret peccati. Quarto, vt per-

ANNOTATIONES

Eccl. 21. diuturnitatem temporis agnoscerent grauitatē peccati. Peccatum enim citò transit, sed non pœna. Sicut homo facilè infirmatur, sed non nisi cum dolore & labore & multo tempore sanatur. Quodlibet peccatum vulnus est animæ. Vnde Sapiens: Tanquam à facie colubri fuge peccatum, &c. Nec mysterio vacat, quòd annum pro die ipsis dedit. sic enim adhuc impijs facit, qui cum diem vnū hîc nolunt laborare, in futuro annum habebunt nunquā finiendum. Contrà pij diem habent pro anno: quia enim hîc pœnitent, euadūt æternum supplicium. Postremò nec hoc mysterio caret quod quadraginta annos ipsis dedit. quadragenarius enim numerus pœnitentię dedicatus est. Hinc Moyses ieiunauit quadraginta dies, sic Helias, sic Christus. Sic **Ionaz 3.** Niniuitis quadraginta dies ad pœnitentiã dati sunt.

Igitur viri illi mortui sunt coram Domino.

Exod. 34. Populo spaciū pœnitendi dedit, exploratores autē malos statim puniuit tum ad terrorem populi, tū quia ipsi non ex infirmitate, sed ex malitia peccauerant, tū deniq; quia totum populum seduxerant. Igitur grauius punientur qui malitiosè peccant, quàm qui ex ignorantia, & qui alios scandalizant, vel ad peccata inducunt, grauius punientur, quàm qui soli peccant. Vt mundo à scandalis. Sicut autē Moyses impiorum pœnam non tacet, sic & iustorum præmium iterū describit, tum quia suprà tantā de Caleb dixerat, tum vt fortius nos moneat ad pietatem sectandam, &c. Sic itaq; Deus Moysen exaudiuit & miseratus est, vt tamen iustitiæ quoque satisfactum sit. Meritò igitur David Domino cantat misericordiam & iudicium.

Locutusque est Moyses omnia verba hæc ad omnes filios Israel.

Hîc Moyses promulgat sententiam à Domino datam. Conditio autē veri prophete est, quòd omnia verba Domini populo annunciat tam læta, quàm tristia. Nam pseudoprophetæ læta tantūm annunciant, quæ populo placent, semper dicūt, pax, pax: gratia, gratia: remissio, remissio: qualescunq; sint, quibus loquuntur.

De

De ira Dei in peccatores nihil. Vnde Isaias: Qui bea-
tum te dicunt, ipsi te decipiunt.

Isa. 5.

Et luxit populus nimis.

Et meritò. quid enim iustiùs facimus, peccatū quā Pſal. 6.
quod lugemus? Sic fecit Dauid: Laboravi, inquit, per
ſingulas noctes: lectum meum, &c. Sic Pet. poſt nega. Matt. 26
tionē admonitus fleuit amarè. Idē fecit & peccatrix Lucæ 7.
illa. Hinc Judith ait: Miſericordiā Dei ſiſis lachrymis
poſtulemus. Vnde & prophetæ peccatores vocant ad Iohel. 2.
luctum. Cōuertimini, inquit, ad me in ieiunio, fletu &
planctu, &c. Nō tamē omnis luctus Deo gratus. Hic e-
nim populus nō peccatū luget, ſed pœnam, q̄ vel hinc
patet quòd lugent quidem, ſed non orāt veniam, non
confitentur peccatū. Sic luxit Saul, item Achab, item &
Iudas, &c. ſed fruſtrā. Obſerua quā pulchrè pœna cor
reſpondeat culpæ. Priùs flebant cum nihil opus eſſet.
Iuſte igitur flere nunc coguntur. Obſerua item quòd
lugent quidem, ſed nimis tardè. Sic enim & damnati
lugent, ſed fruſtrā, hic tempus eſt lugendi & pœniten.
di. Beati qui hic lugent.

Matt. 5.

Et ecce manè primo ſurgentes, aſcenderunt verticem montis.

Quā repentina mutatio in populo. quod prius omni
bus viribus detrectabant, ad hoc nūc ſe vltro offerunt
quia vident rem ſeriam agi. Sic humiliat Deus ſuper-
bos, vt qui ſua ſponte verbo Dei obedire nolūt, poſtea
pœnis coacti obedire cogantur. Sic Saul ſuperbus, &
Samuelē odiens, aduerſis tamen preſſus, vel ex ſepul- 1. Reg. 22.
chro ipſum ſuſcitari cupiebat. Sic Ieroboam ſeu-
iens in prophetam Dei, poſtquā vidit ſe à Domino percuſ-
ſum, ad humilitatem conſulgit. hoc idem & ſupra vidi-
mus in Pharaone. Patet idem in Antiocho, &c. Quan- 3. Rlg. 111
tò ſatiùs eſſet, vt volūtariè Deo obediremus, ſic enim 2. Mach. 9
& meritum noſtrum augetur, & cū merito præmiū.
Cæterum, quod Iſraelitæ hic faciunt, videtur eſſe vera
obedientia. Nam vera obedientia manè ſurgit, id eſt,
non differt præceptum Domini exequi. Deinde dicit
cum Dauide: Paratum cor meum Deus, paratum cor Pſal. 107.
meum. Et iterum: paratus ſum, & non ſum turbatus, Pſal. 118.

ANNOTATIONES

ut custodiam iudicia iustitiæ tuæ. In hunc modum etiam hîc Israelitæ loquuntur: non tamen erat vera obediētia, quia non habebant Dei præceptum. Imò erat vera inobediētia, quia Deus suprâ iusserat eos retrocedere. Vide igitur peruersitatē populi. cum Deus iuberet progredi, volebant ipsi retrocedere & cū Deus iubet retrocedere, ipsi volunt progredi. Vbi autem vera obediētia est, illic impletur id, quod suprâ positum est. Ad verbum Domini proficiscebantur, & ad verbū Domini figebant tentoria. Deinde non solum inobediētia erat, sed etiā infidelitas vel incredulitas.

Num. 9.

Mich. 7.

Psal. 118.

Thren. 3.

Ier. 2.

Psal. 49.

Si. n. verbo Domini per Moysen credidissent subdidissent se sententiæ diuinæ, & dixissent cum Mich. Irâ Domini portabo, quia peccaui ei. Et cum Dauide: iustus es Domine, & rectum iudicium tuū. Et cum Ieremia: Nos peccauiimus, propterea tu inexorabilis factus es. Hi autem nihil tale faciunt, imò se ostendunt quasi nihil mali fecissent. Parati, inquit, sumus, &c. Q. d. quid ita loqueris nos nolle procedere. En, parati sumus. sicque nedū Moysen, sed etiam Deum mendacem facere volunt. Hoc agit etiam nunc incredulitas, quod & verbo Dei non credimus, & depræhensi in malo semper aliquid prætendimus, sed frustra. Ego sum, inquit, & ego vidi. Itē: Quid niteris bonas ostendere vias tuas &c. Et: Arguam te & statuam contra faciem tuam.

*Quare transgredimini verbum Domini, quod vobis non
cedet in prosperum.*

Quantū laboris incumbit pio Moysi in regimine illius populi, Putabat eos nunc aliquandiu quieturos, sed iterū incipiunt. Moyses tamen quod bonum decet principem, nihil omittit, q̄ ad instructionem & detractionem populi pertinebat. Primò ostendit eos in hoc peccare. Quare, inquit, &c. Q. d. non satis vobis est hætenus peccasse? Quid opus est peccata peccatis addere? Verè enim peccat qui contra verbū Dei agit. Deinde docet ipsis sine Deo nihil prosperè cedere. Tertio prædicat periculū: Quarto nominat hostes nominatim ut exterreat. Quinto monet & orat ne pergant.

Postremò iterum replicat Dominum ab ipsis recessisse. Quod Moyſes illic viua voce fecit, hoc etiam vbiq; in lege ſua facit. Vbiq; enim monet ne contra Deũ agamus, prædicatq; mala quę in obediẽtib. accidũt, &c.
At illi obtenebrati, aſcenderunt verticem montis.

Verè obtenebrati, qui ſine Deo aliquid ſe poſſe efficere ſperant. ſine Deo, inquam, ſine arca, ſine Moyſe, id eſt, ſine Chriſto & ſcriptura. Quod Iſraelitę hic faciunt, hoc & hæretici ab antiquo fecerunt & faciunt. Pugnare videntur, & magna præſumunt, verum quia non habent ſecum ſcripturam & Chriſtum, nihil efficiunt. Cæterũ, quòd Iſraelitę contra Moyſi monita aſcendunt, maximus fuit cõtempus Dei. Idem enim eſt ac ſi dicerent, quid nobis de Deo aut Moyſe? Aſcendemus velitis nolitis tu & Deus. Verè magnus contẽptus Dei & maximum peccatum, Sic Saul quantumuis audiſſet ſe abiectum, Dauidem autem electum, tamen vi conabitur Dei decretum impedire, &c. Idem ^{2. Mach.} fecit Heliodorus. Sed omnibus talibus malè ſuccedit. ^{Actor. 9.}
 Durum enim eſt contra ſtimulum calcitrare.

Deſcenditque Amalechites & percuffit, &c.

Hic tandem increduli cũ ſuo damno & pudore experiuntur veritatem verborum Dei. Videmus hic ſine verbo Dei nihil proſperè cedere. Secũdò quòd omnis aſcenſus contra verbum Dei Deo cõtrarius eſt, vt patet de aſcẽſu diaboli & primi hominis, &c. Tertio, q̃ victoria nõ cõſiſtit in multitudine, ſed in auxilio Dei. Habebant Iſraelitę ſexcenta millia peditum & tamẽ percutiuntur. E contra Gedeõ tantum trẽcentos & vii ^{Iudic. 7.} cit. Videmus quartò quòd Deus etiã imp. js aliquãdò dat victoriam, imò ſemper ſic vnum impium punit per alium. Sic Iudæos per Aſſyrios, Aſſyrios per Chaldæos, Chaldæos per Perſas, Perſas per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per Gottomos & Hunos, &c. Postremò videmus hic quod peccata noſtra fortificant, Turcam & alios hoſtes. Si enim peccata noſtra non eſſent, nihil poſſent omnes impij contra Eccleſiam. Si igitur vincere cupimus Turcã, prius

ANNOTATIONES

cum peccatis nostris pugnemus. Pœniteamus, emendemus nos, &c.

CAPVT XVI.



IN hoc capite (nam decimumquintū caput nihil aliud habet, quàm leges Iudaicas, quæ ad nos nihil pertinent ad literā) alia incipit historia, aliud exoritur malum, alia transgressio, imò nō vna, sed triplex. Vnde & tria terribilia iudicia continet hoc caput, quæ merito timorem nobis in cutere deberent. Hactenus enim nunquam sic seuerè visus est Dominus vt hic. Summa autem capitis est hæc: Moyses à Deo institutus erat in ducem populi, Aaron autem in sacerdotem. Ambitione autē & inuidia stimulante, erant qui hoc grauer ferebant. Nā Chore cum suis putabat se non minus ius habere ad sacerdotium quàm Aaron, cū etiam ex tribu Leui esse. Et Dathan & Abiron putabant dignius esse vt ipsi haberent regimen qui è tribu Ruben primogeniti Iacob erat, quàm Moyses, qui erat è tribu Leui. Cū autem & illi viderent sibi ereptum sacerdotium, & hi regimen, ad seditionē confugiunt. Fortassis etiam Moysen & Aaron si possent occisuri, vt vel sic ducatum populi & sacerdotium sibi vendicarēt. Verū Dominus in tempore aderat Moyse & Aaroni cōtra impios. Monet igitur caput hoc, vt omni studio caueamus pessimas illas duas pestes, ambitionem scilicet & seditionem. horum enim primum turbat regimē spirituale, alterum regnum externum. Et vbi simul concurrunt, necesse est vt fiat quod Christus dixit, omne regnum in se diuisum desolabitur.

Luc. ii.

Ecce autem Chore filius Isaar, filij Caath, filij Leui & Dathan, atque Abiron filij Eliab.

Verbum hoc ostēdit Moysen nihil minus timuisse, quàm ne ducatus suus in contentionem veniret, cū magnis signis Deus ostendisset Moysen à se cōstitutū principem. Erat & hoc Moyse res inopinata, quòd tā
insu.

insignes viri hoc molirentur, ideo quasi admirabundus incipit. Ecce autem, &c. Q. d. An non mira res, quis hoc credidisset? Verè enim admiratione dignum, vbi manifestè contra instituta Dei agitur ab his, qui ignorantia prætexere nō possunt. Est autem tam sacerdotium, quā externa potestas institutio Dei. Nominat eos ex nomine ad exemplum posterorum, vt omnes ambitiosi & seditiosi sciant, quos imitētur, & eo ipso videāt, quid in fine expectare debeant, nempe irā Dei & perditionem. Describit etiam eos à cognatione. Nō enim erant ex vna tribu, sed affectantes sacerdotiū erant ex tribu Leui, affectantes autem regnum erāt ex tribu Ruben. Congruè tamen potuerunt inuicem conferre consilia. Nam Rubenitæ ad meridiem habebant tentoria, quo loco & Caathitæ positi erant. Vicini igitur erant, ideo secretiùs consiliantur contra duces, donec tandem auderēt erumpere. O quot hodiè occulta consilia tractantur contra Moysen & Aaron, id est, cōtra sacerdotiū & imperiū &c. Dissipet Dominus consilia impiorū. Signanter dicit Moyses q̄ hi seditiosi fuere proceres synagogæ, &c. Nā & nobiles & principes etiā nunc nō minus seditiosi & inobedientes sunt, quā rustici, quamuis nemo hoc dicere ausit. Imò inobedientiā suam egregiè obtegunt per nomen protestationis. q̄ si idem facerent subditi eorum, nihil ipsos iuaret protestatio, &c. Subdit Moyses, q̄ huiusmodi seditiosis multi adhæferint. Vulgus enim iam inde ab initio exosos habuit sacerdotes & præsides. Sic enim inuidia semper alta petit. Quā indignè autem contra Moysen tā sanctum & fidelē virum cōspirauerint, vel ex eo patet, q̄ supra dicitur fuisse mitissimus hominū. Causa aut̄ huius motus vel potest fuisse impatientia propter sententiā Dei cōtra ipsos latam, cuius fortasse Moysen causam fuisse suspicabantur, vel inuidia ipsos stimulabat. Potissima causa fuit ambitio. Hæc est illa pestis, quæ omnia turbat, vt frater fratri ciuitas ciuitati, cognatus cognato, artifex artifici, ordo ordini, mēdicus etiam mendico inuideat. Ambitio causa

V N N O T A T I O N E S

Gen. 4.

Judi. 9.

est, q̄ tantū sanguinis humani effusum est in mundo, Quid mouit Cain ad cædem fratris, nisi ambitio? egrè ferebant fratrem sibi à Deo prælatum. Ex eadem raione filij Iacob fratrem suum Ioseph occidere voluerunt, Sic Abimelech occidit omnes fratres suos, Sic Achalia omne semen regiū, Sic Ioab duos principes. Ambitio causa fuit bellorū, & adhuc est. Patet in quatuor Monarchijs, in Roman. & Carthagin. in bellis ciuilibus, &c. Ambitio amicos & cognatos dissiugit. Sic Romulus contra fratrem, Absolon contra patrem suum, Iulius contra Pompeum generum suum consurrexit, &c. Ambitio iurgia & litigia concitat inter ciues, dum nullus alteri cedere vult. Ambitio est causa scismatum & hæresium in Ecclesia. superbi enim dum alijs inuident, nec ad honores ascendere possunt, scismata faciūt, &c. Ambitio turbat omnem ordinem ecclesiasticum, vt fermè nullæ constitutiones seruentur, dum per fas & nefas, per Simoniam & homicidia ad dignitates quidam irrumpunt. Ambitio omnia regna destruit, omnes politias. Sic cū Aristobulus & Hircamis ambitiosè contenderent de regno, Romani interim irrumpabant, &c. Idē contigit de sacerdotio Iudaico, vt patet in libro Machabæorum. Ambitio destruxit Romanum imperium & nunc destruit Germaniam. Quare pestis hæc omnib. modis fugienda. Vnde Christus vbique ambitionem arguit in suis, vt patet Matt. 18. & 20. Lucæ 22. Ioan. 13. Idem docet Paulus Philip. 2. Vt autem pestem hanc vitare possis, Primò cogita originem tuam. Secundò miseriam corporis. Tertio vanitatem gloriæ mundanæ, quæ est sicut flos scæni. Quarto mortē futurā, à qua te non eripit gloria mundi. Quintò iudicium, in quo tantò à te maior ratio exigetur, quantò altius sedes. Postremò, Cogita humilitatem Christi, & erubesces de tua superbia.

Sufficiat vobis, quia omnis multitudo, &c.

Q. D. Satis superque passi sumus superbiam vestram. Quanta ingratitude contra eos, qui tot se periculis pro ipsorum salute obiecerant. Quanta deniq;

iniuria, quòd dicunt, erigimini super populum, cùm
 scirent Moysen inuitum, & non nisi coactū suscepisse Exo. 4
 regimen, scirent item, quòd etiam Aaron non arri-
 pisset sacerdotium, sed à Deo electus esset. Denique
 cùm Moyses mitissimus omnium hominum esset,
 non habebant occasionem eum abijciendi. Verùm,
 quid mirum, quòd Moysi hæc contigerunt, cùm ipse
 filius Dei in propria veniens à suis non receptus sit. Ioan. 9.
 Imò audire eum oportuit. Hunc nescim⁹, vnde sit. Et Lucæ 19.
 iterum: Nolumus hunc regnare super nos. Et iterum:
 Non habemus regem, nisi Cæsarem. Et iterum: Noli Ioan. 18.
 scribere rex Iudæorum, Consolationem præbent hæc
 omnibus in potestate constitutis contra ingrati-
 nem subditorum. Vide autem, quid prætendant. Om-
 nis, inquit, multitudo sanctorum est, id est, ad diui-
 num cultum vocata. Sanctum autem dicunt omnem Exo. 19.
 populū, ex eo, quòd Deus suprà dixit: Si audieritis me,
 eritis mihi peculium & gens sancta. Hoc autem ver-
 bo populi fauorem sibi conciliare volebant, qui liben-
 ter audit placentia, & facile adhæret his, qui ipsum
 beatificant, sed in malum suum. Popule, inquit, meus, Isa. 5.
 qui beatum te dicunt, ipsi te decipiūt. Deinde ex hoc
 verbo arguere volebant, quòd nec sacerdote, nec prin-
 cipe opus haberēt. Omnes, inquit, sancti sunt, ideo
 & omnes sacerdotes sunt, frustra igitur tu Aaron de
 speciali sacerdotio gloriaris. Deinde Dominus, inquit,
 est in populo, vt dux & rector, nihil igitur indigemus
 ducatu tuo O Moyses. An non simile quiddam etiam
 nunc videmus? Ex eo enim, quod Petrus dicit omni- 1. Pet. 2.
 bus Christianis: vos estis regale sacerdotium, argui-
 mus, vel, quòd non opus sit alio externo sacerdotio,
 vel, quòd cuilibet liceat ad id irrumperè, &c. Sic ex eo,
 quod Paulus ait: in libertatem vocati estis, nolite serui Gal. 5.
 fieri hominum, arguimus nō opus esse, vt obediamus
 potestati seculari. Sic igitur cùm vel nominatur spiri-
 tualis potestas, statim dicunt: Omnis turba sancta est.
 Cùm nominatur potestas secularis, dicunt: Dominus
 inter Christianos rex est & dux. Atqui nō valet istud

ANNOTATIONES

Matt. 16. **Lucæ 10.** **Rom. 12.** argumentum : Omnes Christiani sancti sunt, ideo nec rege, nec sacerdote opus habent. Nam & Christus sciuit fideles sanctos esse, & tamen ex his elegit 12. Apostolos, & postea septuaginta discipulos. Et Paulus sciuit, imo scripsit omnes fideles esse sanctos, & tamen eisdem præcepit, vt potestati subderentur. Ecclesia nõ potest carere hoc duplici regimine, spiritali scilicet & tēporali. Et vtrunque institutum Dei est. Nec quicquam in hoc derogatur libertati Christianæ. Imò libertas Christiana per hoc promouetur, dum per spiritualem potestatem succurritur animabus, per externam autem defenditur corpus & res temporales. Qui igitur verè Christianus est, gratias agit Deo, quòd hæc sic instituerit, tantum abest, vt murmuret. Quòd si potestas suo officio nõ respondeat, verè pius sibi ipsi imputat, quòd meliori dignus non sit, vel orat, vt Deus eam emendet. Ipse autem manum abstinere.

Audiens Moyses cecidit pronus in faciem.

Primum omnium, quod Moyses facit, vbi quid aduersi ingruerit, est quòd cadit in terram, quòd orat ad Dominum. Ipsi enim innitebatur, non propriæ industriæ. Statim igitur ad deprecandum Dominum se conuertit, quia timebat, ne in totum populum ira Dei deiret. Timebat, ne Deus grauiorem sententiam ferret, quàm supra, nempe, ne etiam in paruulos sententiam mortis ferret, quibus supra pepercerat. Verè pius animus, qui semper ad peccata hominum terretur, semper timet iudicium DEI. Super huiusmodi hominem facile spiritus S. requiescit. Deinde etiam ideo cecidit in faciem Moyses, vt reipsa ostenderet, quàm non delectaretur in regimine. Prætereà vel morti se offerebat potius, quàm suam ipsius iniuriam vindicaret. Sicque iam tunc impleuit, quod Christus postea docuit. Si quis percusserit te in vnâ maxillam, præbe ei & alteram.

Manè notum faciet Dominus, qui ad se pertineant.

Videmus hîc primò modestiam Moysi. Nõ seipsum defendit, non potestatem suam probat, & cæt. sed ad Deum

Ma. 66.

Matt. 5.

Deum appellat, Deo rem omnem committit, gratum habiturus, quicquid Deus statuerit. Simile quid legimus de Dauide, qui dixit: Si inueni gratiam; reducet me Dominus: Sin autem dixerit; non places, præstosum, faciat quid vult. Deinde videmus hic fidem & fiduciam Moysi ad Deum. Non dubitabat, quin Deus, quod instituerat, etiam confirmaret. Verissimè enim Deo curæ est conseruare, quæ instituit, nec cōtra hoc quicquam poterit humana proteruia, & cet. Præterea videmus hic charitatem Moysi etiam erga hostes. Poterat statim à Deo signum expetere, quo impij punirentur, sed differt vsque in manè, sperans interim eos conuertendos. Vbi iterum videmus piam eius mentem, qui non vindictam ex hostibus, sed conuersionem eorum desiderabat. Spiritualiter etiam in nobis impletur, quod hic dicitur. Mane etiam notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, id est, in futuro iudicio. Nunc omnes volunt esse sancti, & ad Deum pertinere, tunc autem videbitur perfectè qui sancti sint. Tunc enim manifesta erant etiam abscondita cordis. Ex thuribulis autè probabuntur, qui verè sancti sunt, id est, ex lampadibus. Cuius enim lampas arserit, is admitte-
 tur ad cælestes nuptias. Cuius autem lampas, id est, fides non arserit in bonis operibus, is cum fatuis virginibus excludetur. Thuribulum fides, ignis charitas, incensum opera ex fide & charitate. Hæc tria vbi simul sunt, Deo placent, & c.

Multum erigimini filij Leui, &c.

Addit Moyses admonitionem, si fortè ab incepto desistere velint. Primò autem ostendit, ex qua radice hoc præsumpserint, nempe, ex superbia & ambitione. Vnde dicit: Multum erigimini filij Leui. Meritò dicit: multum vel nimium erigimini, quia contra Dei institutū, atq; ad cōtra ipsum Deum pugnabāt. Hoc nimium erat. Si peccauerit, inquit, vir in virum, dimitte-
 tur ei, si aut in Deum quis peccauerit, quis orabit pro eo? Obserua, quòd filij Leui in peccato vituli benè se habuerant, & laudem meruerant à Deo, hic autem
 superbia

ANNOTATIONES

superbia & ambitione peccant. Tam infestum est malum, hoc etiam sanctis. Verissimè enim Angelus dicit, quòd vltimum peccatum est superbia. Cùm enim omnia alia vicerim⁹, tunc primùm venit superbia, vt nobis ipsis complacemus, &c. Ab hoc vitio ne Apostoli quidem mundi erant. Sapius enim inter ipsos exortatus fuit cōtentio, quis eorum esset maior, & quis prior Christo sessurus esset: Semper tamen Christus eā ambitionem repressit. Primò verbis, vos, inquit, non sic. Deinde exemplis, cùm scilicet statuit puerum in medio ipsorum. &c. Postremò suo ipsius exemplo, cùm pedes ipsis lauit, &c. Simili diligentia & primi Ecclesie pastores ambitioni resistunt, quod vel ex vno illo facto apparet, quod Petrus ita resistit Simoni mago. Sic & Paulus nos exemplo Christi monet, vt alter alterum superiorem arbitretur, &c.

Num parum vobis est, quòd Dominus separauit.

Gen 49. Pergit Moyses monere Leuitas, vt à cœpto desistant. Primò ex consideratione diuinorum beneficiorum, quæ præ alijs acceperant. Vos, inquit, separauit. Nec merita allegat, vt scilicet ex gratia factum. Nam Leui pater eorum maledictionem meruerat. Deus autem filijs Leui maledictionem verterat in benedictionem, idq; potissimùm propter Moysen, qui ex eadem tribu erat. Hec ipsos considerare monet: Deinde De⁹, inquit, vos sibi iunxit, non simpliciter separauit, sed ad honorem ad summum officium atque certum victum à populo præstandum. Item vocauit, vt ei ministraretis, non vt contra eum murmuretis. Item, vt pro populo stetis, non contra populum, multò minus cōtra superiores vestros. Vult igitur, vt grati sint, vt cōtenti sua sorte, maximè cùm omnes aliæ tribus sua conditione contenti essent, qui tamen minus acceperant. Monet, ne altiora nisi vocati irrumpant. Periculosum enim est ascendere, & maximè ad officia, nisi quis vocetur. Postremò dicit eorum seditionem non contra Aaronem esse, sed contra Deum. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Obserua, quòd Moyses

Rom. 13.

Moyſes Aaronē plus defendit, quàm ſe, hoc enim ſua-
det vera charitas. Obſeruandum etiam, quòd Leuitas
gravius increpat, quàm alios: quia grauius peccabant,
vt qui ad altiora electi erant. Ceterum etiam nobis di-
ſta putemus verba illa Moyſi, & maximè, qui admini-
ſterium Domini vocati ſunt.

*Miſit autem Moyſes, vt vocaret Daſhan, & Abiron
filios Eliab.*

Exemplum boni principis. non ſtatim gladio vti-
tur, ſed prius vocat, cauſam ſeditionis auditurus, mo-
nitorusque vt deſiſterent. Princeps nõ debet eſſe vin-
dicatiuus, non ſuſpicioſus, non facile credat, per ſeip-
ſum ſubditorum querelas audiat: Plerunque enim à
præpoſitis opprimuntur principibus ignorantibus,
&c. Fruſtrà tamen laborat Moyſes, quia obſtinati erāt
in propoſito.

*Non veniemus. Nunquid parum tibi eſt quòd eduxiſti nos
de terra, quæ lacte & melle manabat, vt oc-
cideres in deſerto, &c.*

Eodem ſpiritu ſuperbiæ & ambitionis, imo ſedi-
tionis ducuntur, quo Chore cum ſuis. Hoc ſpiritu, qui
corripitur, non aliter agit, quàm hi egerunt. Attenden-
dum & nobis, quo ſpiritu quiſque agatur ad hoc vel
illud faciendum. non enim omnia agit ſpiritus S. quæ
nos nunc præ manibus habemus, niſi aliam naturam
& operationem nunc habeat, quam olim habuit. Vi-
demur nobis multa facere ex ſpiritu S. cum reuerà ſit
ſpiritus præſumptionis, &c. Vide autem impietatem
hominum illorum. Primò manifeſtè cõtemnunt im-
perium ſuperioris. Secundò Moyſen temerè iudicant,
quòd eos ideo eduxerit, vt occideret in deſerto. Tertio
Aegyptum laudant in odium Moyſi, imo Dei. Quar-
tò aperte calumniam imponunt Moyſi quaſi domina-
tionem in ipſos ambierit. Quintò imponunt ei, quòd
falſis & mendacibus promiſſis eos eduxerit, cum nihil
eorum præſtet, quæ promiſit. Non imputant ſuis pec-
catis, quòd in deſerto pereũt. Prætereà manifeſtè bla-
ſphemat Moyſen, quaſi ipſorum damna querat. Num
oculos

ANNOTATIONES

oculos vis eruere? Postremò repetunt: Non ascende-
mus, &c. Verùm suo ipsorũ verbo se condemnarunt.
Verè enim non ascenderunt; sed descenderunt in in-
fernum. Vide hic, quid faciat spiritus ambitionis. Vi-
de, quid agat homo sibi ipsi relictus. Vide, quanta pec-
cata secum adferat seditio. Vide, quanta patiatur pius
inter impios. Omnia hæc agebat diabolus, vt, sublato
ordine, populum in omnia vitia præcipitaret. Vbi e-
nim spiritualis potestas non obstat verbo, & externa
potestas non obstat gladio, facilè consequitur diabo-
lus suum intentum. Fugiamus igitur superbiam & se-
ditionem. Amplectamur obedientiam, &c.

Ne respicias sacrificia eorum.

Iac. 1.

Iraescitur Moyses, sed non peccat. Aliàs enim ira vi-
ri iustitiam Dei non operatur. Orat, ne Deus causam
impiorum respiciat, id, quod & Dauid sepè petit. Nam
permissione diuina aliquando fit, vt mali præualeant
contra iustitiam. Postremò Deo iniuriam suam con-
queritur. Ipse enim est refugium iustorum. Iterum aut
exprimit exemplum boni principis, cum dicit: Tu scis,
quòd nec a sellum accepi, &c. quod vtinã omnes prin-
cipes ex animo possent dicere. Discamus etiã nos vin-
dictam Deo committere. Discamus ad Deum confu-
gere in aduersis. Obserua, quando sancti irascuntur,
cum scilicet vident superbiam hominum crescere &
extolli contra Deum. Sic Phinees. Sic Christus eiciẽ-
do vendentes, &c.

Matt. 21.

Tollite singuli thuribula vestra, &c.

Ecc. 32.

Matt. 10.

Quia Dathan & Abiron nolebant audire, relinquit
eos iudicio Dei. Vbi enim non est auditus, non effun-
das sermonem, ait Sapiens. Vnde & Christus discipu-
lis dicit: Si non receperint vos, excutite puluerẽ pedum
vestrorum, &c. Leuitas aut iterum monet Moyses, quia
& prope ipsum castra habebant, & eiusdẽ cognationis
cum ipsis erat. Iterum aut ad iudiciũ Domini eos vo-
cat, non dubitans Deum signo aliquo externo decla-
raturum, quia Aaronem elegisset, quemadmodũ & ex-
terno signo ostendit sibi placere sacrificium ipsius A-
bel, &c.

bel, & postea etiam Heliaz. Nec in hoc peccavit Moy. Gen. 4.
 ses. non enim tentavit Deum, quemadmodum Phari. 3. Reg. 18.
 sæi petentes signum è cælo. Ad iudicium autē Domi. Matt. 12.
 ni iteratò eos vocat, vt terrorem ipsis incuteret. Verè
 enim periculosum est in iudicio Dei cemparere mala
 consciētia. Nulli vnquā benè cessit, quē iudicium Dei Gene. 3.
 inuenit in peccato, aut malo proposito, cuius exēplum
 vel in ipso primo homine apertissimè videmus, &c. Po
 test tamen verbū hoc etiā sic intelligi, vt sit permissio,
 Q. d. quia video te nihil emendatum ex priori admo
 nitione, &c. age quod agis, vtere sacerdotio vt vis. Vi
 debis, quem finem accipiet tua præsumptio, &c. Simi
 li locutione Christus etiam Iudam alloquitur: Quod Ioan. 13.
 facis, inquit, fac citius, &c.

Et acceperunt singuli thuribula sua.

Persistunt impij in proposito Deo sic permittente.
 Putabant & se posse eadem cæremonias facere, quas
 Aaron, &c. non attendebant autem, quòd Aaron ver
 bum Dei habebat, & vocatus erat, ipsi autem non. Nec
 attendebant, quòd Deus obedientiā plus curat, quàm
 sacrificia. Quod Aaron faciebat, ex verbo Dei & vo
 catione faciebat, ideo gratum erat: quod illi faciebant,
 sine verbo & vocatione faciebant, ideo ingratum e
 rat. Sic & Saul, cùm Samuel traderet, offerre cœpit, sed 1. Reg. 15.
 sine verbo, ideo audiuit: Stultè egisti, & cæt. Sic Ozias 2. Par. 26.
 contra verbum Dei offerens incensum lepra percus
 sus est. Et Heliodorus præsumens in templum Domi
 ni intrare, quod solis sacerdotibus licebat, à Deo per
 cussus fuit. Hæc exempla monent, ne officia spiritua
 lia vsurpemus nō vocati, etiamsi videamur nobis ido
 nei ad huiusmodi officia. Melius est enim obedientia,
 quàm victimæ, & cæt. Cæterum Chore cum suis au
 det sacerdotale officium exercere. Steterunt, inquit,
 coram tabernaculo, &c. nesciebant autem miserrimi
 homines, quòd tam prope ipsis esset interitus & iudi
 cium Domini. Sic & nos sine omni timore pergimus
 peccare, nemo cogitat iudiciū Dei. Ve, inquit, qui ma. Isa. 5.
 nè surgitis ad ebrietatē, &c. & opus Domini nō respi
 citis,

ANNOTATIONES.

citis, &c. Videbatur igitur Chore iam vicisse, sed non diu durat eius præsumptio. Permittit Deus, vt aliquando indigni arripiant sacerdotium, sed ad ipsorum perpetuam confusionem & interitum. Exemplo sint Iason ille impius & Menelaus, imò Annas & Caiphas, &c. Nemo igitur gloriatur de sacerdotio adepto, si impiè viuat. Permittit enim hoc Deus in malum tuum, &c. **Quantò enim gradus altior, tantò casus maior.** Vtinam omnes, qui tam temetè ad officia quæque irrumpunt, hanc vnã historiam attenderent.

Stabant etiam Moyses & Aaron coram Domino.

2. Reg. 15. Sed soli sententiam Domini expectantes, parati ad vtrunque, quemadmodum Dauid: Si inueni gratiam; reducet me. Sin autem dixerit: Non places, præsto sum, faciat, quod vult. Chore autem de sententia Domini nihil curans, iam vi agebat, omnem multitudinẽ congregans contra Moysen & Aaron, quasi iam ipsos inuasurus. Sed Dominus impietatem eius præuenit.

Apparuit gloria Domini coram omni populo.

**Gen. 28.
Exo. 3.
Dan. 11.**

Verè adiutor Dominus in oportunitate, tempus erat, vt se ostenderet, alioqui pij corruissent, & impij præualuissent. Imò quò tribulatio maior, eò propior est Deus. Sic Iacob nunquam antè Deum tam propitium senserat, vt in fuga, cùm à fratre eiectus esset. Sic Moyses eiectus ex Aegypto; Dominum inuenit in deserto. Susanna cùm duceretur ad mortem, eripitur à Deo. Petrus cùm iam producendus esset populo liberatur. Contrà, dum maximè insaniunt impij, maximè ipsis imminet iudicium. Nunquam securior erat Pharaon, quàm cùm Israelitas inter montes & mare clausos haberet, sed statim perijt. Idem videmus de Sennacherib, Balthasar, Holoferno, Amã, &c. Videmus igitur ex hoc loco, Deum esse patronum innocentia, vindicem verbi sui, tutorem fidelium. Ex vno igitur hoc loco habèt pij, vnde gaudeant, & impij vnde terreatur.

Separamini de medio generationis huius, vt eos repente disperdam.

Præpa-

Præparatio est ad futuram punitionem. Primò enim puniturum se declarat. Secūdò populum separat. Tertiò sententiam per Moysen promulgat. Hic igitur Moyses & Aaron, qui priùs soli stabant, caput depressum erigere incipiunt: Impij aut qui priùs fortes erant nunc infirmari & humiliari incipiunt. Simile quiddam fiet in iudicio, &c. Hoc aut verbo primò videmus quòd Deus in iudicio suo non opus habebit accusatoribus & testibus, &c. sed statim sententiam pronuntiabit, Ipse enim scit quid est in homine. Vnde in Ier. Ier. 29. dicit: Ego sum iudex & testis. Et in Malachia: Ero testis Mala. 2. velox super omnes maleficos, adulteros, &c. Meritò igitur timeat peccator. nihil enim vel occultare, vel excusare poterit, &c. Deinde videmus hic, quàm seuerum sit iudicium Dei. Singula enim verba terrorem quendam adferunt. Primò separamini, inquit. Q. d. Satis diu propter vos ipsos toleraui, amplius nolo. Secūdò, non dicit puniam eos, sed disperdam, sine reparatione scilicet. Tertiò addit repètè, q. d. nolo diutius expectare, nolo amplius locum & tempus pœnitendi dare, satis diu tempore & patientia mea abusi sunt. Hoc Rom. 2. est igitur, quod Paulus dicit: Ignoras homo quòd longanimitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum insipiens cor tuum thesaurizas tibi iram &c. Videmus tertio quòd quantumcunque irascatur Deus, non tamen suorum obliuiscitur. Separamini, Gen. 18. inquit, &c. Non enim perdit iustum cum impio, hoc 2. Pet. 2. est, quod Petrus ait. Nouit Dominus suos de tentatione eripere. Et Dauid: Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos, in æternum conseruabuntur. Semen autem impiorum peribit, &c. Adhuc pusillum & non erit peccator, &c. Obseruabit peccator iustum & stridebit dentibus in eum, Dominus autem iridebit eum, &c. Psal. 36.

Ceciderunt prœni in faciem, &c.

De oratione Moysi iam sæpius dictū est. Hæc summa eius virtus fuit, primum opus, & vltimum eius refugium. Sicut autem aliàs vbique, sic & hic efficacis-

ANNOTATIONES

simè orauit. Habuit oratio eius humilitatem ex eo, quod cecidit. Habuit fidem, quòd tantam Domini iram videns, benè tamen de ipso cõfidit & de eius misericordia. habuit charitatem, quòd non contentus sua salute etiã pro alijs orat, & pro inimicis. Deniq; paternę sollicitudinis est, quòd tam diligenter studet auertere malum & damnum à populo sibi comisso. Postremò nihil aliud in oratione sua, nisi gloriam Dei præten- dit, admonet cum fortitudinis, misericordiæ, iustitiæ. **Iob. 9.** Fortissimè, inquit, Deus, quasi dicat, Fortitudini tuæ nemo resistere potest. In manũ tua omnes spiritus nostri sunt. In manu tua vita & mors nostra est, si punire decreuisti, perijmus. Oro tamen, vt non peccata nostra, sed nomen tuum magnum aspicias. Audiuit iam mundus te misericordem esse, hoc nomen perdes, si in totum populum seueris. Audiuit mundus te iustum esse, hoc nomē perdes, si innocentem cū noxio perdidideris. Sanctificetur igitur nomē tuum, &c. Quid mirum, quòd oratio talis à Deo impetrat? Vnde pro- tinùs subditur:

Præcipe vniuerso populo vt separetur à tabernaculis, &c.

Apoc. II. Vides quid valeat oratio iusti. statim ad vnã ora- tionem Moyse Deus mitigat sententiam, parcitq; mul- titudini. Meritò igitur de Moyse & Aarone intelligi & dicit possit illud, quod in Apocalysi legimus. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum. Hi potestatem habent claudere cælum, &c. quia linguæ eorum clauēs cæli factę sunt. Oliuæ sunt, quia miseri- cordes, & proni ad orandum. Lucentia candelabra sunt ante Dominum, quia orationes eorum multum possunt apud Deum. Clauserunt cælum, imò manum Dei, cū dixerunt contra impios: Ne respicias sacri- ficia eorum. Contrà, eandem manũ Domini clausam hic aperuerunt populo, sicq; linguæ eorum clauēs cæ- li factę sunt, &c.

Recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorũ.

Etiã hic bonum pastorem agit Moyses, qui cū mor- bidas

bidas oues curare non posset, saltem sanas à morbidis separat, ne & ipsæ inficiantur & pereant. Magna autem vehementia per tota castra clamat, vt ab impijs recedant, tum vt pijs consolatur, & nemo intercipiatur, tum vt impij hoc videntes se solos relinqui terreantur. Vbi iudicium Dei tam propè est, vehementi admonitione opus est. Hinc Ionas nò prædicasse, sed clamasse dicitur. Et Hieremias nò verbis tantùm prædicauit, sed etiã signis, portando catheras in collo, &c. Et eisdem dicitur: Clama in auribus Hierusalem, &c. Idem nobis dicitur, vt scilicet recedamus & fugiamus à mundo perituro, fugiamus consortia malorum, ne cum ipsis pereamus. Exite è Babylone populus meus, &c. Item: Nolite diligere mundum. Mundus enim transit & concupiscentia eius, &c. Fugiendum autem maturè, ex èplo Noe & Loth, Vnde Christus: Orate, ne fuga vestra fiat hyeme vel sabbato. &c.

Ionas. 1.

Ier. 7.

Ier. 2.

Apoc. 18.

1. Ioan. 2.

Matt. 24.

Cumque recessisset populus, Dathan & Abiron stabant.

Populus obedit nutu Dei. Impij autem, quos urgebat iudicium Dei, nedùm non terrètur, sed insuper procedunt & stant in foribus tabernaculorum quasi irridentes Moysen. Sicque implent mensuram peccatorum suorum. Hoc enim summum & vltimùm peccatum est, irridere verbum Dei. Huc qui peruenerit, iudiciùm Dei non euadet. Hic igitur videmus, quòd quem Deus despexerit, nemo corrigeret, & quòd verum est, quòd peruersi difficilè corriguntur.

Eccl. 1.

In hoc sciatis quòd Dominus miserit me, &c.

Prædicat Moyses & promulgat sententiam Domini contra impios, vt vel sic terreantur impij, maxime autem vt populus sciat non casu hoc factum, vt terra in voraginem subsidat, sed Dei plagato esse, sciâtque cuius peccati gratia id factum sit, nempe inobedientiæ & rebellionis, sicque à peccatis abstineant. Sciatis, inquit, id est, scire debetis, quòd Dominum illi blasphemauerint, me autem Dominus miserit. Etiam nobis scriptura prædixit & prædicat futura mala, simulque ostendit quòd propter peccata & propter quæ

ANNOTATIONES

eueniant. Vtinam fugiamus in tempore, &c.
Confestim, vt cessauit loqui, disrupta est terra sub pedib. eorum.

Hic poena contumacibus infligitur & summè terribilis, qualis antehac visa non erat, nec in tota scriptura simile quid inuenitur. Voluit tamen Deus per hoc ostendere quòd etiã nunc & semper sic posset peccatores punire, ne ex misericordia poenitentia nostrã expectaret. Meritò igitur dicere possumus: Misericordie Domini quòd non consumpti sumus. Hanc autè nouam & terribilem poenam ideo in Dathan & Abiron ostendere voluit, Primò, quia peccatũ ipsorũ iam ad summum venerat, & mitius iudicium non mererentur. Secundò, vt auctoritatem Moysi vel terribili signo tueretur, quando clementia signa prodesse volebant. Tertiò, voluit per hoc ostendere potestatem externam sibi curę esse, nec se velle pati, vt contendantur potestates, nullũq; impunè transiturũ, qui inobediens aut seditiosus esset in potestatem. Et q̄ hinc comminatus est, hoc etiam postea impleuit. Lege scripturã, & videbis nulli benè cessisse seditionẽ. Exẽpla sint filij Ephraim contra Iepte se erigentes, Absolon contra Dauidem, Itemq; Seba contra eundẽ Dauidem, Sedechias cõtra regẽ Babylonis rebellans. &c. Multis aut verbis Moyses iudicium hoc describit & exaggerat, vt omnium mentib. infigeretur. Verè enim magnum est viuum & sanũ perire, à terra subitò deuorari, & viuum in infernum descendere. Magnum, inquã, iudicium, sed iustũ, quia enim pertinaciter contra Dominum stabant, mererentur repentè perire. Et quia contra Dominum volebant dominari super terram, congruè humiliantur sub terram. Et quia Moysen famulum Domini tam atrociter contempserant, qui tamen non semel ipsis vitã impetrauerat, cõgruè à terra deuorantur. Et quia Dominũ cœli, terre & inferni offenderant, iustè in infernũ deijciuntur. & quia populũ seduxerant vel seducere volebant, iustè è medio populi perduntur. Hoc iudicium nobis inculcare voluit scriptura, ideo tam multis verbis vtitur in eo describendo. Nam considera-

tio

Thren. 3.

Judic. 12.
 2. Reg. 18.
 2. Reg. 20.
 3. Reg. 23.

tio iudiciorum Dei timorem incurrit: Timor autē Do- Eecl. 1.
 mini peccatum expellit, & est initium sapientiæ. Cæte-
 rum, sicut Moyses prædixit Dominū hoc facturum, ne
 putarent hunc hiatum terræ casu accidisse, sicut ali-
 quando solet fieri, sic nunc plurib. indicijs ostenditur
 q̄ non casu factum, sed verè plaga Dei sit. Primū ex eo,
 q̄ post verbū Moysi repentē terra dirupta fuit. Secun-
 dō, quòd tantū eo loco rupta fuit, vbi impij illi stabāt,
 nec alios deuorauit, quā quos Moyses nominauerat.
 Tertiō, quòd eos obtexit, & iterū in pristinum statum
 reuersa est terra, vt nulla appareret interruptio. Vide-
 mus igitur hīc quā faciliē Deus punire possit impios, si
 velit. Secūdō, quā multis modis eos perdere possit.
 Perdidit mūdum diluuiō, Sodomitās igne, Aegyptios
 varijs plagis infestauit, &c. Me ergo non timebitis ait
 Dominus? Tertiō videmus hīc, quòd iudicium Dei
 subitō & improuiso irrūpit. Meritō igitur monemur, Ierm. 5.
 vt vigilemus, nescimus enim quando filius hominis
 vēturus sit. Cū dicunt pax & securitas, tunc repētinus Matt. 25.
 eis superueniet interitus. Quartō, videmus hīc quā 1. Thef. 4.
 nullū effugiū sit vbi iudicium Dei inceperit. Peribit, Amos. 2.
 inquit, fuga à veloce, & fortis nō saluabitur. Et iterū: Amos. 9.
 Nō erit fuga eis, &c. Quintō, videmus hīc, q̄ peccata
 nobis breuiant vitā. quadraginta annos illi adhuc ha- Psal. 54.
 bere potuissent ad pœnitentiā, peccatum aut ipsorum
 facit, vt confestim pereant. Sic impij nō dimidiāt dies
 suos, &c. Sextō, videmus hīc q̄ peccata cōtinuata sem-
 per nouas plagas afferunt. Facit enim Deus vt pater q̄
 multa & semper atrociora attentat contra cōtumacē
 filium. De nouis morbis & plagis frequēter nunc au-
 dimus, sed causam corū hīc cōsideremus ex hoc loco.
 Septimō, videmus hīc, quòd infeliciter moriūtur qui
 pessimē vixerūt, id quòd & alijs multis exemplis patet.
 Octauō, videmus hīc quomodo Deus vindicat iniu-
 rias suis electis, & maximē in potestate constitutis illa-
 tas. Qui tangit, inquit, vos, tangit pupillam oculi mei.
 Et iterum: Nolite tangere christos meos, & in prophe- Zach. 2.
 tis meis nolite malignari. Psal. 104.

ANNOTATIONES

*At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit à clamore
pereuntium, &c.*

Hic fructus est iudicij suprâ dicti, hoc quærit Deus. Ideo tam seuerè punijt vt scilicet nos terreamus, & fugiamus non tantum pœnam, sed maximè peccatum. Alioqui frustrâ conaris effugere pœnam, si peccatum non priùs fu geris. Nam pœna & omne malum ex peccato sunt. Stipendia peccati mors. Cæterùm, quòd populus etiam priùs se ab impijs separauerat, nunc autè apparente iudicio Dei longiùs fugit, indicat grauitatem iudicij Dei, quòd scilicet multò terribilius est cū infertur, quàm credi potuerit. Hinc fit, quòd ante iudicium multi sibi videntur sani & satis fugisse. In iudicio autem etiam sancti clamant: Non intres in iudiciū cum seruo tuo. Item: Domine, ne in furore tuo arguas me. Item: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Quod autem Israelitæ dicūt: Ne & nos terra absorbeat, non sine causa timent. Nam nisi misericordia Dei tanta esset, terra peccantes non sustineret. Hoc igitur cogitare debemus cum peccamus, &c. Orandum etiam nobis, ne terra nos absorbeat, id est, auaritia & nimius amor, cupiditas temporalium, vt cū Dauide dicamus: Inclina cor meū in testimonia tua, & non in auaritiam, &c.

Sed & ignis egressus à Domino, interficit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

Hic ponitur plaga eorum, qui sacerdotiū sibi vsurpare voluerunt. Nam sicut superiori plaga Deus se ostendit esse authorem & vindicem externæ potestatis: sic per hanc plagam ostendere voluit se authorem esse & vindicem sacerdotij, & spiritualis regiminis.

Vide autem, quid peccatum faciat, nempe quòd plagas multiplicat & pœnam pœnæ superaddit. Meritò igitur Sapiēs dicit: Tanquam à facie colubri fuge peccatum: Dentes enim eius dentes leonis, interficientes animas, &c. Propria autem plaga Deus hos punire voluit, Primò, quia proprium etiam habebant peccatum. Secundò, vt plus timoris populo incuteretur.

cūq̃

Rom. 6.

Psal. 142.
Psal. 6.
Psal. 129.

Psal. 118.

Ecl. 21.

cum hinc viderent aliquos à terra absorberi, illinc autem alios igne consumi. Terriò, vt ostenderet neminè posse effugere iudicium Dei. Effugerat Chore vnam plagam, sed hic incidit in aliam æquè grauem. hinc Amos: quasi, inquit, si quis fugiat leonem & incidat in vrsum, & si effugerit vrsum, mordeat eū coluber, &c. Sic scilicet erit cum impijs. Nō euadent iudiciū. Quarto, consumuntur igni, vt pœna correspondeat peccato; nā ignem alienū offerendo deliquerant. Sic prius etiam perierant Nadab & Abiu offerētes ignē alienū. Quod autem ignis dicitur egressus à Domino, dupliciter intelligi potest, Primò, quòd ignis de cælo ceciderit, sicut super Sodomā, & super duos illos quinquagenarios, &c. Secundò, quòd ignis è thuribus Deo oblati eruperit, sicq; impij proprio igne, quem ipsi accenderant, consumpti sint. impletumq; sit illud: Gladius impiorum intret in corda ipsorum. Et illud: Im. Psal. 36. pius incidit in foueam, quam fecit.

MORALITER.

Nos ignem nobiscum portamus, quo tandem consumemur, peccatum scilicet. Cæterum, hoc celebri iudicio significatur damnatio eorum, qui hæreses & schismata instituunt, & multos secum trahunt contemnentes sacerdotes, & ignem alienum offerentes, id est, alienam doctrinam, alienum cultum, alienum altare, seque ipsos intrudunt ad officia ecclesiastica, &c. Sic etiam igitur hinc videmus quòd infeliciter pereunt qui male vixerunt, Exempla sint Cain, Pharao, Saul, Iesabel, Athalia, Sennacherib, Antiochus, Iudas, &c. Sic Deus etiam hoc tempore quasi præludit ad iudicium futurum, quo omnes peccatores simul tollentur. Adhuc modicum & non erit peccator: quæres locum eius, & non inuenies. Psal. 36.

Præcipe Eleazaro, vt tollat thuribula.

Non contentus Deus præsentibus timorem incussisse, etiam posteros perpetuo signo & memoriali absterre vult à peccato præsumptionis & ambitionis. Sic enim Deus semper monet, antequam corripiat Sic

ANNOTATIONES

Rom. 8,

etiam impiorum pœnas ad vtilitatē piorum accōmodat. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonū. Sic Deus iuxta verbū suum semper etiam externa signa instituit, quib; simpliciores admoneantur: vult enim Deus, vt iudiciorum eius nūquā obliuiscamur. Eleazaro autem hoc præcipitur, non Aaroni: Aaron enim iam erat in sacerdotio. Quæstio autē erat de progēie sacerdotum, è quo genere esse deberent. Eleazar autē succedere debebat, ideo per ipsum hoc fieri præcipitur, Eleazar autem, quæ præcepta erant, impleuit, aliter enim instructus erat, quàm nostri, qui putāt nihil opus esse externis signis & monitorijs, sed sufficere verbū: cū videamus veteres vbiq; talibus monitorijs signis vsos fuisse, & insuper Deum hoc præcepisse. Nō igitur contemnendū, q̄ Ecclesia etiam externis rebus, cæremonijs, vestibus, cantibus, imaginibus & picturis, maximè autem signo crucis suos admonet & excitat ad pietatem. Nam & Christus ipse extremum memoriale instituit, sacramentum scilicet altaris, quo eius nunquam obliuisceremur.

Matt. 26,

Murmurauit autē sequenti die omnis multitudo filiorū Israel, &c.

Post tantas Dei plagas poterat Moyses sperare emendationem populi, sed ecce statim sequenti die re-incendescit seditio, imò maior & periculosior oritur. Nā cū prius tantū aliqui Moyse obstitissent, hīc omnis multitudo in eum insurgit. Ad eò nihil quietis vel gaudiij habuit Moyses in suo regimine, vt erubescant, qui ob id tantū ad officia in hiant, vt gaudiū & voluptatem habeant. In Moyse igitur conditionē piorum, qui nunquam sine tētatione sunt, videmus. Videmus item pericula eorum, qui præsumunt. Auribus lupū tenent: Vel enim populi vel Dei indignationem incurrunt, si populo cōniuet, Deum offendunt. Si Dei præceptū implere volunt, populi indignationē sentiunt. sed melius est sine peccato incidere in manus populi, quàm in iram Dei. Horrendum enim est incidere in manus dei viuentis. In populo autem videmus malitiam cordis humani. Ideò enim populus hīc ppositus nobis est,

Hebr. 19,

vt ex ipso discamus nos ipsos cognoscere. Non enim soli fuerunt, qui tam impiè vixerunt, sed omnes tales sumus, nisi per gratiam regeneremur. Non est igitur, ^{Psal. 50.} quòd de bonitate nostra gloriemur, sed multò iustius cū Dauide dicimus: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, &c. Et cum Paulo: Scio, quòd non habitat in me, ^{Rom. 7.} id est, in carne mea bonum. Videmus autem hìc, primò instabilitatem populi, qui tam facìle nunc huc, nunc illuc mouetur à quolibet vento, nec vnquam in proposito perstat. quare non abs re Paulus monet, vt ^{Rom. 11.} timeamus: & Christus, vt oremus, ne in tentationem ^{Matt. 26.} incidamus. Deinde videmus populi ingritudinē in Moysen optimè meritū, vt qui ipsos paulò antè à plaga Dei suis precibus protexerat. Prætereà videmus nō veram fuisse pœnitentiam, cū supra se ab impijs separauerunt: nec verum timorem Dei, cū dixerunt: Ne fortè & nos terra deglutiat, sed tantūm finxerunt pœnitentiam, & tantūm pœnā non Deum timuerant. Vnde patet, quòd rarò vera est pœnitentia, quā extorquet timor pœnæ aut mortis. Nemo igitur pœnitentiam eò vsque differat. Videmus quartò insignem malitiam populi. Manifestè viderant, Dei iudicio, nō humano medio impios punitos. Nunc autem Moysi dicunt: Vos occidistis. Deinde sciebant eos, qui perierant, pessimos fuisse, & tamen dicunt: Vos interfecistis populum Domini, nimirum ex odio Dei & Moysi. Sic eos vrgebat iudicium Dei, sic in suam ipsorum perniciem festinabant, vt satisfaceret sententiæ Domini, qua ipsos ad mortem adiudicauerat. Sic damnati diuino iudicio permittuntur impingere, vt velocius & terribilius pereant. Sic statutum est omnibus hominibus semel mori, sed non eodem modo omnes moriuntur propter dissimilem vitam. Optimum medium consequendi felicem exitum, est bona vita. ^{Heb. 9.}

Cumque oriretur seditio, fugerunt ad tabernaculum fœderis.

Fugiunt hìc Moyses & Aaron populum, qui antè non fugerant regem Aegyptium, imò in faciē ei resisterant. Sic etiam sancti interdum humanum quid pa-

ANNOTATIONES

Psal. 30.
Psal. 45.
Psal. 11.
 tiuntur, vt videamus Dei donum esse in aduersis consistere, non virium humanarū. Ipse est fortitudo sanctorum. Non autem aliò fugiunt, quàm ad tabernaculum. Sancti enim semper dicunt: Deus noster refugium & virtus, adiutor, &c. Nec falluntur sancti. Hinc statim apparuit gloria Domini. Vbi videmus, quàm non deserat Deus sperantes in se. Oculi Domini super iustos, &c. Nusquam propior est Deus, quàm in tribulatione. Et nusquam clarius apparet eius gloria, quàm in aduersis. Iterum autem apparet gloria Domini contra impios, qui nō cessant exasperare Dominum. Statim igitur sine præmonitione dicit se perditurum populum. non enim digni erant, vt præmonerentur. Ita fiet his, qui crebras admonitiones Dei contemnunt. Moyses autem & Aaron iterum cadunt in terrā, orant pro inimicis, oblitum omnis iniuriæ. O piam mentem. Nostri principes si semel offenduntur, nunquam possunt aut volunt obliuisci iniuriæ.

Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, &c.

Cùm nō responderet Dominus vt antè, sensit Moyses plagam Domini iam incepisse: Ideo monet Aaronem, vt citò populum accedat, per sacerdotale officium populum reconciliaturus Deo. Vbi vide sapientiam Moysi, qui tam limpidè Dei iudicia agnoscebat. Secundò eius humilitatem, quòd nō ipse officium sacerdotale vsurpat, sed ipse in secreto oraturus permanet, Aaronem autem publicè supplicare iubet. Tūc enim efficaciter oramus, cùm Ecclesiæ publicas preces etiā priuatæ singulorum orationes comitantur. Cum thuribulo autem Aaronem mittit, tum vt publicè fungeretur suo officio. Deinde, vt per thurificationem populum, qui iam vastabatur, incitaret ad orationē, quod verbis facere non poterat. Ob hanc causam etiā nunc in Ecclesia manēt thurificationes, vt per hoc moneamur ad orationem. Cùm enim quis videt thurificationem, debet orare, vt & sua, & Ecclesiæ oratio sic ad Deum ascendat, quemadmodum Dauid fecit. Deinde vt Deus ignem charitatis in nobis accendat. Postremo, vt

Psal. 140.

mò, vt

mò, vt & nos effici possimus bonus odor Christi, què. Phil.
adn. odum Paulus ait, &c. Hæc esset vera & Christia-
na thurificatio, &c.

Quod cum fecisset Aaron, cucurrit, &c.

In Aarone videmus exemplum boni sacerdotis. Primò enim, non aliter facit, quàm sicut Moyses, id est, lex iubet. Secundò, currit, nihil se impedire patitur ab executione sui officij. Tertio, in medium populi intrat, non timet periculum suum, vt populo succurratur. Quarto, orat & thurificat. Quintò, stat inter mortuos & viuos. Pro omnibus enim orandum. Pro his, qui in peccatis mortui sunt, vt resurgant. Pro viuis autè, vt in gratia persistere possint. Hæc pertinent ad officium sacerdotum. Pulchrè tamè & propriè Aaron hic præfigurauit Christum, qui videns humanum genus vastari, multosque iam perijsse, & necdum cessare plagam, venit in mundum. Venit autem cum thuribulo humanæ naturæ, & igne charitatis, id est, spiritu sancto. Stetit in medio populi, quia mediator Dei & ho. ^{1. Tim. 2.} minum. Stetit inter viuos & mortuos, id est, inter Iudæos & gentiles. Vel inter eos, qui præcesserant, & qui sequuti erant. Omnium enim saluator extitit. Vel inter viuos & mortuos, id est, inter bonos & malos. Pro vtrisque enim suffecisset eius passio. Vnde & in medio latronum pependit, sicque corpus suum igne passionis in cruce cremauit in odorem suauissimum Domini, eoq; odore Deū placauit, & plagā auertit. Huic sacerdoti magno debemus liberationem nostram.

Moraliter autem, quando ira Dei incipit deseuire, opponendi sunt Moyses & Aaron, id est, obseruantia præceptorum & oratio. Hæc duo iram Dei auertunt. Quòd autem tot millia dicuntur perijsse, ostendit terrorem diuini iudicij, quod velut ignis obuia quæque consumit, nec cessat, quamdiu combustibilia inuenit, nisi aqua pœnitentiæ restinguatur. Ignis inquit, ^{Deut. 32.} accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.

Caput

ANNOTATIONES.
CAPVT XVII.



VM sine religione vera mundus hic consistere nequeat, religio autem vera sit per verbum Dei, quod sine illius doctoribus & legis diuinæ peritis non docetur, necesse est auctoritatem vindicare dignam sacerdotibus veris, & summa diligentia obsistere falsis doctoribus & doctrinis. Ideo sacerdotium Aaronis iam toties comprobatum mortibus contemptorum, iam nunc quoque in hoc capite insigni miraculo à Deo comprobatur. Et sicut suprà plagis repetitis præsentibus, laminis autem altari affixis etiam posteros abstertere voluit, ne ad sacerdotium irrumperent non vocati, sic nunc insigni miraculo, quasi digito ostendit, quem elegerit ad sacerdotium, vt deinceps omnis lis & controuersia sopiretur. Tantum Deus agere habet cum superbia nostra, quæ semper caput depressum rursus erigere conatur, & vix vnquam ex toto reprimi potest, id, quod etiam nunc videmus. Nam omnes leges, omnia consistoria, tribunalia, prætoria inquietantur propter superbiam nostram, quæ mater est omnium litium, &c.

Accipe à filijs Israel virgas singulas per cognationes suas.

Summa huius capituli satis patet. Nihil enim aliud vult, quàm quòd Deus Aaronem per miraculum in virga ipsius factum designauerit in summum sacerdotem, & confirmauerit: adque perpetuam eius rei memoriam eandem virgam asseruari iusserit. Hæc summa est huius capituli. Nec opus est diu hic immorari. Hoc tantum attendendum, Deo displicere ambitionem nostram, & quòd solos illos habere vult sacerdotes, quos ipse vocauerit.

Obseruandum tamen, quòd non sine causa sacerdotium Aaronis miraculo confirmare voluit. Hoc enim primò factum est, vt omnes scirent Aaronem Dei voluntate electum. Secundò, vt auctoritas adderetur sacerdotio. Sic & Christo auctoritatem cõtulit spiritus
S. super

§. Super ipsum visus in specie columbæ, & vox patris *Matt. 3.*
 dicens: Hic est filius meus dilectus. Insuper & miracu-
 la. Sic & Apostolis auctoritatem conciliabant miracu-
 la. Eodem modo & hinc. Tertio Deus miraculo hoc po-
 tentiam suam ostendere voluit, ut vel sic absterretur
 ambitiosi. Quarto etiam Aaronem per hoc cōfor-
 tare & consolari voluit in officio suo & omnibus ad-
 uersis, *Q. D.* Noli pusillanimis esse, qui hoc potui in
 virga facere, possum & in alijs tibi succurrere, qui te e-
 legi, possum & te conseruare, &c.

Discamus hinc, quid ex miraculis Dei accipiendum
 sit. Nam etiam nunc miracula fiunt, quod enim Deus
 semel in illa arida virga fecit, hoc omni anno facit, ut
 scilicet ipsius potētia reflorescant in vere, quæ in hyc-
 me videbantur arida, &c. Pater, inquit, meus usq; mo- *Ioan. 5.*
 do operatur, &c. Et Paulus: Deus est, qui suscitatur etiam *Rom. 4.*
 mortua, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ
 sunt. Vniuersa creatura hoc efficere non potuisset, ut
 virga arida germinaret, Deo autem omnia possibile
 sunt. Ipsius est supra naturam agere, cuius est, & sem-
 per fuit naturam gubernare, quam ipse quoque solus
 creauit & instituit. Nec hoc mysterio caret, quod non
 alio signo cōtrouersiam de sacerdotio terminare vo-
 luit, quam germinatione virgæ, cum potuisset etiam
 alio signo hoc facere. Verum hoc miraculo nedum Aa-
 ronem, sed venturum quoque verum illum sacerdo-
 tem monstrare voluit, id est, Christum, Ipse enim est
 virga illa, quæ superbiam diaboli compescuit. Vnde *Isa. 10.*
 Isaias cum multa de superbia diaboli sub typo regis
 Assur dixisset, tandem subintulit: Et egredietur virga *Isa. 11.*
 de radice Iesse, &c. Non secundum visionem oculo-
 rum iudicabit, &c. Quid enim virga illa, quæ & hinc
 neque planta neque rigata germinat, floretque & fru-
 ctum facit. Et in Isaias de radice Iessæ egredietur, flo-
 remque profert, super quem spiritus Domini requie-
 scit, quid, inquam, est virga hæc, nisi virgo regia Dau-
 dicæ stirpis, quæ iuxta Euangelij fidem sine virili se-
 mine Christum nobis protulit verum florē, verumq; *Col. 1.*
 decus

ANNOTATIONES

decus generis humani, in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. In illa virga genus humanum reffloruit, quod inueteratum erat. In illo flore carnis nostræ sylua reffloruit. In illa nuce quassa vel fracta per lignum crucis anima nostra nucleum vitæ inuenit. Et sicut virga Aaron tunc litem diremit de sacerdotio, si hæc virga regia, hic flos virginitatis, hic fructus virginis ventris Iudaicam superbiam compefcuit, percussa gente, deiecta gloria templi manufacti, palamque fecit, quod non carnale, sed spirituale sacerdotium Deo curæ est, quia solus sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hoc iã tunc præmonstrare voluit Deus, ideo hoc potissimum miraculo vsus est.

Deinde etiam ideo per germinationem virgæ potissimum confirmare voluit sacerdotium, vt ostenderetur, qualis esse debeat quilibet sacerdos, nempe non lignum aridum, ne dicatur: O pastor & idolum nõ custodiens gregem: Sed lignum faciens fructum. Debet esse rectus per intentionem, germinare per fidẽ, spem, & charitatem, flores habere per bonam famam, folia verborum & doctrinæ extendere, & fructum iustitiæ facere, &c. Qui talis virga est, is dignus sacerdotio est. Per hoc igitur dirimi deberent contentiones ambiciosorum, vt ad officia ecclesiastica is admitteretur, qui melior, non qui ditior esset. Per virgam hanc Aaronis etiam corpus Christi intelligi potest, quod solum reffloruit tertia die, cum omnes aliæ virgæ, id est, omnium nostrorum corpora arida permaneant vsque ad nouissimum diem. Per virgam etiam illam intelligi potest doctrina Euangelica, quam sacerdos quilibet habere debet, iuxta illud: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, &c. Virgæ autem illi germinanti congruè assimilatur scriptura sacra, vel doctrina Euangelica, quia hæc sola vitam habet & præstat. Scripturæ aliæ mortuæ sunt. Deinde habet folia, id est consolatoria verba, habet flores, id est, egregia exempla. Denique & fructum salutis cõtinet & adfert, id est, Christum, qui

etli

etsi externè amarus & durus videatur propter crucē,
 intus tamen dulcissimus est. Postremò per virgam illā
 etiā quilibet fidelis significari potest. Ex natura enim
 nihil nisi lignum aridum sumus igni deputatum. Per
 Christum autem renascimur, & germinare incipimus.
 Primò per confessionem. Deinde frondescimus per
 gratiæ diffusionē. Tertiò flores afferimus suauitate
 morū, fragrantia misericordiæ & suauitatis. tandem
 fructus afferimus iustitię etiam ad bonum aliorum &
 totius Ecclesię. Tales esse oportet omnes fideles, quan
 doquidē & ipsi per Christum facti sunt reges & sacer.
 dotes ad offerendas spirituales oblationes, &c.

Ecce defecimus, & consumpti sumus.

Tandem malis fatigati. (nam vexatio dat intelle.
 ctum,) querelam deponunt ad Moysen, non murmu-
 rationis forma, sed lamentationis & agnitionis, qua
 tandem toties vexati incipiūt redire ad meliorē men-
 tem, ac mandatis Domini diligentius obsequi. Con-
 temptus enim & transgressio peccatorum omnia ma-
 la inducit. Quia, inquit, populus meus nō audiuit me,
 dimisi eos secundum desideria, &c. Si populus meus
 audisset me, &c. forsitan inimicos eorū humiliassem,
 &c. Et Moyses quomodo, inquit, vnus percussit mille,
 & duo fugarunt decē millia? Nōne ideo, quia Deus
 spreuit eos? Et iterū: Si quis dixerit, quæ est ista ira Dei
 in populum? respondebitur, quia dereliquerunt Do-
 minum, &c. Et Baruch: Quid est ô Israel, quòd in ter-
 ra inimicorum inueterasti? &c. Dereliquisti fontē sa-
 pientiæ, &c. Et Isaias: utinam in præceptis meis am-
 bulasses, venisset enim vt fluuius pax tua, &c.

CAPVT XX.



ost sedatum tumultum, quem Chore,
 Dathan, & Abyron excitauerant, in-
 terposuit Moyses quædam legalia, quæ
 quia secundum literam ad nos nihil
 pertinent, ea prætereo. Nunc autem
 in hoc capite reuertitur ad describen-
 dam hi.

ANNOTATIONES

dam historiam profectiois. Vbi primò obseruandum, quòd quæ hîc dicuntur, non statim post seditionem Chore facta fuerunt, sed in quadagesimo anno ab exitu de Aegypto, postquam longo tempore vagi fuerant in deserto iuxta sententiam Domini. Vnde quòd hîc dicitur: in mense primo, intelligi debet anni quadagesimi. Deinde obseruandum, quòd desertum Sin, de quo hîc dicitur, alius locus est ab eo, de quo suprâ, nam etiam alijs literis scribitur in Hebræo. Sic & Cades alius locus est à Cadesbarne, vnde prius miserant exploratores.

Mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.

Exo. 15.

Psal. 115.

1. Cor. 14.

Num. 12.

Psal. 88.

Non immeritò Moyseſ mortem Mariæ describit, tum quia sancta fuit mulier, & prophetissa magnæ pietatis in Deum & populum, vt patet suprâ. Huiusmodi autem homines æterna memoria sunt digni, vt taceã, quòd preciosa mors eorum in conspectu Domini est. His igitur meritò eriguntur tituli, quibus & posterì ad pietatem incitentur. Sic itaque etsi mulieribus in Ecclesia interdictum sit publicè docere, non in fimum tamen locum & ipsæ habent, si pietati studeant. Discant igitur mulieres quis sit ipsarum maximus honor. Fallax gratia & vana est pulchritudo. Mulier timens Deũ ipsa laudabitur. Deinde etiam ideo mortem Mariæ describit Moyseſ, ne putaretur totaliter abiecta fuisse, proptereã, q̄ semel in Moyseſen iniuriosa, lepra percussa fuit. Punit enim Deus delicta suorũ, sed non in totum abijcit. Visitabo, inquit, in virga iniquitatem eorum, misericordiam autem meam nõ dispergam ab eis. Postremò etiam ideo Moyseſ mortem sororis describit, ne putaretur ideo hoc omisisse, quòd aliquando contra ipsum murmurauerit. Bonus enim prælatus etiam omni suspicione carere debet.

Vtinam perissemus inter fratres nostros coram Domino.

De murmure Israelitarum iam sæpè dictum est. Nõ enim nunc primùm incipiunt, sed frequentissimum apud ipsoſerat, quẽadmodum & apud nos. Cũ primùm enim aduersi quid nobis acciderit, statim impatientes

tientes afficimur, optamus nobis mortem, murmuramus contra Deū, cum tamen iustam murmurandi causam non habeamus. Nam primò, Nihil adhuc nobis denegauit Deus. Deinde, etsi in vno aut altero patimur, tamē in multis alijs Dei bonitatē etiam tunc sentimus. Postremò, etsi vna die, mēse aut anno patimur, multos tamen annos benigniter nos fouit Deus, idq; non ex merito nostro, sed ex gratia. Si enim bona suscepimus, mala quare non sustineamus, ait Iob. Eodē modo & Israelitæ nullā murmurandi occasionem habebant. Cōquerebantur se siti morituros, eū inter tot millia & tot annis nullus ex ipsis siti periisset. Quod ad famē & sitim sedandam attinebat, non admodum illis curandū fuisset, si peccata vitassent. Si enim Deus etiam volatilibus cæli cibos præbet, quomodo relinqueret sibi seruiētes? Deinde conqueruntur quòd desertus nō haberet ficus & vineas, cum meliora haberent, nempe manna quod vnicuiq; pio sapiebat quomodo cupiebat. Præterea conqueruntur quòd solito, in qua erant seminari non posset, cū Deus cibū ipsis daret sine omni labore. Ad hæc conqueruntur de penuria aquæ, & murmurando eam extorquere contendunt, cum Deum haberent præsentem, à quo pijs precibus omnia obtinere poterant. Maximum autem & grauissimum est, quòd damnatos illos homines, Chore scilicet & Dathan fratres suos nomināt, ac optant cum ipsis periisse, quod omnibus modis deprecari debuerant. O ingratitude & insaniam. Iustè igitur etiam nūc de nouo puniri ipsos potuisset Deus, nisi misericordia eius tanta esset. Cæterū, hanc murmuratiōem certò excitauerat diabolus, vt etiam istos, quibus Deus suprā propter orationem Moyse pepercerat, nūc in termino pœnitentię à Deo impostę cōstitutos impediret ab ingressu terrę promissæ, sicut & patres ipsorū impedierat. Hinc dicamus cognoscere cogitationes diaboli. Nihil magis optat, quàm ne quisquam intret in terram promissam, quandoquidē ipse inde eiectus. hinc est quòd semper circuit tāquā

Iob. 2.

Matt. 6.

Sap.

Num. 16.

1. Pet. 5.

ANNOTATIONES

leo rugiens, &c. Non enim cōtentus est, quòd Iudæos & gentes impedit, insuper etiam Christianos impedire nititur. Vnde Christus: Simon, inquit, Sathanas expediuit vos, vos inquam, vt cribraret, &c. Nec contentus est, quòd patres olim nostros, populum scilicet gentiliū impediit à terra promissa, sed insuper nos filios ipsorum per Dei misericordiam liberatos impedire nititur. Præterea non contentus est, quòd eos, qui adhuc in peccatis sunt, totos habet, sed insuper etiam illis insidiatur, qui per pœnitentiam surrexerunt, & semel euaserunt. Quare vigilandum nobis est & orandū, ne in tentationem incidamus. Sumus iam in vltimo gradu & anno pœnitentiæ. Non longè abest terra promissa. Vnus enim Iordanis, id est, mors nos ab ea separat. hunc fluuium si transierimus, statim in patria erimus. Conandum igitur, ne in fine perdamus fructum laboris nostri. &c.

Domine Deus audi, obsecro, clamorem populi huius.

De oratione Moyli sæpiùs iam dictum est. Frequenter enim orauit, & semper impetrauit. Nā & orationi veras cōditiones adhibuit. Cū contrà de nobis dicatur: Peritis & nō accipitis, eò q̄ malè petatis. Duos aut̄ titulos Deo attribuit, quibus & potentiā & bonitatem eius cōmendat, sicq; non in iustitia populi, nec in proprijs meritis, sed in Dei potentia & bonitate confisus orate se ostendit. Deinde non simpliciter dicit: Da eis aquam, sed aperi eis thesaurum tuum, &c. quo innuit, quòd apud solū Deum est thesaurus omnium bonorū. Vnde omnia bona in creaturas defluunt. Itaque cū Deus thesaurum suum aperit, habent creaturæ, quo nobis subueniant: sin autem Deus thesaurum clausur, nihil possunt præstare creature. Sic tempore Achab quantumuis eleuarentur nubes, tamen pluuiam dare non poterant, quod tamen ipsis proprium est, quia Dominus clauserat thesaurum suum. Contrà autem, cū ipse thesaurū aperiret, nedū pluuiam dabant nubes, sed etiā manna. Quicquid igitur per creaturas accipimus, Deo ascribendū est. Præterea non simpliciter dicit,

cit.

cit, da eis aquā, vel fontem, sed fontem aque viue, quo
 apparet, q̄ non tam aquā materialem, quā spiritum S,
 expetijt populo dari, q. d. Video populum hunc nun-
 quā à murmuratione cessaturum, etiamsi aquā eis de-
 deris, nisi simul & spiritū tuum in corda ipsorum in-
 spires: tunc enim satiati, cessabit murmuratio eorum.
 Hoc modo & Christus spiritū S. nominat aquā viuā.
 Potest etiam intelligi q̄ petierit Christum mitti, qui
 est fons aquæ viuæ. Sic enim & supra non semel etiam
 hoc expetijt. Obsecro, inquit, Domine mitte quē mis-
 surus es. Et iterum: Ostende mihi faciem tuam.

Ioā. 4. & 7

Exod. 42

Exod. 23.

Apparuit gloria Domini super eos.

Hic iterum videmus quā propē sit Dominus inuo-
 cantibus eum in veritate, & q̄ veraciter oculi eius sint
 super iustos, & aures eius ad preces eorum. Hinc igitur
 discamus quid de Deo sentiamus in necessitatibus. Si
 impijs propter orationem Moyfi tam citò succurrit,
 multo minus deseret iustos. Vniuersi qui expectāt Do-
 minum non confundentur,

Psal. 144

Psal. 33.

Psal. 24

Audite rebelles & incredull, &c.

Arguit populum, hoc enim proprium est Moyfi &
 legis arguere & ostendere peccata. Arguit aut, vt sciāt
 se peccasse, quantumuis Deus daturus esset, quod cu-
 piebant: nō enim semper gratiæ est, vbi desiderio no-
 stro & murmūri satisfi. Sic & Samuel quamuis iustus
 esset voluntatem populi implere, simul tamen etiam
 ostendit ipsos malè egisse petēdo regem. Quod autem
 Moyfes addidit: Num de petra hac poterimus aquam
 eijcere? posset quidem ita exponi, quasi magnitudinē
 miraculi per hoc declarare voluerit. Verū quia in-
 frā propter verbum istud arguitur & punitur, patet
 quod diffidentia fuit verbum. Nusquam enim alibi
 sic dixit, sed omni fidutiā, quæ Dominus iubebat,
 perficiebat. Sic in Aegypto non dixit. Num poterimus
 ranas educere è fluuiō, sed cōfidenter ait: Percute flu-
 uium. Sic in alijs. Solūm hīc dubitanter loquitur. Vn-
 de nec aqua ad primū ictū exijt. sicut enim credebat,
 sic fiebat. Nusquā plus quā semel percussit, præterquā

1. Reg. 10

Exod. 7

ANNOTATIONES

- Matt. 9.** in hoc loco, quia in alijs nunquam dubitauit. Secundū
Marc. 9. enim fidem nostrā Deus nobiscū agit. Et credēti omnia
 possibile sunt, non dubitanti. Sic Petrus credens
Matt. 14. incessit super mare, dubitans autē cœpit mergi. Sic igitur
 etiam Moyses hic cadere permittitur, vt videamus
 & ipsum fuisse hominem, & quæ hætenus fecit non
 suæ virtutis, sed diuinæ gratiæ fuisse. Solus igitur Deus
 iustus & verax est. Omnis autē homo iniustus & mendax.
 Quod autē Moyses hic potissimum dubitat, efficit
 malitia populi; cum enim videret etiā iuniores, quibus
 supra vitam impetrauerat, maiorum suorum vel
 le sequi peccata, meritò timuit Deum totaliter à populo
 recessurum, ideo dubitauit, nū Deus tam impio populo
 pergeret beneficus esse. Deinde q̄ hic dubitat, effecit
Psal. 105. populi tumultus, quo ita ipsum exacerbauerāt, vt
 distingueretur in labijs suis, hoc est, vt longè aliter loqueretur,
 quā prius. Sic Iob cum supra tribulationes suas etiā ab vxore &
Iob. 3. amicis vexaretur, aperuit os suū, & longè aliter loqui cœpit,
 quā prius locūtū fuerat. Videmus igitur hic, quā facile offendant
 & labantur, qui alijs præsumunt. Facile enim vel minus vel
 nimium faciunt, nimirum permoti in dispositionē subditorū,
Ioan. 13. Vnde Christus etiam Apostolis necessarium esse dixit,
 vt frequenter pedes, hoc est, affectus lauent. Cæterū quod
 petra ad secundum ictum aquam dat, propterea fit, quod Deus
 promiserat: alioqui dubitatio Moysi merebatur, vt etiam tunc
 non exiret aqua. Sed incredulitas nostra non euacuat fidem
 Dei. Vide autem hic quanta sit potentia verbi Dei. hanc enim
 aquam non ex se produxit petra, nec hoc ex se efficere potuisset
 virga Moysi, sed verbum Dei hoc efficit. Discamus igitur
 hinc agnoscere potentiam verbi, etiam in alijs omnibus.

Quia non credidistis mihi, vt, &c.

Iam dixi quod peccatū Moysi & Aaronis fuit incredulitas
 vel dubitatio. Praedicare enim debuerant Dei potentiam &
 bonitatem, sicut fecerant in percussione maris rubri & alijs,
 quod hic non faciunt, ideo dicuntur

Exod. 14.

tuf

tur nomen Domini non sanctificasse. Iudei dicunt hoc fuisse peccatum eorum, quod non locuti sunt ad petram sicut Dominus iusserat. Non enim dixit: Percutite petram, sed loquimini ad petram, &c. quod nimirum maius fuisset miraculum, siquidem nomen & gloria Domini manifestius apparuisset. Alij volunt quod arrogantia fuerit hoc peccatum Moysi, quod scilicet aliqua ex parte hic spectari voluerit non Dei, sed suam gloriam in preparatione miraculi. Verum quicquid illud sit, clarum est, humanum tantum fuisse lapsum, & non peccatum ad mortem. Quia tamen ipsi non de vulgo erant, sed principes populi, ideo grauius ipsis imputatur. Vbi videmus, quod a presidentibus maior iustitia & perfectio requiritur, quam a subditis. Quia igitur hac vice non firmiter crediderunt promissioni diuine, & Dei gloriam non tam sincerè zelati fuerant, ideo sententia super eos fertur, quod ad terram promissam peruenturi non sint. Vbi vide quomodo Deus etiam in iustis peccatum puniat. Quod si in viridi ligno hæc sunt, quid fiet in arido? Si iustos impunitos non sinit, quantum minus impios? Quamuis hæc sententia magis in poenam populi, quam Moysi cesserit, Moysi enim nihil decedebat ubicumque moreretur, quia Deum propitium habebat, Populus autem destituebatur optimis principibus, &c. Finaliter tamen & potissimum hæc sententia in Moysen lata est, non tam propter peccatum illius, quam propter mysterium. Nolebat Deus, ut Moyses populum introduceret, non quod ita offensus esset illi, sed ut ostenderet Iudaicam legem & sacerdotium, quæ in illis duobus adumbrabantur, non sufficere ad salutem, nec posse hominem saluare, sed hoc vni Christo reseruatum esse, qui per Iosue præfiguratus fuit. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Nec possibile est per sanguinem hircorum deleri peccata. Cæterum Moyses ob perpetuam memoriam huius facti aquam illam nominavit aquam contradictionis. Allegoriam huius historię vide ad longum in quinta parte introductionum Dominicaliũ, in introductione passionis Anno 1539. in die palmarum non

Lucæ 23;

Hebr. 3.

ANNOTATIONES

enim per ocium licuit eam etiam huc ascribere, quantumuis necessarium esset.

Misit Moyses nuntios de Cades ad regem Edom.

Vide piam mentem Moyſi ad Deum. iam audierat super se ſententiã Domini, q̄ ad terram promiſſam peruenturus non eſſet, nec tamen murmurat, non cõqueritur, nec quicquam propterea omittit, non fit ex hoc negligentior, ſed humiliter & patienter ſuſcipit ſententiã Domini, ſciens Deum iuſtũ eſſe, & neminem tam ſanctum eſſe, qui nõ meritò damnari poſſet, ſi Deus ſecundum ſtriãtã iuſtitiã agere vellet. Tales eſſe deberent omnes Chriſtiani, tam patientes, obediẽtes, humiles, reſignati, vt in omnib. dicerent: Fiat voluntas tua. Et cũ Michea: Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Sic fecit Dauid: Si dixerit, non places, preſto ſum, faciat quod vult. Sic Chriſtus: Nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Sic ſe in volũtatẽ Dei reſignare ſciebat Iob, cũ ait: Si bona ſuſcepimus, &c. Et Thobias, qui cũ audiret amicos ſuos contra Deũ querulari, ait: Nolite ita loqui, filij ſanctorũ ſumus. Quã rari autẽ ſunt qui talẽ mentem habent, & qui in omnibus Dei voluntati ſe reſignant. Vnde nunc impletur: Cũ venerit filius hominis, putas inueniet fidẽ in terra? Deinde vide in Moyſe ſyncerã charitatem erga populum. Multa ab ipsis perpeſſus fuerat, & nunc propter ipſos etiã à terra promiſſã excludebatur, nihil tamen omittit, quẽ ad bonum huius populi faciebant, nõ ideo ceſſat, & quãuis ſciret ſe ad terram promiſſã non peruenturum, curat tamẽ vt alij perueniant, plus ſolicitus ꝑ alijs, quã pro ſe. Longe aliter facit, quã filij Adam, qui q̄ ipſi habere non poſſunt, nec alijs fauent: & gaudiũ ipſis eſt ſocios habere pœnarũ. Longẽ aliter Moyſes, q̄ ita curat pro populo vt ſemper fecerat. Charitas enim non quærit quæ ſua ſunt. Simile exemplũ dilectionis videmus in Chriſto, qui ſe quidem hoſtibus tradens, diſcipulis tamen cauit. Si me, inquit, quæritis, ſinite hos abire. Præterea videmus in hoc textu etiam prudentiam ipſius Moyſi: Primò, quòd nihil temerè agit,

Matt. 6.
2. Reg. 15.

Iob. 2:
Tob. 2.

Luc. 11.

1. Cor. 13.

Ioan. 11.

non temerè alienam terram transit, ne nouū aliquod bellum contra populum suum concitet, id quod sæpè contingit ex stultitia & temeritate principum. Secundò, prudentiæ est, q̄ ita bonum populi sui prouehit, vt tamen id non fiat cum damno aliorum. Tertiò, q̄ humiliter orat, cū id posset vi extorquere. Quartò, quòd adeo nō delectatur bellis, vt potius maluerit omnem terram Idumæorū circuire, quā contra ipsos pugnare iniussus. Vtinā principes nostri hanc Moysi prudentiā imitarentur, &c. Maximè aut̄ prudentia Moysi cōspicitur ex ipsis verbis. Primò, enim allegat ius fraternitatis, vt citius permoueat. Secundò, recenset angustias perpeffas, vt cōmiserationem excitet. Tertiò, allegat diuinum auxilium circa se & populū suum, vt eò minus negarent petita Idumæi. Quartò, nihil nisi transitum petit, & velocem transitū. Quintò, pollicetur q̄ sine omnidamno Idumæorum velint transire, idque semel atq; iterum repetit. Propter hoc enim vel maximè solet negari transitus copijs militaribus. Attendat hæc qui pronihilo ducunt per alienos agros & vineas transire cum damno aliorum.

Non transibis per me, alioqui armatus occurrã tibi.

Vide duritiam & impietatē huius populi. Est respōsio à fraterna charitate aliena, sed impijs non indigna. Non curant Deum, nec Israelitarum amicitiam. Gen. 27. Vetus adhuc odium in ipsis erat, quòd Esau pater ipsorum contra Iacob habuit propter surreptam benedictionem. Sic impij filij impios patres imitantur. Et quamquam hac duritia meruissent deleri, Deus tamen ipsis parcit propter Abraham & Isaac, è quorum semine Idumæi prouenerant per Esau. 2. Reg. 8. Cæterum quamuis hic non perdantur ab Israëlitis, postea tamē tempore Dauidis exterminati sunt, & quibus nunc transitum negant, his postea coguntur tributa persoluere. Sic Deus etsi diu peccata dissimulat, finaliter tamen ea impunita non sinit, id quod & alibi sæpè videmus & legimus. Idumæis similes sunt, qui nulla commiseratione mouentur ad pauperes, quibus tamen sine suo

ANNOTATIONES

damno subuenire possent: contra quos vide **Amos 6.** Quid autem tandem fiet? Nimirum id, quod Sapiens dicit: Qui obturat aurem ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.

Pro. 31.

ALLEGORIA.

Idumæi Iudeos significant, qui etsi nomine & genere essent Israelitæ, moribus tamen Idumæi erant. Nā sicut eodē vel Esau fratrem suum persecutus fuit, sic hi Christū, & sicut ille Esau ad eō concupiuit coctionē rufam lentis, ut primogenita venderet, sic hi ad eō stiterunt sanguinē Christi, ut omnia sua priuilegia venderent. Sanguis, inquit, eius super nos & filios nostros. Ad hos misit nuncios suos Christus, id est, Apostolos qui pacē portantes, dixerūt: Obsecramus, ut nobis transire liceat per terrā tuam, id est, prædicare per synagogas, in templo tuo, in plateis tuis, gratiam euangelicam. Per tritam viam gradiemur, id est, antiquam & bene notam tenebimus doctrinam, nihil dicemus nouum, quod non auctoritate scripturæ probatum sit, non aliam viam incedemus, quā eam, qua patriarchæ & prophetæ transierunt. Quod si biberimus aquas tuas, id est, si euangelizantes tenuem sumptemus victum, dabimus quod iustum est. Metētes enim carnalia, seminabimus spiritualia, &c. Verūm hi Idumæi hoc omninō concedere noluerunt. Cæsis enim denunciabant Apostolis, ne in nomine Iesu loquerentur. Imō in manu forti egressi sunt obuiam, nam alios quidem occiderunt, alios expulerunt. Vnde & Apostoli ab ipsis diuerterunt. Vobis, inquit Paulus, oportebat primum annunciari regnum Dei, quia autem id repellitis, ecce conuertimur ad gentes, &c.

1. Cor. 9.

Act. 5.

Matt. 23.

Act. 13.

Matt. 18.

Moraliter etiam quilibet pius suos habet Idumæos qui eum in via Dei impediunt. A dextris enim impediunt amici malæ societatis, quibus assueuimus, &c. Hi à bono retrahunt, &c. Quid hic agendum? Fuge, declina. Melius est hominum amicitiam perdere, quā Dei. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te, &c. A sinistris impediunt aduersarij, qui

qui non patiuntur nos pacificè pertransire. Quid hic facies? Num malum pro malo reddes? Nequaquam. Peregrini enim præcipua conditio est pacificè pertransire. Humilia igitur te, ora, cede aduersario: si nec sic cessat, fuge, circui, melius est enim damnum pati, quàm iniurias retaliare. Potest Dominus aliunde tibi restituere. In summa, quia iam prope ad patriam peruenimus, omnibz viribus studeamus in bono incepto persistere, nec sinamus nos quenquam impedire.

Pergat Aaron ad populum suum.

Hæc historia mortem Aaronis continet. Definitum erat ipsum ad terram promissionis non peruenturum, idque iam impletur, vt videamus nullum verbum Domini in terram cadere. Cur autem Deus hos duos Moysen & Aaron noluerit intrare in terram promissam supra dictum fuit. Potissima causa fuit mysterium in Christo implendum, qui solus introducturus erat populum fidelem, quod nec lex, neque sacerdotium Iudaicum poterat. Deinde plus etiam propter populum hoc factum fuit, quàm propter ipsos duces, vt scilicet populo magis incuteretur timor, ac quilibet apud se diceret: Si iustis non parcit ira Dei, quid de nobis fiet? Aliàs autem duobus his non grauis pœna erat mori in deserto, qui iam ambo senio confecti erant, & iam dudum ipsos tædebat vitæ præsentis, maximè autem, cum scirent se propitium Deum habere. Huiusmodi hominibus mors non est grauis. Iustus enim si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Impijs autem etiam memoria mortis amara est. Nam mors peccatorum pessima.

Cæterum, quia de morte, sepultura & etiam luctu sanctorum iam sæpè diximus, videlicet Gene. 23. & 25. & 30. ideo hic breuiter transeundum. Primum igitur etiam si durum videatur, quod Aaronem mori iubet, & peccatum eius ipsi obijcit, tamen reuerà bonitas Dei fuit & est, id, quod ex verbis apparet. Non enim dicit: Exterminetur Aaron ex populo suo, quemadmodum de impijs loquitur, sed apponatur ad populū suū, q. d.

ANNOTATIONES

Moriendum quidem ipsi est, sed tamen non ideo eradicabitur è populo suo, quin potius ad populum suum perueniet. Liberabitur ab impio populo, perueniet ad sanctum populum, scilicet ad Abraham, Isaac, Iacob, & quomodo melius potuisset ipsum consolari? Videmus enim hic sanctis in morte nihil perire. Nihil enim perdunt, sed acquirunt. Videmus itē sanctos etiam post mortem viuere. Deinde durum videtur, quòd viuus & sanus iubetur veste sacerdotali spoliari, quasi indignus ijs esset. Cæterùm, si attendimus, quòd non alius ijsdem vestibus induitur, quàm filius eius, videbimus hoc ad consolationem eius factum. Libentius enim moriuntur patres, cùm viderint filios suos in honore, &c. Hic igitur videmus, quantæ æstimationis sint sancti coram Deo, quàm præsens ipsis sit in vita & morte. Studeamus igitur pietati, & nos talem experiamur Deum in morte.

Fecit Moyses, vt præcepit Dominus.

Vide veram & promptam obediētiam tam Moyse, quàm Aaronis. Primò Moyses non orat pro fratris vita, sciebat Deum sic velle: nec fratri quicquam hinc decedere. Deinde etiam Aaron simpliciter obedit, nō remurmurat, non precatur longiorem vitam, sed vocatus ad montem, statim obedit & ascendit. Hæc obedientia summè placet Deo. Tales esse deberent omnes Christiani. Vos, inquit Christus, similes esse debetis hominibus expectantibus Dominum suum, &c. Sic & Christus ipse exemplum huius obedientiæ præbuit, cùm diceret: Nōne 12. sunt horæ diei? Q. D. cùm tēpus meum iam aduenerit, & 12. hora sit, non mihi amplius fugiendum, sed voluntariè moriendum est. Et iterum: Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum?

Omnis autem multitudo fleuit Aaronem.

Quem in vita afflixerant, in morte lugēt. Sic mundus in vita non agnoscit sanctos, sed post mortem videt, quid perdiderit in ipsis. Sic Abraham, Isaac, Iacob, prophetæ, Christus & Apostoli contempti fuerunt in

Lucæ 12.

Joan. 11.

Joan. 18.

Sap. 5.

runt in vita, post mortem autem gloriosi. Vtinā mundus agnosceret sanctos, quā diu sunt in hac vita. Merito autem Israelitæ lugent Aaronem, quod scilicet tantum virum perdiderint, licet ipse luctu eorum non indigeret, quia in parte electorum erat expectantium Christum, &c.

ALLEGORIA.

Aaron hic non Christum (qui non moritur, nec cessat sacerdotium eius) sed vetus illud sacerdotium significat. Quod moritur, significat sacerdotium illud cessaturum. Quod in monte Hor moritur, significat, quod manifestatione veritatis Evangelicæ sacerdotiū illud destruendum esset. Nam Hor lumen interpretatur. Quod propter peccatum moritur, significat pontifices Iudæorum in peccatis morituros. Quod sanus & valens moritur, significat pontifices morituros, dū se sanos & iustos esse putarent. Quod nedum moritur, sed etiam vestibus spoliatur, significat, quod nedum sacerdotium illud cessaret, sed etiam templū destruendum esset. Quod quadragesimo anno moritur, significat quadraginta annis post passionem Christi Iudæorum sacerdotium & templum destruendum. Lugent quidem Iudæi Aaronē mortuum, nos autē gaudemus, quod Iesus Christus verus sacerdos cōstitutus sit, &c.

CAPVT XXI.



IN hoc capite Moyses recēset alia quædam impedimenta, quæ filios Israel remorabantur ab ingressu terræ promissæ. Pijs enim nunquam desunt tētationes. Sic Israelitæ nunc impediebantur ab hostibus, nunc à proprijs peccatis, vt non nisi cum magno labore terram promissam attingere potuerint, in exemplum nobis, vt sciamus otio & desidia non perueniri ad vitam.

Quod

ANNOTATIONES.

Quod enim audisset Chananæus rex Arad qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam.

Hic primò filij Israel cum Chananæis cōgrediuntur, & hoc primum bellum quasi præludium fuit sequentium bellorum. Per hoc enim, quòd Chananæi priores quidem egrediuntur, sed finaliter pereunt, significabatur omnes Chananæos perituros. Observa autem, quòd Chananæorum nomen ad multos se extendit, secundum quod Chanaan filius Cham multos filios habuit, quorum vndecim nominantur in Genesi. Hi omnes, vel pro maiori parte in terra filijs Israel promissa habitabant, & omnes generali nomine dicebantur Chananæi, licet super hoc quilibet populus habebat speciale nomen. Sic hi dicebantur Chananæi generali nomine, & simul etiam Aradij, quia à Chanaan descenderant per Aradium filium eius. Alij dicebantur Amorrhæi, Ethæi, &c. ob eandem causam.

Sicut igitur Deus populum Israel ad hoc elegerat, ut in eo ostenderet misericordiam & bonitatem suam ad perpetuam consolationem omnium piorum, sic Chananæos ad hoc destinaverat, ut in eis ostenderet iram suam ad perpetuum terrorem omnibus impijs, iam dudum enim Deus benedictionem promiserat Israelitis propter obedientiam ipsius Abrahæ, & iam dudum etiam Chanaan maledictus erat propter peccatum, quod Cham in patrem suum Noe commiserat. Vtrunque autem, id est, tam benedictio Israelitarum, quàm perditio Chananæorum diu dilatatum fuerat. tandem finaliter impletum fuit, ut videamus Deum differre quidem, sed tamen finaliter non fallere. Observa autem, quòd Aradij, quorum hic mentio fit in Genesi non numerantur inter gentes illas, quas filij Israel delere debebant, & tamen primi omnium deliti sunt. Hoc autem fecit propria ipsorum malitia, quòd Israelem contra ius & fas non læsi inuasunt. Nihil ipsis fecissent Israelitæ, quia extra terram promissam habitabant, sed tamen ipsi sibi perditionem accersierunt. Sic

Gen. 10.

Gen. 12.
& 22.
Gen. 9.

Gen. 15.

runt. Sic plerunque nostris & nouis peccatis iudicium Dei promouemus, & nobis ipsis damna, mortē, bella, perditionem accersimus, eum possemus omnia hæc euasisse. Sic suapte culpa plagati sunt, & perierunt Aegyptij. Sic Saul, sic Iosias, sic cæteri quoque. Permisit Exo. 14. autem Deus hunc regem pugnare contra Israelē, primò pro exercenda fide Israelitarum Deinde ad commendandam virtutem Domini. Et tertio, vt discerent non præsumendum esse de proprijs viribus.

victor existens duxit ex eo prædam.

Quantumuis iustam haberent causam Israelitæ, tamen vincuntur primo conflictu, vt discerent victoriam à Deo esse, ne dicerent: manus nostrā excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Simile quiddam & in Deut. 32. libro Iudicum legimus, vbi decem tribus contra tribum Benjamin pugnantes bis victi fuerunt. Debent enim etiam iusta bella cum Deo incipi. Deinde etiam ideo permisit Israelitas vinci, vt humiliati sese Domino fidelius commendarent, hostes autem præsentis prosperitate cæcati audacioresque effecti in propriam perniciem ruerent. Hinc videmus, non temerè vel casu aut fortuito contingere, quòd mali interdum vincant, boni autem vincantur: Apud Deum nihil sine ratione fit. Omnia cedunt in gloriā ipsius, & in bonum piorum. Nemo igitur gloriatur de prosperitate præsentis, si iuxta hoc impiè viuat. Nec quisquam pius desperet, si non semper omnia ad placitum succedant. Deus enim est, qui & potentes de sede deicere, & humiles exaltare suo tempore scit, & cæt. Iudi. 70. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit, & cæt.

At Israel voto se constringens, &c.

Hoc quærebat Deus. Nimirum, vt humiliati ipsius auxilium deposcerent, id, quod & faciunt. Vides igitur, ad quid prosint tentationes. Cùm ociosi sederent in castris murmurabant, cùm autem infestantur ab hostibus, Deo se deuouent totos. Lucæ 1.
Psal. 112. Quamuis autē stultum videatur, quòd hinc vouent se deleturos ciuitates Chana-

ANNOTATIONES

Chananeorum, aliud tamen hoc votū includit: Nempe, quòd vellent non sibi, sed Deo pugnare, victoriæ gloriam Deo ascribere, omnemque prædam non sibi, ipsi, sed Deo acquirere, &c. Hæc vota Deo placent, vbi sola ipsius gloria quæritur.

Exaudiuit Dominus preces eorum.

Psal. 76.

Sap. 5.

Vincuntur pij, sed ad tempus, finaliter tamen vincunt. Non enim relinquit Deus suos. Nec obliuiscetur misereri Deus, &c. Contrà, impij post breuem prosperitatem huius temporis perpetuò pereunt. Vbi est superbia nostra dicent, &c.

ALLEGORICE.

Sicut Idumæi Israelitis transitum negantes, Iudæos significat Apostolos prædicare prohibentes: sic Chananeus hic diabolus significat, qui Apostolos à Iudæis ad gentes transeuntes aperto bello aggressus est & persecutione, & victor existens duxit ex eis prædam, quorum enim animas contingere nequiuit, corpora occidit, eademque corpora quasi quasdam animarum vestes distraxit. Hoc modo ad horam quidem vicit, sed extrinsecus vincens, intrinsecus victus est, sui que victores gloriosiores effecit martyres. Non ideo tamen cessauerunt aut desperârunt sancti Apostoli & martyres, sed eò fortius de Dei auxilio confisi restiterunt, & diabolus vicerunt, omnesque ciuitates & munitiones eius, hoc est, templa idolorum destruxerunt per totum mundum.

Ephes. 6.

Ioan. 15.

Ma. 28.

Moraliter etiam cuilibet Christiano sic contingit. Non solum enim ab Idumæis, id est, malis hominibus subinde in via Dei impeditur, sed etiam à diabolo impugnatur. Non enim est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem tantum, &c. In hac pugna contra diabolus sæpè vincimur. Sic victus fuit Dauid. Sic Petrus. Sed non ideo desperandum. Vinci interdum permittimur, vt agnoscamus infirmitatem nostram, quòd sine Deo nihil possimus facere. Ad Deum igitur recurramus, eius auxilium postulantes. Domine vim patior, responde pro me. Deinde propositum firmemus, omnia, dia-

nia diabolica destruendi, & nunquam ipsi consentiendi, id quod fit, & fieri debet in votis fidelium. Hæc si Psal. 14. fecerimus, aderit Deus, ac multiplicia bellandi auxilia subministrabit. Nam primò docebit nos, quo pacto diabolo resistamus. Ipse enim est, qui docet manus nostras ad præliū. Deinde ipse pugnabit pro nobis. Exod. 14. Tertio ipse aduersarium prohibebit, ne nocere poterit quantum vellet, vt patet in Iob. Quarto ipse nos Iob 23. defendit, vt patet in tribus pueris, & in Daniele, Daniel. 3. & 6. Ipse denique in pugna nos consolabitur spiritu suo. Ipse virtutem subministrabit, sicut videmus in martyribus. ipse demum vera armatura nos induet, de qua Paulus. Tantū hoc curemus, vt vi- Ephes. 6. storiam adepti Deo gloriam tribuamus, & nihil diabolicum in nobis permittamus.

Et tædere cepit populum laboris & uineris

Alia historia hic incipit, aliudque impedimentum, ex murmuratione scilicet populi. Cæterum, huius tædij causa erant Idumæi, qui nolebāt concedere transitum, fessumque Israeleni cogebant totam Idumæam circuire. In hoc autem expressus est typus fidelium, in quibus impiorum prauitas nonnunquam tædium excitat. Nam via ad patriam in se est ardua: Christus enim ipse dicit eam esse viam arctam, quod si insuper accesserit malorum improbitas, non mirum est, quod aliquando tædio afficiuntur etiam pii. Sic Iob etiam Iob. 3. in maximis afflictionibus patiens perseuerauit. Cum autem ab amicis super hoc etiam infestaretur incipit maledicere diem suum, & cæt. Sic Ieremiam tædiosum faciebat improbitas populi, vt etiam ipse malediceret diem suum, & c. Sic & Heliam improbitas ho. 3. Reg. 19. minum eò adigebat, vt optaret sibi mortem. Idē contigit Moyse. Sic & Paulo tantas afflictiones intulerunt Num. 12. impij, vt tæderet ipsum etiam viuere. Id ipsum etiam 2. Cor. 4. nunc pijs vsu venit. Non tamen id eò cessandum à bono, sed cogitandum, quod etiam alijs hoc cōtigit, imo omnibus pijs.

Locus in quo est populus contra Dominum & Moysen, &c.

Hoc

ANNOTATIONES

Hoc nimium erat. Humanum quidem est, quòd interdum etiam sancti tædio afficiuntur, non tamè id eo contra Deum murmurandù est. Hic igitur discernuntur fideles ab incredulis. Vtrique tædio afficiuntur, sed pius dicit: Fiat voluntas tua. Item: Si bona suscepimus, mala quare non sustineamus? Item: Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Impius autem murmurat, quia non intelligit Dei opera. Patientia igitur & impatiëntia in aduersis certò indicant, vbi fides sit, vel non sit: qui enim Deum verè cognoscit & credit, is nūquam impatiens efficitur, scit enim, quòd Deus benè omnia facit, &c. Iam de israelitarum murmurationibus sæpius dictum est suprà. Vetus eorum cantio est, quemadmodum & carnalis quisque semper iudicijs Dei obloquitur. Vbi pius homo dicit: Omnia in sapientia fecisti, & cæt. Item que: Iustus Dominus, & rectum iudicium eius. Hinc Thobias Dei iudicijs obloquentes arguit, dicens: Nolite ita loqui, quia filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quæ finem non habet.

Cur eduxisti nos de Aegypto, vt moreremur in solitudine?

Carnalibus semper videtur melius & tutius esse in Aegypto, id est, mundo, quàm in via Dei. Semperque putant sibi pereundum esse, si mundo relicto Deo seruire deberent, cum tamen non opus haberent hoc timere. Iunior (inquit Dauid) fui & senui, & nunquam vidi iustum derelictum, &c. hoc autem vidi, impium superexaltatum, &c. statim autè periisse. Nouit enim Dominus viam immaculatorum, impij autem etiam si exaltati fuerint, tanquam fumus deficient. Addunt Israelitæ: Deest panis, non sunt aquæ. Temeraria vox. Quotidiè surgètes inueniebant manna patatum sine ipsorum labore, & tamen dicunt: Deest panis. Sic increduli etsi satis habeant, semper tamen conqueruntur se nihil habere, ingrati donis Dei, & digni, quibus omnia bona auferantur. Maximum autem est, quòd Manna illud cœlitus datum, quod omnes pij non satis laudare potuerunt, ipsi cibum leuissimum dicunt,

imo

Matt. 6.
Iob 2.
Mich. 7.

Psal. 103.
Psal. 118.
Thob. 2.

Psal. 36.

Ibidem.

imò nauseant ipsum. Horrendum auditu est tantā ingrati-
tudinem in homine inueniri & tamen nunc fre-
quentissimum est. Vide enim quā contemptim æsti-
memus & loquamur de verbo Dei, de sanctissimo sa-
cramento, de Deo ipso, &c. vt interim de externis nihil
dicam. O insignis hominum ingratitude. O insignis
Dei bonitas. An non insignis ingratitude est naulea-
re ad tanta Dei bona, qualia sunt verbum Dei & sa-
cramenta? Cauete Christiani, ne in hoc incredulitatis ^{Hebræor.}
exemplum incidatis, si non tibi sapit manna, id est, si
nihil spiritualis dulcedinis è verbo Dei & sacramento
sentis, non cibo illi, sed tibi imputa. Peccatum enim
& infidelitas faciunt, vt hic cibus tibi non sapiat. hæc
si abieceris, videbis quòd omne delectamentum in se ^{Sap. 12.}
habet.

Quamobrem misit Deus in populum ignitos serpentes.

Igniti dicuntur, quia homines accendebāt. Merito
aut̄ puniuntur ingrati. & tali pœna, vt qui contra Deū
loquebantur vilissimis animalib. obnoxij redderētur,
& qui dulcedinem Mannæ sentire nolebant, venenum
serpētinum sentirent. Itidem & nobis iā vsuuenit, qui
contemptā salutarī doctrinā & sacramentis, nunc ve-
neno serpentino infecti sumus. vndiq; nec tamē sen-
timus, &c. Cæterū nusquā antehac leguntur Israelitæ
à serpentibus læsi. Noua erat plaga, quia semper ipsi
innouabant peccata. Hinc igitur discamus, vnde sit,
quod subinde novos morbos experiamur.

Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum, &c.

Hic tandem malis edocti agnoscunt causam ma-
lorum esse peccata. Aduersis igitur ad pœnitentiam
& confessionem peccatorum adiguntur, qui spon-
tè pœnitere nolebant. Sic contingit omnibus impijs.
Populo autem ad pœnitentiam conuerso, & Moyses
quod suum erat facit. Orat pro populo. Populo autē
pœnitente, & Mōyse orante, statim adest Deus solita
sua misericordia. Omnia hæc eò tendūt, vt videamus
efficaciam pœnitentiæ, & quibus medijs iram Dei ef-
fugere possimus.

ANNOTATIONES

Fac tibi serpentem aeneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet.

Poterat Deus sine hoc serpente sanitatē conferre, sed sic placuit ipsius bonitati, q̄ & aliās per media distribuit sua dona, vt & fidem nostram obedientiamq̄ probet, & humilitatē doceat. Signanter aut̄ hoc serpente aeneo non tam consulere & mederi voluit præsenti morbo, quàm ostendere, quib. medijs olim succurrere vellet perdito generi humano. Hic enim serpens potissima figura fuit crucis Christi, quemadmodum Christus ipse interpretatur. Sicut, inquit, exaltauit Moyses serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, &c. In hac igitur figura expressum est quid sit peccatū, vnde ortum habuerit, quid malorum protulerit, quid lex, quid Euangeliū possit. Quis sit Christus, & quomodo eo vti debeamus. Peccatū nihil enim est nisi venenū, nam & totum hominē infecit, imò & occidit. hinc Sapiēs: quasi à facie colubri fuge peccatum. Peccatū ortum habuit ex morsu serpentis, id est, diaboli. Inuidia enim diaboli mors intrauit, &c. Diabolus tunc in hominem potestatem accepit, cū homo accepta Dei dona fastidians, ad prohibita concupiscentiam & animū vertit. Peccato infecti erāt omnes homines.

Psal. 13. Omnes declinauerunt. Multi perierunt hoc veneno, alij ad Deū clamārūt. Nec Moyses, nec lex adiuuare potuit contra morsus serpentum. Nō deletur peccatum, nisi sanguine Christi. Deus igitur remedium attulit, & ostendit ex gratia. Serpentē erigi iussit, cum in prophetis Christū promisit. Serpens inficiebat, serpens sanabat. homo nos perdidit, homo alter restituit. Serpenti similis erat Christus, sed nō habuit venenū. Fuit enim in forma hominū, sed sine peccato. Serpens ille ex cre erat, q̄ est metallum informe quidem, sed solidum & incorruptibile, & maximè sonorū. sic fuit Christus, &c. Serpens ille non manuali opere formatus, sed in igne cōflatus: & Christus ex spiritu S. conceptus est. Serpens ille suspensus fuit & erectus in ligno: sic Christus in cruce. Serpens ille non in angulo positus est, sed in publico:

Ioan. 3.

Ecel. 27.

Gen. 3.

Sap. 1.

Psal. 13.

blisco: sic Christus non in vno populo, sed in toto mūdo prædicatus, & omnibus in signum propositus. Serpens ille nemini proderat, nisi inspicienti: sic Christus crucifixus nemini prodest nisi credenti: Vides igitur quod etiam veterib. illis prædicata fuerit crux & passio Christi, licet obscurè & tantum sub figuris. Vides secundò quòd eadem fuit fides veterum & nostra. Quòd si Iudæi nouum quid esse putant, quod à crucifixo auxilium petimus, sciant patres suos à serpente æneo, mortua scilicet re, auxilium accepisse, &c. Serpēs igitur æneus in signum datus est Israelitis, primò & præcipuè propter mysterium iam dictum. Secūdo voluit per hoc etiam ad literam Deus ostendere potentiam suam, vt scirent eum saluare posse etiam per ea, *Isa. 40. in vnde nulla salus sperari poterat. Tertiò voluit eos per sine.* hoc humiliare, vt qui Deum creatorem cōtempserāt, creaturis se subijcerent. Sic & sacramēta nostra ob has causas instituit, ad humilitatē scilicet, ad exercitium, & ad eruditionem. Obserua autem q̄ Deus vt plurimū talia signa dat, quæ rationi videntur contraria. Sic ratio nunquam credidisset, q̄ per serpentem æneū homines liberarentur. Sic in sacramentis nostris. Oportet igitur oculos rationis claudere, & verbo Dei plus credere, quàm nostræ rationi.

Profecti filij Israel castrametati sunt in Oboth.

Plura hic loca Moyse nominat, in quibus Israelitæ castrametati sunt, donec circuitent terrā Idumæorum. Ea autem loca quia nobis ignota sunt, & nihil speciale in ipsis factum legimus, non est quod diutius hic moremur. Hoc tamen sciendum, quod spirituali Israeli semper progrediendum est. Non enim satis est q̄ serpens erectus, & crucifixus est Christus. Nec satis est, q̄ ex Aegypto egressi sumus, & manna verbi Dei, a quâ que de Petra, id est, gratiā spiritus S. gustauim⁹, sed oportet progredi. Hinc Christus: Qui mittit manū ad atrium & aspiciet retro, non est aptus ad regnum cælorum. Vnde & Paulus dicit maledictionem huiusmodi hominibus proximā esse, qui semel illuminati sunt, &

Lucæ 9.

Hebr. 6.

ANNOTATIONES

- Eph. 1.** gustauerunt donū Dei, &c. & tamen retrocedunt, &c.
Hinc Paul. ibidē ubiq; orat & admonet, vt in fide cre-
scamus & cognitione Dei. Et Dauid beatum eum pro-
nunciat, qui procedit de virtute in virtutem, &c.
- Psal. 33.** *Misit autem Israel nuncios ad Seon regē Amorrhæorum.*
- Hic oritur aliud impedimentum, q̄ tamen Dei vir-
tute & assistentia facile propulsatum fuit. Diu circue-
rant terram Edom. Nunc iterum vertunt faciem ad
terram promissam, sed obstitit Seon. Sic pijs semper
occurrit quo impediuntur. In mūdo, inquit, pressurā
habebitis, in me autē pacem. Confidite, ego vici mun-
dum. Hæc summa huius historiæ. Vide autē hic mira-
bilia Dei iudicia. Multæ iam nationes & populi nomi-
nati sunt, Aegyptij scilicet, Amalechite, Idumæi & Cha-
nanæi, Moabitæ, Amorrhæi, q̄ omnes habebant pro-
prias terras & possessiones. Solus Israel nihil adhuc
propriū habebat, cū ipse tamen esset populus Dei, alij
autē impij essent. Quis nō miretur? Iustius videretur, vt
bonis daret, quā malis. Verè, expecta paulisper & vide
bis, q̄ omnes hæ gentes exterminabūtur, solus autē Is-
rael permanebit. Sic etiā nobiscū agit Deus. Videtur
quidem malis in hac vita plus præstare, quā bonis, sed
in fine implebitur illud: Hæreditas impiorū peribit. Itē
illud: Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impijs
pro eo. Nō igitur despondeat animū pius, si non tanta
accipit temporalia, vt mali, sed expectet, &c. Nec mali
de præsentī felicitate superbiant. Nō enim semper ex
gratia est, si temporalia abūdant. Cogitent igitur quo
modo diuiti illi dictum est: Fili, recepisti bona in vita
tua, &c. Quod autem Israelitæ nuncios mittunt pacis
ad Amorrhæos, primò misericordiā Dei indicat, qui
etiam peccatorib. & meritò damnandis gratiā offert:
sicut Amorrhæi illi ex his populis erant, super quos iā
olim & sententia mortis lata erat, & tamen eis pacem
offert, quam si secuti fuissent, vtiq; māssissent. Sic Chri-
stus per Apostolos omnibus pacem misit & obtulit. In
quācunque, inquit, domū intraueritis, dicite, pax huic
domui: Qui autē non susceperit vos, exeuntes excutite
pulue-

puluerem de pedibus. Amen dico vobis, q̄ Sodomis Matt. 10
 remissius erit in die iudicij, &c. Deinde, q̄ Israelitę pri-
 mo pacem offerunt, prudentiæ erat: quia enim Seon
 rex Amorrhæorum terrā Moabitarum occupauerat,
 & Israelitis prohibitū esset ne terram Moabitarū inua- Deut. 2.
 derent, nō temerè irruerunt, sed prius pacē obtulerūt,
 quam cū illi spernerent, imò infestis armis occurrerēt,
 iam habebant Israelitæ iustam causam bellandi, & ter-
 ram illā occupandi. Ob hanc causam Moyses descri-
 bit, quomodo olim Seon occupauerit terrā Moabita-
 rum, &c. Videmus aut̄ hic conditionem piorum, q̄ nō
 sunt sanguinarij, nō delectantur in perditione aliorū.
 Huc pertinet q̄ Christus ait ad discipulos vindictam
 inferre cupiētes: Nescitis cuius spiritus estis. Filius ho- Lucæ 9.
 minis non venit perdere, sed saluare. Hinc Israelitis Deut. 20,
 præceptum fuit, vt etiā hostibus incredulis primò pa-
 cem offerrent. Huc pertinet quod Christus vbiq; pacē
 & charitatē docet. Videmus igitur quo spiritu agan-
 tur, qui bella cupiunt, & sanguinem sitiunt, &c. Quan-
 tum in vobis est, inquit Paul, cum omnibus homini. Rom. 12,
 bus pacem seruate,

Qui concedere noluit, vt Israel transfiret per fines suas.

Impij semper sui similes sunt, & semper nouis pec-
 catis iudicium Dei in seiplos prouocant. Malebat im-
 pius hic cum impijs perire, quàm amicitiam cū popu-
 lo Dei iungere. Impij sibi inuicem assistunt, etiā con-
 tra Deum & iustitiam, sed tandem suam mercedem
 recipiunt, &c. Cæterum, sic ordinat Dei prouidentia
 iustitiæ suæ opera, vt cū pro peccatis aliquam gentem
 flagellare voluerit, eatenus indurati sint, vt legitimam
 perditionis suæ causam sic prodant, vt non solū Dei
 iudicio, sed propria conscientia & hominum aspicien-
 tium certa sententia cernantur iustissimè puniti à Do-
 mino. Sic hic rex Seon perdendus, iudicio Dei ante
 300. annos contra eum lato, iam appetente plenitu-
 dine temporis non solū negat iustissimas preces,
 quas sine suo damno admittere potuisset, sed insuper
 armis aggreditur, nihil mali de se meritos, præstatque

ANNOTATIONES

necessitatē fidelib. se tuendi, vt cadat & inuoluatur laqueo perditionis, quā meruit. Vide autē veras impiorum conditiones in hoc: Seon prius occupauerat terram Moabitarum, & nunc etiam infestus est Israeli. Sic impij semper pijs cōtrarij sunt, & insuper etiam inter se ipsos discordes sunt, vt verū sit prouerbiū: Homo homini diabolus. Iusto tamen Dei iudicio fit, vt se mutuo perdant & perdantur. Sic semper vna gēs aliam vastauit, & postremò etiam ipsa vastata est, &c. Obseruandum autem, quòd Israel huic regi nō cedit, sicut cessit Idumēis, sed restitit, imò eum occidit. Nō se debet Christianus, vbi cedendum fit, vbi non hominibus cedendum, ne malum pro malo reddamus, Nō autem diabolo, cui resistere debemus.

Iac. 4. & 1.

Petr. 5.

Misit Moyses qui explorarent lazer, &c.

Prudentiam hic videmus in Moyte, quòd nō temerè in aduersarios irruit, quamquam sciret ipsos iudicatos, sed prius explorauit, &c. Temeritas enim in rebus bellicis plurimū obest, & maximè in spirituali bello, vt patet in Petro, &c. Adhibenda igitur prudentia, ea scilicet, quam Christus docet in duabus illis parabolis, de eo scilicet, qui turrim ædificat nō computatis sumptibus: & de rege qui bellum initurus cōtra alium, nō prius copias suas recenset, &c. Si contra hostes visibiles opus est prudentia & vigilantia, quanto magis cōtra inuisibiles?

Lucz 14.

Occurrit eis Og rex Basan cū omni populo suo, pugnaturus in Esdrai.

Num. 13.

Deut. 3.

Hic alius occurrit hostis, & quidem omnibus prioribus terribilior. Fuit enim vnus ex gigantib. illis quorū conspectu exterriti exploratores Israelis desperauerant se posse terrā promissam obtinere, vt suprā dictū fuit. De hoc autē rege dicit Moyses, quod lectum habuit ferreum nouē cubitorum longitudinis & quatuor latitudinis, &c. Obseruādum igitur quod Israelitis quòd propius ad terrā promissam accesserunt, eò terribiliores hostes ipsis occurrerunt. Sic & nobis contingit, maximè in morte. Vnde & Christus nusquam legitur discipulos suos tam instanter ad orationem & vigilantiam admo-

admonuisse, imò nunquam legitur tam feruenter orasse, vt tempore passionis suæ. Tunc enim & ter orauit, & ter etiam discipulos ad orationē admonuit. Vide autem cæcitatē impiorum, quomodo in suam ipsorum perniciem ruant. Iam dudum meruerat rex ille exterminari, non tamen agit pœnitentiā ad aduentū Israelis, sed insuper obfirmato animo obstitit. Sic impios ira Dei premit, vt peccata sua impleāt semper. huc pertinet quod Christus Iudæis dicit: Implete mensuram patrum vestrorum. Item ad Iudam proditorem: Quod facis, fac citiùs. Huc etiam pertinet quod Ioan. ait: Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Timeamus hæc iudicia Dei. Audiamus Paulum admonentē. Ignoras ô homo, quòd benignitas Dei ad pœnitentiā te adducit? Tu autem thesaurizas tibi iram in die iudicij, &c.

Matt. 26.

1. Thes. 2.

Matt. 23.

Apoc. 22.

Rom. 2.

Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnē populum, ac terram eius.

Ex hoc verbo patet, q̄ Israelitē exterriti fuerūt propter occursum gigantis illius, alioqui non opus fuisset speciali consolatione & confortatione contra ipsius impulsū. Potest etiam ex eo colligi quantū terroris intulerint duo illi reges, q̄ Dauid præ omnibus alijs duos illos nominat, & pro eorum deiectione populū ad laudem Dei excitat. Laudate, inquit, nomen Domini, &c. Quia percussit reges magnos, & occidit reges fortes. Scion regē Amorrhæorū, & Og regem Basan. Vide autem quam contempta sit apud Deum quæcunq; fortitudo hominum. Ne, inquit, timeas eum. Eum inquam, Quid enim est? Esto, magnus & fortis sit, tamen homo est. Quid autem est homo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos sceni. Imò impij sunt tanquā puluis quē proijcit ventus à facie terræ. Hinc de rege Persarum dicitur: Quis tu mons magnus coram Zorobabel? in planum redigeris. Merito igitur clamat Isaias. Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & oblitus es Dei creatoris tui? Emphasim etiam habet quòd dicit: Tradidi eum in manus tuas.

Psa. 134.
Psal. 135.

Isa. 40.
Psal. 1.

Zach. 4.
Isa. 51.

ANNOTATIONES

Q. d. quantumcunque magnus sit, tamen traditus & iudicatus est, &c. Vide horrenda iudicia Dei. Nihil minus timebat gigas ille, quam se traditum esse in manus hostium, & tamen iudicium Dei eo ignorate iam in ipsum latū erat. Et quis scit quale iudicium super nos feratur in cælo, interim dum nos peccamus in terra? Videmus quidem quotidie nunc hos nunc illos perire, qui nihil minus timuerant. Nihil autē horum casu contingit, sed omnia ex definita Dei sententia. Timeamus igitur diuina iudicia. Præueniamus faciē Dei in confessione. Agamus pœnitētiam, sic enim & Deus reuocabit si quid durius contra nos decreuerit, vt Ieremias ait. Cæterum quod Israelitis hīc dicitur in certamine corporali, hoc omnibus fidelibus dicitur in certamine spirituali. Nam gigas ille Og diabolum significat. Sicut enim Christus per plura figuratus fuit, vt per Isaac, Abel, Ioseph, Iosue, Dauid, &c. sic diabolus per multas figuras adūbratus fuit, vt per Pharaonem, Nabuchodonosor, Saulem, Antiochum, Seon & Og, &c. Vna figura non satis potuit exprimere Christum, ideo plures præmissę sunt, vt quælibet earum aliquam Christi conditionem exprimeret. Sic diaboli malitiam vna figura exprimere satis non potuit: Plures igitur additæ sunt. In Pharaone expressa est diaboli crudelitas, in Seō ipsius inuidia, in Og ipsius fortitudo, &c. Quia in Job, &c. Quid autē dicit vox diuina? Noli timere eū, in manus enim tuas tradidi illū. Eadē ferē verba Christi dicit suis electis; Confidite, ego vici mundū, Item: Iā iudicatus est princeps mūdi. Iā eijcietur foras, &c. Hac consolatione multa millia martyrum confortati, contra diabolum intrepidē steterunt, &c.

Percusserunt eum & filios eius & populum.

Hic est finis impiorum. Quam facile perit humana potentia & fortitudo pugnante Domino? Vbi nunc est fortitudo huius regis? Non saluatur rex in virtute sua, & gigas non saluatur in multitudine virtutis suæ, &c. Aegyptus enim homo & non Deus. Obserua ubique impiorum miserabilem interitum. Sunt enim

tan

Psal. 94.

Ier. 18.

Iob 4 1.

Ioan. 12.

Psal. 32.

Isa. 37.

Psal. 1.

tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ. Obseruandum postremò, quòd pij etiam in hoc mundo terram occupant, etiam antequam transeant Iordanem, quia Deus nec tēporalibus eos destituit. Tantum curent, ne temporalibus ad hærentes, veræ patrię, quæ vltra Iordanem, id est, post mortem erit, obliuiscantur, &c.

CAPVT XXII.



Hactenus diabolus aperta vi populum Israel per quosdã reges impedire conatus fuit, sed frustra. Nunc hoc ipsum per occultas insidias molitur, inducendo scilicet Balaam ariolum ad maledicendum populo, vt verum appareat illud Augustini: Diabolus & leo & draco est. Sed quomodo victus est leo, vincitur & draco; id, quod in hac historia pulchrè videbimus, quòd nec maledicere permissus est populo Israel. tantum abest, vt ipsi nocere potuerit. Scripta sunt autem hæc ad consolationem nostram, &c.

Roma. 15.

Videns autem Balac, filius Sephor omnia, quæ fecerat Israel, &c.

Vident impij plerunque mala ipsis imminere, sentiunt se ea commeruisse, timent cum mala ingruunt, sed nihil emendantur. Sic rex ille, &c. Cum certo sciret reges fortissimos iam ab Israele deletos esse, oportebat ipsum timere, poenitere, Deum inuocare, cum Israele amicitiam contrahere, his medijs euadere potuisset. Verum his missis, ad alia se conuertit, sed frustra. Mira hominum stultitia, quòd mala quidem timent, & tamen fontem omnium malorum agnoscere nolunt, ac quiduis potius cogitant, quàm Deum.

Misit nuncios ad Balaam filium Beor.

Quis fuerit hic Balaam, ignoratur. Hebræi putant ipsum esse, qui in libro Iob dicitur Helii. Sunt qui putent eum fuisse bonum prophetam ex eo, quòd tam multa de Christo prophetauit. Alij dicunt eum fuisse malum, constat enim ex litera, quòd Deo inobediens fuit,

ANNOTATIONES

fuit, quòd pecunias amauit, & quòd Israelitas male dicere cupiebat. Facit ad hoc, quòd scriptura eum nò prophetā, sed ariolum & diuinum nominat. Nec obstat, quòd de Christo prophetauit. Nam Deus veritatem interdum etiā malis reuelat, iuxta illud: Multi dicent: Nōne in nomine tuo prophetauimus, &c. Huius

Matt. 7.

2. Reg. 13.

exemplum habes in illo pseudopropheta, qui bonum prophetam decepit, & tamen reuelationem à Deo accepit de morte boni prophetæ. Cæterum, nedum ex hoc loco, sed etiā ex alijs plerisq; videmus homines, & maximè gentiles operā dedisse diuinationibus, alijsq; prohibitis artibus, diabolo hoc agēte, vt sic homines in sua seruitute retineret, & à fide verbi Dei abduceret. Sic Pharaos suos habuit magos. Sic Nabuchodonosor suos Chaldæos, & magos, & auruspices, & diuinos. Sic Moyses dicit multas huiusmodi superstitiones inter Chanañeos. Sic in Actis legitur de Simone mago, & de puella Pythonissa, &c. Nō tamen inter so-

Dan. 1.

Deut. 18.

Acto. 8. & 16.

las gentes hæc manserunt, sed paulatim etiā in populo Israel inualuerunt, vt patet tempore Saulis & Manasses & aliorum. Atq; vtinā inter Iudæos & gentes solas māssisset huiusmodi superstitio. Nunc autē etiam apud Christianos inualuit, & nedū apud idiotas, sed etiam apud religiosos & principes in precio habetur, &c. Cū Domini lex expressè hoc prohibeat. Leuit. 19. & Deut. 18. Imo pœnam statuat nedum diuinis

Leui. 19.

tribus, sed etiam eis, qui ipsos consulunt, vt patet Leuit. 9. Vnde & ad Ochesium dicitur: Quia misisti ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, idcirco morte morieris, &c. Nō mirum autē, quòd Deus ita odit & punit diuinationes, summa enim ipsi per hoc iniuria fit: Nam cū ipse auxilium nobis promittat, & ad se venire nos iubeat. (Inuoca, inquit, me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, &c.) magnā ipsi iniuriam & contemptum facit, qui ad eius aduersarium confugit. Vide autem, quid Balach faciat, magno precio ariolum cō-

4. Reg. 1.

Psal. 49.

ducit, cū sine precio potuisset Dei auxilium impetrare.

trare.

trare. Sic nos facimus. Magnis impensis ædificamus, auxilia quærimus, & cæt. & plerunque frustra. Quanto melius esset Deum querere? Hunc enim vnum si haberemus, satis tuti essemus. Dominus enim est murus igneus circum electos suos. *Zach. 2.* Obserua etiam hic, quod impij sapientes quidem videntur in prosperitate, cum autem iudicium DEI aduenit, omni consilio destituuntur, quemadmodum Dominus regi Aegypti improperat. Vbi, inquit, sunt principes tui? Stulti facti sunt. *Isa. 19.* Quod autem Balach addit: Noui enim, quod benedictus sit, cui benedixeris, & cæt. omninò gentiliter dictum est. Nos aliter loquimur. Scimus enim tam benedictiones, quàm maledictiones ariolorum nihil esse, imò scimus, quod nec diabolus, nec magi maledicere aut nocere possunt, nisi quantum DEVS permittit. Multa quidem possunt & dæmones, & magi si permittantur, vt patet in Iob, cui diabolus vna hora omnia abstulit. sed nihil possunt, si non permittantur. Ideo diabolus antequam permitteretur, nec canem ipsius Iob lædere potuit, quod & ipse fateri cogebatur. Tu, inquit, vallasti domum eius, & cæt. Ideo nos tam benedictionem, quàm maledictionem Deo ascribimus, quem ille benedicit, verè benedictus est, quantumuis maledicant diabolus aut magi, & contrà. Deum itaque time, omnia bona ipsi ascribe. Si malum quid tibi contingat, agnosce peccata tua in causa esse, confitere, crede, quod Deus malum tuum iterum possit auferre, si tibi proderit, quod si non auferat, certum habeas vtilius tibi sic esse, & cæt. Obseruandum etiam in Balach, quod semel atque iterum nuncios misit ad Balaam, ignorabat enim, quod contrarium euerturum esset. Sic plerunque proprium malum prouocamus, cum putamus nobis optimè consuluisse. Ad omnia hæc sola ambitio hunc regem adigebat, delectabat eum potestas, nō resignabat se in voluntatem Dei quæadmodum Dauid, sed tantum de regno cogitabat conseruando per fas & nefas. *2. Reg. 15.* Sic ambitio etiã nunc multorum malorum causa: propter hanc plerique homici-

ANNOTATIONES

homicidia fecerunt, multi diabolo se deuouerunt, miserimi scilicet homines, qui propter rem tam vanam, quæ sit potestas & honor mundi, ita seipso perdidit. Fugienda igitur ambitio.

Cumque venissent ad Balaam, & narrassent ei omnia verba.

Quemadmodum in Balac ambitio regnauit, sic in hoc vate videmus regnasse auaritiam. hoc primum patet ex eo, quod ad maledicendum vocatus non abnuuit, cum dicere debuisset: Nolo maledicere eos, a quibus nihil læsus sum. Verum iam auaritia excæcatus erat, iam animum ad munera applicauerat, quæ illi ob id in manibus habebant, ut per hoc alliceretur diuinus ille. Sic igitur verissimè dictum est, quod munera excæcant oculos, etiam sapientum, & peruertunt iudicium. Deinde auaritia eius ex hoc patet, quod nuncijs illis dixit quasi subtristis: Ite in terram vestram, Dominus prohibuit. Quid alioqui libenter venissem. Præterea vel maxime auaritiam suam in hoc prodidit, quod secunda vice vocatus, etsi sciret Deum prohibuisse, tamen iterum quærere nititur a diabolo. Idem faciunt omnes auari, quantumuis sciant Deum prohibuisse auaritiam, tamen vias inueniunt, quibus aliena bona ad se trahant, prætendunt nunc hoc nunc illud, tantumque hoc agunt, ut speciem habeat æquitatis coram hominibus, nam Deum nihil curant. Sic pecunia omnes facit iniquos, &c. Obseruandum in hoc ariolo, quod impietati suæ nomen Dei prætexit, ut videretur omnia ex Deo facere. Respondebo, inquit, quicquid mihi dixerit Dominus, cum tamen eius intentio esset non Deum, sed diabolum interrogare. Sic omnes pseudoprophetæ nomen Dei prætexunt, sicque sub tam honorabili nomine decipiunt. Peccant igitur in secundum præceptum, quo inhibetur, ne nomen Dei in vanum vsurpemus.

Manentibus autem illis apud Balaam, venit Deus, &c.

Ille diabolum interrogare cupiebat, sed Deus præuenit, non quod ille dignus esset colloquio Dei, sed ut vel sic disceret Deum pro suis curam gerere. Itemque
vt vide

Exo. 23.

Exo. 20.

vt videret diabolum nihil posse contra Deum. Videmus autem hic, quòd Deus etiam indignis interdum apparet & loquitur, cùm id pertinet ad gloriam suam. Sic olim apparuit Abimelech regi. Sic Pharaoni & Nabuchodonosori futura ostendit. Nemo igitur gloriatur, si Deus sibi loquitur. Nam & cùm Balaam locutus est, qui tamen melior effectus non fuit. Signanter autem prouidentiam Dei erga suos ostendit, quòd dicit: Noli maledicere, quia benedictus est. Hic enim videmus, quòd Deus nobis etiam nescientibus mala à nobis auertat. Vt verum sit illud psalmi: Dominus custodit te ab omni malo, &c. Hoc idē videmus in psalmo: Qui habitat. Deinde hic videmus, quomodo Deus etiam impios à peccatis retrahat occulta sua inspiratione. Felix homo, qui audit, quid Dominus in ipso loquatur. Postremò videmus hic etiam iudicium Dei in eo, quòd secūdo loco ad Balaam dicit: Si vocare te venerunt, vade cùm eis, quasi dicat, si adhuc monitus à me, tamen perstas in mala voluntate, agè perge in tuū ipsius malum. Scito autem conatus tuos frustrandos. Simile quiddam Christus Iudæ post multam admonitionem dixit: Quòd facis, fac citius. Sic Deus tandem relinquit hominem suæ voluntati, cùm crebrò monitus desistere non vult.

Psal. 120.

Psal. 84.

Ioan. 13.

Surrexit Balaam manè, & strata asina profectus est cum eis.

Hic patet auaritia huius arioli. Ad eò enim munus cupidus fuit, vt à Domino, etsi cum conditione permissus protinus manè surgeret cum festinatione, contempta scilicet conditione, ad modum videlicet seruorum nequam ad oculum seruientium, qui dum missi vel dimissi fuerint ad licita, præsumunt perpetrare & illicita. Idcirco stetit angelus Domini contra eū euaginato gladio, vt animaduerneret ex pœna præsentis, quàm durum sit abuti permissio, vel dissimulare imperium Domini. Videmus circa hoc peruersitatem naturæ nostræ, quæ vbi temporale aliquod commodum videt propositum, currit, festinat, &c. ad spiritualia

ANNOTATIONES.

Lucz 16. lia aut vix trahi potest. Hinc Christus : Filij seculi pru-
Ioan. 3. dentiores sunt filijs lucis. Et iterum: Hoc est iudicium
mundi, quod lux venit in mundum, & dilexerunt ho-
Mart. 23. mines magis tenebras, quam lucem, &c. Itē: Quoties
volui congregare filios tuos, & noluisti, &c. Contra
huiusmodi homines dicta est parabola de his, qui ad
cœnam magnam inuitati, venire noluerunt, sed po-
tius tēporalia commoda quæsierunt. Vnde & ipsis di-
ctum est: Nemo virorum illorū gustabit cœnā meam.

Lucz 14.

Stetitque angelus Domini in via contra Balaam.

Etiam hic videmus angelorum curam pro pijs ho-
minibus. Nesciebant Israelitæ, quid Balaam contra
ipsum cogitaret, & quia iam in via esset maledictur⁹ ipsis.
Sed ecce angelus ei obsistit, nō sinit eum progredi. De-
inde eum arguit. Postremò iterum prohibet, ne male-
dicat. atque hoc est, quod suprā promiserat Deus. Ecce
Exo. 23. mittam angelum meum ante te, &c. Similē sollicitudi-
Dan. 9. nem angelorum pro nobis videmus in Daniele & Za-
Zach. 1. charia. Sic nimirum Deus pijsissimus etiam angelis suis
Psal. 90. mandauit de nobis, &c. alioqui inter tot hostes persi-
stere nō possemus. Agamus gratias Deo. Reueremur
sanctos angelos, ne impijs operibus ipsos à nobis abli-
gamus. Cæterum videmus etiam hic, in quanto peri-
culo sint, qui in malo proposito aut peccatis perman-
nent. Sicut enim ariolus ille quocunq; se vertit, ante
ipsum stat angelus cum euaginato gladio: sic peccato-
ri semper imminet iudicium Dei, quocunq; se vertit,
Rom. 1. quantumuis ipsum nō videat. Reuelabitur enim tan-
dem ira Dei super omnē impietatem & iniustitiā ho-
minum, &c. Meritò igitur Iudas ex hoc loco occasione
sumit terrendi impios, Væ, inquit, his, qui in via Cain
abierunt, & errore Balaam decepti sunt, &c. Cùm igi-
tur peccamus, semper nobis occurrat, quasi videamus
ante nos gladium iudicij Dei euaginatam. Curramus
Hebr. 10. igitur ad sinum Dei, non in gladium iudicij. Horren-
dum enim est incidere in manus Dei, &c.

Cernens asina angelum stantem, in via euaginato gladio.

Angelus ex sui natura, vtpotè spiritualis creatura,
corpo-

corporalibus oculis videri non potest, sed dispensatione Dei factum est hîc, vt asina videret angelû in persona veri contra se stantem, vt præsumptio Balaã confutaretur per brutum animal, quemadmodum Petrus ^{2. Pet. 2.} dicit, &c. Videmus autem hîc, quàm mirabiliter Deus se manifestet. Asina enim videt, quòd homo, imo propheta non videt. Sic nimirum frequenter hominibus de sua sapientia præsumētibus diuina secreta absconduntur. Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea ^{Matt. 11.} paruulis, &c. Et in Isasa: Super quē requiescet spiritus ^{Isa. 56.} meus, nisi super humilem, &c. Nemo igitur de sapientia sua præsumat, quæ vt plurimum in flat & excæcat. ^{1. Cor. 8.} Nemo item paruulos & simplices contemnat, nam & ipsis Deus aliquando magna reuelat. Allegoricè. Gētilis populus, qui olim nihilo præstabat brutis animalibus, nunc ad fidē Christi conuersus plus videt, quàm Iudæi, qui olim prophetiæ spiritu clarebant. Iudæis enim excæcatis gentiles credunt, &c.

Auertit se de itinere asina, & ibat per agrum.

Asina hæc insigniter arguit nedum arioli illius in ^{2. Pet. 2.} sapientiam, vt Petrus ait, sed etiam omnium nostrum peruersitatem. Ipsa enim declinat periculum, nos periculis nos obijcimus. Ipsa gladio obsistente nō procedit, nos in iudicium Dei currimus. Ipsa angelum timet, nos ne Deum quidem timemus. Sic & in alijs plerisque insipientiores brutis sumus. Cognouit, inquit, ^{Isa. 1.} bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit. Et David: Ignis, grandæ, nix, glacies, &c. faciunt verbum Domini. solus homo ^{Psal. 143.} legem Dei transgreditur.

Quam cùm verberaret Balaam, &c.

Etiam hîc videmus conditionem impiorum, qui incōmoda & infelices successus non suis peccatis imputant, sed vel creaturis, vel influentijs, vel diabolo etiam. Hinc irascuntur, maledicunt, verberant, & cetera. Sic Balaam videbat asinā procedere vel nolle, vel non posse. non tamen cogitat Deum sibi obistere ob malam ipsius voluntatē, sed asinæ imputat. Vide autem
 quod

ANNOTATIONES

Eccl. 1.

quot modis admonitus fuerit. Primò asina extra viã currit. Deinde pedem eius collidit. Tertiò sub ipso cadit. toties admonitus necdum tamen resipiscit. Tã difficile corriguntur peruersi. Sic Deus etiam nunc multipliciter malos admonet. Primò interna inspiratione, quòd si nõ audire volunt, facit, vt infeliciter cedat res eorum. Si nec sic corriguntur, pedem eorum collidit, malum aliquod immitrit. Interdum eos per grauem morbum deijcit, interdum etiam in derisum & infamiam incidere permittit, vt etiam à pueris rideantur. Omnia aut̃ ideo facit, vt vel tandem oculos aperiant, & sua peccata agnoscant. Quamquam apud plerosque frustranea sint omnia. Tales olim erant Iudei, quibus dictum fuit: In quo percutiam vos vltra addentes prauaricationem? Terra vestra desetta, &c. Et iterum: Percussisti eos, & non doluerunt, &c.

**Isa. 1.
Hier. 5.**

Aperuit Dominus os asine, & locuta est.

Exo. 20.

Mira res, cuius simile nec ante nec post factum legitimus, vnde vel ex hac sola re Dei potentiam quis videre posset. Hoc autem potissimum ob id factum est, vt argueretur prophetæ insipientia. Quamquam non ipsum solũ hæc asina arguat. Nam & plures alios arguit, & primò insanos illos, qui durissimè & inhumaniter tractant animalia quæcunque, non cogitantes, quòd à Deo in seruitium nostrum data & cõcessa sint. Vnde & Deus etiam in die sabbathi animalibus requiẽ prouidit in lege. vt requiescat, inquit, bos tuus & asinus. Deinde asina hæc arguit quoscunque tyrannos, qui crudeliter tractant subditos suos, non aliter ac si essent bestię. his respondet asina. Quid feci tibi? Nonne animal tuum sum? Nonne videtis, quòd non plus possum? &c. quòd paupertas impedit, &c. Præterea asina hæc arguit omnes pseudoprophetas. Itemq; malos prælatos, apud quos cuncta venalia sunt, qui nihil aliud, quàm lucrum quærunt in doctrina, in sacramentis, in omnib. &c. De his loquitur Petrus: Cor, inquit, habet exercitatum avaritia, ideo dereliquerunt viam rectam,

2. Pet. 2.

teſtam, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit.

Quia commeruiſti, & illuſiſti mihi, &c.

Vel hinc videmus inſipientiam, imò peruerſitatem huius hominis, vt qui ad tantum miraculum non obſtupuit, tantum abeſt, vt conuerſus ſit. Fortaſſis enim aſuetus fuit audire dæmones in ſpecie animalium. Reuera autem auaritia in cauſa erat, quæ ad eò ipſius cor ceperat, vt tantum miraculum ne aduerteret quidem. Sic enim auaritia hominem cæcum & inſenſatum reddit.

Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum ſtatem in via, euaginato gladio.

Corpore prius videbat, ſed mente cæcus erat. Cæterum hinc videmus quòd homo nunquam agnoſcit ſe & ſuum peccatum, itemq; ſuum periculũ, niſi Deus aperiat oculos illi. Arguit autẽ eum angelus. Primò, propter peruerſitatem cordis, Secundò, propter crudelitatem erga iumentum, Tertiò, iterato ei præcipit, ne aliud loquatur, quàm quod ipſe iuſſerit, vnde iterum videmus, quòd Balaam alia intentione iter arripuerat, iamq; prioris prohibitionis oblitus fuerat. Auaritia enim facit, vt facile obliuiſcamur diuinorũ præceptorum, &c.

Occurrit illi Balac in oppido Moabitarum.

Occuſus ille ſaris indicat in quanto honore habit ſint ſacerdotes & doctores etiam apud paganos. In omni enim lege, naturali, ſcripta, diuina & gentium iure ſuus honor manſit ſacerdotibus. Sic in Aegypto alijs poſſeſſiones ſuas vendere coactus, ſacerdotes im- Gen. 147.
munes erant. Sic impius Nabuchodonosor Ier. hono- Ier. 39.
rauit. Sic Darius Perſa Eſdram cum alijs Leuitis. Sic 1. Eſd. 7.
Alexander magnus Hieroſolymam cum ira veniens, viſo ſummo ſacerdote, eum adorauit. Similia pietatis exempla videmus in Conſtantino & Theodoſio Imperatoribus. Pudeat igitur Chriſtianos, ſi non ſummum honorem deſerant ſacerdotibus Dei miniſtris, &c. Cæterum, quòd rex hic tanta præmittit ipſi

ANNOTATIONES

Balaam, id eo fecit vt loqueretur ei placentia, tantisper enim mundus prædicatores honorat, dum loquuntur que non offendunt. Cùm autem vel leuiter eos attigerunt, abijciunt, sicut infra videbimus, vbi Balach ipsum, quem nunc summè honorat, sine omni honore abiecit. Pius homo veritatem audit, non tantùm cùm blanditur, sed etiam cùm mordet.

Ecce adsum. Nunquid potero loqui aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?

Pia vox fuisset, si ex animo hoc dixisset. Prædicator enim in nullius gratiam aliter loqui debet, quàm à Deo audiuit. Verùm hic alia intentione hoc dixit. Previdebat iam se non posse maledicere ad nutum regis, idè quasi dolenter hoc dicit, & veluti excusationem præmittit, ne irâ regis incurteret. Longè aliter Christus suos instruit. Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus. Timete eum, qui potest corpus & animam perdere, &c.

Matt. 10.

CAPVT XXIII.



In hoc capite incipit prophetia ipsius Balaam, in qua planè videbimus verè dictum esse: Non est sapientia, non est fortitudo, non est consilium contra Dominum. Item que: Dominus dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum, &c. Hic enim simul stant prophetae famosissimi & rex prædiues potensque, qui totis viribus in hoc incumbunt, vt populus Israel malediceretur. Nec tamen vel vnum verbum contra ipsum dicere potuerunt, vt vel ex vno hoc loco fidem nostram in Deum confirmare possemus, & discere Deum potius timendum esse, quàm homines etiam quoscunque.

Manè autem factò, duxit eum Balac ad excelsa.

Satis pomposè & in speciem magnificè orditur Balaam suam diuinationem. Primò in excelsum montem se duci permittit, vbi totum populum videret. Deinde non vnum, sed septem altaria ædificat, & super

ha.

PROV. 21.

PSAL. 32.

Singula binas hostias immolat, ne quis aliter suspicari
 posset, quam ex Deo ipsum oīa facere. Præterea ipsum
 etiam nomen Dei summi nominat, vt videatur ef-
 se cultor Dei. Postremò secedit quasi secretè in oratio-
 ne voluntatem Domini quæsiturus, cū tamen nihil
 quæreret nisi auguriū, vt infra dicitur. Quis cogitas-
 set hunc prophetam malè quid conari? Sic diabolus ^{Infra 2. 2.}
 magnifica specie totum mundum ab exordio decepit.
 Hac enim via primò idololatriam in mundum intro-
 duxit, postea in Ecclesiam hæreses & superstitiones. In
 scripturis videmus quòd pseudoprophetæ semper pō-
 paticè & magnifica specie sua egerunt, vt patet Exod.
 7. & 3. Reg. 18. & 22. Act. 8. & 13. Contrà Prophetæ bo-
 ni & Apostoli semper simpliciter verbum Dei propo-
 fuerunt, imò & ipsi nulla magnifica specie spectabiles
 erant, cū plerunq; pseudoprophetæ docti & spectabi-
 les fuerint. Deinde in scriptura videmus q̄ diabolus
 semper sua mendacia sub nomine Dei obtulit, vt fa-
 cilis recipere, sicut & nunc suas superstitiones,
 &c. sub eodem nomine Dei vendit, vt simplices deci-
 piat. Hæc igitur nos mouere debēt, ne facile credamus
 etiam ea, quæ sub magnifica specie proponuntur. Nā ^{2. Cor. 11.}
 etiam diabolus se transfigurare potest in angelum lu-
 cis. Tam firmus igitur debet esse Christianus in fide
 sua, vt cū Paul dicat: Etiam si angelus de cælo annun- ^{Gal. 1.}
 ciaret præter id, q̄ accepimus, anathema sit. Hæc non
 temerè moneo, nimis enim faciles sumus ad credendū
 cuius, qui nomen Dei præ se fert, cū tamen iam non se-
 mel experti simus cum nostro dāno huiusmodi dece-
 ptiones. Quid aliud decipit rusticos tumultuantes, ut
 anabaptistas, Zuinglianos & quoscunq; qui ab Eccle-
 sia se separant, nisi bona & magnifica illa species, qua
 semper audiunt iactari tuangelium, verbum Dei, glo-
 riam Dei, &c? Meritò igitur audiendus nobis est Ioan-
 nes, qui dicit: Nolite omni spiritui credere, sed proba- ^{1. Ioan. 4.}
 te spiritus an ex Deo sint. Quòd si ex teipso spiritus
 huiusmodi probare non potes, adhære inseparabili-
 ter Ecclesiæ, & securus eris.

ANNOTATIONES

Occurrit illi Deus & posuit verbum in os eius.

Ex hoc verbo patet vnde Balaam habuit tot pia verba quæ postea protulit, nempe non ex se, sed ex Deo. Nã
I. Reg. 19. ipse quærebatur auguriũ, sed Deus ei occurrit. Videmus hinc quòd etiam malis datur spiritus prophetiæ aliquando, vt patet de Saule & isto Balaam. Nemo igitur de huiusmodi donis gloriatur. Emphasim autem habet, quod dicit, posuit verbum in ore eius, nempe non in corde. Non aliter igitur Balaam prophetauit, quàm prius asina eius locuta fuit: neuter enim verbũ in corde habuit, sed tantum in ore. Veri autem prophete verbũ Dei in corde & ore habuerunt. Sic David ait:
Psal. 84.
Zach. 1. Audiã quid loquatur in me Dominus. Sic Zacharias:
Ezech. 1. Angelus, inquit, loquebatur in me. Hinc Ezechiel dicit se cibatum fuisse libro, vnde & venter eius impletus sit.

De Aram adduxit me Balac.

Hoc quasi admiratiuè loquitur, quasi dicat. Magnis laboribus & impensis huc veni, & ecce coram positus fateri cogor me nihil contra Deum posse. Nemo igitur quicquã præsumat contra Deum. Sicut lutũ in manu figuli, sic vos in manu mea, dicit Dominus apud Hieremiam.

Quomodo maledicam, quem non maledixit Deus?

Expressè hinc fatetur sanctos & credentes benedictos esse. Deinde quòd nemo eos maledicere potest. Postremò quòd etiã aduersa quæcunq; ipsis non sunt maledictio, sed benedictio. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Vide igitur quàm benè sit credentibus quæ benedictionem Dei habent. Discamus hinc, ne & nos quenquam maledicamus, hoc est iudicemus aut condemnemus, quem Deus non maledicit, Imò quia non videmus corda hominum, nõ est nostrum iudicare quemquam.

Populus solus habitabit, & inter gentes non cõputabitur.

Ad literam Israelitè non fuerunt computati inter alios populos, sed ab omnibus separati, primò per fidem vnius Dei, secũdò per circumcisionem, tertio per
specia.

specialem legem. Non enim fecit taliter omni natio. Pfal. 147
 ni. Spiritualiter etiã impletur hoc in omnibus creden-
 tibus, qui veri Israelitæ sunt, ab omnib. enim gentib.
 separati sunt in vnam Ecclesiam, in vnum corpus, sub
 vno capite. Deinde soli habitant, qui soli benedictio-
 nem hereditate possident, quam Deus Abrahæ promi-
 sit. Præterea qualescunq; prius fuerint, siue Iudæi, si- Gen. 12.
 ue gentes, siue hæretici, siue peccatores, postquã cre-
 diderunt, nõ amplius inter gentes reputantur aut pec-
 catores. Postremò in futuro iudicio etiam corporali- Matt. 25.
 ter ab impijs separabuntur, vt Christus ait, &c.

De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo eum.

Causam reddit, vnde sciat populum hunc benedictũ
 esse, & solitariẽ habitaturum. E summis, inquit, silici-
 bus hoc vidi, hoc est, ex consideratione sanctorum pa-
 trum, vnde ortum habent, hoc perpendere possum.

*Moriatur, inquit, anima mea morte iustorum, & fiant no-
 uissima mea horum similia.*

Bona precatio si non impedisset eam impia vita.
 Sic omnes optamus mortem sanctorum, vel bonum
 exitum. nihil tamen curamus de bona vita, quẽ via est
 ad felicem mortem. Videmus igitur hic sanctos nedũ
 in vita præsentis esse benedictos, sed etiam mortem i-
 psum esse sanctã & optabilem, imò preciosam, quã Pfal. 15.
 tamen impij frustra optant & orant, quam diu sancto-
 rum vitam non imitantur.

Veni mecum in alium locum, vnde partem Israel videas.

Pulchrẽ hic videmus conditiones impiorum, quas Pfal. 18.
 David in Psal. describit. Dixit, inquit, insipiens, non
 est Deus, corrupti sunt, &c. Os eorum maledictione
 plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum
 sanguinem. viam pacis non cognouerunt, non est ti-
 mor Dei ante oculos eorum, Dominum non inuoca-
 uerunt, trepidauerunt timore, vbi non erat timor, &c.
 Omnia hæc in his duob. videmus, exemplifica per sin-
 gula experti fuerant Deum ipsis resistere, & tamen nõ
 cessant, imò denuo contra Deũ pugnare instituunt. O-
 peruerſitatem. Existimas ô homo qui talia facis, quòd Rom. 2.

ANNOTATIONES

Rom. 2. tu euades iudiciū Dei? An diuitias bonitatis eius con-
 temnis, & cat. Deinde ad alium locum se transie-
1er. 23. runt quasi Deus non sit vbique, aut quasi pij non in
 omnibus locis sub cura & manu Dei sint. Quid stul-
 tius? Nunquid Deus è vicino tantum sum, & non et-
 iam Deus de longè? Nunquid abscondetur vir, & ego
 non videbo eum?

Ædificauit septem altaria, &c.

Viderat priores sumptus in ædificandis altaribus
 frustra factos esse, & tamē alios sumptus impedit. Sic
 impij nec labori, nec sumptibus parcunt, vbi mundo
 seruiendū est, ad Dei cultum omninō tepidi. Certatim
 magno studio seruiunt mundo, paucissimi autē Deo
 seruiunt. Cū tamen mundus malignè suos premietur,
 Deus autem abundantissimè. O cæcitarem. Quā benè
 nobis esset, si dimidium earum rerum in seruitiū Dei
 expendere mus, quas pro mundo expendimus. Vide
 autem & aliam cæcitatē. Cor, intentio & opus eorum
 mala erant & contra Deum, & tamen putabant exter-
1ler. 7. num cultum Deo placere. Sic olim Iudæi faciebant,
 contra quos prophetæ clamabant, præsertim Hiere.
 Iridem & nos facimus. Attendendum igitur, quid Mi-
Mich. 6. cheas dicat huiusmodi preposteris Dei cultorib. Indi-
 cabo, inquit, tibi ó homo, quid bonum sit coram Deo,
 nempe facere iudicium, diligere misericordiã, & sol-
 licitè ambulare cum Deo.

Sta Balaam & ausculta, audi fili Saphor

Hæc est secunda benedictio, quā Balaam etsi inui-
 tus super populum Israhel dixit. Vbi iterum videmus &
 Dei potentiam cōtra impios, eorū conatus impediē-
Zach. 2. do: & misericordiam erga pios, omnes impiorum co-
Psal. 90. natus in bonū ipsorum conuertendo. Ego, inquit, ero
 murus igneus in circuitu eorum. Vnde Dauid: Ipse li-
 berauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.
Psal. 108. Et in Iob dicitur de pio homine. A flagello linguæ ab-
 sconderis. Et Dauid de aduersarijs suis: Maledicent
 illi, & tu benedices. Quòd autem Balaam hic tam ma-
 gnificè loqui incipit, quasi singula verba geminando,
 more

more pseudoprophetarum facit, qui magis attendunt eloquentiã, quàm vtilitatem. Quamuis etiam hoc nõ sine Dei prouidentia factum est. Maluisset ille verba benedictionis occultè proferre, vel saltem obscure, ne regẽ offenderet, sed Deo sic visum erat, vt aperte benediceret & subinde repeteret ad maiorem sui & regis confusionem, æternam autem fidelium consolationẽ. Benedictus igitur Deus qui per hominem etiam impium tam consolatoria verba nobis locutus est.

Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.

Sensus est: Ego quidem iussu tuo ò rex mutavi locum, sed nõdum inuenio mutatum Deum, imò video Deum immutabiliter in verbo suo persistentem. Hoc verbum obseruatu dignissimum est. Nam mirabiliter confirmat fidem nostram contra desperationẽ. Potissima enim causæ dubitationis est, quòd Deum eiusque verbum non aliter æstimamus, quàm hominem, & hominis verbum. Itaque cū videamus hominem verba sua sæpè mutare, nunc metu, nunc spe, &c. putamus etiam Deum tam inconstatem in verbis. Sed quid dicit spiritus sanctus? Non est Deus vt homo, &c. Psal. 82. Huc pertinent scripturæ. Quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Item: iurauit Dominus & nõ poenitebit eum. Item, Sicut descendit imber de celo, Psal. 10 & illuc vltra non reuertitur, sic erit verbũ meum. Cec. 12. 55. tum est autem, quòd Deus verè credentibus promisit gratiam, auxilium, nutrimentum, vitam, salutem. In peccato autem perseverantibus comminatus est iram, poenam, mortem, damnationem. Itaq; si te desperatio tentat, cogita hoc verbum: Non est Deus vt homo &c. Dixit, & non faciet? E contra, si quis tibi impunitatem peccatorum persuadere conatur, similiter cogita hoc verbum, &c.

Ad benedicendũ adductus sum, benedictionem prohibere nõ valeo.

Supra dixerat: Quomodo maledicam ei, cui Deus supr. ca. 22 non maledixit? Hic autem manifestè dicit se benedictionem prohibere non posse. Nec mirũ quòd homo

ANNOTATIONES

Job. 41. hoc non possit, cum etiam diabolus, cuius fortitudini
Job. 1. nihil in terra æquale est, nō potuerit nocere ipsi Job,
 nisi prius petita à Deo licētia. Hinc igitur merito gau-
 dent & triumphant omnes pij, quēadmodū Paulus,
Rom. 8. cū dicit: Scimus quoniam diligentibus Deum, &c. Si
 Deus pro nobis, &c.

Non est idolum in IACOB, &c.

Hæc est causa, cur super populum istum maledictio
 cadere nō potuit: quia, inquit, non habent idolum, sed
 Dominus Deus eius cum eo. Non colunt impietatem
 ut aliæ gentes, sed vnum & verum Deum. Vbi enim
 non est peccatum, non est maledictum etiam si exter-
 nē aduersa ingruant. Deinde qui Deum secum ha-
Iac. 1. bet, is benedictionem omnium rerum habet. A Deo
 enim omne bonum procedit. Hinc igitur discamus,
 quibus medijs & maledictionem effugiamus, & be-
 nedictionem consequamur. Quis, inquit, est homo
Deut. 27. qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Diuerte à ma-
 lo & fac bonum, &c. Sic in Deuterōn. benedicuntur
 pij, maledicuntur impij. Obseruandum, quōd Hebræi
Eccl. 1. hic aliter legunt, nempe sic: Non est labor in Iacob,
 nec afflictio in Israel. quo verbo differentiam facit in-
 ter pios & impios. Apud impios nihil aliud est, nisi la-
 bor & afflictio spiritus. Magno labore & solitudine
Sap. 5. temporalia acquirunt. Ambulant enim vias difficiles.
Matt. 6. Pij autē regnum cælorum quærentibus omnia spon-
 tē adiunguntur. Sic filij Israel terram Chanaan citra la-
 borem obtinuerunt. Aperiebatur illis Iordanis, cade-
 bant muri Iericho, pugnabatur de cælo pro eis cōtra
 hostes, ut verum sit: Non est labor in Israel, &c. Inte-
 rim aliæ gentes vix magno labore hostes suos supe-
 rant, &c. Hoc igitur verbo promittitur facilis victo-
Psal. 67. ria pij omnibus contra quoscunque aduersarios. Do-
Matt. 28. minus enim ipse dat virtutem & fortitudinem plebi
 suæ. Ecce, inquit, ego vobiscum sum omnibus diebus,
 &c. Vnde & hīc subditur.

Dominus Deus cum eo & clangor victorie.

Hinc discimus, vnde sit fortitudo piorū. Deus (in-
 quit

quit Paulus) per nos triumphat. Et David: Dominus docet manus meas ad prælum. In Deo faciemus virtutē, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Clangor victoriæ regis nostri est sacra scriptura, quæ vbiq; prædicat potentiam Domini contra diabolum & impios. Vnde & liber bellorum Domini dicitur. Hic clangor, & hæc scriptura mirabiliter nos confortat in tētatione. Ad maiorem autem cōfortationem piorum, comparat Deum vnicornī. Fortitudo, inquit, eius sicut vnicornis, quod est animal fortissimum & indomabile; vt in Iob dicitur. Nunquid seruiet tibi Rhinoceros, &c. Quanquam & hīc non paruum mysterium lateat: sicut enim Rhinoceros non capitur, nisi in sinu virginis, sic Deus fortissimus à nullo sic capi potuit, vt à virgine sanctissima.

Non est augurium in Iacob, nec diuinitio in Israel.

Causam assignat, cur Deus potius cum hoc populo est, quàm cum alijs, quia, inquit, illi soli Deo seruiunt, nihil impietatis in eis videtur, sicut in alijs gentibus. quomodo igitur à Deo relinquerentur? Qui aliunde, quàm à Deo auxilium quærunt, meritò ab ipso relinquuntur. Reliquistis me, inquit, & ego reliqui vos. Vnde & Ochosias à Beelzebub quærens auxilium sententiam mortis à Deo accepit. Obseruandum hīc, qualis debeat esse populus Dei, nempè, vt non studeat diuinationibus, sed à solo Deo pendeat.

Temporibus suis dicetur Iacob & Israel.

Q. d. Magna in præterito fecit Deus populo huic, sed maiora faciet in futuro. Hoc impletum fuit tempore Iosue. Maximè autem tempore Christi. Sic & tempore suo de omnibus pijs dicetur, quid Dominus ipsis facturus est. Nunc quidem filij Dei sumus, sed nondū apparuit, quid erim⁹. Scimus autē, quòd cū apparuerit, similes ei erimus, &c. Expectam⁹ enim Dominum Iesum Christū, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. Tunc, inquam, dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis. Magnificauit Domin⁹ facere nobiscum, facti sumus lætantes, &c.

ANNOTATIONES.

Ecce populus vt leona confurget.

Leo fortissimum animal, & rex animalium dicitur sic populus ille fortissimus erit, & cæteris gētib. dominabitur: nec quisquā ei resistere poterit. Impletum tempore Iosua & Dauidis, &c. Allegoricè impletum in Christo & Apostolis. Nā Christus vt leo resurrexit à mortuis, & ex tunc omnib. fortior factus est, omnibus dominatur, omnia sibi subiecit. Moraliter impletur in pijs omnibus, qui à Christo assumunt fortitudinem, cui resistere non possunt omnes aduersarij eorū. Imo talem fortitudinē, vt nec diabolus, nec mundus, nec mortem timeant. Fugit, inquit, impius nemine persequente. Iustus autē vt leo confidit. Vnde Paulus: Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio? &c. Hæc est benedictio piorum, cū in cōtrā de impijs dicatur: Dabo eis cor pauidum, & inærentes oculos, &c.

CAPVT XXIIII.

IN hoc capite pergit Balaam benedicere populum Israel. Non enim vna tantū benedictione dignus est, qui Deo seruit, vt patet Deute. 27. & 28. Multa autē & magna prædicit de hoc populo, ita tamen, vt etiā mysteria Christi nō leuiter attingat. Hūc enim vbiq; sapit, & redolet scriptura, adeo, vt qui Christum in scripturis non inuenit, nō putandus sit scripturas intelligere. Vbiq; n. Deus Christū scripturis inclusit & inuoluit, sed ita, vt solis electis inueniatur. Quēadmodum enim qui thesaurū aliquē magnum per hostium terram transuehere vult, non in aperto thesaurum ponit, sed abscondit nunc huc nunc illuc, vbi minus putet ab hostibus inueniri: sic Deus filium suum in scripturis inclusum per hostium terram ad nos transuexit, vt hostes quidem scripturas viderint, &c. Christum tamen inuenire nequaquam potuerint. Nos autem reuelata facie ipsum videmus. Vnde & Christus nobis dicit: Scrutamini scripturas, illæ testimonium perhibebunt de me.

Cumque vidisset Balaam, quod placeret Deo, &c.

Quantūuis impius esset, tamen semel atq; iterū expertus

Apo. 5.

Prou. 28.

Rom. 8.

Leui. 26.

1. Cor. 3.

Iuan. 5.

pertus Deū Israelitis adesse, nō ampli⁹ Deo repugnat, atq; eo factō, multis Christianis melior fuit, qui etiam vidētes Deū ipsorum conatibus aduersari, tamē relu-ctātur, donec pereant. Durum est cōtra stimulū calci-
 trare. Horrendum est incidere in manus Dei viuētis. Act. 9. Heb. 10.
 Expert⁹ est hoc Pharaō & alij. Super quē ceciderit la-
 pis iste, cōteret eum. Me ergo nō timebitis? ait Domi- Matt. 21. Ier. 5. 1. Pet. 5.
 nus. Cognita igitur Domini voluntate humiliemus
 nos sub potenti manu Dei. Sic fecit Abrahā, Isaac, &
 omnes sancti. Sic Paulus persecutor ecclesiæ audiens
 voluntatē Dei, statim dixit: Domine, qd me vis facere? Act. 9.
Dixit Balaam filius Saphor, &c.

Magnificè orditur hāc tertiā prophetiā, vel benedi-
 ditionē. Nimirū, vt auditores faciat attentos. Primò
 enim & nomen & genus suū nominat, deinde cōfite-
 tetur, q̄ hactenus auaritia excæcatū habuerit mentis
 oculum. Dixit homo, cui⁹ obturatus est oculus. quan-
 quā alij aliter legant, & omninō cōtrariē, nēpē: Dixit
 homo, cuius apertus est oculus. quod & magis textui
 cōcordare videtur: Licet etiā superius illud nō reiciē-
 dum. Verē. n. obturatum habuit oculū, tum propter
 auaritiā, tum etiā, quia cognitionē vel spiritū prophe-
 tiæ habuit sine gratia iustificāte, & quæ vidit, tantū
 pro alijs vidit, non ad salutē suā. Magnificè aut loqui-
 tur se & visiones Dei vidisse, & sermones audisse, vel
 ex iactātia, vel vt attentiores essent auditores. Postremò
 addit sibi post casum apertos esse oculos. Impij. n. non
 vidēt ante casum, sed tunc primū aperiuntur eis ocu-
 li, cū ad profundum peruenerunt, iamq; emergere
 nō possunt. Sic diuiti illi in inferno primū aperti sunt Luc. 10.
 oculi, vt & seipsū, & Lazarum rectē cognosceret.

Quām pulchra tabernacula tua Iacob, &c.

Ab eo, quod externē videbat, nēpē, ordine castro-
 rum, incipit commen-dare populum, vt paulatim per-
 ueniat ad futuram populi felicitatem prædicandam.
 Qualis autem fuerit ordo castrorum, & quām meritō
 commēdandus, suprā audiimus. Ordinem enim ser- Num. 1. & 3.
 uare, est res laudatu digna de se, maximē aut, vbi oīa
 finaliter

ANNOTATIONES

finaliter in Deum ordinata sunt, & quisque sic sue vocationi inseruit, & in ordine suo manet, vt tamen omnes Deum præ oculis habeant, quemadmodum in populo Israel fuit. Meritò igitur exclamat Balaam. *Quam pulchra tabernacula tua, &c.* Comparat autem populum sic ordinatum valli nemorosæ, quæ vmbra & refrigerium præbet pertransētibus. Item cōparat ipsum hortis circa aquas irriguis, qui nunquam marcescunt. Denique & cedris iuxta aquas, qui in immensum crescunt, alijsque arescentibus, ipsi permanent, quia humorem habent. q. d. En rex, vel ipsa externa castrorum species te docere potest populum hunc non malè habiturum. Primò enim apud ipsos est vmbra diuinæ protectionis, de qua psal. Sub vmbra alarum tuarum protege me, nihil igitur ipsis incōmodare poteris. Deinde apud ipsos est fluuius gratiæ, semper igitur florebit vt horti, & crescent vt cedri, vel tenuito & reclamante. Meritò autem populus hic horto cōparatur, quia verum & vnicum illum florē Christum nobis produxit, de quo in Isaia: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ostendet, &c. Meritò etiam cedris comparatur, nā multos insignes & sanctissimos patres habuit ad cælum vsque pertingentes, Omnia tamen hæc perfectius impleta sunt, & implentur in Ecclesia. Ipsa enim est verus Israel non litera, sed spiritu. Ipsa est generatio quærentium Dominum. Ipsa est vallis illa, in quam confluunt è montibus omnia fluentia gratiarum. In ipsa est verè vmbra diuinæ protectionis. Ecce, inquit, vobiscum sum, &c. In ipsa sunt flumina & aquæ consolationis. Venite ad me, inquit, & cæt. & inuenietis requiem animabus vestris. Et iterum: In me pacem habebitis. Ipsa est hortus ille cōclusus, cuius odor totum mundum peruagatus est. In ipsa denique multi cedri creuerunt & crescunt, sicut Isaïas prædixit: Dabo in solitudine cedrum, & myrrham & lignum oliuæ, &c. Talem, tamque pulchrum Ecclesiæ decorem vidit Balaam. Eundem vidit & Dauid, cùm diceret de Christo: Astitit regina à dextris tuis

Isa. 11.

Rom. 9.
Psal. 23.

Matt. 28.

Matt. 11.
Ioan. 16.

Isa. 41.

Psal. 44.

tuis in vestitu deaurato, &c. Item cùm dixit: Quã di. Psal. 83.
 lecta tabernacula tua, &c. per totum. Item cùm dixit: Psal. 25.
 Odiui ecclesiam malignantium, & cum impijs nõ se-
 debo, &c. Domine dilexi decorem domus tuę, &c. Ta-
 lis etiam nunc deberet esse facies ecclesię, vt qui eam
 vel à longè viderent, admirari cogerētur. Talis fuit in
 principio. Et quãuis ecclesię decor potissimũ abintus
 sit, in fide scilicet & dilectione, &c. tamen etiam exter-
 nus decor ecclesię necessarius est. vnde Paulus vult, vt Phil. 2.
 simus tanquam luminaria mundi. Et Petrus, vt bonã 1. Pet. 2.
 inter gentes conuersationem habeamus, &c. Væ igitur
 omnibus, quorum culpa factum est, quòd ecclesia
 pristinum decorem suum perdidit. Qui vnum pusillũ
 scandalizat, (ait Christus) huic melius esset, vt suspen- Mart. 18.
 sa ad collum eius mola asinaria mitteretur in profun-
 dum maris. Quid igitur commerentur hi, qui totam
 ecclesiam perturbant, malis exemplis inquinant, per-
 ueris erroribus inficiunt, destruunt, quod alij ædifi-
 cãrunt, & cæt. faciuntque, vt nihil aliud, quàm spinę
 & vepres nascãtur, vbi prius omnium genera florum
 & fructuum nascebantur. Aduigilemus igitur omnes,
 vt ecclesia iterum talis fiat, qualem hęc Balaam futu-
 ram esse prędixit. Tũc enim verè securi erimus. Quis, 1. Pet. 3.
 inquit, vobis nocebit, si boni æmulatores fueritis? Si
 autem, omnibus hostibus nostris prędæ erimus, quę
 admodum & Israelitę, postquam ordinem à Moysse in-
 stitutum destruxissent, &c.

*Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas
 multas.*

Commendat Israelitas hoc verbo de vera sapien-
 tia, quę per aquam significatur, iuxta illud: Aqua sa- Eccl. 13.
 pientię salutaris potauit illum, &c. Itemque: Me de. 1er. 2.
 reliquerunt fontem aquę vitę, & foderunt sibi ci-
 sternas dissipatas. Itemque: Fons sapiētĩę, est verbum Eccl. 1.
 Dei. Hanc aquam verę sapiētĩę Israel prę omnibus
 genibus habuit. Ipsi enim credita sunt eloquia Dei. Rom. 9.
 Vnde psalmus. Qui emittit eloquiũ suum Iacob, &c. Psal. 147.
 Non fecit taliter omni nationi, &c. Et Baruch: Dedit Bar. 3.
 eam,

ANNOTATIONES

eam, id est, veram sapientiam Iacob puero suo, & ceteris. Ab Israelitis autem vera sapientia ad alias etiam gentes peruenit. De *yon* exhibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Situla huius populi fuit Christus, in ipso enim omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi sunt. Ipse plenus gratia & veritate. In ipso omnes promissiones amen & etiam. De plenitudine eius omnes nos accepimus. Unde clamat: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

Tolleitur propter Agag rex eius, & eleuabitur regnum illius.

Sic habet textus noster, quod & omnes vnanimititer exponunt de Saule, qui ideo regnum perdidit, quod regem Agag non occiderat, iuxta verbum Domini. Caeterum, in Hebraeo habetur: Super extolleitur praesul super Agag rex eius, & crescet regnum eius, hoc est, quantumuis populus hic non rege careat, tamen olim fortissimos reges habiturus est, & longe fortiores, quam Agag, qui Amalechitarum rex erat tempore Saulis, quem & Saul cepit, & Samuel eum occidit. Impleta est igitur haec prophetia primo in Saule, deinde in Dauid & Salomone & alijs. Maximè autem in Christo, qui in vestimento suo scriptum habet, rex regum, & Dominus dominantium. Unde Origenes hic legit: Exaltabitur super cetera regnum eius, quod verè in Christo impletum est.

Deum eduxit eum ex Aegypto, &c.

Hic commendat populum à fortitudine & debilitatione inimicorum. Deum, inquit, habent protectorem & ducem, ideo fortitudo eorum vt Rhinocerotis, cui nullum animal resistere potest. Hoc contigit tempore Iosue. maximè autem in Christo impletum est, qui verè vnicornis omnia regna destruxit & destruet, vt solū regnum ipsius maneat, sicut vnicornis vnum tantum cornu habet.

Accubans dormiuit vt leo, & quasi leona, quam nullus suscitare audebit.

Hic commendat eorum securam inhabitationem in terra promissa. Nemo, inquit, cum suscitare audebit, Quod

**Isa. 2.
Col. 2.**

**Ioan. 1.
2. Cor. 1.
Ioan. 1.
Ioan. 7.**

2. Reg. 15.

Ibidem.

Apo. 19.

Das. 7.

Est. Quod verum fuit, quàm diu in cultu vnus Dei permanserunt, tunc enim nihil contra ipsos poterât, quantumuis fortes aduersarij. Exempla habes 2. Paral. 14. & 20. & 32. & c. Allegoricè Christus in passione accubuit, sed vt leo surrexit, omnibus deinceps fortior. Mysticè etiam securitas verè fidelium hic describitur, de qua & aliàs in scripturis multa. Orietur, inquit, in diebus eius iustitia & abundantia pacis, & cæt. Sedebit vnusquisque sub ficu sua, & nõ erit, qui exterreat. Item: Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo, & cæt. Felices igitur pij. Vnde & merito subditur: Qui benedixerit tibi, sit ille benedictus, & cæt.

Iratu Balach contra Balaam, & c.

Hoc est ingenium mundi. Tantisper audit prophetas, dum sperat placentia audire, quod si non consequitur, statim incipit persequi prophetas. Sic Balach hic abigit à se prophetam, quem magnis præmijs inuitat. Veritas odium parit, ait Comicus. Hoc nõ Balaam solus, sed omnes quoque alij Prophetæ, Apostoliq; imo etiam Christus experti sunt. Nolite, inquit, mirari, si odit vos mundus: Me enim priorem odio habuit.

Nõne dixi tibi? & c.

Videns iram regis, incipit se excusare, vt tamen in alio regis fauorẽ sibi conciliet: & ne in glorius dimittatur, promittit se regi consilium daturum contra Israelitas, quod quale fuerit, sequens caput demonstrabit. Itemq; Caput 31. huius libri, & cap. 2. Apo. Hic igitur iterũ se prodit impietas huius prophetæ, apparetq; quàm verè dixerit sibi obturatũ esse oculum. Verè obturatus homo, qui propter pecuniã nõ timuit consiliũ dare cõtra populũ, quẽ a se tẽa semel atq; iterum dixerat à Deo benedictum. Meritò igitur Petrus eum dicit fuisse typum pseudoprophetarum omnium, & c. Vt iam nunc nulli essent eius similes vel peiores, & c.

Orietur stella ex iacob, & consurget virga de Israel.

Hæc est quarta prophetia ipsius Balaã, circa quam iterum

ANNOTATIONES

iterum de nouo exordium facit, sicut prius vt auditor. res attentos reddat, & meritò: Nā quæ sequuntur, maximè ad tēpus Christi pertinent. Vnde præmittit. Videbo eum sed non modo, &c. Q. d. quæ nunc dicturus sum, post longa tempora fient. Aliqui tamen exponunt hoc primum verbum de temporali prosperitate Israelis sub Dauide & Salomone. Alij de perditione Moabitarum, vt sit sensus: video nunc eum, qui Moab perdet, sed non tam prope est, vt tu iam times. A longè video eum nempe Dauidem. Nostri hoc verbum exponunt de primo aduentu Christi. vt sit sensus: Multus est populus Israel, sed vnus quendam in ipsis video, qui omnes excellit, imò non in præsentia video, sed videbo: latet adhuc post multa tempora reuelandus. Videbo tamen eum non in mea persona, sed in posteris meis. Iam enim præuidebat, quomodo magi illi è sua stirpe descendentes Christum visuri essent & adoraturi, &c. Alij hoc verbum ad secundum Christi aduentum referunt, tunc enim etiam impij eum videbunt, quem tamen in præsentia non agnoscunt. Pij etiam nunc vident Deum & Christum eius. Vidi, inquit, Dominum facie ad faciē, &c. Et Iob: Auditum auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Et Ioānes: Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre. Impij autē in futuro tantum videbunt. Videbunt, inquit, in quem transfixerunt. Item: Peccator videbit & irascetur. Item: Videbunt & confundentur. Felices, qui hinc Christum vident. Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solūm Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Orietur stella ex Iacob, &c.

Iudæi volunt Dauidem hinc significatum fuisse, qui Moabitas & Idumæos deuicit. Is dicitur stella propter sanctitatem, virga autem propter regiam dignitatem. Melius tamē intelligitur de Christo, qui est stella splendida & matutina, sol iustitiæ Malach. 4. Lux mundi, Ioan. 8. Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. lux oriens ex alto illuminare his,

Matt. 2.

Gen. 32.

Iob 42.

Ioan. 1.

Zach. 12.

Psal. 111.

Isa. 26.

Ioan. 17.

Apo. 22.

Ioan. 1.

Luc. 1.

his qui in tenebris & vmbra mortis sedent, &c. Christum igitur nominat stellam & virgam. Stella in cælo oritur, virga è terra nascitur. Per hoc igitur indicat Christi duplicem natiuitatem, vnam scilicet ex patre, alteram ex matre. Itemque Christi duplicem naturam, diuinam scilicet & humanam, atque adeo totam Christi personam hoc verbo explicat. Sensus enim est, è populo Israel prodituram lucem veritatis, & cæleste imperium. Nominando igitur stellam alludit ad eam stellam, quæ magos vsque ad Christum duxit. Nec dubium quin magi ex hac prophetia vel maximè permoti sint ad sequendam stellam. Nominando autem virgam al- Matt. 21
ludit ad illud Psalm. Ego constitutus sum rex ab eo, &c. Dominus dixit ad me, &c. Reges eos in virga fer- Psal. 21
rea, &c. In hoc igitur verbo & articulos fidei habemus, nempe de diuinitate & humanitate Christi. Hæc autem Deus etiam per gentilem & impium hominẽ prædicere voluit, nimirum vt nos fortiùs in fide Christi confortemur videntes non solos Apostolos hæc docuisse, sed omnes Iudæorum & gentium prophetas hæc præcinuisse. Aduersariorum igitur scripta confirmant fidẽ nostram, &c. Videmus etiam hic cur Deus noluerit hunc populum maledici, imò cur tantum curauerit pro hoc populo, nempe propter Christum inde nasciturũ. Si enim populus hic maledictus fuisset, aut exterminatus ab impijs, iam excisa fuisset radix, vnde Christus salus mundi proditurus erat. Ideo & diabolus tantoperè populum illũ persecutus est. Hic enim populus fuit mulier illa, quæ in vtero habebat filium; quem draco deuorare conabatur, &c. Verum be- Apoç. 12.
nedictus Deus, qui radicem defendit, donec florem illum produceret, Christum scilicet, &c.

Et percutiet duces Moab.

Descripta persona Christi, describit eius officium, quod triplex est. Primò, inquit, percutiet duces Moab, id est, dæmones, qui meritò per Moabitas designantur, hi enim populum Israel maledicere conati sunt, quod cæterorum hostium nullus præsumpsit. Primum

ANNOTATIONES

IOAN. II. igitur opus Christi est, diabolum vincere: hoc enim nemo alius potuit. Nunc, inquit, iudicium est mundi, Nunc princeps mundi eijcietur foras. Vnde & meritò **APOC. 5.** sancti clamant: Dignus es Domine Deus accipere fortitudinem, &c. quia occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo, &c.

Vastabit omnes filios Seth.

Secundum Christi officiū est, omnes homines suæ potestati subijcere. Seth filius Adæ fuit, à quo totum hominū genus processit. Per filios igitur Seth omnes **MATT. 28.** homines intelliguntur, quos omnes Christus sibi subiecit. **IOAN. 12.** Data, inquit, est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Item: si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. Huc pertinet illud **PSAL. 2.** Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Et iterum: **PSAL. 71.** Coram illo procedent Aethiopes, & inimici eius terram **PSAL. 109.** lingēt, &c. Item: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam, &c. Hoc intelligit Balaā hic per filios Seth & Idumæos, &c.

Subiecit autem sibi Christus omnes gentes non gladio corporali, sed gladio spiritus. Vnde in **APOC. 19.** Apocalypsi gladium suum non habet in manu sicut alij reges, sed in ore. hinc **ISA. 11.** Isaias: Percutiet, inquit, terram virga oris sui, &c. Cæterùm, quod dicit: Erit Idumæa possessio eius, videtur alludere ad Ecclesiam de gentibus, reprobata Ecclesia Iudæorum. In cuius typum **PSAL. 107.** David dicit: Idumæam extēdam calceamentum meum, &c. Deinde videtur hinc etiam differentiam quandam facere inter eos, quos Christus subiecit sibi. Hæreditas, inquit, Seir cedet inimicis suis, Israel autem fortiter aget, quod videtur simile ei, quod Christus dicit: In iudicium veni in hunc mundum, vt nō videntes videāt, & qui vident cæci fiant. Et **SIMEON:** Positus est in ruinam & resurrectionem multorum, &c. Et **IOANNES:** Purgabit, inquit, aream suam, &c. Summa, Christus alijs est odor vitæ, alijs odor mortis. Seir cedet hostibus, Israel autem fortiter aget. Impij perdentur, pij autē cum Christo regnabunt.

De Iacob erit qui dominetur & perdat reliquias ciuitatis.

Hic de futuro Christi regno loquitur, in quo Christus cum suis regnabit, iuxta illud: Venite benedicti, possidete regnam. Tunc quidem suos sublimabit, & ipse omnibus dominabitur. Verùm simul etiã perdet reliquias ciuitatis, id est, mundi, nempe impios, quib. dicit: Ite maledicti, &c. Vide quã apertè Balaam totum Christum nobis depinxerit, &c. Matt. 27. Ibidem

Principium gentium Amalech, cuius extrema perdentur.

Hactenus de prosperitate filiorum Israel, ac ex cõsequenti de futuro regno Christi prophetauit: Nunc ex occasione pauca etiam de gentibus prophetat, sed longè prioribus dissimilia. De Israelitis enim loquẽs, nihil nisi prospera dixit. De infidelibus autem loquens, nihil nisi de perditione ipsorum & interitu loquitur. Atque hoc est, quod Salomon dicit: Etsi peccator centum annis per patiẽtiam toleratur, ego scio quòd benè erit timentibus Deum. Vnde & Dauid: Non liamulari in malignantibus, &c. Tanquam enim fœnum velociter arescent, &c. Adhuc modicum, & non erit, peccator, &c. Amalech autem principium gentium dicitur, non quòd fuerit simpliciter primus, (fuit enim filius Esau,) sed quia primus contra populum Israel ex Aegypto egressum pugnavit. Perdendũ autem hunc populum prædicit, quod tamen post multos annos primum contigit, nempe tempore Saul. Vide igitur iudicia Dei. Nihil minus cogitabant Amalechitæ, quã futuram suam perditionem: iam tamẽ sententia in eos lata erat mortis. Itidem factum & de Cynæis, Assyrijs, Romanis. Sic igitur iam dudum omnibus impijs suę poenæ destinatę sunt, quomodo, quãdo, & per quos pereant. Timeamus & nos, ne fortè & super nos sententia perditionis lata sit, &c. Scripta enim sunt hæc ad correptionẽ nostram. Calix in manu Domini vini meri, &c. fecem autem eius bibent omnes peccatores terræ. Scrutemur igitur vias nostras, & reuertamur ad Dominũ. In peccatis enim remanẽtes non est, quòd prospera nobis promittamus, &c. Eccle. 4. Psal. 36. Gen. 34. 1. Reg. 15. 1. Cor. 10.

ANNOTATIONES

Non est pax impijs. Ceterū quòd prædicitur Amalechitis, attendant nostri pauperum & simplicium oppressores, sciantq; Dominum esse in cælis, qui videt, & requirit suorum iniurias. Sic enim Zacharias moriens **2. Para. 24** dixisse legitur: Videat Dominus & requirat.

Vidit quoque Cynæum, &c.

Cynæi erant, qui à Iethro socero Moyfi descenderunt hos dicit habere robustū habitaculū, quia gentib. & Israelitis confœderati erant, sicq; à neutris bello impetebantur. Et tamen dicit eos capiendos ab Assyrijs. Adeò nulla est securitas in mundo. Ceterum quòd hic dicit: Robustum est habitaculum tuū, etsi in petra posueris nidum tuum, &c. attendant, qui in ædificijs & fortitudine murorum plerunq; ex sanguine pauperum ædificatorum confidunt. Non te defendent muri tui contra iudicium Dei. Aedificauerant filij Adam etiā ante diluuiū, vt Christus dicit, verum quid profuit in die vindictæ? Aedificabant alij turrim Babel, quasi efugere & resistere vellent iudicio Dei, sed frustra. Ciues Hiericho firmā habebant ciuitatem, sed adueniente Iosue ceciderunt muri. Firmissimam fecerat Nabuchodonosor Babyloniam, sed tamen ex ipsa reiectus fuit, Balthasar in sua regia interfectus. Sennacherib in templo Dei adeo nullum est perfugium impijs. Stulti igitur sunt, qui in ædificijs confidunt.

Venient in trieribus ex Italia superabunt Assyrios, &c.

Mira Dei iudicia. Nondum nati erant Romani, imò nondū ædificata erat Roma, & tamen apud Deū iam decretum erat & de ipsorum victorijs, & perditione. Pulchrè autem Romanos describit. Venient, inquit, in nauibus, non cõtenti enim regno Italiæ, etiā exteras terras impugnabant. Secundò, vastabunt, verissimè dictum. Omnia enim deuastârunt, & totum mundum sanguine impleuerunt. Vnde & Daniel cùm alia regna leoni, vrsò & pardo ob sæuitiam comparâset, ad regnum Romanum veniens non inuenit aliquam bestiam, quæ crudelitati Romanorū assimilari posset. Bestia, inquit, quarta terribilis erat, omnia

conculcans, & t. Signanter autem dicit: Vastabunt Assyrios & Hebræos, quod vtrunque factum est. Nā & Asiam deuastârunt, & Iudæam. Verum audi quid sequitur.

Nouissimè etiam ipsi peribunt.

Verissimè dictum. Non, inquit, ab alijs vastabūtur, sed ipse & à seipsis peribūt intestinis discordijs. Verè enim perijt regnum & potestas Romanorum. Lapis enim ille in Daniele de monte abscisus sine manibus comminuit totam statuam illam, id est, omnia regna mundi. ipse autem creuit in montem, &c. Solum enim regnum Christi regnum æternum. Alia omnia mutabilia. Quid igitur pro mundana potentia contēdimus, qua nihil instabilius, nihil periculosius: &c. Obseruent igitur hoc vltimum verbum qui gaudent, si alijs mala inferre possunt. Miser & tamen nouissimè peribis. Felicissimi in rebus bellicis erant Saul, Sennacherib, Holofernes, Annibal, Iulius, & alij, sed finaliter miserè perierunt omnes. Obseruāda etiam hic feralis conditio hominum, quorum voluptas est sese mutuo trucidare, quod nullæ bestię faciunt. Omne enim animal diligit sibi simile, &c.

CAPVT XXV.

Hactenus Moyses multa scripsit de Balaam, diuq; ei historiæ immoratus est, maximè propter egregias illas prophetias, quas ne dum de futura prosperitate populi Israel, sed etiam de Christo & Ecclesia prædixit. Nunc igitur in hoc capite ad historiā persequendā reuertitur. Primò aut ostendit, quale fuerit consilium, quod Balaam regi Balach se daturum suprā pollicitus est. sciebat hic impius in quo cōsisteret fortitudo & prosperitas Israelitarum, nepe in præsentia & adiutorio Dei. Vnde suprā dixit Dominus Deus eius cū eo: Ideo fortitudo eius vt Rhinocerotis. Cōsurgat vt leo, &c. Ideò Deū eis auferre coatur. Sciebat autē secundo, quod Deus

ANNOTATIONES

- Ecl. 12.** peccato offenditur, & peccatum punit. Altissimus enim odio habet peccatores. Sciebat præterea populū hunc ad luxuriam pronum, ideo consuluit regi, ut amicitiam contraheret cum populo Israel, & sub specie amicitie pulcherrimas mulieres in castra mitteret, quæ filios Israel nedum ad luxuriam, sed etiam ad idolatriam incitarent. per hoc enim sciebat ipsos Deū suum offensuros. Et sicut consuluit, sic & factum est. In magna peccata, & irā Dei populum coniecit, quamquam consilium hoc tandē in ipsius caput reciderit. Nam ob id postea occisus fuit. Quòd autem Balaam hoc consilium dederit, hic quidem nō habetur, sed infra expressè ponitur. Nōne, inquit, hæ sunt mulieres, quæ ad suggestionem Balaam vos deceperunt? &c. Et in Apocalypsi. Habes tecum tenentes doctrinam Balaam, qui docuit Balach scandalum mittere cōtra Israel edere & fornicari. Hic igitur primò videmus, quid diabolus conetur contra veros Israelitas, nempe ut in peccata ipsos cōijciat, sicque Deum ipsis auferat. Non ignoramus cogitationes eius ait Paul. Nā circuit tanquam leo rugiens, &c. Cæterum non aggreditur nos vi, sed insidijs. Fingit se amicum, & maximè voluptatib. nos capit. Nihil enim est, quo citiùs capiat, quam voluptate. vnde & Scipio Romanus dicebat, bono imperatori maius periculū imminere à voluptatibus, quam ab armatis hostibus. Sic Holofernes ab omnibus hostibus inuictus, voluptate captus cecidit. Sic fortissimos quosque diabolus voluptate victos prostravit. Exemplo sint filij Seth, vel filij Dei ante diluuium, David, Samson & Salomō, Israelitæ, &c. Sic & nunc diabolus postquam Ecclesiam vincere persecutionibus non potuit, voluptate eum aggressus est, effecitque ut iam fermè nusquam maior luxuria sit & audiatur, quam inter Christianos. Omnis sexus & ætas, omnisque status hominum hoc vitio tenentur, ut quis meritò exclamare posset cū Hier. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij, &c. Instrumenta autem
- qui,

Thre. 4.

1. Cor. 2.
1. Pet. 5.

Num. 31.

Apoc. 7.

quibus diabolus veros Israelitas in luxuriam præcipitat, duo sunt, falsi scilicet prophete & mulieres Moabiticæ. Balaam consilium dat, mulieres instigant. Balaamitæ ex vna parte sunt, qui vitia non arguunt, sed conuiuent, dissimulant, excusant, adulantur magnatibus, sicque puluillos consuunt sub omni cubito vt propheta ait. Ex altera parte, qui nimis carnalia docent, peccata alleuiant, solam gratiam Dei prædicant, iudicium non item, in omnib. votis dispensant, cælibatum damnant vt hypocriticum, audent, etiam dicere coitum non minus necessarium, quàm sit cibus & potus. Hi sunt Balaam. Horum enim consilio totus mundus luxuriaplenus est, vt iam liberè & sine omni timore faciant homines, quod olim vel cogitare horrebant. O quot innocentium corda seduxerunt. Væ his, qui in via Balaam ambulant, &c. Sunt enim maculæ conuiuentes, arbores autumnales, & cæt. Qui sapit, caueat ab huiusmodi prophetis. Alterum diaboli instrumentum sunt mulieres, non tamen quæcunque, sed Moabiticæ. Nam & Israelitæ mulieres habebant, tutò tamen ipsis cohabitabant. Sexus muliebris in se malus non est, imò bona creatura Dei, ad auxilium viri creata. Vnde & scriptura multa bona de mulieribus dicit, maximè in prouerbijis. Moabiticæ autem mulieres Deum non cognoscebāt, nec credebant, aut timebant, sed impudicæ & procaces erant, & ad hoc solùm venerant, vt filios Israel incitarent ad luxuriam, &c. Tales verè sunt instrumenta diaboli. quid per ipsas operetur diabolus, experti sunt Adā, filij Seth, Loth, Samson, Dauid, Salomō, experiuntur & hodiè innumeri. Has scriptura vbiq; vituperat & fugiēdas suadet. Huiusmodi mulieres nolebat Moyses esse in populo Israel. Nō inquit, erit meretrix de filiabus Israel. Et iterum: Non sumes filio tuo vxorem alienigenam, certissimè enim subuertet filium tuum. Has & similes admonitiones oportuerat nos attendere. Verùm nihil minus factum est: & nusquam potentius regnāt huiusmodi mulieres, quàm apud nos.

Ezech. 12

Iud. 2

Matt. 7.

Gen. 2

Prou 3

Prou. 7.

Deut. 22.

Deut. 7.

ANNOTATIONES

quid igitur mirum, quòd in fornicationem cadimus, Caueamus hæc diaboli instrumenta. Caueant & mulieres, ne se patiantur fieri instrumenta diaboli. Imitentur mulieres sanctas Saram, Annam, Susannam, &c. Imò imitentur mulieres Romanas, quæ non minus contendebant se inuicem pudicitia vincere, quam viri gloria & virtute bellica. Vnde & templum pudicitiae constituerant, in quo nulla malæ famæ ingredi audebat. Erubescant mulieres Christianæ,

Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua.

Instrumenta, quibus diabolus Israelitas in fornicationem impulit, audiuius. Nunc causas videamus, harum prima fuit ocium. Morabatur, inquit, Israel, &c. id est, est, ociosus sedebat. Multum malitiã docuit ociositas. Vnde & peccatum Sodomorum dicitur fuisse ocium. Id ipsum & causa est etiam nostræ leuitatis. Omnes ocium quærimus. Propter ocium ecclesiasticum statum accipimus, &c. Secunda causa fuit crapula. Comederunt, inquit, de sacrificijs earum. Sic & Sodomitis occasionem præstitit satietas panis. Et in Exodo legimus: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Sic Noë temulentus denudatur, & Loth, incæstum committit. hinc Christus: Videte ne grauetur corda vestra crapula & ebrietate, & Paul. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Tertia causa fuit cohabitatio Moabitaram. Iuxta ignem & serpentem & mulierem nemo diu securus est. Corruptunt bonos mores colloquia praua. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Et qui amat periculum, peribit in illo. Nō igitur mirum, quod nunc fornicationibus omnia plena sunt, quando nec ocium, nec crapulam, nec cohabitationem mulierum fugimus. Hoc genus dæmoniorum nō eijcitur, nisi in oratione & ieiunio.

Et initiatus est Israel Beelphegor.

Beelphegor idolum turpissimum erat, & secundū alios dicitur Priapus. Hic autem videmus quomodo nos excēcet voluptas, & quò nos ducat, nempe ad turpissimum.

Eccl. 33.

Ezech. 16.

Ezech. 16.

Exod. 32.

Gen. 9.

Gen. 19.

Lucæ 21.

Eph. 5.

1. Cor. 11.

Eccl. 13.

Matt. 17.

pissima. Quis credidisset populum Israel tam benè institutum in tantam amentiam prolapsurum? Sed voluptas quem semel capit, dementat. Sic voluptas persuasit Amnoni, vt propriam sororem violaret. Absalon, vt vxores patris sui violaret. Salomoni, vt idola coleret. Sodomitis, vt contra naturam peccarent. Herculi, vt colum tenens neret. Et quid opus multis? Propter mulieres multi amentes facti sunt, multi occisi, & cæt. Et quis non videt, quò nos ducant mulieres? Totus fermè mundus adorat Beelphegor, id est, turpitudinem & luxuriam summum bonum æstimat, & cæt. Meritò igitur Paulus monet: Fugite fornicationem.

2. Reg. 13.
2. Reg. 16.
3. Reg. 11.

3. Esd. 4.

1. Cor. 6.

Et iratus Dominus contra populum, &c.

Hic videmus, quòd fornicatio est peccatum. Vbi enim ira Dei, ibi certò peccatum est. Soli quippè peccato irascitur Deus. Apud gentiles fornicatio non reputabatur esse peccatum. Vnde & Apostoli in primo concilio coacti fuerunt eandem prohibere. Et nunc quoque à plerisque non reputatur peccatum, adeò licenter fornicantur, cum tamen scriptura tam expressè fornicationem denunciaret esse peccatum, & quidè magnum. Fornicatores, inquit, & adulteri non habent partem in regno Christi & Dei, Et iterum: Fornicatores iudicabit Deus. Et Ioannes: Fornicorum pars est in stagno ignis ardentis, &c.

Act. 15.

1. Cor. 5.

Hebr. 13.

Apo. 21.

Suspende cunctos principes in patibulis.

Ideo puniuntur principes, quia peccatum populi dissimulabant. Non enim satis est principi, quòd ipse non peccat, sed oportet insuper peccata prohibere. Vnde Heli punitus fuit, quòd filios suos non argueret, & impio Achab dicitur: Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius. Vnde Sapiens monet: Noli quærere fieri iudex, nisi valeas vi perumpere iniquitatem. Et nostri igitur principes, imò quicumque superiores suspensio digni sunt. Ipsorum enim culpa & negligètia omnia mala turmatim in ecclesiam irruerunt & irrumpunt. Verè iudicium

1. Reg. 2.

2. Reg. 20.

Eccl. 7.

ANNOTATIONES

Sap. 6. durissimum erit his, quæ præsumunt, & potentes potenter tormenta patientur.

Occidat vnusquisque proximum suum.

**Ephes. 5.
Col. 3.**

Hic ponitur poena populi. Vides autem fornicationem & idololatriam morte punitam esse. Vnde iterum patet, quod nedum peccatum est, sed etiã magnũ peccatum, imò tale, propter quod Deus speciales plagas immittit. Sic enim Paulus ait: Propter hoc peccatum venit ira Dei in filios diffidentiae, id, quod videmus in diluuiò factum, & in sodomis.

Et ecce vnus de filiis Israel, &c.

Eccl. 34.

Hic videmus, quanta fuerit malitia quorundam in populo Israel. Nec enim Moyses satis describere potest malitiam huius hominis. Singula enim verba peccatũ ipsius aggrauant. Primò enim fornicari in se peccatum est: Maius autem fit, cum fit cum contemptu. Tertio adhuc maius est, si à Christiano fit. Quarto iterum maius, si à principe. Quintò adhuc maius, si coram populo. Sextò maximum est, si fiat eotẽpore, quo alij lugent propter plagã Dei. Omnia aut iam dicta in hoc homine videmus, &c. Vtinã nemo talis inter nos esset. Huiusmodi enim contemptum & pertinaciam Deus non fert. Atqui peius nobiscum agitur, quàm cũ Israelitis. Illic enim Moyses dicit, ecce vnus. De nobis autem dicere posset, ecce mille. Ecce omnes hoc faciunt. An non peccamus cum contẽptu? &c. Videmus alios gemere & dolere super malis, quæ patitur Ecclesia, nos autem inrerim ad scorta currimus. Quid igitur mirum, quòd Deus nos punit? Vnus orans, & alter maledicens, quem exaudiet Dominus? Deinde videmus hinc, quàm merito supra dixerit Deus: Suspende principes in patibulis. Huiusmodi enim homines vt plurimum peccant cum contemptu. Nihil enim peius est, quàm si diuitiæ, potestas & libertas incidant in hominem impium. Hinc enim statim superbiunt, ac quiduis sibi licere putant, nec corrigi volunt. Exempla sint Nemroth, Pharao, Saul, Sennacherib, Roboã, & cæt. Atque hoc est, quod Dauid dicit: In labore hominum

Psal. 72.

minum

minum non sunt, & cum hominibus non flagellantur: Ideo tenuit eos superbia, &c. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, &c. Cauete diuites & principes, ne in simile exemplum superbia incidatis. Nihil vanius mundana potētia. Nihil instabilius diuitijs. Deos quidem vos nominat scriptura, sed tamen addit. Vos autem sicut homines moriemini, & Deus ipse vos *Pfal. 81.* Deos iudicabit.

Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, &c.

Phinees videns hunc tam pertinaciter, & tali tempore peccantem cum maximo scandalo populi, diuino zelo permotus eum cum muliere occidit, non veritus eorum potentiam, cum vir ille & princeps esset, & ipsa principis filia. Hinc igitur omnes discere debemus, vt & nos pro gloria Dei zelemus. Non quod gladio peccantes occidere debeamus, sed vt quilibet zelum suum pro Deo ostendat iuxta vocationē suam, Qui in potestate est, gladio zelum suum contra peccantes ostendat: qui paterfamilias est, virga ostendat zelum: qui prædicator est, gladio verbi zelum ostendat: qui priuatus est, ostendat zelum compassione & oratione, & cæt. Signanter autem hic exemplum ponitur prædicatorib. Hi enim, cum pertinaciter peccatur & cum scandalo, cumque potestas peccata nō puni, nō debent tacere aut dissimulare, sed arripere gladium verbi, & occidere, non homines, sed peccata, nec cuiquam parcere, quantumuis magnus sit. Talem zelum ostendit Moyfes contra Pharaonem, Samuel contra Saulē, Nathan contra Dauidē, 2. Reg. 11. Helias cō. Exo. 5. tra Achab. 3. Reg. 18. Ioannes cōtra Herodē. Hoc enim 1. Reg. 15. prædicatorum officium est. Clama, ne cesses, inquit Dominus ad Isaiā, &c. Et ad Ezechielem: Speculatorē Isai 18. te dedi domui Israel, &c. Vtinā & nos vnum talē Phinees haberemus. Sunt quidē plerique, qui zelum videntur habere, arguunt enim vitia magnatum, sed non secundum Deum, nec ex bono zelo, sed vel ex inuidia, vel quod ipsorum bona cōcupiscunt. Alij zelum quidem

ANNOTATIONES

quidem Dei haberent, sed deest ipsis animus fortis, timent enim homines plus, quàm Deum. Alij & animũ & zelum haberent, sed nemo eos audit. Nemo corrigi vult. Et in hoc multum degenerauimus à moribus patrum. Hi enim poterant ferre correptionem è verbo

2. Reg. 11. Dei, Sic Dauid tulit correptionem à Nathan, Ezechias ab Hieremia. Theodosius ab Ambrosio. Apud nos autem semper illa vox auditur: Num consiliarius re-

2. Par. 25. gis es? Tace, ne fortè interficiam te: Hinc igitur fit, vt qui ab vno argui nolumus in bonum nostrum, à toto mundo arguamur in confusionem nostram. Non sic impij non sic. Melius est à sapiente corripì, quàm stultorum ore laudari. Corripiet, inquit, me iustus, & increpabit me: Oleum autem peccatoris nō impinguet caput meum.

Psal. 140.

Cessauit que plaga à filijs Israel, & occisi sunt viginti quatuor milia hominum.

Peccato punito cessat plaga: vis igitur, vt plaga Dei cesset, cura, vt peccata puniantur. Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Vnde ad Iosue dicitur: Non ero amplius vobiscum, donec conteratis eũ, qui de anathemate surripuit. Ingēs igitur bonum rei publicæ faciunt principes, cùm malos puniunt. sic enim Dei iram à populo auertunt. Hinc sæpius in Moy-

1. Cor. 11.

Ios. 7.

Deut. 13.

1. Cor. 5.

se dicitur: Auferte malum de medio vestri. Et Paulus: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua cōspersio, sicut estis azimi.

Phinees filius Eleazari auertit iram meam à filijs Israel.

Ob vnius probitatem & iustum Zelum Deus misc-
retur populo. Vbi autem in communi omnes peccāt, nec quisquā est, qui zelet pro Deo, vel se opponat murum, non mirum, quòd Dei ira permaneat. Hinc de Hierusalem dicitur: Circuite omnes vias eius, si inueniatis vnum, qui faciat iudicium, & propitius ei ero. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.

Hier. 5.

Hic Deus remunerat bonum illum Zelum ipsius Phinees, simulque docet eum solùm sacerdotio esse dignum.

dignum, qui zelum Dei habet. Et qui plus zelat pro Deo, altiori honore dignus est. Summus igitur sacerdos eligi debet non qui ditior, &c. est, sed qui maiore zelum habet. Vtinam electiones nostræ sic fieret, &c. In fine capituli dicit Deus: hostes vos sentiant Madianitæ, &c. quo docemur, vt eos pro summis hostibus ducamus, qui ad peccata nos trahunt. Hi enim animas nostras occidunt, & Deum nobis auferunt. Lege cap. 13. Deuteronomij.

CAPVT XXVI.



Actenus Moyses diu multumque scripsit de populo illo Israelitarum, qui ex Aegypto egressi fuerant: Nunc deinceps de illis Israelitis scripturus est, qui ad terram promissam peruenerunt. Nam ex priori illo populo tantum duo

ad terram promissam peruenerunt. Alij omnes in deserto mortui sunt propter peccata sua. Filij autem eorum, qui vel in deserto quadraginta illis annis nati fuerunt, vel infra vicesimum annum ingressu ex Aegypto fuerant, ad terram promissam peruenerunt. Hi igitur quasi nouus populus erant. Ideo Moyses hic de ipsis scribere incipit, ac primo ipsos numerat ac ordinat. Nam per idololatriam aliaque mala in deordinationem venerant. Acies autem fidelium debet esse ordinata, alioqui non erit hostibus terribilis. Cant. 6.

Audiamus igitur textum:

Postquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen, &c.

Hoc verbum non tantum ad eos refertur, qui nunc primum occisi fuerant propter idolum Beelphegor, sed ad omnes illos, qui ex Aegypto egressi fuerant. Omnes enim erant noxij. Viderant enim Dei maiestatem in Aegypto, in mari rubro, in deserto, maxime autem in monte Syna, nec tamen a tentatione Domini cessabant. Tentauerunt, inquit, me iam per decem vices. Ideo viuo ego dicit Dominus: Omnes, qui nu- Num. 14.

merati

ANNOTATIONES

merati estis, &c. non intrabitis terram, quam promissi. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Hæc sententia super ipsos lata erat, quæ & nunc fermè impleta erat. Ceciderant in peccato vituli 32. millia. Ceciderant alij multi apud sepulchra concupiscentiæ. Alij in seditione Chore, Dathan & Abiron, pleriq; etiã morte naturali perierant. Postremò ceciderant 24. millia propter peccatum Beelphegor. Sicq; totus ille populus perierat, vt nullus eorum terrã promissam videret, taceo, q; intrare potuisset. Hoc sibi vult Moyses, cum dicit: postquam noxiarum, &c. q. d. Iã mortui erãt præuaricatores, &c. ideo de nouo nũc populo loquar, &c. Hic primò vidēs nō iocum esse. vbi Deus minatur. Verissimè enim dictum est: Altissim⁹ patiēs est redditor. Benignus quidē est & longanimis, sed cū hoc etiã iustus. Cū Deus tã innumerabilem populum vna sententia dānasset, potuisset quis cogitare eã sententiam tantūm terroris causa latã esse. Hic autē videmus eam impletã. Hoc obseruent, qui etiã nunc minas Dei non tam timendas putant, &c. Secundò videmus hīc, quis futurus sit finis eorum, qui incessanter peccant. Nempe, q; in hoc deserto .i. mundo moriuntur in hoc mari magno pereunt. Nec vnquã terram promissam vel videre poterunt. Tolletur enim impius, ne videat gloriã Dei. Atq; hoc est, quod etiã Christus dixit: Qui nō credit, iã iudicatus est. Habet Deus nō vnum tantūm medium, quo huiusmodi homines perdat. Vnde & Ioannes in Apocalypsi multas plagas prædixit. Nunc enim vidit quatuor equos, nunc quatuor angelos habentes potestatē nocendi terræ & mari. Nunc septem angelos cum tubis. Nunc alios septem cum phialis plenis iræ Dei. Postremò vidit lapidē molarem in mare cum impetu proiectum, dicente angelo: Hoc impetu mittetur Babylon, &c. Hæc sunt iudicia Dei super impios. Hoc meretur impietas nostra, quòd semper vna plaga sequitur aliã, & semper maiores plage veniunt. Insuper & è cælo excludētur impij, vt impleatur illud propheticum: Duplici contritione conteres eos. Hęc nos ter-

rere de-

Exo. 32.
Num. 17.
Num. 16.

Isa. 26.

Apo. 16.
Apo. 7.

Apo. 8.
Apo. 18.

Hier. 17.

rere deberent exempla. Vnde psal. Hodie si vocē eius Psal. 94.
audieritis, nolite obturare corda vestra.

Numerate omnem summam filiorum à viginti annis, &c.

Pastoris est, scire numerum ouium suarum. Solent
pastores, postquam lupo gregē inuasit, & oues la-
niauerit, residuas colligere & numerare. Sic facit Moy-
ses. Sic facere debēt omnes superiores, vt nomina sub-
ditorum in cordibus scripta habeant, quēadmodum
Paulus cupit omnes credentes esse in visceribus Chri-
sti, gestatque eos in corde. Signanter autē ideo iterum
numeratur populus, vt appareat Deum ad eō certē im-
plere promissa, vt etiam si aliqui excidant, alios subro-
get. & vbi desunt, in quibus promissa compleat, creat
de nouo tales. Cū Deus sententiam mortis super v-
niuersum populū ferret, potuisset quis dicere: In qui-
bus ergo implebit promissa? Hic autē videmus, q̄ & im-
pios puniuit, & tamē adhuc satis multos habet, in qui-
bus promissa impleat, imō fermē tot hīc inueniuntur,
quot prius numerati fuerant. Hoc est, quod Ioannes
dicit: Nolite dicere, Semen Abrahæ sumus. Dico enim
vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscita-
re filios Abrahæ: Idque iam dudum perficit. Putabant
Iudæi necesse esse, vt in ipsis promissiones ei implerē-
tur, sed ecce ipsis abiectis, De⁹ alios filios Abrahæ crea-
uit, id est, gentiles ad fidē perduxit. Manet igitur Deus
verax in promissis, etiam si multi ab ipsis promissis ex-
cidant. Si nati non sunt, in quib. promissa sua impleat,
facit eos nasci. Nemo igitur super misericordia Dei
peccet, quasi necesse sit in ipso impleri Dei promissa.
Sēper igitur meminerimus dictum esse: Erunt noui
mi primi, &c. Item: Multi venient ab oriente, &c. Filij
autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Itē: Ma-
los malè perdet, & vineā suam locabit alijs agricolis.
Ideo Paulus: Noli, inquit, alium sapere, sed time, &c.
Summa: Si vis, vt Dei promissa in te impleantur, stude
esse populus Dei.

Istis diuidetur terra iuxta numerum, &c.

Non veteri illi populo, sed nouo diuidenda dicitur
terra:

ANNOTATIONES

terra: non enim Iudeis, sed Christianis; non egredientibus ex Aegypto, sed perseverantibus vsque in finem salus promittitur. Dupliciter numerantur fideles, vel secundum vocationem, vel secundum electionē. Qui secundum vocationem tantum numerantur, nō omnes salui fiunt. Multi enim vocati, pauci verò electi. Qui autē secundum electionem numerantur, hi scripti sunt in libro vitæ, nec vnquam delebuntur. Meritò igitur gaudere iubentur, quorum nomina scripta sunt in libro vite, vt Christus ait. In hac igitur Ecclesia ruina fit multorum, interim tamen surgentibus alijs. Iuxta illud Iob: Cōteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Vnde & Paulus: Qui stat, inquit, videat ne cadat: Imò de seipso dicit. Nōdum arbitror me cōpræhendisse. Summa, si in prima numeratione inuentus es inter vocatos, cura, vt & in secunda inueniaris inter perseverantes & vocatos, &c.

Ita duntaxat, vt fors terram diuidat.

Sorte vult terram diuidi, ad vitandas discordias & murmuraciones contra Moysen. Propter temporalia enim etiam inter fratres aliquando iurgia consurgunt. Hoc præcauere voluit Deus, simulq; consulere Moysi, ne putaretur ex affectu terram diuidere, & cetera. Mysticè terra promissa vbique bona est, & omnibus credentibus ex æquo communis, sorte tamen diuiditur, non enim omnibus eadem præmia cōtingunt, maximè accidentalialia. sed qui largius seminat, largius etiam metet. Sicut enim stella differt à stella in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum.

Hic est numerus, &c. Inter quos nullus fuit, &c.

Terribile verbum, quod est sexcentis millibus, qui prius numerati fuerunt, tantum duo in secunda numeratione inueniuntur. Et quis nouit, quot ex baptizatis ad beatitudinē peruenturi sint? Beatus igitur homo, qui semper est pavidus. Terribile item est, quod tot milla hominum in tā paucis annis ex vno populo perierunt. Vides igitur, quæ sit vita nostra: Nempè vapor ad modicum apparens. Quid igitur in hac vita confidimus?

Caput

IN NUMEROR. Cap. XXVI. 315
CAPVT XXVII.



UPERIORI capitulo ostēsum fuit, quibus diuidenda esset terra promissa, nempe his tantum, qui secundo numerati erāt, & ad bella procedere possent. Hæc sententia filiabus Salphaad intolerabilis videbatur, per eam enim ipsæ excluderentur ex hæreditate Domini. Ideò ad Moysen & seniores accedunt. Tria autem notatu digna de ipsis scriptura tradit. Primum quòd timebant ne ex hæreditate Domini excluderentur. Quærunt aliæ mulieres ornatum & amorem, &c. Hæ tantum hoc agūt, ne excludantur è populo Dei. Verè commendanda res. Hic discant mulieres quid quærere debeant. Fallax gratia & vana est pulchritudo. Mulier timens Deū ipsa laudabitur. Sic docet Petrus vt mulieris pietatem colant, &c. Hæc sunt optima ornāmenta mulierum. Sic se ornabant sanctæ mulieres Sara, Rebecca, Anna, Maria, &c. Non solūm autem mulieres hoc exemplum imitentur filiarum Salphaad, sed omnes etiam Christiani, nempe vt quilibet hoc maximè timeat, ne excludatur è terra viuentium. Nam lex Dei multis Deut. 27 eandem terram interdicit & aufert. Omnibus scilicet 1. Cor. 6 peccatoribus. Maledictus, inquit, omnis qui non permanet in verbis legis. Et Paulus: Adulteri, inquit, & fornicatores regnum Dei non consequentur.

Accesserunt filie Salphaad, filij Hepher, &c.

Hoc secundum est, q̄ in ipsis cōmendatur, nempe quòd non in castris vagantur conquirentes & murmurantes de iniuria, vt mulieres solent, sed rectà ad Moysen accedunt. Nihil enim per tumultum agendum, quòd enim aliàs bonum & iustum esset, si per tumultū quæratur, malum efficitur, &c. Vides etiam hic Moysen talem se exhibuisse prælatum, ad quem omnibus, etiam despicalibus personis patuerit accessus. Idem etiā suprā de ipso ostensum fuit, nempè q̄ à mane vsq; ad vesperam sedebat ad audiēdum populum.

ANNOTATIONES

1. Reg. 12. Tales debent esse omnes superiores. Verum nunc plerique potius imitantur superbum illum Roboam, qui tantum tyrānicè imperabat, sæuus & austerus erga subditos, &c. Tertium quod in filiabus Salphaad commendatur, est, quod admodum honestè & verecundè Moysen alloquuntur, non tumultuosè vt mulierum mos est. Verecundia enim & honestas vel maximè decet mulieres, &c.

Retulit Moyses causam earum ad iudicium Domini.

Videmus etiam hinc exemplū boni magistratus. Primò enim tam Moyses, quā alij principes nō grauatim audiebant mulieres illas. Nulli enim ius suum adimendum. Iustè, inquit, iudica proximo tuo. Et ita paruum audietis vt magnum. Signanter autem potestas curā habere debet viduarum & pupillorum. Nam eius locū tenet, qui patrem se dicit orphanorum, & iudicem viduarū. Obseruandum secundò, quod Moyses & Eleazar simul audiunt causas populi. Bona res publ. vbi vtraque potestas inter se conueniunt & concorditer regunt. hoc autem nostro tempore rarò contingit. hinc tot bella. Inter superbos enim semper sunt iurgia. Obseruandū tertio, q̄ nec Moyses, nec sacerdos pronunciant sententiam antequam Dominum interrogent. Sic enim vtraque potestas è verbo Dei sententiare debet. hinc in Deut. præcipitur regi, vt secum habeat legem Dei, in qua iugiter legat, &c.

Iustam rem postulam filie Salphaad.

Sentētia est summi iudicis, è qua videmus, q̄ Deus nullum abijcit. Non enim est acceptio personarum apud Deū. Et in Christo Iesu neq; mas neq; fœmina, sed omnes vnum sumus. Nullum excludit Deus à terra promissa, nisi qui seipsum excludit. Imitemur igitur filias Salphaad, & q̄ virtute non possumus acquirere, humilitate & oratione quæramus. Apostoli & alij, vtpotè fortes viri, regnum Dei rapuerunt, & ei vim intulerunt. Nos mulieres sumus, maiora aggredi non audentes: saltem igitur humilitate & oratione ad regnum Dei contendamus.

Ascen-

Deut. 1.

Psal. 67.

Prou. 13.

Deut. 17.

Acto. 10.

Galat. 3.

Matt. 11.

Ascende in montem istum Abarim & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel.

Haftenus de nouo populo, cui terra promissa diuidēda erat, scriptura tractare incepit. Nūc etiam de nouo duce tractat. Vbi primò veteris ducis mors describitur, deinde substitutio noui: Primò igitur Moyfi denūciatur & prædicatur mors sua, nimirū ex speciali gratia. Gratia enim est præscire diem mortis. Vnde Psal. 39. Notū fac mihi Domine finem meum. Contrà autem impijs mors improuisa superuenit. Cū, inquit, dixerint pax & securitas, &c. Dies enim Domini sicut fur venit. Exempla videmus in Pharaone, Balthasar, Antiocho, diuite Euāgelico, &c. quibus omnib. mors improuisa superuenit. In montē autem ascendere iubet, nam & Aaron in monte moritur. Moriturus ascendat in montem per eleuationem mentis in Deum. Væ enim habitantib. & morientibus in terra. Pij in monte moriuntur procul à terra, propè autem apud cælū, à quo eos nihil nisi paries carnis seiungit. Verè felix talis mors. Beati enim mortui, qui in Domino moriūtur. Deinde præcipit Deus Moyfi vt è monte contempletur terram promissam, vbi primò videmus Dei bonitatē erga sanētos, vt enim lætius moriatur Moyfes, quasi è vicino ostēdit ei terram iam iā populo diuidēdam. Verum igitur est, quòd voluntatem timentium se facit. Et: Bonus Dominus sperantibus in se, &c.

MORALITER.

Pij tam altè ascendunt in contemplatione, vt etiam in hac vita interdum conspiciunt terram illam in cælis promissam. Sic Dauid. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c. Tertio non denūciatur mors ipsi Moyfi terribilibus verbis, non enim dicit Deus: Morieris, peribis, cades, &c. Imò nulla mortis mētio fit, sed tantum dicitur: Ibis ad patres tuos. vbi primò videmus quòd non ex ira Moyfi mortem denūciat, sed ex gratia. Deinde videmus quæ sit mors piorum, nempe trāsitus ad patriā & veros amicos. Sic loquitur scriptura de morte piorum. Appositus est ad

ANNOTATIONES

patres suos, &c. Nobis videtur, q̄ in morte amittamus
amicos, sed verè tunc primùm ad amicos peruenie-
mus. Qui mortem sic considerare sciret, eam nunquã
timeret. Observandum tamen, q̄ scriptura multò ali-
ter loquitur de morte impiorum. Sepultus, inquit, est
in infarno Item: Descendunt in infernum viuentes.
Item: Subitò defecerunt, perierunt propter iniquita-
tem. Studeamus igitur pietati. Multum enim condu-
cit ad felicem mortem bona vita, &c.

Lucez 16.

Num. 16.

Pfal 7.

Quia offendisti me in deserto Sin in contradictione multitudine-

Verbum hoc meritò nos terrere deberet. Si enim
Moyfi tam sancto homini vnum illud peccatum quod
fecerat in morte obijciuntur, quid de nobis fiet? Studea-
mus igitur nunc expiare peccata, alioqui lata est sen-
tentia. Arguam te & statuam cõtra faciem tuam. Bea-
ti igitur quorum remissæ sunt iniquitates & quorum
testa sunt peccata. Signanter autè ideò scriptura toties
repetit peccatũ Moyfi & Aaronis, vel vel hinc videa-
mus insufficientiam legis & sacerdotij Iudaici. Quo-
modo enim per legẽ & sacerdotium illud contingere
potuit vera iustitia, cum tam legslatores, quã sacerdo-
tes ipsimet fuerint peccatores. Per solum igitur Chri-
stum contingit iustitia, qui solus sine peccato fuit, &
ideò à peccatis alios liberare potest.

Pfal. 49.

Pfal. 31.

L. Pet. 2.

Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis.

Vel hîc videmus piã Moyfi mentem, vt qui ad vl-
timam sui mortis periodum, nihil nisi fidele, vtile, ne-
cessariũ, sanctum cogitat, loquitur & agit. Primò enim
audiens sibi denunciari mortem vicinã, non terre-
tur, sciebat enim se Deum proprium habere. Contrã
autem, mala conscientia mortem terribilem facit. Se-
cundò non petit vitam longiorem. Erat enim satur
dierum, & pertæsus huius vitæ, propter multas mise-
rias, quas passus fuit. Hoc enim modo Deus sanctis
suistædium vitæ huius immittit ac desiderium futu-
ræ. Contrã autem, nimius amos huius vitæ facit, vt
inuiti moriamur. Tertio non est sollicitus pro se aut
filijs suis, sicut morientes solent, sed tantum pro po-
pulo

pulo. Verè bonus pastor paratus animam suam ponere pro ouibus suis. Sciebat enim sanèctus vir necessariū esse alium ducem & pastorem. Vbi enim non est guber- Pro. 11.
nator, populus corruet. Sciebat multum proferre, vt Prou. 18.
bonos habeamus duces. Regnantib. enim impijs rui- Hier. 50.
næ hominū. Vnde & in Hier. perditus factus est grex
meus. Pastores eorum seduxerunt eos. Vt plurimum
enim populus eò recedit, quò videt duces inclinatos.
Sic tempore Dauidis, Samuelis, Salomonis, Ezechie,
Iosuzæ, &c. bonorum scilicet regum populus pietati
studebat. Contrarium auiem factum est tempore Ro-
boam, Achas, &c. Itidem etiam nunc videmus, quòd
populus fidem & religionem mutat, secundum quòd
videt duces suos inclinatos. Nō sine causa igitur Moy-
ses sollicitus est pro bono successore. Quarto quauis
Moyfes filios haberet & amicos, pro nullo tamē inter-
cedit, nec quemquā ipsorum offert. Sciebat enim gra-
uitatē huius officij, ad q̄ non omnes idonei sunt. Nā
ad principē pertinet, q̄ sciat ingredi & regredi coram
populo, & eundē introducere & educerere, hoc est, vt
internè eis consulat, &c. Deinde nolebat Moyfes po-
steris exemplū dare nominandi vel potius intrudendi
filios & cognatos suos in ministeria publica, idq; ex
carnali effectū. Magnū enim damnum affert cōmuni-
tati, qui indignū intrudit ac præficit. Vtinā hoc attē-
derēt principes nostri. Omnes hoc vnū agimus, vt co- Acto. 1.
gnatis aut filijs nostris prouideamus, non attento, an Matt. 2.
idonei sint vel nō, &c. Quintò Moyfes successorē bo-
num à Deo querit. Sic faciebant & Apostoli in electio-
ne Matt. Adeò, inquā, petendi sunt boni principes. Vn-
de Christus: Rogate Dominū messis, &c. Et Paul. vult, 1. Tim. 2.
vt etiam pro incredulis principibus oremus. Dominū
enim & gratia Dei est, bonus princeps. Et quib. benè
vult Deus, his bonū principē dat. Sic Iudæis, si cōuer- Ezech. 34.
terētur à peccatis, promittit se daturum aliū Dauidē.
Et in Hieremia dicit: Dabo eis pastores secundum cor
meum. Contrà autem, quibus malè vult, dat principes
malos. Dabo, inquit, eis regē in forore meo. Et iterū: Hier. 3.

ANNOTATIONES

Osee 13.
Zach. 11.

Suscitabo eis pastorem, q̄ derelicta non requiret, &c.
Hic igitur textus attendendus esset in omnibus electionibus, &c.

Tolle Iosue, filium Nun virum, in quo est spiritus, &c.

Psal. 112.
Lucæ. 18.

Gen. 2.

Mira iudicia Dei. Iosue minister & seruus erat Moy-
si, vnde non dubium est, quòd nihil minus cogitauerit,
quã se in ducem eligendũ, maximè cum Moyse filios
haberet, & adhuc etiã viueret Caleb ætate senior,
& ex nobiliori tribu, scilicet ex tribu Iuda. Verũ sic
agit Deus. Excelsus quidẽ est, sed humilia respicit. Sic
contigit Sauli, itemq; & Dauidi. Contrã, qui se exaltat
humiliabitur. Sed cur Deus non filios Moyse ad hoc
officiũ elegit? Primò propter pacem in populo conser-
uandã. Quia enim filij Moyse ex alienigena matre nati
erant, eos non patienter tulissent filij Israel in regimi-
ne. Vnusquisq; enim putasset se melioris conditionis,
& sibi iustius committendum fuisse regimen. Dein-
de non elegit vel assumpsit filios Moyse, ne posteri pu-
tarent principatum debere esse hæreditarium. Vbi enim
principatus hæreditate possidetur, cogitur populus
interdum stultos & inutiles principes habere, vt patet
in successione Dauidis. Ideò prædecessores nostri noluerunt
imperium esse hæreditarium, multò minùs ecclesiastica
officia: quamuis nunc fermè nihil eorum obseruetur,
nimirum interueniente Simonia, &c. Attendendum
igitur esset hoc exemplum, &c. Præterea etiam mysticam
significationẽ habet, quòd nec Moyse, nec filij eius
populum introduxerunt in terram promissam, per hoc
enim significatum fuit per legem aut per leges opera
non posse perueniri ad salutem, sed tantum per Iesum.
Ideò autem Iosue potissimum eligitur, primò vt
tribus Ioseph honoraretur, propterea, quòd Ioseph
omnes filios Israel benè tractauerat. Secundò, vt
prophetia Iacob impleretur, qua prædixit è Ioseph
proditurum pastorem & lapidem Israel. Tertiò, quia
Iosue idoneus ad hoc officium erat, tum quia diu
minister Moyse fuerat, tum quia spiritum Dei habebat,
tum etiam, quia probatus erat

Gen. 49.

in zelo Dei. Numer. 14. Hi enim ad officia sumi debent, qui spiritum Dei habent, & qui Moyfi ministrarunt, id est, in lege exercitati sunt. Postremò, ideò Iosue electus est, quia ipso nomine referebat & præfigurabat Iesum Christum, qui solus populum electum in veram beatitudinem introducturus erat. Iosue enim vel Iehosuah & Iesus, idem nomen sunt.

Pone manum tuam super eum, &c.

Multa hinc dicuntur, quæ omnia obseruanda essent in ordinationibus & institutionibus prælatorum. Primò vult, vt cum debita solennitate instituatur. Pone, inquit, manum tuam, &c. Deinde vult, vt statuatur coram Eleazaro & populo, talis enim eligi debet, qui omnibus probetur, vel ad minus, de quo nihil mali dici possit cum veritate. Præterea. Dabis, inquit, ei præcepta. Non enim ad luxum vocantur & instituuntur principes, sed habent etiam illi sua præcepta. Insuper, Da ei partem gloriæ tuæ, inquit, quod aliqui sic exponunt: lauda & glorifica eum coram populo, vt maiorem auctoritatem acquirat. Potest etiam sic intelligi, quòd Iosue non peruenturus erat ad omnimodam perfectionem Moyfi. Non enim surrexit propheta similis Moyfi, &c. Ad hæc Audiatur, inquit, cum omnis synagoga. Hinc Dei iussu omnes subijciuntur ipsi Iosue. Superioribus enim debetur obedientia. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, &c. Postremò, Interrogabit, inquit, pro eo sacerdos Deum. Vide pulchrum ordinem. Populus obediat principi, princeps sacerdoti, sacerdos interroget Dominum. Vbi hic ordo seruatur, benè consistit respublica. Nunc autem ex omni parte dissoluitur hic ordo, quid igitur mirum quòd multa mala videmus? &c.

Deut. vii.

Rom. 13.

Fecit Moyfes, vt preceperat ei Dominus.

Non indignatur præteritos esse filios suos, non murmurat, sed simpliciter obedit. Non enim suam, sed populi vtilitatem & commodum quærebat, &c.

ANNOTATIONES CAPVT XXXI.



DOS Tquam Deus Moyſi denunciauerat. mortem, aliumq; ducem ſubſtituerat, nonnullas leges nouo populo dat, vel potiùs priùs datas explicat in trib. capitulis, quę tamẽ ideò prætereo, quia hæc leges vt plurimùm cæremoniales ſunt, & nihil ad nos pertinent quo ad literam. Nunc autem in hoc capite Moyſes hiftoriam reſumit. Videbis autem in hoc capite, quàm ſeuerè Deus punierit Madianitas, propterea quod per mulieres ſuas populum Iſrael prouocauerant ad peccandũ. Et ſuprà quidam etiã Iſraelitas qui peccauerant puniſſe legitur & quidẽ ſtatim, ſed tamen paternè: nam ſolos noxios puniuit, innoxijs perpercit. Hic autem Madianitas ſimul perdit. Vt omnes poſteri vel hinc diſcant quantũ Deo diſpliceant, quaque pœna digni ſint, qui ſcandalum præbent. Vnde & Chriſtus eiſmodi hominib. Væ æternę damnationis imprecat. Væ, inquit, mundo à ſcandalis. Et iterum: Væ homini, per quem ſcandalum venit. Melius illi eſſet, vt ſuspendatur mola aſinaria in collo eius, &c. Hæc igitur hiftoria, ſimulque verbum hoc Chriſti meritò nos terrere dẽberet, apud quos omnia ſcandalis plena ſunt, vt fermè neceſſarium eſſet & oculos & aures claudere, qui in mũdo viuere cupit. vt interim taceam ſpiritualia illa ſcandala, quæ ſectæ & hæretici faciunt in doctrina fidei, ſeducentes ſimpliciores, &c. Interim nemo cogitat Chriſtum dixiſſe, VAE ei qui ſcandalum præbet. Nemo cogitat quòd ſanguis eorum, quos vel ad peccatum vel in errores ducimus, de manibus noſtris requiretur.

Sup. ca. 25.

Matt. 18.

Ezech. 33.

*Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic collige-
ris ad populum tuum,*

Viuente adhuc Moyſe voluit, vt perderetur Madiantitę nimirum ad conſolationem ſancti viri, quẽ turbauerant prouocando populum ad peccatum. Non enim dubiũ eſt, quin valdè doluerit hũc caſum populi quẽ.

quemadmodum & supra dictum est, quòd tam ipse, *Su.c.25.*
quàm maiores natu flebant ad ostiũ tabernaculi, cùm
populus sic insaniret. Poterat & illud sanctum virum
turbare, quòd Israelitæ statim puniti fuerant, Madi-
anitæ autem adhuc impunes erant. Sanctos enim ali-
quando turbat, si plus æquo impijs prospera contin-
gant, vt patet psal. 72. & Hierem. 12. Ad cõsolationem
igitur Moyfi ipso adhuc viuente puniuntur Madiani-
tæ, simulque Moyfi spes datur, quòd etiam aliæ gen-
tes sic perdendæ essent ad introitum filiorum Israel.
nimirum vt Moyses sic confirmatus securius morere- *Thren. 3.*
tur. Verè bonus Dominus timentibus se, animæ que-
renti illum. Quis huic Deo non libenter seruiret, qui
tam benignè consolatur suos in vita, & in morte? Ve-
rè multum interest inter seruientem Deo & non ser-
uientem, vtcunque mundus non credat. Putant enim
vanum esse seruire Deo, ac dicunt: Quid nobis pro- *Mal. 3.*
dest, si orauerimus eum? verùm pij aliter experiuntur. *Iob 21.*
Experientur & suo tempore etiam impij non vanum
fuisse Deo seruire. Videbũt enim iustos in magna glo-
ria, & videntes mirabuntur in subitatione insperatæ
salutis dicentes intra se, &c. hi sunt, quos aliquando,
&c. per totum. Sed cur non etiam Moabitæ perdun- *Sap. 5.*
tur, qui & ipsi mulieres suas miserant in castra Israel?
Imo ipsi Balaam ariolum autorem huius mali addu-
xerant. Vtrique igitur tam Moabitæ, quàm Madianitæ *Sup. ca. 25.*
mortem meruerant, nõ tamen æqualiter puniuntur.
Quid híc aliud ostẽdere voluit Deus, nisi se & iustum
esse, & misericordem? Quòd si quis obtendat, cur in
solos Madianitas iustitiam ostẽderit, respõdebit Pau-
lus. ò homo, tu quis es, qui respõdeas Deo? &c. *Rom. 9.*
Quam possumus & quasdam rationes assignare, cur
tantùm Madianitas, & non Moabitas perdidit. Pri-
mò Madianitæ adeò infensi erant Israelitis, adeoque
interitum eorum cupiebant, vt etiam principum filias
mitterent ad maiorem prouocationem Israelitarum,
quod de Moabitis non legitur, quòd scilicet princi-
pum filias miserint, sed tantùm mulieres. Secundò,

ANNOTATIONES

non leguntur Moabitæ post discessum Balaam quicquam aliud attēasse contra Israel. Madianitæ autem adhuc tentabant alia & alia, nam ideo ad se adduxerant Balaam, meritò igitur grauius puniūtur. Tertio ex Moabitis bonus adhuc fructus expectabatur, nempe sancta Ruth, quæ ad genealogiam Christi pertinebat. Eius igitur gratia nō perduntur Moabitæ. Iterum igitur videmus, quantæ reputationis sint pii homines in cōspectu Dei, quòd aliquando propter vnū iustum toti populo parcat. Sic Sodomitis diu pepercit propter Loth. Eisdem ex toto parcere volebat, si decem iustos ibidem inueniret. Sic & ciuitati Hierusalem pepercit, quia bona opera adhuc inueniebātur in Iuda. Et quis nouit, cuius gratia nobis hæctenus pepercerit Deus? Timeamus igitur Deum.

Statim Moyses, armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam.

Audierat se moriturum hoc confecto negotio, & tamen festinat, ubi iterum videmus magnū in eo fuisse desiderium ex hac vita migrādi. Per hoc autem arguitur carnalitas nostra, qui nec tunc mori volumus, cum nihil amplius dulcedinis vita hæc præstare possit. Obserua, quòd Moyses tantum 12. millia virorum mittit, cum multò plures mittere posset. Victoria enim populi Dei non consistit in multitudine hominū. Vnde & supra omnis Israel sexcenta scilicet millia cęsi leguntur à Chananæis. hic aut̄ duodecim tantum millia sunt, & tamen vincunt. Iustitia & pietas victoriā pariunt in populo Dei. Vnde obseruantibus præcepta promittitur, vn⁹ ex vobis percutiet mille de hostibus, &c. Sic Samson vnus erat homo, & tamen contra omnes Philistæos pugnabat vel solus. Sic David solus contra Philistæos processit. Idē etiam dicit in psal. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meū. Vnde cum sæpius Saul eum persequeretur, semper tamen tutus permanit. Summa, vnus iustus plus potest, quàm decem millia impiorum, etiā si nullo vtatur gladio, sed solū lingua & oratione. Qui igitur victoriā habere cupit contra diabolū & impios homines, ap-

præhen-

Gen. 18.

2. Par. 12.

Sup. c. 14.

Leui. 26.

Deu. 28.

Judic. 14.

1. Reg. 17.

Psal. 26.

1. Regum.

prehendat arma illa, quæ Paulus describit, nempe lo- Ephes. 6.
ricam iustitiæ, galeam salutis, scutum fidei & gladium
spiritus, verbum scilicet Dei, &c. Obserua secundò, q̄
nō alium ducem eis præficit, quàm ipsum Phinees sa-
cerdotem scilicet zelo Dei præditum, & eundem non
armis corporalibus munit, sed in manu eius dedit va-
sa sancta & tubas. Mirabilis armatura, & fermè simi-
lis ei, qua & Gedeon vsus fuit. Christiani milites opus Iudic. 7.
habent sacerdote, qui sacrorum vasorum ipsos admo-
neat, & tubam verbi Dei subinde concrepet. quemad-
modum Phinees hic fecit. Deinde etiam quilibet eo-
rum debet in vna manu habere tubam, verbi Dei per
fidem, & in altera lampadem bonæ conuersationis,
sicut in populo Gedeonis conspiciamus. Qui sic instru-
cti sunt, omnes hostes vincent.

Occiderunt quicquid sexus masculini erat.

Videtur hic textus non nihil facere pro militibus,
imo grassatoribus nostris, qui subinde ad bella currūt
pro modica pecunia, &c. Verùm nihil minus facit hic
textus. Nam hi Israelitæ bellatores, de quibus hoc ca-
put loquitur, longè aliter egerūt, quàm nostri. Primò
enim habebant causam iustam. Deinde propria spōte
ad bellum nō currebant, sed iussi à Deo & Moyse. Præ-
tereà nemini molesti erant, quàm his, de quibus præ-
ceptū Domini habebant. Insuper etiā misericordiam
præstare volebant mulieribus, quāuis in hoc nō rectè
egerunt. Ad hæc prædā non sibi seruabāt, sed ad Moy-
sen adducebant, qui inter omnem populum diuideret
eam. Postremò omne aurū & argentum Deo offerunt,
& gratias agunt. Hoc si faciunt milites nostri, benè cū
ipsis agitur, sin aut, ipsi viderint, non enim in legē Ma-
hometi, qui bellare, occidere, rapere permittit, sed in
legē Christi iurauerunt, &c. Vide aut Dei iudicia. Mul-
tò plures erant Madianitarum, quàm Israëlitarum, & Deu. 22.
tamen vincuntur, nec tā paucis possunt resistere. Ve-
rū sic contigit, vbi Deus punire vult. Dat enim cor pa-
uidum, immittit spiritū vertiginis, aufert omnē pru-
dentiā, vt sint tanquā ebrij nescientes, quid vel faciāt,
vel quo.

ANNOTATIONES

vel quomodo resistent. Nemo igitur in fortitudine murorum, &c. confidat. Nihil proderunt, vbi Deus cor & sapiētiam auferit. Est & hoc terribile iudicium Dei, quòd Madianitæ omnes simul pereunt. Vbi enim iudicium Dei vrget, nemo euadere potest. Non erit fuga eis, &c. Signanter autē additur, quòd etiam reges Madianitarum occisi fuerunt: aded nec diuitiæ, nec potentia, nec nobilitas à iudicio Dei protegere possunt.

Amos 9.

Prou. 11.

Mysticè autem, qui prius à mulieribus victierāt, nunc etiam reges vincunt. Sic peccator prius omnibus tentationibus cedens, cū ad Dominum conuertitur etiam cōtra diabolum fortis efficitur. Additur etiā hoc, quòd Balaam fuit occisus. Hic tandem meritā pœnam inuenit impius. Multa bona sciebat, multa bona dixerat de Deo, de Christo, de felicitate sanctorum: quia tamen impiè vixit, cum impijs occiditur. Optauerat quidem mori morte iustorum, quia tamē vita impiorum vixit, & morte impiorum perijt. Obseruent hoc, qui de sola & nuda fide gloriantur, &c. Postremò additur & hoc, quòd omnia rapuerint, & prædati fuerint Israelitæ, hoc autem nō tam ad punitionem Madianitarum, quàm ad ditationem populi Israel factum est. Sic enim Dominus vni auferit, & alij dat. Omnia enim eius sunt.

Eu. ca. 23.

Egressi sunt autem Moyses & Eleazar, &c.

Obuiam procedunt bellatoribus, & cum honore suscipiunt eos, qui pro omnium salute se periculo & laboribus exposuerant, in exemplum posteris vt grati sint erga eos, qui communi bono laborant. Sic Paulus: Qui benè præsumt, duplici honore digni sunt. Et iterum: Rogo, vt cognoscatis eos, qui laborant inter vos. Alioqui ingratiudo facit, vt tædiosi fiāt etiā, qui strenuè laborare cuperent. Sic Moysen tædiosum reddebat ingratiudo Chore, Dathan, & Abirō, &c. Heliā autem malitia ipsius Iesabel aded grauabat, vt mortē cuperet, &c. Similes querelas inuenies Hieremiæ 15. & 18. Cæterum, sicut hic è bello reuertentes cum honore suscipiuntur, sic omnibus pijs cōtinget, cū ex hoc bello

1. Tim. 5.

1. Thef. 5.

Num 16.

3. Reg. 19.

bello

bello ad patriam reuertentur. Expectat eos omnis chorus iustorum, & cum gaudio reuertentes suscipient, &c. Hunc sanctorum triumphum pulchrè describit Ioannes, cum dicit: Vidi turbam magnam, &c. amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, &c. Nullum igitur grauet labor belli, cum sciat, se cum tanto triumpho suscipiendum, &c. Bonum, inquit, certamen certavi, de reliquo superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex.

Cur fœminas refer uastis?

Magna crudelitas videri posset, quod Moyses tam inclementer omnes mulieres occidi iubet, nisi alibi scriptum esset, quod Moyses fuerit mitissimus homo super omnes. Non igitur crudelitas erat, quod mulieribus non parcat, sed zelus Dei, & amor erga populum, cui timebat, si mulieres hæ inter ipsos viuere cœpissent. Interim tamen videmus, quod Moyses, id est, lex nulli parcat, sed omnes peccatores damnat. Anima, quæ peccauerit, morte morietur. Discant & princeps nostri, ut & ipsi tollant scandala ex Ecclesia exemplo Moysi, alioqui culpa in ipsorum caput recidet. Caueat etiam quilibet, ne in populo Dei scandalum sit. Nam angeli suo tempore omnia scandala è regno Dei eicient in ignem æternum. Qui igitur hætenus fuit vas ignominie, studeat nunc fieri vas in honorem. Si emundauerit (inquit) se ab his, erit vas in honorem. Obseruandum & hoc, quod tam Moyses, quam Eleazar nihil admittunt in castra Israel, nisi prius expiatum sit. Sacerdotum est, expiare populum. Prædicatorum est, igne charitatis expiare, quod à gentilibus sumit, antequam co utatur in Ecclesia, siue hoc sit philosophia, siue eloquētia. Omnium denique Christianorum est, ut etiam post deuictos hostes lauent vestimenta sua per confessionem, ne fortè quid pulueris inhæserit. Nemo enim facile transire potest, qui non alicubi offendat. Semper igitur pedes, id est, affectus lauandi.

Tollite summam eorum, quæ capta sunt.

Numeratur præda, ut clarius appareat magnitudo victo-

ANNOTATIONES

Ioan. 4.
Psal. 113.
Psal. 43.
 victoriæ ad gloriam Dei & confirmationem populi, Consolatorium aut est, quod tantum 12. millia pugnârunt, & tamen inter omnes alios etiam præda diuiditur. Sic verè pauci sunt, qui pugnât. Omnes tamē præda fruimur. Sic pugnârunt Apostoli, nos aut metim⁹, quod illi seminauerunt. Sunt & adhuc, qui orationibus suis pugnant pro tota Ecclesia, quorum orationibus & nos participes efficiamur, si maneam⁹ intra castra Ecclesiæ, & sub Moyse, id est, sub obedientia diuinorū præceptorum. Est & hoc insigne exemplum omnibus nobis imitandum, q̄ bellatores illi agnoscunt victoriam à Deo datam, ob idque aurum & argētum offerunt in gratiarum actionem. Sic debemus omnes facere. Non nobis Domine, nō nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non enim gladius noster nos defendit, sed brachium Dei & illuminatio vultus eius, & c.

CAPVT XXXII.



Itera huius capituli plana est, non igitur opus est multis hic immorari. Hec igitur summa est huius capituli. Primò videmus iterum, quanti laboris sit populum carnalē regere, & in bono conseruare. Si Moysen audissent Israelitæ, primo statim anno ad terram promissam venissent. Nūc aut etiam post 40. annos peregrinationis adhuc tamen inueniuntur in populo, qui Moysen seque dignantur. Non igitur tempus otandi habent, quia illi præpositi sunt. Si enim pater quispiam duos aut tres filios habens semper curare habet, ne quid mali illis accidat, quantum curæ incumbit his, quibus tot millia animarum commissa sunt? Et vulgus quidem principum & prælatorum hæc non cōsiderat, sed longè alia ratio erit in iudicio Dei.

Filij autem Ruben & Gad habebant pecora.

Per hos præfigurati sunt carnales, qui que in Ecclesia, qui etsi sciant æternum nobis regnum promissum,

carna.

carnalia tamen præligunt, nihilque aliud cogitant, quàm de pascuis pecorum, id est, corporum suorum. Horum autem non pauci sunt, imo maior pars, nec ex vulgo tantùm, sed ex primoribus vel maximè. Filij Ruben, qui primogenitus erat, significant prælatos maiores. Gad, qui accinctus interpretatur, significat principes seculares. Manasses autem, qui obliuio interpretatur, significat religiosos & clericos, qui in sortè Domini vocati, omnium terrenorum obliuisci deberent. Hæc igitur tria genera hominum primò omnium ad terram promissam festinare debebant, sed ecce nemo magis pedem retrahit: vt non immeritò Deus etiam *Isa. 1.* contra nos conqueri possit: filios enutriui, &c. Cogitet igitur quilibet Christianus, quid hic citra Iordanè habeat, & quid vltra Iordanè ei promissum sit. Nihil aliud hic videmus, quàm pascua pro pecoribus, id est, pro corporibus nostris. Illic autè vera bona, ipsumque regnum Dei nobis promissum est. Festinemus itaque *Heb. 4.* ingredi in illà requiè. Nemo se impedire patiatur pecus suam, id est, corpus suum, sed eò contendat, vbi corpus & anima perpetuò gaudebunt.

Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam?

Verba hæc Moyfi satis indicant, quantum territus fuerit ex petitione Rubenitarum, & meritò quidè. Primò enim timere poterat, ne Deum de nouo effunderent, sicque ingressus in terrā promissam diutius differretur id, quod prius acciderat. Secundò timebat, ne si pars populi citra Iordanem remaneret, à se inuicem separarentur. Tertiò timebat, ne zelus & inuidia aliarum tribuum contra hos incitaretur, qui ante alios hæreditatem habere volebant. Quartò timebat, ne ex horum defectione alij pusillanimes efficerentur ad bellandum cum gentibus, &c. Hæc sunt quatuor, quæ prælatus quisque meritò timere & præuidere debet. Vbi enim aliquod horū irrumpt in populum, malè cum ipso agitur. Signanter autem obseruanda sunt verba ipsius Moyfi, nā & nos tangunt. Primò arguit otiosos. *Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos otiosi sedebi-*

ANNOTAT. IN NVMER. Cap. XXXII.

sedebitis? Verè enim repræhensibiles sunt, qui in tempore peregrinationis & lachrymarum delicias quærunt, & alijs laborantibus, otium sectantur. Vnde & **2. Thes. 3.** Paulus: *Qui non laborat, nõ manducet.* Deinde Moyſes arguit eos, qui aliorum corda subuertunt, & à bono impediunt, quorũ nunc mundus plenus est, qui benè operâtes irrident, &c. Noli prohibere eum, qui benè operatur, sed & tu bonum fac. Tertio, Moyſes monet considerare, quomodo olim Deus peccata punierit. Verè vtilissima consideratio, &c. Quarto, dicit ipsos causam præstaturus, quòd omnis populus percutiatur à Domino. Indefinenter enim peccantes causa sunt, quòd interdum boni cum malis puniuntur. Quid enim terribilius, quàm corã Deo reum inueniri perditionis plurimorum?

Prou. 3.

Nos ipsi armati pergemus ante fratres nostros.

Allegoricè hîc signantur Iudæi, qui suis libris pro nobis pugnant, ipsi autem à terra promissa excluduntur. Moraliter etiam nunc multi sunt, qui pro alijs laborant, alios in terram promissam ducunt, ipsi autem remanent. Alijs profunt, sibiipsis nihil. Contra hos Sapiens: *Miserere animæ tuæ placens Deo, &c.*

Ecl. 5.

DECLA.

DECLAMATIONES IN QVAE- DAM CAPITA DE VTE- RONOMII.

HActenus de profectioe filiorum Is-
rael ex Aegypto per desertum audiui-
mus: Nunc tandem ad terminum
eiusdē profectiois peruenimus. Cō-
sequenter enim diceretur quomodo ter-
ram promissam ingressi sint. Prius ta-
men de morte & testamento ipsius Moy-
si nonnulla dicenda sunt. Huc enim pertinet quintus hic liber
Moy-
si, quē Deut. nominamus. Is enim nihil aliud cō-
tinet, quā quid Moyses proximus morti cū populo
suo egerit. Nec tamē animus est singula huius lib. ex-
ponere secundū ordinem, tum quia plura hīc repetū-
tur, de quib. suprā diffusè tractatū fuit, tum quia liber
hic potissimū explanationem legis continet, quae
tamen in multis nos non obligat. Solū igitur ea, quae
ad nos pertinet, ex hoc lib. colligam, idque summam
ac breuiter, quo citius ad profectendam historiam
redeamus.

Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel.

Primò omnium obseruandum, quod Moyses ad mor-
tem se depositurus, non ad filios aut propinquos so-
lum loquitur, sed ad omnem Israel. Testamentum e-
nim conditurus non tantū filios, aut domum suam
attendere, sed circumquaque respicere debet. Sic Ia-
cob moriturus omnes filios conuocauit. Idem fe-
cit Thobias cap. 14. Sic & Paulus proximus morti
presbyteros Asiae conuocauit. Imò idem ex ipso carce
renunc hos nunc illos epistolis suis admonuit. Sic
Christus ipse ad passionem iturus vnde quaque disci-
pulis prospexit. Testamentū igitur conditurus primò

Gen. 42.

Acto. 20.
Ioan. 12.

DECLAMATIONES

Ecl. 30. seipsum inspiciat ne scilicet conscientiam habeat maculatam. Miserere anime tue placens Deo. Secundò inspiciat filios, ut rectè instituatur. Tertiò domum suam ne post ipsius mortem dissidia inter hæredes oriatur. Quartò officium suum, ne forte alijs grauamina imposuerit. Sic Samuel conuocato populo quæsiuit ab eis numquam de ipsius regimine conquereretur. Quintò inspiciat etiam arcam suam ne res alienas aut iniuste acquisite retineat, sed cum Zachæo dicat. Si quæ defraudaui, &c. Sextò etiam proximos & vicinos inspiciat, num quem offenderit, vel alicui debeat, vel saltem aliqui eius ope indigeant. Reconcilietur igitur aduersarijs antequam ad iudicem perueniat, soluat debita, pauperum memor sit. Qui sic vndiq; circumspicit, Moysen imitatur qui moriturus omnem populum alloquitur. Cæterum ea, quæ Moyses diffusè hic loquitur, ego in certos quosdam articulos redigam. Primò igitur recolat beneficia Dei populo ostensa. Secundò repetit etiam priora populi peccata plagasq; secutas. Tertiò omnino studio ad legem seruandam eos inducit. Quartò ne quis se excusare possit legem ipsam explanat. Quintò denunciat ipsis benedictionem & maledictionem secundum quòd legem seruaturi essent vel non. Sextò, speciale canticum ipsis facit ad perpetuam memoriam. Septimò, singulas tribus benedicit separatim. Omnibus his peractis montem ascendit & moritur. Hæc est summa totius huius libri quem Deuteronomium appellamus. De singulis igitur per ordinem videamus.

Primò igitur populum admonet Dei beneficiorum, nimirum ut eos ad amorem Dei excitaret. Vbi videmus quòd etiam Moyses libèrius vidisset in suis amorem filialem, quàm timorem seruilem. Multa autem beneficia Dei huic populo ostensa recolat, licet non ex ordine. Primum est promissio patrib. facta. Ingredimini, inquit, & possidete terram super quam iurauit Dominus patrib. vestris, &c. Verè magna gratia quòd Deus antequam nati essent cogitauit ipsis benefacere.

Ita

SUMMA
Deutero.

Cap. I. B.

Ita & ante multos annos p̄ prophetas p̄misit se nobis benefactorū & ea p̄stiturū, quę nunc experimur. **Do** **Psal. 140**
mine quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eū? Quomodo nūc sperantes in se relinqueret aut nostri obliuisceretur q̄ de nobis tam bona cogitauit etiam antequā essemus? Secundū beneficiū est magna illa multiplicatio populi. Dominus inquit, Deus uester multiplicauit vos, & estis hodie sicut stelle cęli. Est & hoc insignis gratia cū Dei dona nedū in nobis, sed in filiis, cognatis, & tota gente nostra uidemus. Sic David magni æstimabat q̄ Deus etiā filiis eius regnū Israel destinabat. **Deut. 1. B**
Quis, inquit, sum ego & quę domus patris mei, &c. Et nos igitur multiplicauit Deus, &c. Tertium beneficiū est liberatio ex Aegypto. De hoc sic dicit: Tulit te Dominus de fornace ferrea, &c. Et nos eduxit Dominus de potestate tenebrarū, & trāstulit in regnū filij dilectionis suę. **2. Reg. 7.**
Quartū beneficium est ductio per desertum. Dominus, inquit, Deus ductor tuus fuit, & portauit te sicut homo gestare solet paruulum suum, &c. Et iterum: Dominus Deus tuus nouit iter tuum, quomodo trāsieris per hanc solitudinem 40. annis habitans tecum, &c. Et iterum: **Deut. 4. B**
Oculi uestri uiderunt omnia quę fecit Dominus, &c. **Col. 1.**
Vos autem uniuersi uiuistis vsque nunc, &c. Et iterum: Recordaberis cunēti itineris per quod adduxit te Dominus quadraginta annis, &c. uestimentum tuum uetustate non defecit, &c. Omnium horum Moyses populum admonere uoluit, ut uiderent prouidentiam Dei circa suos. Hoc & nobis dictum sit. Nam & nos portauit Deus, &c. **Deut. 1. B**
Quintū beneficium est uictoria contra duos reges, hanc inculcat Moyses capite 21. & tertio. Et nos igitur cogitemus quomodo Deus **Deut. 2. B**
uictoriam nobis dederit per Iesum Christum. **1. Cor. 10.**
Sextū beneficium est datio legis. De hoc pulchrè loquitur Moyses. Dominus, inquit, Deus noster fecit nobiscum pactum. Non cum patribus nostris, sed nobiscum, facie ad faciem locutus est nobis, & cęt. **Deut. 5. A**
Et paulò antè: De cęlo audire te fecit uocem suam. **Deut. 4. B**

DECLAMATIONES

- Deut. 5. A Verè magna gratia. Non fecit taliter omni nationi,
 Deut. 4. F & cæt. Vnde præmittit Moyses: Interroga de die-
 Ibidem bus antiquis, an vnquam factum sit, vt audiret popu-
 lus vocem Dei, & cæt. Et iterum: Hæc, inquit, est
 Deut. 4. B sapientia vestra & intellectus coram omnibus populis
 &c. ad longum. Ex his & similibus verbis Moyses o-
 stendit se nõ satis exprimere posse quantum bonũ sit,
 vbi Deus verbum suum manifestat. Cõgruum igitur,
 imò necessarium est, vt nos porissimum grati simus,
 quibus Deus non per Moysen, sed per filiũ locutus est,
 non legem, sed Euangelium. Videte, inquit, Paulus, ne
 recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt,
 Hebr. 12. &c. Perpendamus gratiam Euangelij. Septimum bene-
 ficium est electio in populum peculiarem Dei. Te, in-
 Deut. 7. B quit, elegit Dominus vt sis ei populus, &c. Non quia
 maior eras cæteris populis, &c. Verè magna gratia.
 Rom. 8. Quid enim deesse poterit sub tali Domino manenti? Si
 Eph. 1. Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? Ceterum et-
 1. Pet. 2. iam nobis hac præstitit Deus. Elegit nos in Christo an-
 te mundi constitutionem, &c. vt qui olim nõ populus
 Dei, nunc populus Dei simus &c. Octauum beneficiũ,
 q̃ Deus non contentus in præterito beneficia præstitis-
 se etiã in futurum se benefacturũ promisit. Audi, in-
 quit, Israel: Tu trãsgredieris hodie Iordanẽ, &c. Scies
 Deut. 9. A ergo q̃ Dominus Deus tuus trãsibit ante te, &c. Et no-
 bis quoq; Deus vera & maxima bona promisit infu-
 turum. Ego, inquit, ero merces tua magna nimis. Et
 Gen. 15. Christus: Cõplacuit, inquit, patri vestro dare vobis re-
 Lucz 12. gnum. Quis tam beneficũ patrem nõ diligat & vene-
 retur? Hoc igitur primum est, quod Moyses moriturus
 populo suo inculcare voluit, Q. d. Cogita Israel quòd
 Deus bonus est, quòd benè tibi fecit, quòd maiora bo-
 na, imò summa bona tibi promisit. sic enim fiet vt nõ-
 quam in tribulationibus desperes, semperque tam pro
 patri adhæreas. Hoc enim & Dauid cogitans di-
 cebat: Non discedimus à te, viuificabis nos & nomẽ
 Psalm. 45. tuum inuocabimus. Item: hi in curribus, hi in equis,
 Psal. 117. nos aut in nomine Domini inuocabimus. Item: Mihi
 aut

est adherere Deo bonum est, &c. Item: Bonum est cō- Psal. 72.
fidere in Domino, quàm confidere in homine, &c. Psal. 174.

Secundo loco Moyses moriturus proponit populo suo etiam Dei iustitiam, idque propter eos, qui beneficijs non mouentur, vt vel saltem terrorem eis incutiat. Diligenter igitur recollit quàm seuerè Deus peccata patrum ipsorum punierit in deserto, & maxime circa montem Oreb, cum fabricassent vitulum: & in sepulchris concupiscentiæ, cum manna studentes, carnes desiderassent: & in Cadesbarne, cum territi ab exploratoribus, reuerti in Aegyptum statuissent. Memento, inquit, & ne obliuiscaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Deum tuum, &c. per totum. Et hæc Deut. 9. nobis dicta sunt, quibus nihil aliud expectandum est, nisi horrendum iudicium Dei, si bonitatem eius contempserimus. Irrita, inquit, quis faciens legem Moysi sub duobus testibus moritur, &c. Verissimè enim dicit Moyses, Deus noster ignis consumens est. Breuiter P. alm. 2.
nim exardescet ira eius sicut ignis, & ardebit vsque ad Deute 32. inferni nouissima. Hoc igitur secundum est, & quasi calcat quo Moyses populum suum ad pia studia urgere intendit, Quid Cogita Israel quod Deus non solum bonus, sed & iustus est, quod peccatum odit ac seuerè punnit, vt in teipso expertus es, &c. Vtinam omnibus hoc persuasum esset, &c.

Tertio loco Moyses populum suum ad obseruantiam legis inducit, atque hic iterum nullum non mouet lapidem, vt populo hoc persuadeat, quamuis pium quenque superiora satis mouere possent. Verum carnalibus vix persuaderi potest, vt mandatis Dei se subdant, propterea quod lex Dei præcipit quæ non arident naturæ, & prohibet quæ arident. Cæterum sensus huius articuli est: Quasi dicat, O Israel iam audisti quod Deus tuus & bonus & iustus est. Imò in te ipso expertus es eum bonum, in alijs autem qui peccauerunt expertus es esse iustum. Merito igitur voluntati eius te subdes. Nam quia bonus est, dignum est vt voluntatem eius perficias. Quia autem

DECLAMATIONES.

iustum eum audisti, etiam necessarium est, ut ei obedias, quandoquidem tantum periculum tibi imminet.

Deut. 4. A
Ibidem D

Vide autem quam pulchris verbis Moyses ad observantiam legis adducat. Audi Israel, inquit, præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea, viuas, &c. Et in eodem capite. Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, &c. Et post pauca: Scito ergò hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse est Deus,

Ibidem G

Deut. 6. A

&c. Custodi præcepta eius, & cæt. Ad idem dicit in 6. capite. Audi Israel & observa, ut facias, &c. Erunt-

B

Ibidem

Deut. 7. C

que verba hæc in corde tuo, &c. Cumque introduxerit te Dominus, &c. ibidem. Et post pauca: Cum interrogauerit te filius tuus, &c. Ad idem hortatur in cap. 7. Scias quia Dominus Deus tuus est Deus fortis, &c. Custodi ergò præcepta, &c. Ad idem hortatur capite 8. C. Observa, &c. Item cap. 11. A. B. Videri posset cuiuspiam frustra toties reperi, sed verè necessariū erat carnali populo. Vide igitur qualē spiritum hic Moyses habuit, quam amauerit gloriam Dei, quam sollicitus fuerit pro salute populi. Vbi nunc simile exemplū vel in parentib. reperias? taceo de principibus. Et quidem

Ecl. 45.

de temporalibus benè prouidemus filijs, sed nihil curamus de spiritualibus: quo fit ut iuxta Sapientem, ple-

Thob. 4.

runq; diues relinquat filium, qui tamen ad summam egestatem peruenit. Melius filio suo prouidit Thobias

Iob 1.

Omni, inquit, tempore in mente habeto Deū, &c. Pauperem quidem vitam ducimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum. Eodē spiritu & Iob omni-

Psal. 33.

manè offerebat p̄ filijs. Ne fortè, inquit, peccauerint, &c. In eundem modum & Dauid omnib. dicit, venite filij audite me, timorem Domini docebo vos, Quis est homo qui vult vitam, &c.

Deut. 5.

Quarto loco Moyses ipsam legem denuò proponit & declarat, ne quis de ignorat̄ia se excusare posset, quemadmodum solēt carnales. In hoc autem articulo diutius immoratur, nimirum à cap. 12. vsque ad caput 27. In hoc enim cardo rei vertitur, ut legem rectè intelligamus. Primò igitur ipsum decalogum proponit:

Deia.

Deinde ipsum declarat, & in ea declaratione omnium maximè ostendit legē non tantū esse literalem, sed spiritualē, hoc est, quę nō tantū externum opus, sed multo magis spiritū, cor, amorem, fidē, dilectionē exigat. Unde statim in principio sexti cap. dicit: Diliges Dominum, &c. Et paulò post: Dominum Deum tuum timebis. Et iterum: Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas & diligas eum? Et subdit: Circumcidite igitur præputium cordis, &c. Hæc clarissimè ostendūt legem spiritualemente esse, quemadmodum Paul. quoque probat. Sic autē legem intelligere multum prodest. Sic enim meliùs agnoscitur peccatum, magis humiliatur homo, & clariùs videtur, quàm necessarius nobis sit Christus. Si lex tantum literalis esset, facile gloriari possent hypocritæ. Nunc autem quia spiritualis est, audiunt à Christo: Nemo ex vobis facit legem. Item: Moyses accusabit vos, &c. Deinde in expositione legis Moyses omnia præcepta ad dilectionem Dei & proximi refert, quemadmodum & Christus & Paulus, vt videas eundem fuisse spiritum veteris & noui testamenti. Audimus igitur primò, quid tria illa priora præcepta in se contineant, quidque à nobis exigant. Audi, inquit, Israel, Deus Deus tuus Deus vnus est. Duplex auditus est, corporis & cordis, vtrunque intelligit Moyses. Audi corpore, audi corde, id est, crede. Primò igitur ad cultum & dilectionem Dei pertinens est audire verbum Dei, hoc Moyses exigit. fides enim ex auditu. Secundum est credere, sine fide enim impossibile est placere Deo, ait Paulus. Quid igitur audiendum & credendum? Primò quòd Deus est, neque enim omnia casu fiunt, sed Deus est qui agit omnia. Secundò, audiendum & credendum quòd Deus vnus est, contra errores gentiū. Tertiò quòd & trinus est, ob eam causam Moyses ter hic nominat Deū. Quarto quòd Deus tuus est, per hoc excitatur spes. Verum estne satisfactum huic primæ tabulæ si audias, credas, speres? Nequaquam. subdit enim Moyses: Diliges Dominum Deum tuum, &c. Hanc autem dilectionem Dei Moyses multis

Deut. 6

Deut. 10

Rom. 7.

Ioan. 7.

Ioan. 5.

Matt. 22.

Rom. 13.

Deut. 6.

Rom. 12.

Hebr. 10.

Deut. 6

DECLAMATIONES

verbis inculcat, contra eos, qui de sola fide dicunt. Nec dilectione solam Moyses inculcat, sed paulo post addit: Dominum Deum tuum timebis, &c. Item: Non tenebis Dominum. Habes igitur cultum internum Dei in his verbis: audire, credere, sperare, diligere, timere, non tentare. Omnia hæc ad priorem illam tabulam pertinent, cum tamen nihil eorum litera exprimat.

Deinde Moyses etiam quæ ad externum cultum perti-

- Deut. 7. A** nent recenset, idque diffusè. Horum primum est, ut aras gentilium idolatrarum euerterent Israelitæ. Auferre enim quæ Deo displicent, cultus Dei est. hic inuigilent parentes, prædicatores, rectores, episcopi, &c. Secundum, ut Deum colamus, non eo modo, quo gentiles coluerunt deos suos: hi enim in cultu suo multa puerilia, lasciuia, turpia, interdum & crudelia perpetrabant. Nihil horum vult Deus noster. Sanctus est, & sanctè colitur. de hoc Moyses cap. 12. in fine, & 18. B. Tertium, ut colamus Deum eo modo, quo ipse docet in verbo suo. Optimus enim cultus Dei est, non facere quod nobis, sed quod Deo placet, quem admodum Samuel ait ad Saul. De hoc Moyses Deut. 12. per totum. Quartum, ne à cultu Dei nos auelli patiamur per quoscunque, etiam dilectissimos, imò huiusmodi homines nos seducere molientes auersemur. Si oculus tuus scandalizat te, &c. De hoc Deut. 13. per totum. Quintum, ut certis diebus Domino vacemus ad orandum, meditandum, laudandum, &c. De hoc Deut. 16. per totum. Sextum, ut decimas & primitias offeramus ad sustentationem Leuitarum, pauperum & aduenarum. Pertinet enim & hoc ad cultum Dei, iuxta illud: Honora Dominum de tua substantia, &c. De hoc Deuterono. 14. D. 18. A. B. In fine eorum, quæ ad cultum Dei pertinent Moyses de Christo vaticinatur, ut sciamus etiam hoc pertinere ad cultum Dei, ut credamus in Christum, imò vel maxime. Nam sine fide in Christum nullus cultus placet Deo. Contrà autem, qui honorificat filium, honorificat patrem. De hoc Moyses, prophetam suscitabit, Deus, &c. In hunc modum Moyses primam tabu-

1. Reg. 15.

Matt. 18.

Prou. 3.

Ioan. 5.

Deut. 18.

tabu.

tabulã explicauit. Verè res notatu digna : Pãuci enim sic intelligunt præcepta, imò nec credunt præcepta illa tam longè extēdi, & tam multa exigere. Nec minus diligenter Moyses exponit præcepta secundæ tabulæ. Horum primum est de honore parētum, quod ne quis putet tantum ad carnales parentes pertinere, & externum honorem tantum exigere, Moyses addit obediē. Deu. 17. B
 dum esse etiam spiritualibus patribus, id est, sacerdotibus, &c. Insuper & filium contumacem præcipit iudicibus offerri & lapidari. Ne tamen putetur Moyses solis filijs & subditis legem imponere, interserit multa, quæ ad superiores pertinent. Sic parentibus præcipit, vt præcepta Dei filijs suis annunciet, sacerdotibus, vt secundum legem iudicent, Regibus vt legem perpetuò secum habeant & legant. Secundum præceptum secundæ tabulæ est, Non occides. Hoc multipliciter exaggerat Moyses, vt persuadeat, Primò enim poenã mortis statuit homicide voluntario. Deinde etiam ei, qui à casu homicidium perpetravit, ad tempus tamen exilium indicit ad terrorem. Præterea de inuento caduere hominis occisi specialem legem ponit, quomodo qui proximiores sunt sese purgare debeant. Postremò ne in bello quidem vult quẽquam occidi, nisi prius pacem oblatam respuerint. Tertium præceptum secundæ tabulæ: Non adulterabis, hinc primò poenam mortis statuit adulteris. Deinde prohibet, ne in Israel sit meretrix, vel scortator. Tertio lapidari præcipit puellam, quæ nuptui tradita, nõ inuenta est virgo. Postremò prohibet etiam ad maiorem cautelam, ne vir induatur veste muliebri, nec contrã. Quartum præceptum: Non furtum facies, hinc primò prohibet, ne quis transferat terminos, quos patres constituerunt. Deinde, ne quis fratri suo sceneretur. Deut. 23. D. Præterea, ne inclementer debita & pignora à pauperibus auferamus. Insuper vt mercenarios mercede sua non fraudemus. Ad hæc ne diuersa pondera habeamus, &c. Postremò, ne pauperes in necessitate relinquamus, multò minus, vt eos grauemus, Deu. 15. B. C. Quintum præ-

Deut. 6. B

Deu. 17. C

Deu. 17. D

Deu. 19. C

Ibidem. B

Deu. 21. A

Deu. 20. C

Deu. 22.

Deu. 23. C

Deu. 22. D

Deu. 22. A

Deu. 19. D

De. 24. C

Ibidem.

Deu. 25. D

Deu. 15.

DECLAMATIONES

Deut. 19. D ceptum secundæ tabulæ est, Non falsum testimonium dices. Hic primò prohibet vnum testem tantū audiendum. Secundò asserit falsum testem occidendum. Præcipit in super & iudicibus, vt iustè iudicent, nec munera accipiāt, &c. Deut. 16. D. Duo vltima præcepta Moyses relinquit, non quòd parum in his situm sit, sed quia contentus carnalem populum ab externis peccatis coercere, cordis reformationem Christo venturo relinquit, qui spiritum dare potest, quo solo cor rectificatur. hoc enim Moyses nō potest. Vide igitur in hoc articulo iterum piam Moysi mentem, quantum cauerit filijs suis, ne quid contra Deum agerent, &c. Quomodo non feliciter moreretur, qui tale testamentum posteris suis relinquit? &c.

Quinto loco Moyses bona & mala prædicit populo, secundum quod legem obseruaturi essent vel non. Sciebat enim carnales homines solis promissionibus trahi ad bonum, & solis minis retrahi à malo: ideo vtrunque diligenter inculcat. Atq; hinc iterum videbis, quàm nihil omiserit eorum, quæ populum in timore Dei conseruarent. Huc enim totum ipsius testamentū spectabat, vt populus timeret Deum: vbi enim timor Dei, ibi omnia bona. Beatus enim, qui timet Dominū. Vbi verò non est timor Dei, ibi omnia mala sequuntur, vt patet Psal. 13.

Psal. III.

Deu. 27. B Circa hunc igitur articulū Moyses multa facit. Primò enim de nouo incipit admonere. Attende, inquit, Israel, & audi. Hodie factus es populus Domini DEI tui, & cæt. Rudes enim & carnales non satis habent,

Deu. 27. A quòd semel admoniti sunt. Deinde præcipit Moyses, vt transmissis Iordane statim altare Domino erigerent, in gratiarum scilicet actionem. hoc enim ante omnia Deus exigit. Tertiò præcipit, vt legem in lapidibus scriberent, nimirum, vt esset mōnimentum, semperq; legē Dei haberent præ oculis. Obseruandum, q̄

Ibidem.

veteres vbiq; signa instituerūt, quibustam ipsi, quàm posteri admonerentur Dei & operum eius: vt videas, quàm Christianè faciant, qui nunc omnia signa demolunt.

moliantur. Quartò præcipit Moyses, vt tràsmisso Ior. Den 27. B
 dane statim etiam pronunciarent benedictionem su-
 per obseruantes legem & maledictionem super trans-
 gredientes, idque cum solennitate, nimirum, vt ma-
 gis per hoc moueretur populus. Quintò specialem et- Ibidem.
 iam locum ad hoc deputat, nempè duos mōtes in ter-
 ra promissa, quorum vnus Garizim, alter Hebal dicitur:
 nimirum, vt & montes hi posteris in monumentū
 & signū essent. Præterea volebat Moyses, vt in ea pro- Acto. 19.
 clamations benedictionum & maledictionum omnis
 popul⁹ adesset, ad omnes enim ex equo spectabat hoc
 negotium, hīc enim non est exceptio personarum, &c.
 Ad hæc volebat etiam Moyses, vt ad singulas benedi-
 ctiones & maledictiones populus responderet, Amen:
 vt vel sic postea peccantes scirent se suo ipsorum iudi-
 cio damnatos. Insuper Moyses etiam formā præscrip-
 sit, quomodo tam benedictiones, quàm maledictio-
 nes deberent proclamari. Quamuis enim hīc tantum
 maledictionum meminerit (nimirum suo officio sa-
 tisfaciens, nā lex tantum maledicit, Euangelium autē
 benedicit) tamē ex maledictionibus facile colligi po-
 test, quomodo etiam benedictiones proclamari debe- Iosue 8.
 rent, nimirum per contrarium. In Iosue autē dicitur, q̄
 ex præcepto Moyfi prius benedictiones proposuerint,
 quàm maledictiones. Vnde colligi potest, quòd hanc
 formam præscripserit, nimirum, vt Leuitæ in monte
 Garizim primò inciperent: Benedictus, qui vnum ve-
 rum Deum colit, timet, amat, &c. populusq; respōde-
 ret: AMEN. Deinde Leuitæ in monte Hebal contrā
 dicerent: Maledictus, qui facit sculptile, &c. iterumque
 populus responderet, AMEN. Sicque vicissim per o-
 mnia præcepta Decalogi facerent. Vide igitur, quan-
 to studio Moyses annitur populum ad obseruantiam
 legis inducere. Multum enim ad hæc facit, scire, quòd
 tam benedictio super obseruantes legem, quàm ma-
 ledictio super transgredientis iam olim lata & pro-
 mulgata sunt.

Hoc autē mundus difficilè credit, propterea, quòd
externè

DECLAMATIONES.

externè aliquando contrarium apparet, nempe, quòd
 pij multis malis obnoxij sunt : Contrà autem mali vi-
 dentur benedicti. In labore enim hominum non sunt,
 & cum hominibus non flagellantur. Promptuaria eo-
 rum plena, &c. Verùm claudendi sunt oculi, & verbo
 Dei credendum. Verbum Dei pronunciat bonos be-
 nedictos esse, id, quòd infallibiliter eueniet quantum-
 cunque differatur. Contrà impij maledicuntur in ver-
 bo Dei, certum igitur, quòd maledicti sunt, quantum-
 uis nunc benè habere videantur. Vnde Sapiens : Et si
 peccator centum annis toleratur, ego scio, quòd benè
 erit timenti Deum. Videntur impij habere diuitias,
 honores, sanitatem, filios, &c. verùm si attendas, quo
 labore hæc acquirant, qua cura conseruent, quomo-
 do abutantur, quid propter hæc amittant, videbis nò
 benedictionem, sed maledictionem esse. Primò enim
 magno labore acquirunt diuitias, pijs autem spontè
 adiunguntur. Deinde impij multis curis distorquentur
 propter diuitias, quomodo igitur possunt esse bene-
 dictio? Præterea quò plus diuitiarum habent, eò plus
 peccant, sicque diuitiæ impijs in maledictionem ver-
 tuntur. Insuper propter diuitias Deum & spiritualia
 negligunt. quomodo igitur possunt esse benedictio?
 Summa, quantumcunque habeant impij, non tamen
 habent pacem, ergò nec benedictionem. Vnde Sapiens:
 Melior est buccella sicca cum pace, quàm domus ple-
 na cum iurgio. Et psal. Melius est modicum iusto super
 diuitias peccatorum nimias, &c. Quod de diuitijs di-
 xi, etiam de alijs intellige, quibus impij videntur bene-
 dicti. Summa, Benedictionem scriptura pronūciat su-
 per pios, maledictionem autem super impios. Ne quis
 autem putet benedictiones & maledictiones illas tan-
 tum in verbis consistere, declarat Moyses ad longum
 quid vtrunque secum adferat. Et primò palam osten-
 dit, quòd benedictio illa omnia bona secum adferat,
 imò quecunque homo desiderare potest. Primò nam-
 que secum adfert prosperitatem domus. Huc pertinet,
 quod dicit: Si audieris vocem Domini, benedictus eris
 in ciui-

Psal. 72.

Psal. 147.

Ecc. 1.

Matt. 6.

Prou. 17.

Psal. 36.

Gen. 28. A

in ciui.

in ciuitate, &c. Benedictum horreum tuum, &c. Deinde secum affert benedictio pacem. Dabit, inquit, Dominus inimicos tuos corruentes, &c. Tertio fertilitatem. Abundare, inquit, te faciet Dominus omnibus bonis, &c. Aperiet thesaurum suum, &c. Quarto honorem. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam. Quinto gratiam Dei. Suscitabit, inquit, te sibi Dominus in populum sanctum, &c. Iam vides, an paruum quid sit benedictio. Vide deinde, an frustraneum sit, seruire Deo. Quis regum ita remunerat seruientes sibi? Bene igitur Abrahamo dictum fuit: Noli timere, ego ero merces tua magna nimis. Contra autem Moyses ad longum describit, quanta mala secum adferat maledictio, nempe, omnia illa, quae vel maximè horrent homines. Primo infortunium domus. Si, inquit, audire nolueris, &c. Maledictus eris in domo, &c. Et infra: Omni tempore calumniam sustinebis, &c. Vxo- rem duces, & alius dormiet cum ea, &c. Secundo famem. Mittet, inquit, Dominus in te famem, &c. Et postea: Sit cælum, quod supra te est æneum, &c. Et postea: Sementem multam facies, & parum congregabis, quia locustæ deuorabunt omnia, &c. Tertio morbos. Adjungat tibi Deus pestilentiam, &c. Percutiat te egestate, feбри, &c. Percutiat te vlcere Aegypti, &c. Quarto gladium. Adducet, inquit, Dominus super te gentem de longinquo, &c. Et postea: Obsideberis intra portas tuas, &c. Quinto maledictio secum affert terrorem perpetuum conscientiae. Dabit, inquit, tibi Dominus cor pauidum, &c. Timebis nocte & die, &c. Videtne an parua res sit maledictio? Imo verè magna & horrenda res. Deinde etiam hic videmus, quàm non impunè cedat, si transgrediamur Dei mandata. Atque hoc est, quod Paulus dicit Christum nos liberasse à maledicto legis. Omnes enim huic maledicto obnoxij fuimus, quia omnes peccauimus. Maledictus enim omnis, qui non permanet in verbis legis huius. Ne quis tamè desperet, addit Moyses consolationem. Cum, inquit, uenerint super te omnes sermones isti, & poenitudine ductus

ibidem. B

Gen. 15.

Deu. 28. B

ibidem D

ibidem C

ibidem D

ibidem B

ibidem F

ibidem in
fine.

Gal. 3.

Deu. 27.

Deu. 30. A

DECLAMATIONES.

ductus reuersus fueris ad DEVM, reducet te Dominus, & cæt. & maledictiones has vertet super inimicos tuos, & cæt.

Postremò iterum addit admonitionē. Hoc, inquit, mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, nō est supra te, & c. Considera igitur, q̄ hodie proposuerim tibi vitā & bonum, & c. Testes inuoco hodie cælum & terrā. Elige ergo vitā, & c. Vide, quā vehementer Moyses urgeat ad implendā legem. O verè Christianum testamentum, & c. Hactenus igitur Moyses satis superque præsentibus admonuit. Nunc etiā ad posteros se conuertit, ac sexto loco in admonitionem, imò præmonitionem ipsorum canticum quoddam conficit, quo summam comprehendit & Dei in ipsos beneficia, & ipsorum peccata, & insuper etiā secutas pœnas. In carminis autem vel cantici modum hæc comprehendit, vt & facilius disci, & diutius in memoria retineri possent, ad tollendam omnem excusationem impijs. Verè pium & sollicitum pastorem, qui verè cum Paulo dicere potuit: Innocēs sum à sanguine omniū vestrum. Non enim subterfugi, & c. Ad cōmendationem autem huius cantici plura ponuntur vel præmittuntur, primò Dei præceptum, de quo Deu. 31. legis. Deinde ad commendationem cantici pertinet, quod Moyses idipsum cum tanta grauitate proponit. Congregate, inquit, ad me omnem populum, & inuocabo contra eos cælum & terrā, & c. Vbi interim & causam huius cantici obseruemus, vt sit, inquit, in testimoniū inter eos. Sic enim verbum Dei pijs est in consolationem, impijs in testimonium contra ipsos. Quot enim verba Deus locutus est, tot testes habebunt contra se in iudicio. Multa habeo de vobis loqui & iudicare, ait ipsum verbum Dei incredulis. Obseruādum etiam hoc, q̄ Moyses canticum quidem tradit populo, Leuitis autē aliquid plus commēdat, nempe librum legis. Tollite, inquit, librum hunc, & c. Sacerdotum enim est scire legem, & c. Sed nunc canticum ipsum audiamus, nō parum enim vtilitatis etiā nobis adferet. Nā primò nos

pudesa-

Deut. 3. C

Acto. 20.

Deu. 31.

Ioan. 8.

Mal. 2.

pudescit, ut qui tantum turpia carmina cantemus, &c. Secundò admonebit nos diuinæ bonitatis pariter & iustitiæ. Tertiò docebit, quomodo Iudæis contra Deum querulantibus respondendū sit, &c. Diuidi aut potest canticum hoc in 4. partes. Nā primò excitat attentionē. Secundò recitat Dei beneficia Israelitis ostēsa. Tertiò ipsorum peccata. Quartò pœnas cōmeritas.

Audite cæli, quæ loquar, audiat terra, &c.

Cælos alloquitur & terram, ut & attentiores faciat homines, & simul arguat Israelitarum duritiā, Q. D. quia scio, quod homines me non audient, dirigam verba mea ad cælum & terrā, ut sint testes, me hæc prædixisse, &c. In eundē modum etiā Isaias incipit. Quòd aut Isai. 1. Moyses subdit: Concreseat ut pluuia, &c. optantis est, q. d. Vtinā verba mea hoc efficerent in cordibus populi huius, quod pluuia efficit in frugibus terræ. Cōgruè autem verbum Dei comparat pluuiæ & rori, quemadmodum & Isaias. Sicut, inquit, descendit imber, &c. sic Isai. 55. erit verbum meum. Addit tertiò: Nomen Domini inuocabo. per hoc breuiter materiā cantici ponit, ac auditores dociles reddit, Non, inquit, de lana caprina cātabo, sed de nomine Domini, de iustitia, veritate & bonitate Dei. Gloriam eius asseram & defendam contra impios, &c. Vnde subdit:

Date magnificentiam Deo nostro.

Alloquitur auditores, ut Deum non arguant in iudicijs suis contra impios Israelitas, quin poti⁹ Dei iustitiā glorificent, &c. Pulchrè autem gloriam Dei describit. Deus, inquit, perfectus est in operibus suis, iustus in iudicijs, fidelis in promissis, sanct⁹ in donis, iustus in præmijs reddēdis, rect⁹ in pœnis inferēdis. Hęc est gloria Dei, hoc de Deo sentiamus & credamus firmissimè citra vllā dubitationē. Quòd si quis obijciat: Si hæc ita se habent, cur Iudæos, cum quibus olim fœdus pepigerat, nunc repulit? Respōdet Moyses. Peccarunt ei non filij eius, &c. quod ut verum appareat, incipit enumerare ipsorum peccata. quòd aut peccata ipsorum maiora appareant, præmittit Dei beneficia ipsis ostēsa.

*Declaratio
nē horum,
vide ser-
mone nouo
contra pe-
stem pa. 54*

DECLAMATIONES

ostensa, &c. Singula autem verba in toto hoc cantico posita emphasim habēt. Peccauerunt, inquit, nec simpliciter, sed Deo, quod grauius est, iuxta illud: Si peccauerit vir in virum, dimittetur ei: si autem peccauerit in Deum, quis orabit pro eo? Tertio peccauerunt, inquit, non vt filij: hi enim non malitiosè contra patrem agunt, & statim suum peccatum agnoscunt. Hi autem secus, peccauerunt ei non filij, sed planè serui malitiosi. Et quarto peccauerunt in sordibus, hoc est, sordidissimè. Vide, quomodo aggrauat peccatum, nimirum vt absterreat. Insuper addit exclamationem satis austeram, Generatio praua, &c. Nec hæc verba carent emphasi. Vocat ipsos generationem prauam, quo ad voluntatē peruersam, quo ad opus: populum stultum, quia malum cognitum non præcauerunt: populum insipientem, quia bonum scire noluerunt. Hęc sunt epitheta impiorum. Peccatum enim facit ipsos stultos, cæcos, insipientes, prauos, peruersos, &c. iuxta illud: Nescierunt, non intellexerunt, in tenebris ambulāt. Vnde & Christus: Nesciunt quid faciunt. & iterum: O Ierusalem, si cognouisses & tu. Et Paulus: Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et Moyses: Vidistis omnia mirabilia Domini, & nondum dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos, qui videant, &c.

Nōne ipse est pater tuus, qui possedit, &c.

Hic Moyses recenset, & præcinit populo beneficia Dei ipsis ostensa, quò magis postea videant ingratitude suam. Primò autem ponit beneficium creationis, idque verbis admodum electis. Non enim simpliciter dicit, Deus creauit te, sed: Nōne ipse est pater tuus? Creatio enim arguit Deum esse patrē nostrum. Ideo enim creauit, vt benefaciat. Vnde dat escam omni carni. Et iterum: Nihil odisti eorum, quæ fecisti. Et: Oculi omnium in te sperant, &c. Deinde pulchrè explicat creationem. Fecit, inquit, te secundum corpus sicut figulus ex luto, creauit te secundum animam ex nihilo, vt Deus, possedit te, & in suum peculium rece-

pit tam

1. Reg. 2.

Psal. 11.

Lucz 23.

Lucz 19.

1. Cor. 2.

Deu. 26.

Psal. 135.

Sap. 11.

Psal. 144.

pit tam secundum corpus, quam secundum animam
 vt pater. Vide quantum in se habeat articulus creatio-
 nis, & quid Deo propter hoc debeamus. Secundò po-
 nit beneficium electionis. Quâdo, inquit, diuidebat al-
 tissimus gentes, &c. q. d. Vestrū vix erant tot personæ,
 quot aliās populi & linguę erant in terra. In 70. enim
 animabus ingressi estis in Aegyptū, & in tot fermè lin-
 guas genus hominū diuisum est. relicta tamen illa tā-
 ta multitudine hominum, ad paucos vos se conuertit
 Deus. Verè magnum bonum, de quo suprâ. Te elegit
 Dominus, &c. Et Baruch: Non hos elegit Dominus, Deut. 7.
Baruch 1.
 sed Iacob puerum suum, &c. Consideremus & nos vo-
 cationem nostram, Rom. & 1. Cor. 1. Tertio ponit be-
 neficium educationis ex Aegypto. Inuenit, inquit, eum
 in terra deserta, &c. Per hoc excludit etiā ipsorum me-
 rita. Non, inquit, propter iustitiā tuam te elegit Deus,
 sed ex gratia. Nā in peccatis te inuenit, &c. Sic Abraha-
 mū inuenit in deserto Chaldeorū, Israelem in Aeg-
 ypto peccatis pleno. Verè etiā nos inuenit Deus in ter-
 ra deserta, id est, in peccatis. Omnes eramus filij iræ,
 &c. Quarto ponit beneficiū ductionis per desertū. Cir- Ephes. 2.
 cum duxit, inquit, eum & docuit, &c. Indicat Deum eā
 curam ipsis impendisse, quā mater impendit filio, ma-
 gister discipulo, quilibet proprio oculo, aquila suis
 pullis, &c. Expende singula, & videbis quantū benefi-
 cium sit, & quam præsens Dei prouidentia etiā nobis.
 Quintò ponit beneficium introductionis in terrā pro-
 missam. Constituit, inquit, eum super excelsam terrā,
 &c. Deus ipsum introduxit in terram optimam, &c.
 Terra hæc optima Ecclesia est, in qua comedimus fru-
 ctus agrorum sacræ scripturæ, sugimus mel consolati-
 onis & lac doctrinæ de petra Christo, cōedimus bu-
 tyrū exempla veterum patrum, &c. Insuper fruimur
 adipe frumenti sacrę eucharistiæ, & sanguine vucę me-
 racissimo, id est, calice Domini. Vide, quid debeamus
 Deo, &c. Vtinā Moysen in hoc imitemur, vt & nos
 Dei beneficia ita in memoria haberemus. Certè mul-
 ta huiusmodi cantica habemus in Ecclesia, in quibus

DECLAMATIONES

Dei beneficiorum admonemur, vt sunt multi Psalmi,
& maximè hi, qui titulum habent Alleluia.

Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.

Dent. 11. Hic Moyses ostendit se esse prophetam, prædicte enim futurum populi statum tam quo ad ipsorum culpam, quàm quo ad secururam pœnam, ac tam certò omnia prædicat, quasi iam facta essent. Occasionem arripuit ex eo, quod Dominus dixerat: Ecce tu dormies cum patribus tuis, &c. & populus formabitur, &c. Et irascetur furor meus contra ipsos, &c. Primò igitur admonet ipsos pristinæ dignitatis, cum ipsos nominet dilectum populum. Verè dilectus, sed diligentè ingratus & dilectione Dei abusus. Vnde & meritò à dilectione repulsus. Deinde metaphoram sumit à iumentis, quæ quò largiùs pascuntur, eò magis recalcitrant, cū non in hunc finem cibos largiores accipiāt, sed vt plus possint laborare & onera ferre. Sic igitur etiam hîc impij iumentis comparantur, vt in Psalm. Competit autē metaphoram hęc vel maximè in Isralitas coniunctim & separatim. Cū enim in Aegypto adhuc essent admodum macilenti, satis deuoti erant, postea autem longè alij facti sunt. Sic particulariter de Saulo, Dauide & alijs dicendum. Sic Ecclesia cū adhuc macilenta esset, satis bonos filios educauit, postq̃ autem acquisiuit diuitias, &c. secus factum fuit. Magna autem & mira peruersitas, quòd ea, quæ ad amorem Dei nos accendere deberent, occasionem peccandi facimus, &c. Obserua autem, in quā multis deteriores nos simus, quàm ille populus. Ille enim tantum obijcitur idololatria, nos autem non hoc tantum facimus, sed plura alia adijcimus, &c. & tamen miramur si Deus aliquando punit.

Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, &c.

Terribile verbum. vidit & Dominus, is nimirum, qui omnium iudex est, quem nec fallere, nec effugere possumus, cui subest cū voluerit posse. Nec solùm videt, sed ad iracundiam concitatur, maximè vbi eum prouocant filij & filia suæ. Grauiùs igitur peccamus

IN DEUTERONOM.

nos Christiani, quàm alij. Vbi autem Deus irascitur, statim sequitur pœna. Idcò subdit: Abscondam faciẽ meam ab eis. Verè terribilis comminatio, nam auersio faciei signum est omnimodæ inimicitiaẽ. Considerabo nouissima impiorum, felicitas non ex principio, sed ex fine iudicanda. Finis probat ipsos infelicissimos. Quomodo enim felix posset esse finis, vbi principia mala & peruersa sunt? Sequitur: Ipsi me prouocauerunt, &c. & ego prouocabo eos, &c. Impletum videmus in libro Iudicum, maximè autem nunc. Et nos prouocat Deus in eo, qui non est populus: quia enim Deo inobedientes sumus, cogimur nonnũquam à subditis nostris pati quæq; aduersa, &c. Sequitur: Ignis succensus est, &c. Hic habes iram Dei comparatam igni, & eidem deuoranti. Iræ enim Dei nemo resistere potest. Cõsumit etiam fundamenta montium. Quomodo autem ira Dei deuoret quæq; obuia, declarat sequens textus. Congregabo super eos mala, &c. Obseruandum plagas Dei dici sagittas, feriũt enim profundè & antequam præuideantur, sicut sagittæ, &c. Externis malis addit etiam internum, q̃ multò grauius est. Foris, inquit, vastabit gladius, & intus pauor, &c. De hoc etiam supr. in fine cap. 28. His tamen malis nonnulla milericordia interuenit, nempe quòd Deus differt pœnas: primò, ne superbiant hostes: Secundò, vt habeamus tempus pœnitendi. Vnde & Moyses admonitionem subdit: vtinam saperent, &c.

Gens absque consilio & prudentia, vtinam saperent, &c.

Iterum exclamat Moyses, iterumq; cæcitatẽ, ignorantiam, imò oscitantiam populi arguit. Hoc enim generaliter scriptura de omnibus filijs Adæ conqueritur, nempe quòd non habeant consilium nec prudentiam non recogitant præterita, nõ intelligunt præsentia, nõ præuident futura. Sapientes, inquit sunt vt faciãt mala, benè autem facere nescierunt. Et iterum: cognouit, &c. Et Christus: Flij seculi prudẽtiores filijs lucis sunt, &c. Et iterum: ò si cognouisses & tu, &c. sed abscondita sunt ab oculis tuis. Congruè igitur Moyses

DECLAMATIONES

Eph. 3.
Psalm. 12.
Psalm. 66.
 ipsis optat sapientiam, intellectum & prudentiam. Nec quicquam melius optare potuisset. Vbi enim hæc tria sunt, illic omnia bona sequuntur: Eodem modo & Paulus sæpè fidelibus optat vberiolem sapientiam & cognitionem & illuminatos oculos. Quin & David hoc ipsum precatur & sibi & alijs: Illumina, inquit, oculos meos, &c. Et iterum: Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, &c. vt cognoscamus, &c.

Quomodo persequebatur vnus mille, &c.

Num. 23.
Judith. 5.
Exod. 14.
 Miratur populi cæcitatem, quod nec ea adhuc intelligebant aut considerabant, quæ ante oculos viderant. Viderant, inquam, quàm facilè omnes hostes hæcenus profligassent, & quod nulla quantumuis magna hostium multitudo contra ipsos consistere potuerit, non tamen agnoscebant Dei manum. Ideò Moyses: Vnde tibi contigit tot hostes tam facilè vincere? Nonne ideo, quia Deus cõclusit eos, &c. Notanda sunt hæc verba, hinc enim videmus vnde sit, quod sæpè pauci multos superent. Imò & etiam Turcæ toties superârunt Christianos. Deus, inquit, vendidit eos & conclusit, nimirum propter ipsorum peccata. Nõ enim est Deus noster vt dij eorum, odit iniquitatem, deseretes se deserit. Quod autem talis sit Deus noster, etiam inimici nostri dicere coguntur. Sic Balaam inimicus populi fidelis magnificè de Deo nostro locutus est. Sic & Achior magnificum testimonium Deo nostro dedit coram Holoferne. Imò & ipsi Aegyptij dicebant: Fugiamus Israelem, Dominus enim pro eis pugnat.

De vinea Sodomorum vinea eorum.

Pergit Moyses exaggerare vitia Israelitarum. Comparat autem ipsos Sodomæ, vt magis terreantur ex iudicio, quo olim Sodomitæ perierant. Tria autem ponit, vineam, vuas vel botros, & vinum, per vineam intelligit congregationem populi, per botros ipsorum opera, per vinum autem ipsorum doctrinam. Omnia autem hæc apud ipsos peruersa erant. Quid igitur boni sperari poterat?

Nõnne

Nónne hæc condita sunt apud me? &c.

Hic præter temporarias pœnas incipit eis etiam cõminari æternas, in nouissimo die impijs infligendas. Omnes, inquit, plagæ & pœnæ apud me reconditæ sunt & signatæ in thesauris meis, semper mihi ad manum sunt, possum quando & vbi visum fuerit vel aliquos tantum, vel omnes simul impijs immittere. Habeo thesaurum plagarum, sed adhuc signatum, suo tamen tempore aperiendũ. hoc autem impij nec vident nec credunt, signatus est enim, suo autem tempore experientur. ô quàm terribile erit quando Deus omnes plagas simul immittet, cũ nunc sic terreant singulæ plagæ. Sequitur: Mea est ultio, &c. Deus enim non minus iustus est, quã misericors, quamuis pro hoc tẽpore misericordia potiore locũ sibi vendicet. Nec solũ iustus est Deus in se, sed etiam re ipsa retribuet impijs. Ita autem retribuet, vt labatur pes eorum ita vt amplius surgere nõ possint, Ne cui autem videatur, quòd nimis diu differatur punicio impiorum, addit: Iuxta est dies perditionis. Coram Deo enim mille anni sunt sicut dies hesternæ, quæ præterijt. Et quantumuis longè adhuc distare posset tempus generalis iudicij, tamen cuiuslibet suus dies propè est. nempe dies mortis. Festinant, inquit, tempora. Vnde Psalm. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni sunt, &c.

Psalm. 1.

Ibidem

Iudicabit Dominus populum suum, &c.

Hic intentat iudiciũ futurum. Vbi obseruanda sunt hæc duo verba: Iudicabit & miserebitur, vt sciamus differẽter iudicãdos homines, alios scilicet ad mortẽ, alios ad vitam. Persequitur aut iudicium impiorum, Tunc, inquit, videbitur & apparebit quod defecerit ipsorum manus & fortitudo, quod nec resistere nec euadere poterunt, sed simul omnes peribunt. Deinde supra dationem etiam amarissimè ipsis exprobrabuntur peccata ipsorum. Vbi sunt dij eorum? &c. Verè amara exprobratio, iuxta illud: Ego quoque in interitu vestro redibo, &c. Cæterum, pulcherrima illa verba, quæ hic ponuntur ad finẽ vsque canticum, exposita inuenies

Prou. 1.

DECLAMATIONES

in quinto sermone contra pestem. Parte 5. de sanctis.

Laudate gentes populum eius.

Rom. 15.

In Hebræo habetur. Lætamini gentes cum plebe eius, & sic citatur à Paul. Omissis igitur & abiectis iudæis hîc vltimò se conuertit ad gentes, quas prævidebat in locum iudæorum inferendas populo Dei. Monet autem primò, vt lætentur propter salutem ipsis oblatam. Deinde vt laudent Deum super misericordia sua. Tertio vt studeant esse populus Dei, ne & ipsis cõtingat sicut iudæis. Postremò ne Iudaicum populum contemnant, scientes quòd etiam ipsis aliquando repropiciabitur Dominus, cùm scilicet intrauerit plenitudo gentium. quemadmodum & Paul. ait: Hactenus de Cantico Moysei, quod vtinam omnes rectores etiam suis subditis præscriberent & inculcarent.

Rom. 11.

Ascende in montem Abirim & morere.

Hoc etiam superius dixerat ad Moysen, sed addiderat: vleiscere prius de Madianitis. hîc autè repetitur, & cū effectu. cæterū Moyses moriturus benedicit populū. nihil enim de se sollicitus, solis illis timet vt pius pater filijs, & fidelis pastor ouibus. Fidei igitur est q̄ non sollicitus est de seipso, Charitatis autem, quòd alijs timet. Vera enim charitas nō quærit quæ sua sunt. Obseruandū autem q̄ de Moysen dicitur: Benedixit populū. quid enim aliud poterat quàm benè precari? De Christo aut dicitur: Etenim benedictionē dabit legislator. Vnde & in Euangelio nō dixit: Opto vobis pacē & spiritū sanctum, sed Pacē relinquo vobis, pacem meā do vobis. Item: Accipite spiritum sanctum, &c. Vides igitur quantum præstet nouum testamentum veteri.

Dominus de Syna venit, & de Seir ortus, &c.

Primò omnium Deum ipsis proponit. Signanter autem ipsis inculcat quid in his tribus locis factū sit, Syna scilicet, Seir, & Pharan. In Syna legem dedit. In circuitu montis Seir mysterium passionis Christi aperuit in serpente æneo. In Pharan coturnicibus ipsos pavit, & 70. viros spiritu impleuit. Hæc tria ipsis inculcat. Deinde addit: In manu eius ignea lex. Verè ignea

lex,

Deut. 33.
Psal. 83.

Jan. 14.
Ioan. 20.

ex, quia sola dilectione impletur. Et nisi ignis legis ardeat in corde, foris est lex ignis horrendus, qui cor fugere faciat à cōspectu Dei, quemadmodum supra de igne montis Syna horrēdo vides. Itemq; de flammeo vibrantiq; gladio, qui non permittit ingredi in paradisum. Igitur etiam huius meminit Moyses in fine, vt scirent qualē legem haberent. Tertiò loco inculcatum ipsis vult, quā securi sint qui Deo seruiunt. Omnes, inquit, sancti in manu eius. Sic Sapiens: iustorū, inquit, animæ in manu Dei sunt. Et in Isaia: In manib. meis descripsi te. Et Christus: Nemo rapier oues meas de manu mea. Insuper ostendit Moyses, quonam modo amicitia Dei conferuetur. Qui appropinquant pedibus eius, id est, qui ad pedes eius prostrati eum inuocant ac seipsis abnegāt. Vel pedes Dei sunt humanitas assumpta. Si Deū propiciū habere cupis, accede ad Christum. Vel pedes Dei sunt Apostoli, qui Dei gloriam per totum mundū baiularunt, iuxta illud: Quā speciosi pedes Euangelizantium pacē, &c. Hoc ceu exordio præmissō Moyses singulas tribus benedicit, imò prædicat ipsis futura. Quia autē hæ benedictiones vt plurimum temporalē respiciunt prosperitatem, idē eas omitto, nihil enim ad nos pertinent. In fine Moyses iterū vniuersum populū simul alloquitur. Non est, inquit, Deus vt Deus rectissimi. Per rectissimum intelligit verum Israel non carne, sed spiritu. Qui tales sunt, his ascensor cæli auxiliatur, &c. qui etsi sursum habitat, tamen sub cælo sunt brachia eius sempiterna, id est, eius potentia qua condit, gubernat, protegit omnia. Quam tutum autem sit sub tali Domino esse subdit: Israel habitabit confidenter, securus ab hostibus Isa. 2. & Michæ 4. Deinde: Oculus Iacob in terra frumenti, qui enim Deū habēt, his omnia benedictione plena sunt. Meritò igitur Moyses exclamat: Beatus es Israel: Quis similis tibi? &c. His igitur verbis Moyses populo suo valedixit. Hic exemplum sumant parentes, qualem hæreditatem filijs relinquere debeant, &c.

Ascendit ergo Moyses in montem, &c.

DECLAMATIONES

Deut. 3.

Hic tandem describitur mors Moyſi. Aſcendit nihil cunctatus, nihil renitens, nec mortē deprecans. Nam ſuprà audierat definitum eſſe à Deo, q̄ non intraret in terram promiſſam. Oſtendit autē ei Dominus terram, nimirum ad conſolationem ipſius. Verè bonus Dominus ſperantib. in ſe. Magnam conſolationē ſancto viro præbebat videre terram illā, quam Dominus toties promiſerat. Cæterum, q̄ terram illam vidit & tamen non intrauit, ſignum erat, quòd lex quidem videt & oſtendit viam vitę, ſed ad vitam perducere non poteſt. Item quòd Moyſes gratiā Chriſti præuidit, ſed tamen eum in carne præſentem non vidit. Nec magnū damnum erat Moyſi, q̄ non poterat intrare in terrā illam, cū ſciret ſe ad meliorem locum transferendū. Hoc autem impijs terribile erit in iudicio, videre terram uiuentiū, ſed tamen non poſſe intrare, &c. Cæterū miſerabile videtur, quòd Moyſes ſolus in monte moritur. nihil tamen ei oberat hoc, cū Deum haberet præſentem. Felix, cui Deus in morte aſſiſtit conſolator. Pulchrè autē nominat ipſum famulum Domini. hoc enim verè glorioſum eſt, cūm quis moritur vt famulus Domini. Huc contendamus omnes, vt mors nos in ſeruitio Dei inueniat, & vt in mōte moriamur, id eſt, ſemoti & eleuati à terra, &c. Nō autem prætereundum eſt, quòd Dominus ipſe Moyſen ſepeliuit, ſic enim gloriſicantes ſe gloriſicat. Quòd autē ſepulchrum Moyſi nō reuelauit, ideo factum eſt, ne populus ad idololatriam pronus ipſum pro Deo coleret. Deinde per hoc etiam præfiguratum fuit legem & templum & ſacerdotium & cæremonialem cultum ſuo tempore ita abolenda, vt ne locus quidem eorum ampliùs conſpiceretur, id quod nunc impletum cernimus. Omnia enim hæc euauerunt ex oculis hominum. Signanter autem additur de viuida illa ſenectute Moyſi, vt vel hinc colligamus, quam temperatè vixerit, &c. In fine additur, nullum ei ſimilem prophetam ſurrexiſſe: id quod verum eſt, vno Chriſto dempto, qui non vt ſeruus, ſed vt filius fuit & eſt in domo Dei, &c.

1. Reg. 2.

Hebr. 9.

SE Q V V N.

SEQVUNTVR DECLAMATIONES EX LIBRO IOSVE.



Fortis in bello IESVS Naue, &c.

Ecccl. 46.

Haectenus ex Moysè satis ostendi, quæ sit vera illa & antiqua via, quam Hieremias nos inquirere & ambulare præcipit, vt inueniamus requiem animabus nostris. Nunc idem ostendam ex libro Iosue. Is enim in ordine sequitur libros Moysi. Cæterùm, quis fuerit ille Iosue, etiam suprâ audiui-
mus. Nempè, quòd habuit patrem Nun, vel Naue secundum septuaginta trãssationem, & fuit ex tribu Ephraim & Ioseph. Vnde & Iacob in benedictione ipsius Ioseph dixit: Ex ipso egredietur pastor & lapis Israel. Quæ verba ad literã de hoc Iosue intelliguntur, quamuis etiam possint intelligi de Hieroboam primo rege decè tribuum, qui & ipse fuit de tribu Ephraim. Longè tamen pulcherrimè hunc Iosue nobis depingit Ecclesiast. Primò enim, quò ad personam, fuit fortis in bello, fortitudine corporis, animi, & fidei. Verè fortis. Nã 22. reges deuicit: Secundò, quò ad officium, fuit successor Moysi, successor, inquam, non tantùm regiminis, sed fidei, sed sollicitudinis, sed pietatis. Hæc est enim laudabilis successio. Tertiò, quoad spiritualè gratiam, fuit propheta. Omnia enim, quæ fecit, prophetiæ fuerunt de Christo. Vnde & apud Hebræos liber iste inter prophetales cõputatur. Quartò fuit magnus secundum nomen. Nam Iosue saluator interpretatur, hoc enim nomen re ipsa præstitit saluando populum. Vnde subditur: Maximus in salutem populi. Nã aliàs magnum nomen sine re non admodum cõmendabile est, etiamsi quis sanctissimus aut Christianissimus dicatur. Quintò, quo ad vitam, fuit sanctus.

Gene. 49.

Va s *→* Vnde

DECLAMATIONES

Eccl. 46. Vnde subdit Sapiēs : In diebus Moyſi fecit miſericordiam, &c. Hoc opus præ omnibus alijs commēdatur. Nihil enim melius quis facere poteſt, quàm reſiſtere impijs, auertere homines à peccato, & cōpeſcere murmur contra Dominum. Hoc autē fecit Iofue, cū exploratores ſeduxiſſent populum. Ideo etiā in gēs præmiū tulit à Deo, quòd ſolus cum Caleb è ſexcentis millibus ad terram promiſſam peruenit. En is fuit Iofue, &c. Et hic talis hunc librum conſcripſit, vnde & meritò auctoritatem habere debet apud omnes pios. Non enim eſt de Apocriphis, ſed de his ſcripturis, quæ canonicæ nominantur. Securè igitur hunc librum legere poſſumus. Obſeruandum autē, quòd qui hic Iofue dicitur, in Eccleſiaſtico nominatur Ieſus Naue. Sic & in Machabæis nominatur Ieſus, vnde patet idem nomen eſſe Iofue & Ieſus. Sicut autē Moyſes, qui populū quidē ex Aegypto eduxerat, non tamen potuit in terram promiſſam introducere, legē figurauit, quæ nihil ad perfectum duxit, ſic Iofue, qui perfecit, quod Moyſes non potuit, indubiè Chriſtū figurauit. Vnde & primus omnium hoc nomine (I E S V S) appellat⁹ fuit. Nam ante illum nullus ſic nominatus legitur. Vbi videmus ſapientiffimam Dei prouidentiam, quòd per nullum alium quantumuis ſanctum introducere voluit populum, quàm per eum, qui dicebatur Ieſus, nimirum ad expreſſam ſignificationē Ieſu Chriſti. Obſeruādum & hoc, quòd tres viri leguntur hoc nomine Ieſus nuncupati, qui omnes figura fuerunt Chriſti. Primus fuit Ieſus Naue, de quo nunc ſermo. Is in tribus fuit figura Chriſti, in debellatione ſcilicet Amalechitarum, in introductione in terram promiſſam, & in diuiſione terræ eiufdem. Secundus fuit Ieſus filius Iofedech ſacerdos magnus. Is præfigurauit Chriſtum quantum ad ſacerdotium. Tertius fuit Ieſus filius Siſrach. Is figurauit Chriſtum, quo ad doctrinā & ſapientiam. Signanter tamen hic noſter Iofue præfigurauit Chriſtum in ſua reſurrectione, & quidē congruè. Nam in libris Moyſi ſepties præfiguratā habuimus paſſionem Chriſti.

Exo. 17.
Zach. 3.

Eccl. 19.

nem Chriſti

nem Christi: In occisione scilicet Abel, in angoribus ipsius Noe, in imolatione Isaac, in venditione Ioseph, in imolatione agni, in percussione petrae, & in serpente æneo. Sic in hoc libro præfigurata fuit victoriosa resurrectione Christi, ut infra patebit per ordinem.

Et factum est per mortem Moyfi serui Domini, &c.

Hic statim in exordio videmus hunc librum cõdendere libris Moyfi, nihilq; aliud esse, quàm prosecutionem historiarum, quã Moyfes incepit, sed morte præuentus cõplere non potuit. Ideo enim in principio ponit coniunctionem copulatiuam, ut sciamus vnam esse historiam, quã Moyfes hætenus scripsit, & hinc nunc scribere pergit. Vbi enim Moyfes dimisit, hinc incipit. Vide autem Dei prouidentiam. Videbantur Israelitæ per mortem Moyfi omninò destituti, Deus autem memor promissionum suarum, etiã non rogatus alium ducem dat. Sic Deus nunquam relinquit eos, qui in vocatione sua permanent, &c.

Dixit Dominus post Iosue ministrum Moyfi.

Hic iam tertio ipsi Iosue committitur ducatus populi. Nam & supra dixerat Dominus ad Moysem: *Tol. Num. 27.* Je Iosue filium Nun, & pone manum tuam super eum, & cæt. Et in Deuteronomio iterum dixit Dominus ad *Deu. 31.* Moysem: Ecce prope sunt dies mortis tuæ. Voca ergo Iosue filium Nun, &c. Nunc autem post mortem Moyfi iterum alloquitur Dominus ipsum Iosue, & ducatum imponit. Ideo autem ter hoc factum est, ut populus sciret hunc à Deo electum, sicque promptius obediret, ac minus de ipso dubitarent, quem scirent tanto studio à Deo institutum. Alioqui dicere potuissent: Quomodo saluare nos poterit hic, quos magnus ille Moyfes introducere non potuit? Secundò, ideo tertio instituit ipsum Iosue ad ipsius consolationem, ut non dubitaret Deum affuturum, à quo sciebat se semel atque iterum ac tertio vocatum. Tertio etiam ideo factum est, ut sciret sibi non esse otiaandum, cui Deus toties populum commendasset. Propter has tres causas etiam nunc solenniter instituuntur, qui alijs præesse debent.

Obser.

DECLAMATIONES

Observandum autem, quòd Deus non alium inducē eligit, quàm ministrum Moysi. Per hoc enim primò ostendere voluit nullum idoneum esse ad regimē, nisi qui legi Dei se subiecerit. Qui enim hoc non facit, nunquam bonum aget principem, sed tyrannum, ac proprii commodi studiosum. Deinde per hoc etiam ostensum est, quòd nullus bonum agere potest principem, qui non prius & ipse seruiert. *Qui enim seruitutem & paupertatem expertus non est, alijs compati nescit.* Unde & Christus ipse antequam suum principatum assumeret, prius seruire voluit, & fratribus suis similis fieri, vt scilicet ex his, quę passus est, disceret cōpati. Malè igitur faciunt principes nostri, qui filios suos ab incunabulis in omni licētia & voluptate nutriunt, &c. Hinc enim est, quòd cū ad regimē peruenerint, nihil aliud agant, quàm vt comestationibus, pompis, ludis, lasciujs incumbant, nihil interim cōpatientes super miseriam populi, &c.

Heb. 2.

Amos 6.

Moyfes famulus meus mortuus est.

Vide bonitatem Dei. Etiam mortui serui sui nedum non obliuiscitur, sed honorificentissimè eius meminit. Meus, inquā, est, meus fuit, meus erit. Verè bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærēti illum. Verè etiam magna laus Moysi, quòd ab ipso Deo tam insigne testimonium habet. Quis non hunc Deum coleret? Cæterùm, hoc verbo tres errores destruuntur. Primus eorum, qui dicunt Moysen nō esse mortuum, sed raptum vt Enoch & Heliam, eius contrarium hic habetur. Secundus error eorum, qui dixerunt legem non à Deo, sed à diabolo fuisse. Huius contrarium ex eo patet, q̄ hic dicitur Moyses famulus Domini. Tertius error eorum, qui dixerunt Moysen damnatum, propterea, quòd de pœnitentia eius non legitur. Sed hunc errorē manifestè deijcit, quòd hic dicitur: Moyses famulus meus, &c.

Thren. 3.

Surge, & transi Iordanem istum, tu & omnis populus tecum in terram, &c.

Videtur Iosue in oratione iacuisse, cū iubetur surgere,

gere,

gere, & verisimile est. Oratione enim opus habet, cui tantum onus imponitur. Propriè autè excitatur hoc verbo ad officium & laborem. *Q. D.* Quid cessas? Nescis te electum in principem? Non licet otari aut dormire. Verissimè dictum. Nulli enim hominum generi turpius est, si otietur, quàm his, qui alijs præfunt. Vnde & Christus Petro dicit: Simon dormis? &c. *Cæt. Matt. 26.* rùm, non soli Iosue hoc dicitur, sed omnibus rectoribus, tam mundanis, quàm ecclesiasticis. Mundanis enim sic dicit scriptura: Videte, quid faciatis. Non hominibus exercetis iudicium, sed Dei, &c. Et iterum: Eru dimini, qui iudicatis terram. Appræhendite disciplinam, &c. Et iterum: Audite principes. Potestas à Deo vobis data est, qui & interrogabit opera vestra, &cæt. *Sap. 6.* Ad ecclesiasticos autem dicitur: Speculatorem te constitui, &c. Item: Attendite vobis & vniuerso gregi. Itè: *Act 20.* Pascite qui in vobis est gregem, &c. Discant igitur rectores surgere, & officio suo incumbere, & maximè, vbi vident Moysen mortuum, id est, legem Dei neglectam, iustitiam cõculcatam, vitia autem exorta. Tunc non cessent, sed arguant, obsecrent, &c. Curent secundò, vt primò omnium populus Iordanem transeat, & terram promissam adipiscatur, hoc est, vt populus in via Dei gradiatur. Curent tertio, vt & ipsi cum populo, imò ante populum transeant. Sic enim dicitur ad Iosue: Transi tu & omnis populus tecum. Quid enim prodest alios ad Deum ducere, si te ipsum negligas?

Omniem locum, quem calcauerit pes vester, vobis tradam.

Magnificis & multis promissionibus nouum ducem confortat: magna enim imminebant ei pericula, vnde non immeritò terri poterat. Sciebat peruersitatem populi, sciebat hostium multitudinem præ manibus esse, sciebat item Moysen virum sanctissimum aliquando Deum offendisse, &c. Ideo ingentibus promissionibus eum confirmat. Sicut fui cum Moysè, &c. Item: Non deseram te. Item: Tu diuides terram.

Confortare, vt facias secundum legem, &c.

Tertio

DECLAMATIONES.

Tertiò dicit ad eum, confortare. Principi enim necessaria est fortitudo, ea scilicet, quæ à philosophis inter virtutes cardinales nominatur. Maximè autem opus habet fortitudine spiritus & fidei. Ea autè à Deo quærenda est. Vnde ad legem eum dirigit multis verbis. & in fine subdit, Tunc diriges viam tuam, &c. Verè necessaria admonitio, quam vtrinam omnes rectores attenderent. Verùm apud nos nemo minus curat Deum & legem eius, quàm principes, &c. Vnde & tot aduersa patiuntur. Dereliquistis me, & ego reliqui vos, ait Dominus.

Ego præcipio tibi, Confortare, &c.

Verba hæc satis indicant, quòd Iosue aliquo modo pusillanimis fuit, vt qui agnosceret periculum. Alioqui quid opus fuisset tam multiplici consolatione? Summa autè consolationis in hoc consistit: Dominus Deus tuus tecum est. Hoc obseruent rectores, & quicumque pro republica laborant, &c.

Præcepit Iosue principibus populi, &c.

Statim ad primam Domini iussionè officium suum aggreditur. Apud nos quotidie monentur principes, Episcopi, &c. nec dum tamè quisquam aduigilare vult, & Ecclesiæ malis consulere, &c. Deinde profectionem propediem imminentem publicè prænunciari facit, tum vt populus de morte Moyse territus consolationem reciperet, tum vt omnes ad transitum se parare possent, ne quis remaneret, prælatus enim omnibus debitor est, pauperibus & diuitibus, &c. Prætereà etiã humanam adhibet industriam; iubens eos parare cibos. Sic enim diuinis promissionibus inherendum est, vt tamen non tentemus Dominum. Postremò specialiter alloquitur Rubenitas, &c. Qui enim è communitate sustentantur, etiam cõmunitati seruiant. Quòd si cessauerint, potestas eos admoneat & cogat.

ALLEGORIA.

Iosue Christum significat. Christus ab æterno inducem populi Dei destinatus: Iuxta illud psal. Postula à me, & dabo tibi gētes, &c. De hoc Danielis septimo expressè

Rom. 1.

Num. 32.

Psal. 2.

expressè. Non tamen potestatem vsurpauit, quàm diu Moyses, id est, lex vigeat. Cùm autem tempus esset, vt lex cessaret, & ea ipsa iam dudum cessasset in cordibus Iudæorum, tunc dictum est ad Iesum: Surge, tunc incarnatus est, & cetera. Sicut autem Iosue ter Deo institutus est, sic & Christus ter à Deo patre vnctus est, primò in incarnatione, cùm ex spiritu sancto conceptus fuit. Secundò in Iordane, cùm spiritus in specie columbæ super ipsum descendit. Tertiò in resurrectione, vbi omnia ei subiecta sunt. Sic & in Christo omnes promissiones ad Iosue factæ impletæ. Ipsi data est potestas in cælo & in terra. Ipsi pedibus omnia subiecta. Ipsi possessio longè latius se extendit, quàm Israelitarum. Dominabitur, inquit, à mari vsque ad mare. Ipsi nemo resistere potest. Confidite, inquit, ego vici mundum. Ipsum Deus nunquam reliquit. Ipse populo terram diuidit: Nam omne iudicium dedit illi pater. Imo etiam Christus ipse primò cum suis Iordanem trāsijt, id est, baptismum suscepit.

Matt. 28.

Psal. 71.

Ioan. 16.

Ioan. 5.

CAPVT II.



HActenus audiuius de zelo, quem nouus ille dux populi Dei Iosue ostendit in exordio sui ducatus. In hoc secundo capite eius prouidentia describitur. Hæc enim duo vel maximè ad principem pertinet, vt scilicet habeat zelum & prouidentiam, sed cõiuncta.

Nam alterum sine altero non prodest. Qui enim zelum habent sine prouidentia, hi nonnunquã & se & suos periculo exponunt. Contrà, qui prouidentiam habent sine zelo, hi rem nunquã aggrediuntur, sed omnia dissimulant, ne quenquam offendere cogantur. Hæc autem dissimulatio omnia vitia multiplicat. Meritò igitur Sapiens monet: Noli quærere fieri iudex, nisi valeas vt **Ecel. 7** perumpere iniquitatem. Iosue igitur noster vtrunq; habuit & zelum, & prouidentiam.

DECLAMATIONES

Misit igitur Iosue de Sethim duos viros.

In hoc apparet prouidentia ipsius Iosue, quòd nihil temerè agit. Temeritas enim in duce, vel maximè repræhenditur etiam apud gentiles. Deinde etiam Iosue in hoc prudenter agit, quòd non tentat Deum, quantumuis enim magnas promissiones haberet, tamen non contemnit etiam humana media: sciebat enim Deum ut plurimum per media operari, nec semper miracula facere, nisi vbi media defecerint. Cæterùm, quòd Iosue hiciubet explorare terram, & insidijs utitur, non in exemplum nobis trahendum, quasi etiam nobis liceat proximorum verba & facta curiosè explorare, & insidijs uti, quomodo ipsos opprimamus. Iosue enim præceptum Dei habebat, ut hostes occideret. Nos autem præceptum habemus, ut inuicem diligamus, & quod quis sibi non vult fieri, alteri non faciat.

Ioan. 13.
Matt. 7.

Ingressi sunt in domum mulieris meretricis.

Circa hunc locum primò curandum est, ne carnales, hoc est, meretrices & scortatores hinc sumant occasionem sua peccata excusandi, propterea, quòd hie dicitur etiam olim fuisse meretrices, & quòd etiam Israelitæ ad eas diuerterint. Sciendam igitur, quòd ex Hebræo non tantùm legi potest meretrix, sed etiã hospitalaria, & videtur verisimilius eam fuisse hospitalariam, quàm meretricem, tum quòd meretrices non ita solent loqui, ut ipsa locuta est, tum quia non est verisimile, quòd Salomon princeps nobilissimè tribus publicam meretricem in vxorem duxerit. Sed esto, quòd meretrix fuerit Raab, non tamen hinc potes defendere, vel excusare meretricium. Nam ipsa fuit gentilis, tu autem Christiana. Ipsa ad fidem conuersa cessauit à peccatis, tu autem perseueras, &c. Deinde nec exploratorum ad meretricem ingressus scortatores nostros excusat, ipsi enim non leuitatis, sed necessitatis causa ingressi sunt, ut minus depræhenderentur. Nam in periculo vitæ erant. Nihil igitur libidinis patrocinator locus hic. Cæterùm videtur quidem casu factum, quòd

quòd exploratores hi ad meretricem intrant, eiq; securitatem præstant. Verè tamen Dei prouidentia factum fuit, qui nouit electos suos & in tempore vocare & à perditione liberare. Obserua igitur inscrutabilia Dei opera, & iudicia. Tot millia hominum erant in ciuitate Hiericho, & nemo eorū euadit, nisi vna meretrix. Hanc agnoscit Deus, ad hanc nuncios præmittit, quantūuis enim tunc peccatrix erat, tamē prædestinata erat ad vitā æternam. Nemo igitur alium condēnet. Nescimus enim quis melior vel peior sit. Multi videntur peccatores, qui tamē coram Deo iusti sunt. Econtrà multi videntur iusti, qui tamē coram Deo reprobati sunt. Obserua secundò ineffabilē Dei misericordiā circa hanc mulierem, primò enim ipsam agnoscit inter omnes alios: deinde fidem & timorē ipsi infundit: tertio ipsam assecurat de salute sua & suorū: quartò ipsam eripit ab interitu: quintò ipsam populo Dei cōiungit: sextò ipsam exaltat in populo suo, effecta enim fuit vxor principis in tribu Iuda. Postremò etiam in *Matt. 2.* genealogiam Christi assumitur. Et hæc omnia Deus præstitit mulieri meretrici. Quis nunc desperet de gratia Dei? Verè misericors Deus qui neminem despiciat. Imò suscitatur de terra inopem, vr collocet eum cū principibus populi sui. Hinc igitur spem concipiamus, propter nos enim & facta & scripta sunt hæc. Nam Raab figura fuit Ecclesiæ de gentibus congregandæ, vt infra patebit.

Educ viros qui ingressi sunt ad te, &c.

Quòd propius est iudicium Dei, eò magis insaniunt impij. Non dubium, quin & rex ea audierat quæ Raab audiuit de mirabilibus Dei circa Israelitas. Oportebat igitur vt timeret, humiliaretur, veniam precaretur, ad Iosue nuncios paucis mitteret, quæadmodum Gabonitæ infra fecisse leguntur. Verùm nihil eorum facit, sed peccata peccatis addit. Sic superbia impiorum semper ascendit, & augetur. Sic mensuram suā implent, ac subinde iudicium Dei prouocant contra se. Si rex ille nihil prius mali fecisset, tamen vel hoc.

Psal. 71.

Matt. 21.

DECLAMATIONES

vno facto meruerat iram Dei. Fugiamus hoc exemplum, sed potius imminente iudicio Dei ad poenitentiam confugiamus.

Tollensque mulier viros abscondit, &c.

Magna hic exempla pietatis videmus in hac meretrice. Primò misericordię fuit, quòd exploratores in periculo constitutos suscepit, abscondit & defendit. Nec est, quòd quis obijciat eam mentitam fuisse. **Charitas** enim eam excusat, quæ & aliàs operit multitudinem peccatorū. Deinde iustitia est, quòd in hospitium susceptos non prodit. In hoc certè multò iustior fuit, quàm pleriq; nostrum, quibus nulla cura est seruandę fidei, &c. Præterea magnæ & certissimæ fidei est, quòd tam magnificè loquitur de mirabilibus Dei. Audiui-
Pot. 4. mus, inquit, &c. concludendo, Deus enim vester est Deus in cælo sursum, & cæt. Ad hæc signum poenitentię est, quod dicit: Terror vester cecidit super nos, quamuis non omnes territi fuerunt ad poenitentiam. Ipsa tamen Raab profuit terror hic. Insuper magnæ prouidentię fuit, quod salutem quæsiuit, ac vitam sibi ab exploratoribus postulauit. Charitatis autem fuit, quòd etiam pro parentibus & cognatis sollicita fuit. Postremò ne quid omitteret, etiam consilium exploratoribus dedit, ne in aduersarios inciderent. Latitate, inquit, in montibus, &c. Si tanta fuere exordia pietatis in hac muliere, quantus fuit eius profectus? Non igitur mirum, quod à priacipe in coniugium assumpta & in scripturis inter sanctas mulieres computata est. Discamus etiam nos à meretrice hac pietatē, &c. Optimum igitur medium hæc mulier arripuit euadendi iram Dei, nempe poenitentiam & fidem, quibus solis placatur Deus.

Anima nostra sit pro vobis in mortē, si tamen prodideris nos.

Gratos se ostendunt pro accepto beneficio, & seruatricem suam seruare promittunt. Quamuis autem scirent ipsi Iosue præceptum fuisse, vt omnes habitatores eius terræ interficeret, hitamen non dubitant mulierem hanc asscurare, in qua videbant tantam
fidem

fidem in Deum, tantamq; charitatem in populū. Sciebant enim Deum facile parcere, vbi fidem & charitatem inuenit. Sic quantumcunq; lex comminetur peccatoris maledictiones, tamē Christus in gratiā suscipit peccatricem, Zachæum, Latronem, &c. quia videbat in eis fidem & charitatem. Vbi autem nō est fides & charitas, ibi non licet peccatorem assecurare de gratia, hinc arguitur Saul 1. Reg. 15. & Achab 3. Reg. 20. q̄ viros dignos morte dimisissent. Arguuntur & falsi propheta, quōd peccatoribus dicunt pax. Ezech. 13. Observandum autem, quōd non temerē iurant, sed conditionibus appositis, nempe vt ipsa domum signaret fune, & amicos infra domū retineret, ne quoquo modo contra iuramentū fecisse viderentur. Magna enim grauitate, imō non nisi necessitate iurandum est: ita tamen vt prius computemus nobiscum si prestare possimus quod iuramus, ne periuri efficiamur, & in vanū assumamus nomen Dei, &c.

illi verò ambulantes peruenerūt ad montana, & māserunt ibi tres dies, donec reuertentur, qui fuerant persecuti.

Non rectā pergunt ad Iordanem, quamuis scirent, quod Deus ipsos protegere posset, sed nolunt tentare Dominum. Ita & nobis faciendum. Cæterū legationem suam longē meliūs renunciant, quā priores exploratores fecerant. Illi enim populum terrebant, hi autem magnificis verbis populo spem faciunt. Tradidit, inquit, Dominus omnem terram in manus nostras, &c.

Num. 31

ALLEGORIA.

Hiericho mundus, Rex Hiericho diabolus, Raab electi de gentilitate, Exploratores Apostoli, qui Iudæis repellentibus eos, ad gentes conuersi sunt. hos electi è gentibus susceperunt ac defenderunt, sicut Paulus à credentibus per murum submissus fuit in sporta. Raab meretrix fuit, quia omnes peccatores fuimus. Domus Raab Ecclesia credentium. Hæc domus in medio pereuntis mundi est, & tamen cum mundo non perit. Ad hæc domum qui cōfugerit saluabitur.

Astor. 2

DECLAMATIONES

Acto. 21.

Extra eam autem omnes periunt. Nec tamē aliud hęc domum conseruat. quàm coccineus funis, quo signata est, id est, sanguis Christi. Ex hac domo reuersi exploratores bonum nuncium retulerunt. Sic Paulus cū rediisset Hierosolymam, retulit quanta Deus inter gentes per ipsum operatus esset. In summa, sicut exploratores meretricem hęc affecurârunt de vita sub certis conditionibus, sic & Apostoli nos affecurârunt de salute & gratia sub his cōditionibus, vt scilicet coccineo fune, id est, memoria passionis Christi nos signemus, & vt intra domum Ecclesię maneamus. Extra enim Ecclesiam non est salus.

CAPVT III.



HACTENVS audiuius de exploratoribus, quos Iosue nouus dux populi misit ad explorandam terram. Hi cū ad castra reuersi essent ac læta nunciaissent, Statim

Iosue de manē consurgens mouit castra, &c.

Princeps enim non debet cessare, vbi prosperum quid affulserit reipub. sed statim rem aggredi, ne forte occasione amittat. Habita enim occasione faciliter obtineri potest quod postmodum summis laboribus & expensis vix consequi poteris. Vnde non cessat Iosue: Cessatio enim in rebus tam prosperis & animos suorum infregisset, & hostium animos erexisset. Hinc igitur exemplum sumāt superiores, ne cessent aut cūctentur cū spes bona affulserit. Discant animarum pastores nō cessare à prædicatione verbi, vbi spes fructus affulserit, quemadmodum Christus discipulis dicit: Leuate oculos & videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem, id est, homines cupidi sunt verbi Dei, ideo tempus est prædicandi. Discant & singuli Christiani non cessare, vbi boni quid audierint, neque in vacuum gratiam Dei recipiant, ne fortè eadem gratia non redeat, &c.

Cū videritis arcam fœderis præcedere, &c.

Moyse

Ioan. 4.

Moyſi præceptū erat, vt arca ſemper in medio populi eſſet, non tantū in caſtrorum metatione, ſed etiam in profeſſione. Hic autē Iofue arcam iubet præcedere, idq; propter duas cauſas, primò vt viam ſcirent, &c. Vnde colligit Auguſt. ducatum columnæ & nubis iam ceſſaſſe, id quod pulchrè myſterio congruit. Sub ducatu enim Moyſi nubes præcedebat, quia omnia tunc obſcura erant, & reſta erat facies Moyſi. Sub ducatu autē Iofue nubes euauit, quia tēpore Chriſti reuelata facie videmus gloriā Dei. Item ſub ducatu Moyſi angelus præceſſit, ſub Iofue autē arca, quæ erat ſedes Dei. Sic in veteri teſtamento angeli & ſerui præcedebant; in nouo autem Deus ipſe. Vnde & nomen Chriſti di. Iſa. 9. citur Emanuel, id eſt, nobiſcūm Deus.

MORALITER.

Quam diu ſumus in deſerto huius vitæ, ſub nube ſumus, quia videmus nūc per ſpeculum in ænigmate, cū autem Iordanem, id eſt, mortē tranſierimus, nubes deficient, tunc enim videbimus facie ad faciem. Secundò ideò præcedere fecit arcam, ne populus timeret ſequi. Alioqui non facilè ſe aquæ & fluuii credidiſſent. Vbi enim pericula inſtant, illic opus eſt bono præceſſore. Ob eaſdem duas cauſas & Chriſtus vera arca fœderis Domini ante nos Iordanem tranſijt, nam & primò baptizatus fuit, & ante nos mortem gulta-uit, nimirum vt & viam ſciremus, & nō dubitaremꝰ ipſum ſequi. Vide autem, quid Iofue præcipiat: Nō dicit, cū me aut ſacerdotes videritis, ſequimini, ſed cū videritis arcam. Vult enim, vt ad arcam reſpiciant. Non enim ſemper tutum eſt homines in omnib. ſequi quantumcunq; enim ſancti ſunt, tamē homines ſunt, qui labi poſſunt. Arcam autem Dei, Chriſtum filium & verbum Dei ſecurè poſſumus ſequi. In hunc igitur oculos conijciamus, nec vnquam ab ipſo deſectamus, alioqui errabimus. Id quod heu multis cōtingit, & adhuc cōtingit. Addit Iofue: Et ſit ſpaciū inter vos & arcam. Nimirum vt ab omnibus videri poſſet, non à proximis tantū. Qui enim Iordanem,

DECLAMATIONES

id est, mortem transire debet, & non videt arcam, is desperabit. Omnibus igitur ex æquo necessarium est, vt cognoscant Christum. Ita igitur portanda arca, ita prædicandus Christus, vt ab omnibus videri possit. Sic Paulus testificabatur omnibus, maiori & minori, & cæt. Postremò etiam Iosue hoc addit: Caute, ne appropinquatis ad arcam. Deus quidem nobiscum esse vult, sed tamen vult rimeri, honorari, nõ contemni. Vult & Christus, vt se imitemur, non tamen nimium appropinquemus, hoc est, vt non temerè scrutemur ipsius diuinitatem. Sufficiat nobis videre arcam. Non simus curiosi. Indigne enim ad arcam appropinquantes sæpiùs puniti sunt, vt patet 1. Reg. 5. & 6. & 2. Regum 6. Sic curiosè scrutari molientes diuinitatem Christi in magnos errores inciderunt: vt Arrius, & c.

Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

Necessaria admonitio. Vult, vt intenti, sancti, mundi, deuoti opera Dei attendant. Vbi enim Dei gratia se ostendere vult, illic omnes se præparare debent, corda aperire, cõscientias mundare, abijcere quæ Dei gratiam impediunt, & c. Sic docuit Ioannes: Parate, inquit, viam Domini, & c. quòd idem est, ac si diceret: Sanctificamini, cras enim faciet Dominus mirabilia. Sic & Petrus: Deponentes omnem malitiam & dolum, quasi modo geniti infantes, & c. Et Iacobus: Abijcientes omnem malitiam, suscipite insitum verbum. Meritò igitur Ecclesia hoc verbo, Sanctificamini, & c. vtitur in vigilia natiuitatis Christi, & c.

Tollite arcam & præcedite populum.

Exod. 25. Hoc etiam nunc mysticè Apostolis & eorum successoribus præcipitur. Arca fœderis Christum significauit, vt supra dictum est: In arca autem tria erant, Tabulæ testamenti, per quas significatur lex: Virga Aaron, quæ regiam sacerdotalemq; Christi potestatem præfigurabat: Et Manna quæ cibum verbi Dei designat. Hæc tria sacerdotes portare coram populo debent, nec solum portare, sed cū his populū præcedere. Iuxta

illud

Acto. 26.

Ioan. 1.

**Ioan. 1.
1. Pet. 2.**

Iacob. 1.

illud Petri: Pascite qui in vobis est gregem, &c. Forma facti gregis.

Hodie incipiam te exaltare coram omni Israel.

Iam dudū coram omni populo exaltauerat eū cū ex omnib. ipsum in ducem eligeret, q̄ autem nunc dicit: Hodie incipiam te exaltare, nihil aliud est, quā si diceret: Hodie externis signis & miraculis incipiam ostendere q̄ tecum sim, sicut cum Moysē fui. Obseruandum aut̄, quōd tūc incipit Deus exaltare ipsum Iosue, signaq; per ipsum facit, cū ad Iordanem peruenisset. Sic enim & Christum apud Iordanem exaltare & ostēdere cœpit hominibus, tunc enim & Ioan. digito cum demonstrans dicebat: Ecce agnus Dei. & vox de cœlo venit: Hic est filius meus, &c. & insuper spiritus sanctus super ipsum descendit, per quæ omnia toti Israel ostensum fuit, quod Deus cum eo esset, sicut cū Moysē fuerat, imō longē perfectius, nihil enim tale de Moysē legitur, &c. Quin & nos incipit Deus exaltare, cū ad baptismum venimus, è filijs enim iræ filij Dei effici-mur, quin & tunc incipit etiam in nobis miracula facere, nos abluendo, iustificando, innouando, &c. Hæc gloriam accepimus in baptismo, &c.

Ioan. 1.
Matt. 2.

Cū ingressi fueritis partem aquæ, stare.

Hoc ideō præcipitur, vt populus eò fiduciaius transiret, videns arcam Dei in medio Iordanis. Moraliter, tunc vel maximè sacerdotes stare & populo assistere debent, cū transire debent Iordanem, id est, mortem. In eo enim transitu populus consolatione opus habet ne desperet. Sicut igitur ex vita hac transeuntib. omnium maximè arca Dei, id est, Christus proponendus est, & in his tribus potissimum, quod scilicet ipse est impleto legis, ipse est rex noster qui eripere potest, sacerdos qui reconciliare etiam Deo potest. Denique ipse etiam est manna, id est, panis viuus qui dat vitam mundo. Hæc cū transeuntibus diligenter inculcantur, sine periculo transeunt. Qui enim credit in Christum, non moritur. Ioan. 11. Non venit in iudicium, sed transit à morte ad vitam.

Ioan. 3.

DECLAMATIONES

In hoc scietis, quòd Dominus viuens sit inter vos.

Ex hoc loco clarè videmus, quam ob causam Deus tot olim miracula fecerit, & adhuc faciat, nimirum vt sciamus Deum inter nos esse, & talem Deum, qui viuit, hoc est, omnia videt & audit. Hoc enim plurimum facit ad corroborationem fidei sanctorum, itè- que ad terrorem impiorum. In hunc modum accipi debent omnia signa, imò quicquid nouum aut rarum contingit.

Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, vt transiret Iordanem.

Hic incipiunt miracula, quibus Deus populū Israel in terram promissam introduxit. Hic incipit Deus exaltare Iosue, omnibusq; palàm fit Deum cum ipso esse sicut fuerat cum Moysè. Obseruādum autem, quòd Deus cū Israeliticum populum eduxit de Aegypto, cum miraculis deduxit per desertum, cum miraculis introduxit in terram promissam. Sine Deo enim nihil possumus, Ipse in nobis operatur velle & perficere. Ipse initium, medium, & finis est nostræ salutis. Ipso operante è peccatis educimur. Ipso custodiente proficimus, Ipso dante ad patriam peruenimus. Meritò igitur sancti clamant, Leuaui oculos meos in montes. &c. Auxilium meum à Domino, &c. Itemque, Nisi quia Dominus erat in nobis, &c. homines nos digluttissent viuos, & aquæ absorbuissent nos, &c. Obseruādum deinde quòd multa miracula cōtigerunt in trāsitu Iordanis. Primò enim miraculum fuit, quòd aqua hominibus cessit. Secundò, quòd in modum montis eleuata stetit, nec per regiones defluxit. Tertiò, q̄ tam diu stetit sic, donec omnis populus transiit, ad q̄ non paruum temporis spaciū requirebatur. Quartò, q̄ fundus Iordanis tam citò aruit, vt sicco pede illic starent sacerdotes. De hoc miraculo admodum admirabundus loquitur Dauid. Quid, inquit est tibi mare quòd fugisti, & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? & cæt. Cæterùm his miraculis Deus primò ostendere voluit potentiam suam, quemadmodum & Dauid in

Ioan. 15.
Psal. 2.

Psal. 120.
Psal. 123.

Psal. 113.

eodem psalmo: Deus, inquit, noster in cælo, omnia *Ibidem.*
 quæcunque voluit fecit. Simulachra autem gentium
 argentum & aurum, opera manuum hominum, &c.
 Deinde per hoc etiam ostendere voluit præsentissimã
 suam bonitatem erga suos, vt quos in nullo periculo
 relinquit. Vnde & idẽ Dauid dicit: Domus Israel spe- *Ibidem.*
 rauit in Domino, adiutor eorum & protector est, &c.
 Dominus memor fuit nostri, &c. Prætercã per hoc et-
 iam ostensum fuit, omnes creaturas seruire iustis, quẽ
 admodum & peccatori omnis creatura hostis est, sic
 ut de Aegyptijs scriptum est, Terra eos impugnabat,
 Itemque fluuius & aer. Iustis autem etiam, quæ inac-
 cessibilia videntur, plana efficiuntur & procliuia. Sic
 mare rubrum iusti tanquã per aridam transcunt, Cæ-
 lum subministrat cibum, petra potum, angelus du-
 catum, & cæt. Beati igitur omnes, qui timent Domi-
 num, & cæt. Eodem modo & hic Iordanis cedit, &
 viam præbet Israelitis, &c. ad cõsolationem omnium
 piorum.

ALLEGORIA.

Etiam Christus electos suos non per aliam viã du-
 cit ad patriam, quã per aquas tribulationis. Aquæ in
 scripturis tentationes significant, iuxta illud: Assum-
 psit me de aquis multis, & subdit: Eripuit me de inimi *Psal. 17.*
 cis meis fortissimis. Et iterum: Saluum me fac, quo- *Psal. 68.*
 niam intrauerunt aquæ ad animam meam, &c. Item:
 Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.
 Et Isaias: Mittet super eos Dominus aquas fluminis *Isa. 8.*
 fortes & multas, regem scilicet Assyriorum, &c. Con-
 gruẽ autem per aquas significantur tentationes; quia
 sicut aqua facillẽ hominem submergit, si inualuerit, sic
 & tẽtatio. Item, sicut aqua cum impetu currit, nec pa-
 titur impediri cursum suum, in super & nõ cessat flue-
 re; sic tẽtatio. Per huiusmodi aquas Christus suos ad
 cælum ducit. Per multas enim tribulationes oportet *Act. 14.*
 nõs intrare in regnum cælorum. Vnde & Christ⁹: Qui *Matt. 16.*
 vult venire post me, tollat crucem suam, & cæt. Cætẽ-
 rùm, hæ aquæ tentationum eò magis intumescunt,

DECLAMATIONES

quò propius ad terram promissam appropinquamus, & maxime in morte, tunc enim in modum montium exurgunt ac minantur, quasi nos velint obruere. In eo casu nullum aliud remedium est, quam vt ad arcã, id est, Christum respiciamus. Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, &c. Hoc nomen qui inuocat, saluus erit, & securus transibit. Sic Dauid: *Si, inquit, ambulem in medio ymbræ mortis, non timebo mala, quoniã tu mecum es.* Sic Apostoli in maris periculo solũ Christum inuocabant. *Domine salua nos, perimus.* Sic Petrus tẽpestate suborta etiã in mare profiliuit, vt ad Iesum perueniret. Sic Stephanus in persecutione sua nõ aliò respexit, quàm in cælum, & ad Christum, &c. Atq; hoc est, quod Christus dicit: *Si credideritis, dicetis mōti huic tollere, &c.* Et iterum: *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Confidite, ego vici mundum.* Et iterum: *Venite ad me omnes, &c. ego reficiam vos.* Qui igitur transire habet Iordanem mortis, intueatur Christum, & confidenter dicat: *Credo in Deũ patrem, &c. Et in Iesum Christum, &c.* Dicat item cũ Stephano: *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* & securus transibit, nihilque contra ipsum præualebit inimicus. Credenti enim omnia possibile sunt. Potest & hæc diuisio Iordanis significare duo testamenta, per quæ Deus populum suum duxit & ducit. Aquæ inferiores vetus testamētum significāt, & maxime Iudæicas cæremonias, & iustificationes legis. Hæ aquę iam dudum defluerunt, desierunt, & in mare mortuum abierunt, quia Christus huiusmodi cæremonias sustulit. Aquæ autem superiores gratiam significant noui testamenti, quæ non cessat fluere è supernis, non tamen in mare defluit, sed stat circa nos, nec cessabit, donec omnes Iordanem trãserimus. Stat autem in modum montis, quia magna est misericordia Domini, & omnibus sufficiens, &c. Vel per diuisionem Iordanis duo genera hominum designantur, qui omnes Iordanem baptismi transeunt, sed aliqui defluunt ad inferiora,

Psal. 22.

Matt. 8.

Matt. 14.

Act. 7.

Matt. 21.

Ioan. 16.

Matt. 11.

Act. 7.

Matt. 17.

giora,

riora, ad mundum, imo ad mare mortuum, perduntq; dulcedinem gratiæ, quam in baptismo perceperunt. De his Petrus ait: Melius erat viam veritatis nunquam 2. Pet 2. agnouisse, quam post agnitam retrocedere, & cæt. Alij autem in accepta gratia persistunt, & dulcedinem suam seruant, nec ad inferiora, sed ad superiora suaq; originem fluunt versus. Deus scilicet & Ecclesia. his dicit Christus: Vos estis, qui permansistis mecum in Lucæ 22. tribulationibus meis. Et ego dispono vobis regnum, & cæt. Postquã igitur ad baptismum peruenerimus, cessemus ad inferiora fluere. Non enim vocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationẽ. Quã 1. Thes 4. diu enim inferius fluimus ad terrena, longè adhuc à patria sumus. Longè enim à peccatoribus salus. Cùm Psal. 118. autem aquæ concupiscentiarum stant, ac fluere cessant, tunc non longè absumus à salute. Hoc autem nõ fiet, nisi arcam nobiscum habeamus, hoc est, Christũ fide apprehenderit, tunc enim spiritum S. accipimus, qui fluxum concupiscentiæ impedit, efficitque, vt qui prius nihil nisi terrena concupiimus, nunc sol. I. cælestia quæramus. Antequam autem spiritũ Christi acceperimus, nõ cessat natura nostra deorsum fluere. Prona est enim ad mala. Cùm igitur sentis per spiritum sanctum impetum concupiscentiæ refrænari, tunc curre, & festina ad patriam, &c.

CAPVT IIII.



Hactenus audiuius, quid in transitu Iordanis factum fuit. Nunc in hoc capite monstrabitur, quid post transitũ contigit. Primò autem omnium instituitur memoriale, quo omnis posteritas admoneretur miraculosi huius transitus. Vult enim Deus, vt operum eius nunquam obliuiscamur, imo, vt ex operib. eius ipsam cognoscere discamus. Multum enim refert, semper in memoria habere Dei opera. hinc enim firmatur fides, nutritur

spcs,

DECLAMATIONES

spes, accenditur; & conseruatur charitas : quæ omnia periunt, vbi opera Dei ex oculis seponimus, id, quod multipliciter apparet in Israelitis. Obseruandum hic, quod Deus nedum verbis scripturæ, sed etiam externis signis nos commonefacit operum suorum, hinc & Christus passionis suæ memoriale instituit. Impij igitur sunt, qui externa illa monitoria, quæ propter simplices instituta sunt, temerè auferunt. Necessariò tamen inuigilare debēt pastores, ne aliter vtantur huiusmodi signis, quàm in eum vsum, in quem instituta sunt, nam plerunque abusus irrepunt. Id, quod & de lapidibus istis, quorum nunc mentio fit, factum est. In memoriale instituti et erecti erāt, at Iudæi etiã post ædificationem templi super hos lapides offerebant, sanctiores eos putantes templo esse, cum non ad oblationes, sed tantùm ad memoriale erecti essent. Sic & abusi fuerunt serpente æneo, vnde & comminutus fuit ab Ezechia. Non minus nos abutimur sanctorum imaginibus & picturis, cum tantùm ideo in Ecclesia habeantur, vt admoneant nos Christi & sanctorum. Obseruandum item, quæ ex operibus Dei discere debeamus. Nempè, vt agnoscamus manum eius fortissimam, id est, infinitam potentiam, & vt ipsum timeamus. Obseruandum, quod Iosue & intra & extra Iordanem memoriam huius miraculi instituit, multis enim admonitionibus indiget homo carnalis. Vtrinque autem 12. lapides ponit in signum, quod omnes 12. tribus illac transiissent.

ALLEGORIA,

Rom. II.

Per lapides è Iordane in aridam positos Iudæi significantur, qui prius humorem gratiæ habebant & verbi Dei, nunc autem post Christum in magna ariditate sunt, è gratia enim exciderunt. Hi lapides, Iudæi scilicet admonere nos debēt iustitiæ & seueritatis Dei. Per lapides autem è terra in aquam positos gentiles significantur, qui prius aridi, nunc humorè gratiæ per Christum consecuti sunt. Hi nos admonere debēt bonitatis Dei, vt Paulus docet. Vel per lapides Apostoli & Pro-

& Pro-

& Prophetæ significantur, qui fundamentum sunt fidei nostræ. Superædificati enim sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum &c. Prophetæ tamen quia obscurè mysteria fidei tradiderunt, lapides sunt sub aqua: Apostoli autem, qui Christi gloriam manifestè prædicarunt, lapides sunt in terra cõspicui. Vtrique tamen nos Dei admoneant, & ideo nobis dati sunt. Prætereà præostensum hic fuit, quòd è baptismo nõ vacui eximus, sed nobiscum reportamus duodecim lapides, id est, duodecim fructus spiritus, qui sunt charitas, gaudium, &c. Ephes. 2.
Gal. 5.

Moraliter autem docemur, vt & nos lapides transponamus è terra in aquam, & ex aqua in terram, hoc est, vt in die malorum memores simus bonorum, & in die bonorum memores simus malorum. Quid sibi autem velit, quòd tribus Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse, armati præcedunt, & supra partim dictum est, & infra plenius dicitur. E baptismo enim egressis statim assunt hostes, contra quos oportet nos pugnare, maximè autem, qui alijs præsumunt. Hinc est, quòd sacerdotes dicuntur & primi in Iordanem intrasse, & postremi exisse. Hoc enim ad ipsos pertinet, vt vndiq; se apponant murum pro populo Dei. Cæterùm, quòd arca discedente statim aquæ recurrunt secundum pristinum cursum, hoc significat, quòd discedente Christo, ad omnia vitia dilabimur. Sine ipso enim nihil possumus facere. Vnde & Petrus à Christo fugiēs grauius cecidit. Non immeritò igitur suis promissit, se cū ipsis futurum vsque in finem. Postremò, quòd decima die primi mensis terram promissam attigerunt, ea ipsa scilicet die, qua agnus è grege sumebatur, significat, quòd eadem die, qua Christi sanguine conspergimur, debemus festinate ad patriam, & nequaquam in crastinum diem differre. Vnam enim diem habemus, quæ gratiæ dies est. Ea, quæ sequitur, iudicij dies erit. Dum igitur tempus habemus, operemur bonum, & cætera. Eccl. 11.
Ioan. 15.
Matt. 26.
Matt. 28.
Gal. 6.

DECLAMATIONES

*Hac breuiter ex hoc capite dicta
sufficiant.*

CAPVT V.



In hoc capite incipit secūda pars huius libri, nempe quomodo filij Israel terram promissionis receperint in possessionem. Et quidē sine ipsorum opere aut labore, imò solo Dei miraculo in ipsam terram peruenerant. Nūc autē etiam ipsi pugnādum erat ad obtinendā terram. Eodem modo & nos sine labore nostro & merito, sola Dei gratia operante ad terram promissam, id est, ad Ecclesiam Dei peruenerimus. Ad obtinendam autē felicitatem etiam labore nostro opus erit. Deus brauium proposuit, nosq; ad stadium sua gratia perduxit. Verū currendum & pugnandum nobis est, si coronam adipisci volumus, quanquam ipse sit, qui nobis vires subministrat. Ipse in nobis pugnat, in nobis vincit, in nobis sua dona etiam coronat.

1. Cor. 9.

Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, &c.

Mira res. Antequam Israelitæ stringerent ferrum, iam hostes eorum territi erant. Prius quidem videbatur sibiipsis satis muniti, nam & multi eorum erant, nempe 31. Domino autē vnum miraculū ostendente, terrentur, & cadunt ab omni spe, idq; duabus potissimū causis, primò, quia videbāt Deum cum Israelitis esse, secundò sciebant propria cōscientia teste se reos esse mortis. Sic cōtingit omnibus, qui mala consciētia laborant. Antequā iudicium Dei se proferat, videtur sibi egregiè cōstare posse, magna sibiipsis pollicētur, & magna præsumunt: Apparente autē Domino cadunt, desperāt. Tantum malum est mala cōscientia, vt cum ipsa nemo corā Deo constare possit, etiā si omnia bona sua, omnesq; amicos suos adhibeat. Sola bona cōscientia imperterrita stat. Vide autē stultitiā hominum. Videbant illi Deum cōtra ipsos esse, sentiebant malā consciā-

conscientiam, nemo tamen ad pœnitentiam conuertitur, quantumuis multi inter ipsos erāt sapientes, sed indurantur, & cōtra stimulum calcitrare nituntur. Sic faciunt filij hominum, nihil minus, quàm pœnitentiā arripiunt. Sic Adā cūm pœnitere & confiteri deberet, se abscondit, Cham negauit, Saul excusauit, Pharaō peccata peccatis addidit. Itidē & nos facim⁹. Cūm Deus ubiq; clamet: Conuertimini, & uiuetis, &c. Plurē que offendimus Deum pœnitere nolētes, quàm peccantes, &c. Cæterū, insignē consolationē nobis præbet, q̄ hostes Israelis terrentur etiā ante congressum. Qui enim Iesum ducem sequitur, facile hostes suos uincet, ut qui iam diu per Christum uicti sunt. Cōritum est caput serpētis, quantumuis cauda adhuc insanat. Nostra igitur fiducia ipsius hostis nostri summus terror est. Contrā autem, nostra segnities & pusillanimitas ipsius fiducia, imō uictoria est. Fidenter igitur diabolum aggrediamur, scientes ducem nostrum Iesum omnibus fortiozem, &c.

Ezech. 18.

Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundō filios Israel.

Hic primō uidentur, cur Moyſes totis quadraginta annis neminē ē populo circumcidit, cūm sciret hoc tā strictē à Deo præceptū esse, idq; cum magna cōminatione. Masculus, inquit, cuius præputij caro circūcisa non fuerit, peribit de populo tuo. Suspiciari quidem hic posset quispiā negligentia Moyſi hoc factum fuisse, quēadmodum & negligentia rectorum multa mala etiā nunc committūtur in magnum ipsorum malum. Omnia enim de manibus eorū exquiret Deus. Atqui Sap 6 in Moyſen non cadit talis suspicio, quē Paulus dicit fidelem fuisse in omni domo Dei. Vnde & hactenus nō semel audiimus, quantum zelauerit pro lege Domini, quàm seuerus fuerit contra delinquentes, &c. Imo nec scriptura hæc tacuisset, utpote quæ leuiora ipsius peccata non tacet. Dupliciter igitur hic respōderi potest, primō, quōd populus solita sua pertinacia filios suos circumcidere noluerit. Nec id absolum à vero est,

Gen. 17.

Heb. 9.

Exo. 31.

Num. 20.

cit,

DECLAMATIONES

Amos 5. est, cùm in Amos expressè ipsis dicatur: Nunquid in deserto 40. annis sacrificastis mihi? Et portastis tabernaculum Moloch & Sydus Dei vestri, &c. Si igitur manifestè idola coluerunt in deserto, non mirum, quòd etiam filios suos circumcidere noluerunt. Communiter autem dicitur, quòd Deus ad tempus circumcisionis præceptum sustulerit, vel in ipso dispēsauerit, maximè, quòd ad octauum diem, idque primò, ne si mouenda fuissent castra, pueri de nouo circumcisi periclitarentur de vita. Deus enim præcepta sua non in perniciem hominum instituit, sed in salutem. Vnde & **Christus**: Sabbathum propter hominem, non homo propter sabbathum. Vel ideo dispensatum fuit in præcepto circumcisionis, quia circumcisio data erat, vt per eam discerneretur Israel à gentibus. Atqui in deserto soli erant ab omnibus separati, non igitur opus habebant signo distinctiuo, quod tamen statim resumere cogebantur, cùm iterum alijs gentibus cohabitare deberent. Maximè autem ob id dispensatum fuit, ne Iudæi gloriarentur se propter circumcisionem & alia opera legis ad terram promissam venisse. Nō enim meriti ipsorum erat, sed gratiæ, id, quod etiā Moyses ipsis prædixerat: Non, inquit, propter iustitias tuas te introducet, &c. Nunquam non gloriabantur Iudæi de sua lege. Vnde & in exordio Ecclesiæ putabant se non gratia Christi, sed præsidio legis suæ iustificari. Cōtra hos acriter disputat Paulus, probans, quòd etiam Abraham ante circumcisionem iustificatus fuerit ex fide. Sic & hoc loco sine circumcisione venerunt in terram promissam, vt omnes videant gratiam esse, non meritum, vt nō gloriatur omnis caro. Vnde & in propheta dicit: Propter me, propter me, ego faciā, & gloriam meam alteri non dabo. Et iterum: Non propter vos ego faciam, sed propter nomen meum. Obseruandum, quòd Deus etiam non circumcisis astitit, propterea, quòd fidem habebant. Plus enim attendit signatum, quàm ipsum signum. Sic & nos, cùm possumus, vramur signis gratiæ, id est, sacramētis, cùm autē

non

Matth.**Deu. 9.****1. Cor. 1.
Isa. 48.****Ezech. 36.**

non possumus, nihilominus credamus, scientes quod Deus potentiam suam non ita alligavit sacramentis, ut citra ipsa gratiam conferre non possit. Cæterum, quæ primùm terram promissam attingunt, iubentur repetere circumcisionem, idque tribus potissimum causis, primò ut sic de nouo admonerentur fœderis cum Abraham iſti, sicque in fide confirmarentur, imò quasi manifestè ostenderent se eandem fidem habere, & habere velle, quàm Abraham habuit, & quod vellēt in eò fœdere persistere. Secundò, ut hoc quasi externo signo manifestè considerentur se nihil commune habere velle cum gentibus gentiliumque erroribus, sed omnia se abiecturos, & soli Deo seruituros. Potissimum autem hoc factum est ad significationem futurorum. Ad nos enim hæc pertinent. Nos eduxit Iesus ex Aegypto. Nos per baptismum induxit in Ecclesiã, nobis denique dare promissit terram viuentium. verũ non sine nostro labore.

Tria igitur nobis necessaria sunt, primò ut signum fœderis nostri renouemus, id est, baptismum, non quod denuò aqua tingi debeamus, sed ut significationem baptismi subinde recogitemus, nempe quid in eo receperimus, quid promissum sit, ac per hæc fidem nostram confirmemus, simulque cogitemus quid nos Deo illic spondimus. Hæc considerare multum nos promouet in militia nostra. Secundò necessarium est, ut mundo & peccatis renunciemus, quid enim tibi cum mundo qui ad cælum festinas? Quid tibi cum societate impiorum, qui in populum Dei assumptus es? Quod igitur ad Abrahamum dictũ fuit: Exi de terra tua, &c. hoc etiã nobis dicitur. Obliscere populum tuum & domum patris tui, &c. Hinc Paulus: Obsecro vos, ut offeratis corpora vestra non mundo, sed Deo, &c. & nolite conformari huic seculo, &c. Et iterum: Non iam ambulantes ut gentes, &c. non enim sic edocti estis: sed deponite veterem minem, &c. Et iterum: Empti estis precio magno, glorificate Deum in corpore vestro. Et iterum: Non forni-

Gen. 17.

Gen. 12.

Psal. 44.

Rom. 12.

Ephes. 4.

1. Cor. 6.

1. Cor. 10.

DECLAMATIONES

cemur sicut quidam illorum fornicati sunt, & cæte. Tertiò necessarium est, vt contra nos ipsos primum pugnemus & in nobis pugnam incipiamus. Non poterant Israelitæ hostium sanguinẽ funderẽ, nisi prius suum sanguinem fudissent, nec nos diabolum expugnabimus, nisi primum nos ipsos expugnemus. In nobis enim latent perniciosissimi hostes, ipsa scilicet concupiscentia ad superbiam, auaritiã, luxuriã,

Colos. 3.

iram, &c. Hæc primùm tollenda sunt. Vnde Paulus: Mortificate mēbra, fornicationem scilicet, immūdiciam, auaritiã, iram, &c. Hæc sunt membra veteris hominis quæ quã diu viuūt, nō superabimus diabolum,

1. Cor. 10.

nec obtinebimus terram promissam. Cæterũ, vt hæc circumcisio perfecta sit, requiritur culter lapideus, hoc

Hebr. 4.

est, Christus qui vera illa petra est. Ipse enim est sermo ille Dei viuus & efficax, qui ad corda vsque penetrat, ac radicem malam tollit. Externa quidẽ ieiunia, castigationes, &c. itemq; & orationes non parum ad hoc profunt, verũ nequeunt omninò tollere radicẽ,

Ioan. 13.

nisi accesserit Christi gratia & verbũ. Et quidẽ Christus semel nos aqua abluit, verũ id non satis est. Qui lotus, inquit, est nō indiget nisi vt pedes lauet. necessariò igitur sequitur circumcisio quæ fit in pœnitentia, per quam Christi verbum nos à quotidianis peccatis circumcidit. Hæc autem circumcisio non nihil doloris habet, quia pœnitentia dura videtur, verum citò transit hic dolor, multò melius est paruo tempore cū iustis dolere, quã perpetuò cum malis perire. Fixa autem est sententia, quòd aut cum Israelitis nobis circumcidendum est, aut cum Chananæis pereundũ. Insuper per hanc circumcisionem, id est, pœnitentiam auferretur à nobis opprobrium Aegypti. Impijs enim Deus peccata improperebit vt patet Psalm. 49. & Matth. 25. Ab hoc opprobrio pœnitentia liberat, verè magnum bonum. Beati, quorũ remissa sunt peccata, &c. Observandũ tamen, quòd nunquam plenè à peccatis omnibus circumcidimur, nisi ad patriam peruenerimus. tunc enim simul cessabũt peccata & miseræ corporis.

Psal. 31.

Verùm tantùm his, qui hîc pœnituerūt. Omnes enim *1. Cor. 15.*
resurgemus, sed non omnes immutabimur.

*Postquam ergò circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum
loco, donec sanarentur.*

Tria hîc dicuntur, nempe quòd in castris manserūt
vsque dum sanarentur. Et quòd pascha celebraue-
runt, & quòd manna defecerit, post quã fructus terræ
gustâssent. Hæc quanquam humilia, & vix scriptu di-
gna videantur, certa tamen ratione, spiritus sanctus
hęc scribi voluit ad instructionem nostrã. Primò enim
manifestè gratiæ signum est, q̃ cum filijs tot diebus in
castris securè manere potuerunt, cùm vndique hosti-
bus septi essent. Poterant illis ipsis diebus omnes do-
leri si hostes irruissent, nullus enim eorū propter cir-
cumcisionis vulnus repugnare potuisset, verùm ho-
stes cessant, videlicet Deo sic prohibente & populum
suū tutante. Sic itaque Deus hostibus populi sui nedū
cor & animum abstulerat, sed etiam omnem prouidē-
tiam, vt nihil ipsis salutare vel cogitare possent vel
exequi. Sic enim Deus cùm populum aliquem puni-
re vult, aufert ipsis cor & animū, claudit ipsis oculos,
vt nihil sani videant, præcludit omnes vias, vt effu-
gere nequeant, occludit ipsorum aures ne sanis con-
silijs acquiescant, tenet ipsorum linguas, ne vel Deum
inuocare possint. Omnium enim horum in iudicio
Dei obliuiscuntur, quantumuis ante iudicium putant
se sibi benè consulturos. Atque hoc est, quod impijs *Deut. 28.*
comminatus est Moyses. Dabit, inquit, tibi Dominus
cor pavidum & deficientes oculos, &c. Sensit hoc Hie-
rusalem, cui & specialiter Dominus minatur. Aufe- *Isa. 3.*
ram ab Hierusalem omne robur panis, &c. Item: aufe-
ram validum & fortem, iudicem & prophetam, &c. *Hier. 10.*
Meritò igitur exclamat Hierem: Magnus es tu Domi-
ne: Quis non timeat te, ò rex gentium?

Cæterùm, per hanc moram Israelitarum in castris
docemur, ne statim contra hostes procedamus, nec te-
merè maiora aggrediamur, donec in fide & spiritu
sancto robusti efficiamur, alioqui facilè vincemur. Si

DECLAMATIONES

igitur adhuc tibi dolet circumcisio, si graue tibi est, & peccata relinquere cogaris, verè adhuc infirmus es, nõ consistes in bello, mane igitur in castris, vide vt vulneri tuo medcaris, vt pusillanimitatem & ineptam tristitiam excutiens, robur spiritus colligas, & feruorem è verbo Dei. tunc ad bellum procede. Hinc Christus Petro dicit: Non potes me sequi modò, sequeris autem postea, nimirum spiritu sancto accepto. Hinc & discipulis præcepit, vt manerent Hierosolymis, donec induerentur virtute ex alto, &c.

Et celebrauerunt Pascha 14. die mensis, &c.

Non videtur esse res militaris, hostibus ex aduerso positis arma seponere, festa celebrare, & epulis intendere. Nec mundus hos milites sibi optaret. At coram Deo hi tandem optimi bellatores sunt, qui festa celebrant, id est, Deum sibi ipsis placant, antequam in bellum procedant. Sic fecit Moyses, sic Dauid, sic Iosaphat, sic Iudas Machabæus: sic fecerunt & patres nostri. Nõ mirum igitur quòd nihil prosperum nobis contingit in bello contra Turcam, cum Dei obliuiscamur. Obserua autem quòd Israelitæ ter leguntur Pascha celebrasse in sua illa profectioe, primò, antequam egredierentur ex Aegypto, in ipsa scilicet nocte egressionis. Secundò, circa montem Syna post datam legem. Tertiò, post transitum Iordanis. Sic & nos tribus montibus tenemur Deo gratias agere, Primò, quòd per sanguinem Christi nos eduxit, &c. Secundò, quòd per eundem Christum spiritum S. nobis dedit, Tertiò, quòd per eundem nos hæredes constituit æternæ vitæ. Hoc est Pascha nostrum, &c. Obseruandum & hoc, quòd Israelitæ nec ante circumcisionem, nec statim post fecerunt pascha, sed postquam sanati fuerunt. quo innuitur primò, quòd nulla festa, nullusque cultus Deo placeat, quam diu sumus in peccatis, & in opprobrio Aegypti. Secundò, quòd nullus accedere debet ad verum pascha, id est, ad corpus Christi, nisi per pœnitentiam circumcisus sit, alioqui iudicium sibi mæducat. Verus igitur ordo est, vt primò Iordanem transcamus, id est, baptizemur.

Secundò, vt circūcidamur per pœnitentiam, & sic tãdem pascha comedamus. Qui hunc ordinem inuertit, peccat: quemadmodum hi faciunt, qui omiſſa pœnitentia ad sacramentum accedunt, hoc ſolo freti q̄ baptizati ſunt & credunt. Atqui Iosue alium ordinem inſtituit, &c.

Et defecit Manna, poſtquã comederunt de frugibus terre.

Hic primò videmus Dei bonitatem, qui quantum Matt. 5, cunque peccarent Iſraelitæ, non tamen eis ſubtraheret manna. Verè pius Dominus, Solem enim ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, &c. Quòd ſi etiam impijs tam bonus eſt, quantum plus bona ſua daret, ſi ipſi adhæreremus? Obſeruandum, quòd Iſraelitæ triplici Exod. 12, cibo uſi ſunt in hac ſua proſeſſione: Primò enim ex Aegypto ſecum tulerunt conſperſam farinam, ſed ea non diu ſuffecit. Deinde manna habuerunt per totum iter deſerti, 40. ſcilicet annis. Poſtremò fructus terræ habuerunt, & tunc demum defecit manna. Sic nos ex Aegypto etiam cibos habemus, id eſt, ſapientiam mūdānam, verū ea non perducit ad vitam, è celo igitur alium cibum habemus, verbum ſcilicet Euangelicum, quòd verè manna eſt. hoc durat, quam diu ſumus in hoc deſerto, Imò & perducit ad terram promiſſam: tunc autem deficiet, cū tranſito Iordane, cibos veræ patriæ comedemus. Cū, inquit, venerit perfectum, 1. Cor. 13, euacuabitur quod ex parte eſt. Cū videre & frui cœperimus Deū & Deo, ceſſabit fides & ſpes, vt ſola charitas in perpetuum maneat.

Cumque Iosue eſſet in agro, vidit virum ſtātem.

Poſt completam circūciſionem & Paſchæ celebrationem Iosue expectat in agro, paratus ſi quid ulterius præcipere vellet Deus, Nihil enim agit, niſi ex verbo Dei, & ad omnia promptiſſimus eſt. Ideo angelus ei apparet. Obredientib. enim a deſt Deus & angeli. Solus tamen Iosue videt angelum. Prælati enim clariùs videre debent, quàm alij, imò ſemper præ oculis habere Deum. Aliqui oculos claudunt, nec videre volunt Deū & angelos. Aliquos impedit pulvis mundanarū

DECLAMATIONES

solicitudinem. Iusti autem semper vident & Deum & angelos præsentes esse, idè semper læti sunt, ubiq; orant, ubique sanctè viuunt. Cæterùm quòd angelus hic apparet, significat Deum velle Israelitis assistere. Ad magnam igitur consolationem ipsius Iosue totiusque populi, imò omnium credentium hoc factum est. Hinc enim discimus certò, quòd Deus nobiscum est. Quòd si Deus pro nobis, quis contra nos? Cum gladio autem apparet, quia tempus belli instabat. Deinde etiam per hoc ostensum est, non humano gladio, sed diuino Chananæos deuastandos. Non humanis viribus, sed Dei virtute expugnatur diabolus. Obserua, iam angelus euaginauerat gladium, Chananæi tamen hoc nesciebant, securè interim viuentes, sic nobis inscijs & nihil minus cogitantibus iudicium Dei adrepat. Dies enim Domini venit sicuti fur in nocte. Obseruandum, quòd apparitiones fiunt secundū exigentiam rei. Suprà cùm adhuc in seruitute essent, apparuit in igne. Transituris per desertū apparet in columna nubis. Sic pugnaturus apparet cū gladio. Gladius Domini euaginatus est ad protectionem piorum, & ad destructionem impiorum.

Noster es an aduersariorum?

Hic vides & vigilātiā & fortitudinem ducis. Prouidentiæ erat, quòd interrogat. Fortitudinis autem, quòd non timet etiam euaginatū gladium. Iustus enim vt leo confidit, nec quenquam timet confortatus à Deo. Imò etiam si viderit Deum euaginasse gladium, non timet. Hinc Dauid: Nō accedet ad te malum, nec flagellum appropinquabit tabernaculo tuo. Docemur etiam hīc probare spiritus nū ex Deo sint. In responsione autem angeli obseruandum, quòd statim se negat esse partis aduersariorum, idque cum emphasi. Nequaquam, inquit. Q. d. nihil commune cum impijs habeo. Obseruandum secundò, quòd se fatetur esse principē exercitus Domini, vbi videmus angelos hominibus præpositos, quemadmodum & in Daniele & Psal. 90. Obseruandum & hoc, quòd congregatio

fideliū

Rom. 8.

1. Thef. 5.

Exod. 3.

Prou. 28.

Psal. 90.

1. Ioan. 5.

Dan. 10.

Adelium dicuntur exercitus Domini, non enim ad otium, sed ad pugnam vocamur. hinc Ecclesia dicitur terribilis, ut castrorum acies ordinata. Meminerimus igitur *Cantic.* nos esse in exercitu. Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, &c. Hoc tamen consolationis habemus, quod & Deus & angeli nobiscum sunt & pugnant. *Eph. 6.*

A L L E G O R I A.

Christus est princeps exercitus Domini: Ipse enim est homo ille nobilis, qui seruis suis dicit: *Esto tu super decem ciuitates. Alij, esto tu super quinque.* Ipsi enim pater dedit omnia in manus. Et dedit ei potestatem omnis carnis, &c. Hic igitur in auxilium nostrum aduenit à caelo. Vbi videmus, quantum maiora & certiora nos acceperimus à Deo, quam veteres. Illis assistit angelus, nobis filius Dei, &c. *Luc. 19. Ioan. 13. Ioan. 17.*

Cecidit Iosue pronus in terram.

Quid aliud faceret pius videns tantam circa electos Dei curam & sollicitudinem? Sic Abraam audiens Deum velle foedus secum facere, cecidit pronus in terram. Sic Dauid audiens promissiones Dei, dixit: *Quis sum ego, & quæ domus patris mei?* Obseruandum autem, quod Iosue non tantum se humiliat, sed etiam ad obediendum se paratum offert. *2. Reg. 7.* Quid, inquit, loquitur Dominus meus ad seruum suum? Simul enim esse debent humilitas & obedientia, si tunc se humiliare conuincitur, qui inobediens permanet, & cæteris, ut Saul, Achab, &c.

Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, sanctus est.

Mira res. Quid hoc ad bellum attinebat? Nihilné aliud præcipere poterat, quam hoc? Tantiné refert calceatum esse, vel non? Sed figuratam nouerimus esse locutionem, longeque aliud angelum sensisse, quam verba sonarent. Calcei è pellibus animalium mortuorum fiunt: Calceos igitur exuit, qui abiicit opera mortua, & quicquid in ipso bestiale est. Sic docet Paulus Romanorum 13. Deinde temerarius iudicatur, qui calceis immundis coram principe incedit. Calceos igitur exuit, qui nihil temere aut presumptuose coram

DECLAMATIONES

Lucz 7. Deo agit. Sic calceos exuerat peccatrix illa, quæ nõ temerè in faciem Christi prodire ausa, sed retrò accessit, & cæt. Præterea calceamenta soluere, & alij tradere, **Ruth. 4.** signum erat, quod quis iuri suo cedebat. Calceamenta igitur soluit, qui voluntatem suam Deo resignat. Sic **Ioan. 13.** Petrus soluerat calceamentum, cùm dicebat: Domine non tantum pedes, sed & manus & caput. Et **Paulus: Act. 9.** Domine, quid me vis facere? Insuper calceos soluere signum humilitatis est. Vnde **Ioannes: Matt. 8.** Non sum dignus soluere Christo calceamenta. Calceos igitur exuit, qui se humiliat. sic centurio: Domine non sum dignus, & cæt. Postremo gẽtiles ingressuri templa sua calceos exuebant ob reuerentiam loci. calceamenta igitur soluit, qui præsentia Dei vbique reuerentiam exhibet, quemadmodum **Iacob. Gen. 28.** Quam terribilis, inquit, est locus iste. Verè Dominus est in loco isto, &c. Quod autem **Iosue** dicitur: Solue calceamentũ tuum, &c. hunc habet sensum, quasi dicat: Haftenus inter gentiles fuistis, & gentilium more vixistis: Nunc autem venistis in terram sanctam, in qua Deus & nunc, & in posterum tempore Christi tanta faciet, qualia in nulla alia terra vnquam fecit. Hic igitur opus est, vt gentilium mores abijciatis. Item opera peccati, vt que humiliemini sub Deo, honestè viuatis tanquam in conspectu Dei, ac in voluntatem eius vos offeratis. Hæc vobis factu necessaria erunt, si vultis, vt Deus vobiscum maneat, & cæt. Hæc nobis quoque dicta esse sciamus, qui in terra sancta stamus, id est, in Ecclesia. Vnde & sancta vita nobis necessaria est, tamen ne contra nos dicatur: In terra sanctorum iniqua ges-
 sit. Imò ne cum ludæis negotiatoribus è templo eijciamur. Verè enim terra, in qua sumus, deuorat habitatores suos,
 si impiè viuant,
 & cæt.

Isa 26.

Matt. 21.

Num. 13.

Caput

CAPVT VI.



In hoc capite incipiunt Israelitæ occupare terram Chanaā. Atq; hic tandem cōplentur, quæ Deus ante tot annos Israelitis promisit, & Chananæis cōminatus est. Vtrunq; longo tempore distulit, & vt Israelitarum probaretur fides, & Chananæorum implerentur peccata. Quemadmodum igitur Dauid in Psal. 100. psalm. suis Domino misericordiam & iudicium canit, sic & nobis hæc historia ob oculos ponet Dei bonitatem in suos, ad consolationem piorum, & Dei iram in impios, ad terrorem malorum. Hic inquā, videbunt iusti, quod Deus verax est in promissis, quantumcunq; ea differat, iuxta illud: Si moram fecerit, expecta eum, Abac. 1. quia veniens veniet. Contrā videbunt impij, q̄ lento quidem gradu ad vindictam diuina procedit ira, tarditatem tamen supplicij grauitate compensat. Vnde Psal. 36. & in psal. Iniusti, inquit, exterminabuntur, &c. Et adhuc pusillum & non erit peccator, &c.

Hiericho autem clausa erat, & munita timore filiorum Israel.

Hic primò videmus, quod hostes Israelitarum minime segnes fuerunt, nec quicquam omiserunt, quod ad ciuitatis munimen faceret. Verum contrā homines tantum se munierunt, non contra Deum. non cogitabant Deum ipsis aduersari: Vnde nec eum placare studuerunt, quo factum est. vt nec externæ eorum munitiones quicquam prodesse. Sic enim filij huius seculi prudentiores quidem sunt, quàm filij lucis, in externis. Non enim segnes sunt, vbi quid periculi imminet. Si bellum instat, arma comparant, munitiones ædificant, & cæt. Si pestis, medicinis se præmuniunt. Si fames, emunt, corradunt quicquid possunt. Hoc tamen ipsis deest, quod tantum externa illa mala attendunt, non autem Deum, qui ea immittit propter peccata: Vnde & non student Deum placare. quo fit, vt nec externa prodesse possint. Christianus autem

DECLAMATIONES

Amos 3.

primò omnium attendere debet, quòd Deus bella, & famem, & pestem immittit, idque propter peccata nostra. Non est enim malum in ciuitate, quod Dominus non faciat. Primò igitur auertenda ira Dei, deinde externis medijs vtendum. Hoc nesciētes Chanaanæi frustra se munierunt externè, cùm non tantùm homines, sed Deum aduersarium haberent. Vide autem mundi impotentiam. Externè quidem egregiè munita erat Hiericho, sed intus timore plena erant omnia. Quis hoc credidisset de tam forti ciuitate? Filij Israel olim audientes tam magnas ciuitates esse in terra Chanaan, ita territi fuerunt, quòd desperabant, se posse eas capere, imò retrocedere volebant. Hic autem vident nihil virium esse in ciuitate, quantumuis externè munita esset. Hinc igitur discimus, quòd mala conscientia semper timorem secum adfert. Deinde discamus non timere pomposam speciem mundi. Quis tu, inquit, vt timeas ab homine mortali, qui quasi fœnum, & cæt. Et iterum: Nolite timere à verbis tyranni, cuius gloria stercus & vermis, & cæt. Obseruandum & hoc in Hierochontinis, quòd nec ipsi egredi aut fugere, nec quisquam ad eos ingredi, aut auxiliari audebat. Sic imminente iudicio DEI omnes viæ impijs præcluduntur. Quis igitur non timeret DEI iudicia?

Num. 13.

Isa. 51.

1. Mach. 2.

Ecce dedi in manus tuas Iericho, & regem eius, omnesque viros fortes.

Hæc est sententia diffinitiuâ super Hiericho, quæ & statim executioni mādatur. Singula autem verba emphasim habent. Ecce, inquit, dedi, & c. Q. D. ædificent, muniant quantum velint, in manus tuas hanc ciuitatem dedi, nihil proderunt muri, nihil regalis pompa, nihil multitudo populi. Fixa est sententia. Omnibus pereundum est.

Psal. 43.

Hic vides, quid contra Dei iudicium profint ædificia, regia potestas, diuitiæ. Omnia hæc in manu Dei sunt. Meritò igitur Dauid dixit: Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me, & cæt. Et ite-

rur;

rum: In te Domine speravi, non confundar in æternum, & cæt. Psal. 30.

Vt omnibus autem appareat Dei solius opera ciuitatem Hiericho oppugnatam, nihil bellici apparatus adhiberi iussit, sed tantum circuire, circumducere arcam, clangere buccinis, & vociferari: ne dicerent Israelitæ: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Vult Deus, vt ipsum agnoscamus omnis boni auctorem, eique omnia tribuamus. Iuxta illud psalmi: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nostra enim virtute nihil efficimus, sed Deus in nobis operatur velle & perficere. Nã sine ipso nihil possumus. Deu. 32. Psal. 131. Phil. 2. Ioan. 15.

Vocauit ergo Iosue sacerdotes, &c.

Hic videmus, quomodo Iosue aciem suam instruxerit contra Hiericho. Ferè enim eodem stratagemate vsus est, quo postea & Gedeon vsus fuit. Vterque enim hostes tubis vicit. Nec dubium, quin hostibus ludibrio fuerit hic apparatus ipsius Iosue, adeo, vt etiã timere cessauerint. Verum sic Deus incipit sua iudicia, vt impij ea adesse non credant, donec sentiant. Atque hoc est, quod Paulus dicit: Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerint: pax, &c. Vide autem, quid Iosue facit. Primò, manè surgit, hoc enim ad principem pertinet, vt vigilans scilicet & sollicitus sit. Secundò aciem non secundum suum iudicium, sed secundum verbum Dei instruit, quantumuis ridiculum videretur, quod Deus præceperat. Sciebat enim ratione non carere, quicquid Deus præciperet. Tertiò, omnem populum circumducit, vt omnes Dei mirabilia viderent: Plus enim mouent visa, quam audita. Quartò, quamuis omnem populum circumducatur, voluit tamen, vt ordinatè incederent. Necessarius enim est ordo, vbi contra diabolum pugnandum est, manendumque in via. Nã à via recedentibus statim laqueos & scandala ponit. Iuxta iter, inquit, scandalum posuerunt mihi. Quintò vnumquemque speciatim instruit, armatos iubet præcedere, sacerdotibus committit tubas & arcam, Iudic. 7. 1. Thess. 5.

popu-

DECLAMATIONES

populum iubet sequi & tacere. Omnia autem hæc instituit, partim vt terreret hostes, partim vt hostes viderent Israelitas non humano præsidio niti, sed diuino, partim vt etiam populus disceret officium sacerdotum magni æstimare, & ex præsentia arcæ consolationem reciperent. Cæterùm, quòd hanc ciuitatem non armis, sed sonitu tubarum deicere voluit, primò ostendit, quòd Deus non magno conatu opus habet contra hostes suos, imò solo nutu eos perdere potest. Meritò igitur timendus. Secundo & præcipuè factum fuit hoc in figurâ Christi: Hiericho siquidẽ mundum significat, id, quod ex parabola hominis ab Hierusalẽ in Hiericho descendentis apparet. Ad hoc facit, quòd Christus in Hiericho & cæcos & publicanum Zachẽu inuenit. Facit ad hoc, q̄ Hiericho interpretatur luna. Mutabilitas autem lunæ instabilitatem & vanitatem mundi pulchrè designat. Nihil enim mutabili mundo. Cæterùm ciuitas hæc munita est, habet enim mundus potentiam, sapientiam, diuitias, &c. quibus egregiè videtur munitus, verùm non contra Deum. Quid enim posset mundana potentia cõtra diuinã? &c. Huius ciuitatis rex diabolus est, nõ per creationẽ, sed per occupationẽ & seductionem. Quamuis aut̄ regnum mundi diu occupauerit diabolus & sui, verè tamẽ debebatur Christo filio Dei, vt patet Dan. 7. vnde & psal. Postula à me, & dabo tibi gētes, &c. Ceterùm Christus non armis externis mundum sibi subiecit, nec op̄ habuit Scipionibus, Camillis, Alexãdris, Cæsaribus, &c. Habuit quidẽ & ipse suos bellatores, & quidẽ fortissimos, quales fuerunt Iosue, Dauid, Sãson, Gedeon, Machabæi. Et hos quidẽ præmisit, sed nõ per eos mundũ deiecit. Post bellatores igitur destinauit sacerdotes cū tubis & arca. & hi tandem mundum deiecerunt non armis, sed tubis, id est, prædicatione Euangelij. Nihil enim aliud ipsis Christus commisit, nisi verbum Dei. Euntes, inquit, in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Vnde Paulus: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt cõfundat fortia. Sic igitur

Apostoli

Mier. 5.

Lucz 10.

Matt 20.

Lucz 19.

Psal. 2.

Mar. 16.

1. Cor. 1.

Apostoli predicando circuierunt, & arcam, id est, Christum in corde & ore circum tulerunt, simul etiam in oratione ad Dominum clamantes. His tribus medijs totum mundum Christo subiugarunt. Imò onus Paulus fermè innumeras regiones Christo subiecit. A Hierusalem enim vsque ad Illyricum omnia repleuit Euangelio &c. Omnia hæc præmonstrata fuerunt in oppugnatione Hiericho. Insuper autem per hoc etiã monstratum fuit triplicem ordinem in Ecclesia necessariũ. In primo ordine sunt principes seculares, hi præcedere debēt & viam facere sacerdotibus cum arca, ideò eis permittuntur arma. In secundo ordine sunt sacerdotes, ad hos non arma, sed tubæ pertinent & arca. Nemo enim ad fidem armis cogendus, sed verbo prædicationis. Nec implicare se debēt secularibus negotijs, quæ Deo militāt. In tertio ordine est vulgus promiscuũ, hi sequi debēt & tacere, nō tumultuari, sed obedire potestati, & audire sacerdotes, nec vociferari nisi in oratione. Vbi hic ordo in singulis statibus esset, nihil non prosperum succederet. Atque hinc facile colligi potest quòd peruersus ordo omnium malorũ, quæ patimur, causa est. Quibus enim gladius commissus est, hi Ecclesiæ negotia tractant. Contrà, qui Ecclesiam curare deberent, mundana negotia tractāt. Hinc est, quòd nec vulgus amplius sequi vult. verũ subinde tumultuat. Reformandus ordo, si pacem desideramus. Postremò ex hac oppugnatione Hiericho etiam discamus, quomodo mundum in nobisipsis expugnemus. Nemo enim ita mundum fugere potest, vt non eum continuò secum portet. Quis enim non sentit in se concupiscentiam carnis & oculorum & superbiã vitæ? Atqui hæc ipsissimus mundus sunt, vt Ioannes testatur. Primò igitur oportet mundum circuire, idque septies, ac primò cogitare quàm vana sint omnia mundi bona. Secũdò, quòd instabilia. Tertio, quòd breuia. Quarto, quòd auferunt Deum. Quintò, quòd priuat beata vita. Sextò, quòd magno labore acquiruntur, possidentur, imò quòd malum præmium dat. Si ita

Roma. 16.

2. Tim. 2.

1. Ioan. 6.

cir.

DECLAMATIONES

circueris mundū, cadent muri. Quòd si nondum cadunt, ad de tubas verbi Dei, audi verbum Dei. Sic in Zachæo & peccatrice cum audirent verbum Dei, cecidit mundus. Quòd si nec sic cadunt, clama in oratione, & statim subuertetur in te mundus. Facit etiam ad deiectionem huius ciuitatis, si præmittas armatos, hoc est, si consideres exempla eorum, qui fortiter contra mundum pugnaverunt, de quibus Paulus: Sancti, inquit, per fidem vicerunt regna, &c. Postremò etiam non nihil ad hoc còducit, si arcam in humeris portes, hoc est, si iugum Domini, crucem, laborem, &c. in te sumas. Ocium enim & delitiæ mundum in nobis fortificāt.

*Vociferamini, tradidit enim Dominus
vobis ciuitatem.*

Non simpliciter iubet eos vociferari, sed in oratione & in laude Dei. Hoc enim rem facit. Hoc clamore Moses derexit Amalech, Iudith Holofernem, Hester Ammam, Ezechias Sennacherib, Dauid Saulem. In plurali autem loquitur Iosue, vult enim vt omnes simul clament, concors enim clamor multū facit. Si duo, inquit ex vobis còsenserint de omni re, quæcunq; petierint, fiet illis à patre meo. Nec dubiū est, quin idem hic clamor fuerit, quemadmodum & in libro Iudicum legimus. Clamabant illi: Gladius Domini & Gedeonis. Clamarūt hi: Hic Deus & Iosue. Profectò fortissimus clamor. Quid contra Deum & Iesum potest diabolus aut mūdus? Quis tu, inquit, vt timeas ab homine mortali, & oblitus es Dei? Et Christus: Confidete, ego vici mundum. Hinc psalmista: Beatus populus, qui scit iubilationem, qui enim verè sciunt vociferari & iubilare, ambulant in lumine vultus Domini, & nomine eius exultant. Ipse enim est gloria virtutis eorum, &c. Cū igitur hostes te impugnant, clama, &c.

Sitque hæc ciuitas anathema, &c.

Nihil simile fecit Iosue, nec antè, nec post. Non tamen hoc dixit ex iracundia, sed ex zelo ad honorem Dei & commendationem iustitiæ eius. Quia enim solius Dei auxilio obtinenda erat Iericho, congruū erat,
erat,

Heb. ii.

Matt. ii.

Isa. 51.

Psal. 88.

erat, vt prius Deo partem prædæ assignarent, quàm ipsi sibi raperent. Postremò omnia crudelissimè fieri debebant, vt alij terrerentur. Sic autem anathematizauit hanc ciuitatem, vt omnia, quæ viuebant, occiderentur. Omnia, quæ non viuebant, igne comburerentur. Tantummodo quod auri & argenti erat, Domino consecrādum. Sic quidquid mundanum & malum in nobis est, occidendum: quidquid autem mortuum est, igne spiritus viuificādum, quicquid autem boni in nobis conspicitur, Domino offerendum,

Sola Raab uiuat cum suis.

Hic Iosue fidem seruat & gratitudinem ostendit, gratiamque ostendit pro accepto beneficio. Alius qui sciam in tanto tumultu mulieris illius & præstitæ fidei oblitus fuisset. At iustus homo nunquam obliuiscitur quid acceperit, quid debeat, quidque promiserit, &c.

Cauete ab anathemate, ne fortè anathema commiseritis.

Non solùm ciuitatem deletam vult, sed etiam omnia, quæ in ea erant, nec patitur, vt Israel quicquam ex hac ciuitate concupiscat aut rapiat. Eodem modo & Iesus noster vult, vt quàm longissimè simus à mundanis moribus, vitijs, concupiscentijs. Nihilq; mundanū cōcupiscamus. A deo sibi non conuenit cū mundo, nec mirum: quæ enim conuentio Christi ad Belial, lucis ad tenebras? &c. Vnde & Ioannes clamat: Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt, &c. Nō solùm autem Iosue præmonet, vt nihil de anathemate sumant, sed etiam prædicat pœnam transgressoribus. Sciebat enim difficile esse, vt populus omnium rerum egenus abstineret à tantis diuitijs.

Populo autem vociferante corruerunt muri.

Hic tandem muri Hiericho cadunt non virtute clamoris, sed Dei. Atq; hic videmus quàm verè dixerit: Dedi eam tibi in manus, Hic igitur primò videmus, quàm non profint diuitiæ, potentiaque humana in tēpore vltionis. Videmus secūdò, quā terribile futurū sit iudiciū mundi. Ideo enim Deus aliquot terribilia

DECLAMATIONES

bilia iudicia super priuatas ciuitates & regiones ostendit (vt in diluuiò, Sodomis, mari rubro, deserto, & hìc,) nimirum vt ex his discamus, quid in iudicio speremus. Christus semel mundum deiecit ac sibi subiugauit quo ad electos. Iterum autem mundum oppugabit quantum ad reprobos. Et hoc etiam non armis, sed tubis, Canet, inquit, tuba & mortui resurgent incorrupti, &c. Et iterum: Mittet angelos suos cum tubis, qui colligent electos à quatuor ventis, &c. Prima tuba erit. Surgite mortui ad iudicium. Secunda, Ite maledicti in ignem æternum. Cùm hæc tuba insonuerit, cadet mundus & omnia mundana. Tunc confundentur omnes, qui mundum dilexerunt. Tunc dicent impij: quid nobis profuit superbia &c. De hoc pulchrè Iohannes in Apocal. Væ, Væ ciuitas illa magna Babylon, quia vna hora venit iudicium tuum. Idque ter repetit. Hic finis erit impj mundi. sic omnes simul peribunt. Soli illi liberabuntur, qui in Christum crediderunt, peccata reliquerunt, & populo Dei associati sunt: iusti enim ibunt in vitam æternam, & ab auditione mala non timebunt, &c.

Raab verò meretricem fecit Iosue viuere.

Hoc scriptura tacere noluit, vt iuxta terribile hoc diuinæ iustitiæ iudicium habeamus etiam iudicium misericordiæ Dei, ne desperemus. Est verè iudicium misericordiæ est, quòd in tota ciuitate sola peccatrix liberatur. Sic enim semper Deus in ira sua etiam misericordiam ostendit. Sic in diluuiò euasit Noè, in Sodomis Loth, in mari rubro Israelitæ, in deserto Caleb & Iosue, in Hiericho Raab. Hic igitur videmus, quòd misericordia Dei maior est, quàm nostrâ peccata. Videmus item quid possit fides in Deum, nempe quòd preterita peccata tegit & aufert, hominemque iustificat. Videmus item de nullo homine desperandum esse, quàm diu in hac vita est. videmus insuper, quòd misericordia & hospitalitas nunquam carèt præmio. Sic enim mulieri illi melius fuit exploratores illos suscepisse

uisse hospitio, quàm si regem aliquem magnū suscepisset. Beneficentiæ igitur & hospitalitatis nūquam obliuiscamur, talibus enim hostijs promeretur Deus. *Hebr. 13.*

Maledictus, qui reedificat Hiericho.

Suprà Iosue ciuitatem Hiericho anathemati subiecit, hic maledicit eum, qui reedificare eam conatus fuerit. Vt tanq; autem eius sententiam Dominus confirmauit. Vnde patet, quòd non ex seipso, sed Dei instinctu eas protulit. Idèd autem in hanc ciuitatem seuerior fuit, quàm in alias, quia hæc ciuitas primò restitit Israelitis, idq; cum magna vi, conuenerant enim illuc multæ gètes, vt infra patebit. Deinde volebat Deus Iosue. 24. statim in exordio ostendere exemplum suæ iustitiæ in errorem aliorum. Præterea, quia Hiericho figurabat mundum, oportebat esse speculum diuini iudicij, quòd olim feretur super mundū. Volebat aut Iosue, vt Hiericho nunquam reedificaretur, vt esset perpetua memoria etiam posteris, quemadmodū etiam Babylon & Sodoma nunquam reedificatæ fuerunt ex eadē causa, videlicet, vt essent omnib. posteris memoriale & exemplum diuinæ iustitiæ. Cæterum maledictio hæc Iosue tantū externam pœnam respicit, id quod sequētia declarant. Non enim optat, vt pereat homo ille, sed tantum vt filios amittat. Illis autem verè imminet æterna maledictio non ab homine, sed à Deo prolata, illis, inquam, qui mundum, id est, idololatriam, superstitionē, mendacium, iniustitiam, &c. à Christo destructa reedificant, hoc est, qui idololatriam inuehunt & superstitiones fouent, impietatē alunt, iniustitiam defendunt, carnalem vitam inducunt, ex Ecclesia domū negotiationis faciunt, mundumque in Ecclesiam introducunt. Hi verè maledicti sunt. Quod meritò omnes nos terrere debet. Omnes enim ad hoc adiuuamus. vnde & factum est, quòd mundus iam nō minus nunc in Ecclesia etiam est, quàm olim fuit, antequam Christus ipsum destrueret. Quid igitur mirum, quòd multa mala in mundo videmus, cum sub maledicto ipsius Iosue sumus? Caucat igitur quilibet, ne mundum re-

DECLAMATIONES

Rom. 6.

Cant.

edificet, id est, iniustitiam & impietatem. ciuitatē Hierusalem & templum Domini nos ædificare debemus. Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in ipso? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

CAPVT VII.



N hoc capite videbimus quantum etiam priuata peccata interdum efficiāt reipublicæ. Optabat Iosue ad vltiora pro suo officio progredi & quod feliciter cœperat, prosequi, sed ecce turbatur vnus hominis peccato nec solū turbatur, sed etiā impeditur tā ipse, qua populus eius. Tā pernitiōsa res est peccatū.

Filij autem Israel prauaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.

Ioan. 9.

Matt. 12.

Rom. 12.

1. Pet. 2.

Vnus homo peccauerat, & tamen peccatum omnibus scribitur. Et q̄ manus, etiam Deus cōtra omnem Israel irascitur, imō & punit. Per hoc autem primò ostendere & docere voluit longè grauius esse scier, quàm ignoranter peccare. Sic Paulus veniam meruit, quia ignoranter peccauit. Pharisei autem nō meruerunt veniam, quia scier peccauerunt. Vnde Christus: Si cœci essetis, non haberetis peccatum. Nūc autem peccatum vestrum manet. Imò palàm asseruit peccatum ipsorū nec in hoc, nec in futuro seculo remissum iri. Secundò ostendere voluit longè grauius esse, peccare in populo Dei & in Ecclesia, quàm extra. Qui enim intra Ecclesiam & in populo Dei peccat, nedum Deū offendit, sed etiam fratres scandalizat, Ecclesiā deturpat & corā extraneis abominabiliter reddit. Hinc est, quòd Paul. nos toties exhortatur, ne cōformemur huic seculo, &c. Et Petrus, vt cōuersat ionem inter gētes habeamus bonam. Imò ob hanc causam Petrus dicit satius esse nunquā cognouisse veritatē, quā post agnitam relabi. Et Paulus palàm asserit, q̄ post baptismum peccare, est Christum denuò crucifigere, & ostentui habere, sanguinem Christi conculcare, & spiritum gratiæ

gratię blasphemare. Potissimū autē Deus hac historia, **Hebr. 4.**
 imò hoc tam seверо iudicio omnes monere voluit, vt
 & ipsi omni studio peccata cauerēt, & omni diligen-
 tia peccata punirēt & è medio tollerent. Nec vnquam
 peccata vel in se vel in alijs dissimularent, cū tam ma-
 nifestè vidissent propter vnus peccatū iram Dei in o-
 mnē populum venisse. Hinc toties illis in lege præcipi-
 tur vt malū auferāt ex seipsis. Itidē & Christus docet: **Matt. 18.**
 Si peccauerit, inquit, in te frater tuus, vade & corripe
 eū, &c. Itē: Si manus tua scandalizat te, abscinde eam,
 &c. Sic Paul. Expurgate vetus fermentū vt sitis noua **1. Cor. 5.**
 cōspersio. Et iterū: Peccantē corā omnib. argue. Item: **1. Tim. 5.**
 Argue, obsecra, increpa, &c. Hinc & ipse fornicarium **2. Tim. 4.**
 Corinth. non ferens sathanę tradidit. Nemo igitur **1. Cor. 5.**
 peccata dissimulet. Vna ovis morbida totū gregē infici-
 cit. & parū fermenti totā massam corrūpit. Nemo di-
 cat: Nunquid custos fratris mei sum ego? Nō dicit ma- **Gen. 4.**
 nus, quid ad me q̄ oculus dolet, sed omni studio me-
 deri & adiuuari studet, q̄ si morib. insanabilis est, po-
 tius oculū patitur erui, quā corpus inficiat. Sic de alijs
 membris. Itidem & nos facere debemus. Membra e- **1. Bor. 12.**
 nim vnus corporis sumus. Itaq; si membrū aliquod
 malè habet, aut sanandū, aut si sanari non potest, tol-
 lendum est, ne totū corpus inficiat. Nō igitur miseri-
 cordia est, sed crudelitas dissimulare peccata. Quę e-
 nim misericordia est, vni mēbro parcere, & totū corp⁹
 periculo exponere? Vni homini parcere, & irā Dei sup
 omnē populum inducere? Notēt hoc principes & pa-
 stores, &c. imò quicunq; rectores, &c. Obseruandū au-
 tem, q̄ vnus homo ex Israelitis peccat, & tamen pec-
 catū ipsius toti Israel incōmodat, quid igitur mirum
 si etiam in nos ira Dei descuiat, inter quos non vnus,
 sed multi peccant, idq; publice & impunè? Vt interim
 taceam peccata occulta. Væ omnibus, qui malum au-
 ferre possent de Ecclesia, & non faciunt.

Achan enim filius Charmi tulit aliquid de anathemate.

Nominat hominem propter certitudinem historię.
 Czterū, illud ipsum peccatum cōmisit, quod Iosue

DECLAMATIONES

omnium maximè prohibuerat, imò à quo solo cauē-
 dum præmonuerat. Miser aut ille rem non tam seuerā
 esse putauit, & occultum fore credidit, non interim at-
 tendens aut credens, quòd Deus omnia videt & in iu-
 dicium adducet. Sic verè non alia de causa tam facile
 peccamus, quàm quod non putamus tantam seueritatem
 subesse, &c. Ex hoc igitur textu certò tibi persuadeas
 peccatū rem atrocissimam esse, & seuerissimè puniē-
 dam. nec vnquā posse occultari. Nihil enim opertum,
 quod non reueletur. Mirū autem, quòd in tanto populo
 vnus tantū in avaritiam prolapsus fuit, alij aut om-
 nes Dei irā timentes manus suas continuerunt à spō-
 lijs. Nihil tale nos facere potuissemus, quā pauci enim
 inter nos sunt, qui manus suas à sacrilegijs, rapinis,
 furtis, &c. contineant. vt interim de avaritia taceam,
 in quā omnes proni sumus à minimo vsque ad maxi-
 mum. Quis enim non videt, quanta insania per fas ne-
 fasq; diuitias congregemus? Quid autem dicit scriptu-
 ra? Væ qui congregat non sua, &c. Væ qui congregat
 avaritiam malam domui suæ, &c.

Misit viros, qui explorarent H Ai, quæ est iuxta Betauen.

Nihil temerè agit Iosue, non educit exercitum, nisi
 prius explorata sint omnia. Nō omittit humana me-
 dia quantumuis videret diuini assistentiam. Sciebat
 enim quòd Deus nō semper facit miracula, sed plerū-
 que per media naturalia dat quod dare vult. Principē
 enim decet prudentia. Quicquid agas, prudenter a-
 gas & respice finem. Imprudentia & temeritas prin-
 cipum multa mala facit. Cæterū, sicut in Iosue ex-
 emplum prudentiæ habemus: sic in exploratoribus il-
 lis habemus exemplū humanæ præsumptionis. Quia
 enim Hiericho sine labore ceperant, putabant se lon-
 gè facilius Hài capere posse, etiā si pauci ascenderēt,
 & nec arcam & sacerdotes haberent secum. Hoc autē
 erat in proprijs viribus confidere. Vnde & statim in fu-
 gam vertuntur, videreque coguntur suas vires nihil
 esse. Sic Deus in proprijs viribus confidentes humi-
 liat. Sic contigit decem tribubus Israel contra tribum
 Beniamin.

Eccl. 12.

Matt. 10.

Ioan. 6.

Abac. 2.

Judic. 20.

Beniamin pugnantis. Sic contigit superbo & im-
 pio Sennacherib. Sic & Petro in proprijs viribus con- **Matt. 26.**
 fidenti. Longè aliter Dauid ad bella procedebat. Tu, **I. Reg. 17.**
 inquit, venis ad me cum gladio, &c. ego autem in no-
 mine Domini Dei Israel, &c. Et alibi: Dominus firma-
 mentum meum & refugium meum, &c. Cæterum vi-
 demus hic etiam quòd Deus non semper patitur suos **Pfal. 17.**
 vincere, sed interdum vinci permittit, vt humilietur, **Pfal. 118.**
 id quod in Dauide & Petro contigit. Vnd Dauid: Bo-
 num, inquit, mihi quia humiliasti me. Qui igitur stat,
 videat ne cadat. Qui autem cecidit & victus est, curet
 vt cautior resurgat.

Occiderunt ex eis triginta sex viros.

Hic videmus occulta iudicia Dei. Iniustum videri
 posset, quòd tot innocètes propter vnum nocentè pe-
 rierunt. Verum coram Deo nemo innocens est. Quili-
 bet homo Deo mortem debet, hanc Deus exigere po-
 test, quando vult, & quomodo vult, nec vlli in hoc in-
 iuria fit. Nō igitur hæc iudicia Dei excutienda, sed po-
 tiùs attendendum, q̄ ex misericordia paucos tantum
 occidi permisit, cum ex iustitia potuisset omnes occi-
 dere. Deinde quòd mortem paucorum illorum ad vti-
 litatem omnium ordinat. Sic enim Deus in omnibus
 suis iudicijs duo facit, Primò satisfacit suæ iustitiæ. De
 inde ex misericordia ipsum iudicium ordinat ad mo- **Pfal. 109:**
 nitionem aliorum. Vnde meritò Dauid, misericordiã,
 inquit, & iudicium cantabo.

Liquefactum est cor populi tanquam aqua, &c.

Hoc est, exterriti fuerunt & timuerunt, ac ab omni
 spe & fiducia ceciderunt. Non mirum autem, quòd
 timebant, videbant enim iram Dei, tamen ignora-
 bant causam, videbant infirmitatem propriam, scie-
 bant se esse inter medios hostes, qui iam propter exci-
 sionem Iericho plus exacerbati erant. Deniq; time-
 bant occulta iudicia Dei. Hic igitur videmus, quam
 facilè homo à spe & fiducia cadat. In expugnatione
 Hiericho nihil fortius ipsis videbatur. Hic semidespe-
 rati sunt. Sic Deo auxiliante facilè audaces sumus,

DECLAMATIONES

Ioan. 15. Cùm autem faciem suam auertit, iacet omnis nostra fiducia. Quid igitur de nostris virib. præsumimus? Si ne me, inquit, nihil potestis facere. Cæterùm, non magnum signum erat, quòd pœna paucorum alij omnes didicerunt timere Deum. atque in hoc non parum meliores nobis fuerunt, qui & ipsi quotidie videmus iudicia Dei, nec tamen timemus, & c.

Iosue autem scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vsque ad vesperam.

Amos 6. Exemplum boni principis hinc videmus, qui incommoda populi primus sentit, deplorat, deprecatur. Cõtra eos, qui sua quærunt & non compatiuntur super contritione Ioseph. Scidit autem vestimenta in signum doloris. Dolet enim de amissione ouium & timet de futuris. Cæterùm non aliò recurrit, quàm ad arcam. Piorùm enim semper primum refugium est Deus, cùm interim impij nihil minus cogitent, quàm Deum, etiam si eius iudicium videant, & c. Præterea procidit in faciem. quòd enim quis coram Deo magis se humiliauerit, eò citiùs impetrabit. Qui se humiliat exaltabitur. Et cor humiliatum Deus non despicit. Ad hæc ad vesperam vsq; iacet, quo ostenditur eius perseuerantia. Nã Deus non statim exaudit. Si quis autem persuerauerit pulsans, exaudietur. Vide autem, quã piè oret. Primò enim magna fiducia Deum alloquitur. Heu, inquit Domine Deus. Et iterum: Mi Domine quid dicam? & c. quæ verba magnam fiduciam indicant. Necessè est enim vt in aduersis credas Deum esse tuum, & c. Deinde miratur quid causæ sit, quòd Deus Israhel relinquerit. Insuper periculum populo ex animo conqueritur. Audient, inquit, Chananæi. Postremò ostendit se omnium maximè quærere gloriam Dei. Quid facies, inquit, nomini tuo? Hæc est verè Christiana oratio, quæ & fidem habet & humilitatem, & quæ nõ suam tantùm, sed & proximi salutem quærat, maximè autem gloriam Dei.

Surge, quid iaces super terram?

Surgere iubet ad consolationem. Item surgere iubet ad

ad exequendum officium suum. Rectoribus enim non satis est orare, nisi & surgant, & peccata puniant. Mirum in modum autem peccatum hoc exaggerat, primo peccauerunt, inquit: Secundo preuaricati sunt patrum. Tertio acceperunt de anathemate. Quarto furati sunt. Quinto mentiti sunt. Sexto abscoderunt. En tot peccata in vno peccato concurrebant. Per hoc autem Deus ostendere voluit, quam seuerè nobiscum agere possit, imo acturus sit, si ipse cogatur nobis peccata nostra ostendere. Quanto melius est, vt nos ea confiteamur. Cæterum, nõ minus etiam grauem pœnam decernit peccatori, vt scilicet inquiratur & comburatur, quod ni fiat, omni populo minatur. Non, inquit, poteritis stare: Non ero vltra vobiscum, &c. Ideo autem tam seuerè omnia aguntur, vt discamus fugere auaritiam, & manus cõtinerere ab anathemate. Hinc enim & Christus seuerè vendentes eiecit è templo. Et Petrus maledixit Simonem magum. Insuper & Ananiam & Saphyram in spiritu Domini occidit. Anathema autem est, quicquid Deo consecratum, aut pauperibus datũ, vel legatũ est, vt sunt bona Ecclesiæ, testamenta, &c. Quis aut nõ videt omnes nos esse pollutos anathemate? Bona Ecclesiæ omnes appetimus, bona pauperum rapimus, furamur. In testamentis infideles sumus, pueros & amicos de bonis Ecclesiæ ditare cupimus sine vlla conscientia, &c. Quid autem Dominus dicit? Anathema in medio tui est. Non ero vobiscum, &c. hinc vides, vnde sit, quòd nihil prosperè contra Turcam agimus, &c.

Surgens Iosue manè applicuit Israel per tribus suas.

Non cessat pius homo, cum vidisset Dei seueritatem. Illic enim seueri esse debemus, vbi Deus iubet, cuius contrarium multi faciunt, qui in præceptis Dei negligentes, seueri tantum sunt in his, quæ Deus non præcepit. Cæterum, quibus medijs Iosue sacrilegum hunc depræhenderit, scriptura non explicat, ideò duplex est opinio. Aliqui volunt, quòd coniecturam &

DECLAMATIONES

Exo. 28.
I. Reg. 10.
Ionę 1.
Act. 1.
Jer. 23.
Matt. 25.
Soph. 1.
Matt. 13.
Apo. 21.

iudicium fumpferit ex gemmis, quæ erant in rationa-
 li summi sacerdotis, quælibet enim gēma inscriptum
 habebat nomen vnius tribus, &c. Alij volunt & me-
 lius vt videtur, quòd per sortes hoc inuestigauerit, id,
 quod & aliàs sæpè in rebus dubijs factum legimus. Sic
 enim sorte Saul electus fuit in regem israel. Sorte Io-
 nas peccasse depræhensus fuit. Sorte etiam Mathias e-
 lectus fuit. Cæterùm, idèò sancti sortibus vsi sunt, nò
 quòd sortibus confiderent, sed quia simul orabant, vt
 Deus hoc medio suam voluntatem indicaret. Et Deus
 idèò hoc permisit & confirmauit, vt populus in fide
 maneret, Deum omnia scire & disponere pro sua vo-
 luntate, &c. Verùm quocunq; eadèmodò hoc fa-
 ctum sit, certè tribus Iuda depræhensa est nobilissima,
 scilicet tribus, vnde Christus nasciturus erat. ad eò ni-
 hil tutum & immune à peccato. Nulla tam insignis
 familia, quæ non malos habeat. Hoc autem permittit
 Deus, vt nemo de progenie sua superbiat, aut alios
 contempnat. Mirum autem, quòd in tanto populo mi-
 ser ille se non potuerit occultare, vt non depræhen-
 deretur: verùm quis se à Deo abscondere potest? Non
 sortibus, sed Dei voluntate proditur. Nunquid ego
 DEVS è vicino tantùm sum, non de longè? Si oc-
 cultabitur vir, & ego non videbo eum? Putabat A-
 chan se in tanta populi multitudine non depræhen-
 dendum, & idèò etiam non pœnituit vidēs Dei iram,
 & cæt. Eadèmodò vana spes nos decipit, & in peccatis de-
 tinet, & cæt. Cæterùm, sicut Iosue hic omni studio
 peccatorem inuestigat, & ab alijs separat, sic in iudi-
 cio Christus oves separabit ab hædis; scrutabiturque
 Hierusalem in lucernis. auferetque de regno suo om-
 nia scandala, ne quicquam inquinatum intret in re-
 gnum cælorum.

Fili da gloriam Domino Deo Israel,

Exemplum pij principis, & Christiani pastoris. Nò
 vi vel tormentis exquirat peccati cōfessionem, quam-
 uis iudicio Dei sciret ipsum depræhensum. Tyranni
 igitur sunt, qui ex qualibet suspitione homines tor-
 quent,

quent, &c. Huiusmodi enim violentæ extorsiones faciunt, ut interdum miseri in se & in alios mentiantur. Imò nec duris verbis Iosue furem hunc aggreditur, nimium implens illud Pauli: Arguite in spiritu mansuetudinis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Id eò autem tam benignè eum alloquitur, ne si durè increperetur, negaret, sic quæ peccatum auerget, & iram Dei. Non simpliciter autem dicit: confitere peccatum, sed præmittit: Da gloriam Deo, id est, En fili, deprehensus es, Deus te indicauit, Deum in honorasti transgrediendo, Deum honora confitendo, hinc enim omnis populus videbit Deum esse iustum, veracem, & omniscium. Vide, quàm nihil tyrannicè agit Iosue, quàm omnia ordinat in gloriam Dei. Utinam omnes sic agerent.

Verè ego peccaui Domino Deo Israel.

Non tantùm peccatum, sed etiam grauitatem peccati confitetur, &c. Domino, inquit, peccaui, quem timere oportebat, &c. Vide autem miseriam hominum, quàm propter res leuiculas Deum offendant, qui longè maiora promisit. Videtur quidem magna esse, quæ hic furatus est, sed quid hæc sunt ad ea, quæ Deus promisit? Optima vestis est innocentia, optimæ diuitiæ sunt gratia, optimum iocale vel clinodium est fides, & cæt. Cæterùm, hæc tria maximè placent in mundo, splendor gloriæ, diuitiæ, & mundana sapiëntia, quæ per auream linguam significantur, sed cauendum ab ipsis, decipient nos & seducent, &c. Obserua hos tres gradus peccati. Vidi, inquit, concupiui, abstuli. Per sensus externos mors ingreditur in animam, inde surgit concupiscentia. Tertio sequitur opus. Custodiendi igitur sensus, &c. Hinc Iob: Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, &cæt. Et David: Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, &c. Obseruandum ex hoc loco, quòd confessio peccatorum à nobis exigitur, ut patet i. Ioannis 2. & Iac. 5. Deinde, quòd confessio peccatorum est cultus & honor Dei. Da, inquit, gloriam Deo. Vnde & sancti tam crebrò confessi sunt. Obseruandum ter-

DECLAMATIONES

tiò, quòd confessio debet esse voluntaria. sic enim Achan semel monitus, & in conscientia tactus, non expectat, donec ulterius moneatur. Secundò debet esse festina, ne differatur. sic ille statim confessus, sciebat enim iudicium suum imminere. Tertiò debet esse humilis, sic ille verè, inquit, peccaui. Quartò, debet esse pura & integra. Vnde ille dixit: Sic & sic feci. Imò palàm asserit se & oculis, & corde, & manibus, vel opere peccasse. Quintò debet se peccator subijcere pœnæ, quæ imponitur siue à Deo, siue ab homine. Imò debet gratias agere, quòd æterna pœna sibi mutata sit in temporalem & breuem pœnam. Obseruet & confessor, vt sit pater, videlicet compatiens, salutem fratris quærendo, consolando, instruendo, & si opus sit, etiam arguendo. Hæc omnia plenius vide in quarta parte sermonum de sanctis, in dominica Iudica, & cæt.

Misit autem Iosue nuncios, &c.

Quamuis Achan & sortibus depræhensus esset, & proprio ore peccatum suum confessus, nõ tamen festinat Iosue ad pœnam, sed prius omnia exquirat, vt certus sit, ne innocentem damnet. Vnde facilè liquet, ipsum non fuisse sanguinis cupidum. Sciebat, quòd etiã potestas facilè se inquinare potest humano sanguine, si gladio non rectè vtatur. Atque vtinam omnes hoc scirent: sic enim fieret, vt non tam multum sanguinis funderetur. Verùm tyranni putant sibi licere quicquid libet. Putant se posse occidere, quos volunt, hinc illa vox Pilati: Nescis quia potestatem habeo dimittere te, & crucifigere? hinc est, quòd plerique sanguinem humanum fundunt, vel ex sola libidine, vel ex ira, aut inuidia, vel ex avaritia, &c. Sic Pharaos infantes Israelitarum occidit ex inuidia. Sic Saul sacerdotes occidit ex ira, quòd Dauidẽ suscepissent hospitio. Sic Achab occidit iustum Naboth, vt vineam eius habere posset. Et Dauid Vriam, vt vxore ipsius potiretur. Sic Pilatus Christum in gratiam Iudæorum, &c. Huiusmodi non rarò contingunt apud nos. Verùm hoc est abuti gladio.

dio. Discant ergo hic principes, ne temerè homines occidant. Discant deinde, quid ipsos mouere debeat ad iustitiam exequendam, nempe non ira, non vindicta, non cupiditas, non libido, non ambitio, &c. sed præceptum Dei, & periculum populi, & timor Dei. Ideo inquam punire debent noxios, quia Deus præcepit. Potestas enim minister Dei est. Secundo propter euitandum periculū populi, ne scilicet peccata nō puniendo iram Dei super omnem populum inducant. Tertio etiam propter periculum proprium. Impiis enim parcendo Dei iram in seipsos prouocant, iuxta illud: *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius, &c.*

Rom. 13.

Iosue 1.

2. Reg. 20.

Tulit ergo Iosue Achan filium Zare, &c.

Circa hoc iudicium primo mouere aliquem posset, quòd Achan etiam confessus & contritus, tamen mortem & iram Dei euadere non potuit. hinc enim simplex quispiam colligere posset, nihil prodesse confessionem, contra ea, quæ suprà dicta sunt. Ad hoc igitur respondent aliqui, quòd forsitan non ex animo confessus fuit, sed ex necessitate & timore, non enim quælibet cōfessio prodest. Alij volunt, quòd ideo mortem non euasit, quia nimis serò confessus fuit, post plagā scilicet populi, & post sententiam latam, tunc enim nō prodest amplius confessio. Communiter tamen tenetur, quòd benè confessus fuit, & etiam gratiā Dei meruit, nec obstat, quòd occisus fuit corporaliter. Peccator enim duplici pœna obnoxius est, tēporali scilicet & æterna, corporali & spiritali. Verè autem pœnitentibus Deus remittit pœnam æternam. atq; huc pertinet, quod dicitur: *Si pœnitentiam egerit, &c. omnium iniquitatum eius nō recordabor.* Nolo enim mortem peccatoris, &c. Temporalem aut pœnam non semper remittit Deus: quæadmodū patet in Dauide & latrone, quos à peccato quidē & damnatione absoluit: sed nō à pœna tēporali. Idē contigit huic Achan. Nam pœna tēporalis remisso peccato non obest, sed prodest, tum ei, qui patitur, tum alijs. Nam & ipse per hoc peccata expiat,

Ezech. 18.

2. Reg. 12.

Lucz 23.

DECLAMATIONES.

expiat, & alijs terror incutitur. Non igitur putes ideo
 confessionem nihil profuisse, quòd hic mortem cor-
 poralem non euasit. Facile toleratur temporalis pœ-
 na, ubi æterna remissa est. Deinde circa hoc iudicium
 etiam illud offendere posset, quòd nedum Achan, sed
 etiam filij eius occiduntur, cum scriptum sit: Non oc-
 cidentur patres pro filijs, nec contra. Qui peccauerit,
 ipse moriatur. Verùm hæc auctoritas intelligitur de
 pœna æterna, qua nunquam filij pro peccatis paren-
 tum puniuntur. Pœna autem temporalis sæpè filij pro
 parentum peccatis, &c. puniuntur, maximè si ipsos in-
 malis imitètur, vt patet de Ophni & Phinees filijs He-
 li, &c. Hic autem fieri potuit, quòd filij Achan patri in
 peccato consenserunt, sicq; iustè cum ipso puniti sunt,
 vel si propter ipsum puniti sunt, tantùm temporalis
 pœna fuit, quam Deus iustè ab omnibus exigere po-
 test, quandoquidem omnes sumus peccatores, & mor-
 ti obnoxij. Nemo igitur dicere potest, viam Domini
 non esse æquam. Iustus Dominus, & rectum iudicium
 eius etiam si non semper nobis videtur. De hoc autem
 maximè quis mirari posset, quòd etiam oues & peco-
 ra, imò & tabernaculum, & suppellex cum ipso Achan
 comburuntur, quid enim bruta animalia, imò res in-
 sensibiles peccare potuerunt? Verùm per hoc De⁹ vo-
 luit incutere terrorem populo. In principio enim ne-
 cessarius erat rigor pœnæ, vt discerent timere. hinc &
 in exordio Petrus admodum seuerè puniuit Ananiã,
 & Paulus Corinthium fornicatorem. Deinde idè fa-
 ctum est, vt videamus pernitiè peccati, propter quod
 etiã bruta & inanimata pati coguntur. Maximè autè
 hic ostendere voluit Deus grauitatem sacrilegij. Puta-
 bat Achan furtum illud sibi in magnum commodum
 cessurum, verùm nunc longè alia inuenit. Obserua igi-
 tur hic, quantum damnum afferat sacrilegia, rapinæ,
 furta, & quæcunque res alienæ inuito Domino reten-
 tæ. Primò enim omnes participantes pariter inuol-
 uunt, nec solùm damnant eum, qui rapit, sed etiã eos,
 ad quos talia bona perueniunt, Vnde Abacuc: Vc. qui
congre-

Ezech. 18.

1. Reg. 4.

Ezech. 18.

Act. 5.

1. Cor. 5.

Abac. 2.

congregat avaritiam malam domui suæ, &c. Cogitasti, inquit, ruinam domus tuæ. Secundò etiam alias diuitias nostras deuorant, id quod re ipsa experimur in nobis, qui non cessamus spoliare Ecclesias, &c. fraudare pauperes, negare mercedem mercenarijs, &c. & tamen nihilo plus habemus: imò quod priùs habuimus, perdimus. Tertio iram Dei & infortunia tam nobis, quàm nostris conciliamus. Sic Heliòdorus, Antiochus, Pompeus, Crassus, &c. post spoliatum templum omnia mala incurrerunt. Hoc etiam gentiles sciebāt, hinc Romani sæpius è templis ablata restituebant, & interdum in duplo. Soli nos rebus alienis, rapinis & sacrilegijs sine timore nos maculamus. Quid autem peius & tibi & filijs tuis facere posses? Terreat igitur nos hoc iudicium, vt à rebus alienis, & maximè à sacrilegijs abstinemus. Ob hanc causam Iosue cum Israelitis acerum lapidum congregauerunt super occisos, imò & locum, in quo hæc facta sunt, vallem Achor nominauerunt, nimirum ad perpetuam posterorum memoriam & admonitionem, vt hinc discerent timere, & abstinere à sacrilegijs &c. In fine autem addit Iosue, quòd iudicio completo auersa fuit ira Dei ab Israel, vt certò sciamus Dei iram prouocari in omnem populum, si impios inter se impunè tolerant, id quod & suprà dictum est. Auferendum igitur malum è medio nostri &c.

CAPVT VIII.

In hoc capite duo comprehenduntur, quorum vtrūque & in litera & in mysterio magna nobis ingerit. Primū est expugnatio ciuitatis HAI. Secundum constructio altaris &c. Quam diu Israelitæ sacrilegio inquinati erāt, nihil poterant contra inimicos. Nunc autem post expurgatum peccatum iterum prævalent, vt videamus tunc nos fortes esse, cum pietati studemus; imbecilles autem, cum in peccatis iacemus. Cæterum, quia totus Israel

DECLAMATIONES

Israel in causa ipsius Achan territum fuerat, incipit Deus de nouo consolari, maximè ipsum ducem. Noli timere inquit. Verè bonus Deus, qui sine consolatione non sinit suos agere. Hoc idem nos quoque experimur. Vnde meritò cum Paulo exclamare deberemus: *Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, &c.*

2. Cor. 1.

Surrexit Iosue & omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderet in Hai.

Hic videmus, quomodo Iosue hostes aggreditur, primò enim apertè in bellum procedit, Secundo autem etiam ponit insidias: vtrunque autem iussus à Domino. Ideò autem insidias ponere iubetur Israelitæ: primò, vt discerent non præsumere de proprijs viribus, quæ prius fecerant; Deinde vt hostes de nouo terrentur, videntes quòd non tantùm Deus cum Israelitis esset, sed quòd etiam bellandi peritiam haberent. Sic vndique terrentur impij. Cæterum quòd Iosue hic facit, etiam nobis faciendum est, cum contra diabolum pugnare volumus. Primò necesse est, vt non simus præsumptuosi, ne nobis contingat quòd Petro contigit. Secundò oportet, vt prius fidem & spem, imò robur & fortitudinem colligamus è verbo Dei. Tertiò necesse est, vt simul omnes pugnemus. Frater enim qui adiuuatur à fratre tanquam ciuitas firma est. Quartò oportet etiam insidias ponere, *hinderhut*, hoc est, Christum assumere & in ipso confidere: Sine ipso enim nihil agimus contra diabolum. Cæterum quòd aliqui hic questionem mouent, num liceat insidijs vti in bello, facilis patet responsio: Si bellum iustum est, nihil refert quomodo hostem vincas apertè vel ex insidijs, dummodò tamen non mentiaris, nec fidem aut promissa frangas. In bello autem iniusto non licet. Imò tunc ne bellare quidem licet. In alijs autem negotijs attendendum illud Christi: Ne fraudem feceris. Bellum autem iustum est, cum Deus præcipit, cum iusta causa fit, cum bona intentione fit. Iniusta bella sunt, quæ libido dominandi, inuidia, cupido vindictæ, aut auaritia excitat,

Matt. 16.

Prov.

Matt. 19.

&c.

&c. Hæc nihil aliud sunt, quã latrocinia. Cæterũ Iosue iustũ habebat bellũ, idẽd q̃ ipse insidijs vtitur cõtra hostes, non patrocinator nostris fallacijs, mendacijs, &c.

Iosue autem nocte illa in medio populi mansit.

Exemplũ boni principis hĩc vides, primò quod Iosue cũ populo p̃cedit ad bellum, nõ alios periculo obijcit, ipse sibi cauet quemadmodum nostri principes. Secundò m̃sit in medio populi, hoc enim maximè necessariũ est in necessitate. Pastor veniente lupo nõ fugere debet. Tertio accipit secũ non leues & voluptuosos homines, sed bellatores. Principes secum habere debent homines vtiles. Quarto stetit in valle, humilitatis scilicet. Quintò leuauit clypeũ suum tã diu, donec hostes vinceretur. Clypeus noster fides est, quo excipimus tela inimici. &c. Vel clypeus crux Christi est, hæc e. leuet pastor, &c. His medijs vincitur diabolus & mũdus. Ioann. 10.
Ephes. 6.
1. Ioan. 5.
 Hæc, inquit, est victõria, q̃ vincit mũdũ, fides nostra.

Quod cum vidisset rex Hai, festinauit manẽ, &c.

Satis monitus erat, sed tamen perseuerat in malitia. Prosperitas præterita eum decipiebat. q̃a enim semel Israelitas vicerat, putabat etiam nunc omnia prosperè successura. Sic mundi prosperitas nos decipit, securos reddit, in peccatis retinet, donec iudicium Dei securos opprimat. Cum dixerint, inquit, pax & securitas, tunc 1. Thess. 5.
 repentinus eis superueniet interitus. Sic viri ciuitatis huius satis securè & audacter erumpebant, cũ autem se verterent, vident ciuitatẽ captam & succensam, vident hostes à tergo sequi, & eos, quos ipsi fugauerant, redire in prælium, sicq; ex omni parte cæduntur, nec vllum effugium habent. Iridẽ continget impijs in iudicio. Videbunt ciuitatem suam, id est, mũdum ardere. Videbunt à tergo insidias dæmonum consurgere, quos modò non vident. Videbunt item à fronte omnes creaturas contra ipsos stare, & maximè sanctos, Sap. 9.
 quos persecuti sunt. Stabunt (inquit) iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt.

Suspendit regem in patibulo vsque ad vesperam & solis occasum.

Ad terrorem aliorum, & vt sciamus potentes impios

DECLAMATIONES

cap. 6.

pios potenter tormenta passuros. Præterea etiam hoc fecit ad consolationem Israelitarum, ut magis conspicuò viderent Dei auxilium ipsis adfuisse. Ad vesperam tamen eum iterum deponit, nec in cadauer seuit ulterius quemadmodum tyranni faciunt, sed agnoscit etiam in nocte communionem naturæ. Sic nobis faciendum.

ALLEGORIA.

Iosue Christum significat, is pugnavit contra diabolum, & quidem aperte cum ipsum ex obsessis eiecit. Idem Christus simulavit fugam, & insidijs usus est. Fugit enim in Aegyptum, fugit Iudæos, permisit se capi, ligari, crucifigi, verum in insidijs habebat deitatem suam, quam diabolus non videbat. Itaque cum diabolus totis viribus impugnaret Christi humanitatem in cruce, interim deitas ipsius infernum destruxit & spoliavit, & cum diabolus hoc sentiens vellet obstere, interim etiam corpus Christi perdidit è sepulchro. Sicque undique victus & impugnatus à diuinitate & humanitate Christi occubuit. Deo gloria.

Tunc ædificauit Iosue altare Domino Deo Israel.

Matt. 6.

Inter tot & tam ingentia bella non obliuiscitur præceptorum, quæ Moyses dederat, quin omnibus commissis, hoc vnum curat ad exemplum omnium nostrum. Primò enim quærendum regnum Dei, & tunc alijs intendendum. Nos præceptum Dei vel negligimus vel differimus ob res leuiculas, idè nihil prosperum habemus. Altare autè ædificauit duplici de causa, primò ad gratiarum actionem. sic enim & alias cõstituit facere edoctus exemplo sanctorum patrum Abrahamæ, Isaac, Iacob, & Mosi, &c. Secundò altare ædificauit, ut legi satisfaceret. Sic enim in lege præceptum fuit: ut cum ad montem Garzim venissent, altare ædificarent, &c.

Deut. 27.

Exod. 20.

Ædificat autem altare de lapidibus non politis, sic enim Deus præceperat. Deinde ut non gentilibus assimilaretur, qui tantum decorem altarium attendebat, non fidem & deuotionem, quemadmodum & plerique nostrum

nostrum. Iosue aut sciebat Deum primò omnium respicere fidē, quæ si assistit, placet cultus etiam si in speciem non sit decorus. Si autē deest fides, nihil placere potest etiam si omnia aurea sint. Docet igitur hic textus, vt pium cultum Deo exhibeamus, nō Pharisæicū aut gentilem. Externa ornamenta idēo adhibentur in signum quòd agnoscimus & confitemur Deum omni honore dignum, & quomodo nunquā satis honorare possimus, etiā si omnia ei offeramus & nos & nostra. Deinde, vt alij ex hoc inducātur ad amorē diuini cultus. Ob hæc & similia adhibentur externa altarium & templorum ornamenta. Ex seipsis autem Deo non placent, nisi adsit fides, &c.

Scriptis super lapides Deuteronomium.

Sic enim Moyses præceperat. Deinde necessarium erat vt lex eis semper ob oculos obuersaretur, quia ea conditione promissa eis fuit terra illa, si legem obseruarent. quòd si legem contemnerent, iam Deus nihil illis debebat, sed iustè poterat tertiam datam eis auferre, quàm sub conditione illis dederat. Videmus hinc cōditionatas fuisse promissiones, quemadmodum & nunc quoque. Sic enim dicit Christus: Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, &c. Cæterū, quòd Iosue tam diligenter obseruat & implet quæ Moyses instituerat, nos docere debet, vt obseruemus bonas ordinationes patrum. Vide autem quanta solennitate Iosue hoc adimpleat, Primò omnem populum conuocat. Secundò ipsos in duas partes diuidit, vt ostendatur in populo etiam Dei nō omnes bonos esse. Tertio benedicit populū, id est, benè precatur, quòd est boni principis officium. Quarto legit benedictiones, & maledictiones, sicut ipsi præceptum fuerat. Nō benedictiones tantum, quemadmodū faciunt pseudoeuangelitæ, sed etiam maledictiones. Itidem fecerunt Prophetæ, Apostoli, imò Christus ipse, qui quātumuis læta prædicaret, interdum tamen & Væ illud horrendū impijs intonabat, &c.

ALLEGORIA.

A a a

Christus

Christus post resurrectionem ædificauit altare, imò templum suum, id est, Ecclesiam, ex lapidibus impositis, id est, ex Apostolis rudibus & indoctis. 1. Corinth. 1. vel ex gentibus prius impositis, id est, varijs peccatis obnoxijs. Deinde inscripsit huiusmodi lapidibus, cum Apostolis interpretaretur scripturas: Maxime aut cū daret spiritū. S. Præterea benedixit suos, cū dixit: pax vobis. Item cū ascenderet in cælū. Postremo simul benedictiones & maledictiones pronunciauit, cū diceret: Qui crediderit & baptisatus fuerit saluus erit: Qui nō crediderit cōdēnabitur, &c.

Ioan. 20.

Luc. 24.

CAPVT IX.

Matt. 16.

IN hoc capite duo genera hominum videmus, quorū aliqui contra Iosue pugnant, alij se spontè eidem subiiciunt. Hæc duo genera semper fuerunt in mūdo, & adhuc sunt, boni scilicet & mali. Vtrique quod possunt faciunt. Verū finaliter sic fit, quod his melius succedit, qui Deo se subiiciunt, quemadmodū in hac historia videmus.

Quibus auditis cuncti reges, &c. congregati sunt.

Mira & horrenda excæcatio quod nondum agnoscunt manum Dei, sed perseuerant in malo, nec solū simplices, sed reges, nec vnus solus, sed omnes, nec ex ignorantia, sed cū audissent, inquit, &c. Si enim nō audissent, peccatum tam grauem non haberent, hoc est, iudicium Dei super impios magistratus, q̄ excæcatur. Ceterū, quod hi reges tam pertinaciter obsistūt, primò fecit innata prauitas cordis humani quod Deū non curat, non credit promissis, nec minus terretur, id quod pulchrè Dauid in 13. Psalm. describit: Dixit, inquit, insipiens in corde suo, non est Deus, &c. Secūdo reges hos tam efferatos fecit prosperitas temporalis, & amor terrenorum, propter quæ sic in rabiē efferati fuerunt. timebant enim, ne meliores ipsis substituerentur. Maxime tamen eos vrgebat iudicium Dei. Tēpus erat, quo puniri debebant. Terra eos amplius

Psalm. 13.

plius ferre non poterat. impleuerant mensuram peccatorum suorū. Ideò infra diceretur quod sententia Domini fuit, vt indurarentur & simul perirent. Verè terribile iudicium maximè quo ad nos qui multa vidimus & audiimus, & tamē permanemus in peccatis, &c. Imò proteruè contra Christum agimus nunc blasphemando, nunc præcepta eius contēnendo, nunc etiam mēbra ipsius persequendo. idq; non vnus & alter facit, sed omnes certatim: vt meritò timendum sit, ne & in nos sententia Dei iam olim lata sit. Quare attendamus hos reges non quomodo pertinaciam ostenderint, sed quomodo finem acceperint, &c.

Gabaonitæ autem, &c.

Hi longè aliter agunt, quā priores, imò omninò cōtrarium. Sicut autē illos sine dubio diabolus impulit ad resistendum Israelitis, sic hos indubiè induxit spiritus sanctus ad subiectionem ipsius Iosue. Vbi videmus Dei misericordiā, quòd nullum populum ex toto abiecit, sed ad minus aliquos inde saluauit, vt patet de Hiericho, &c. Item q̄ nunquam tam iratus fuit, quin Act. 10. pœnitentibus misericordiā præstiterit. Atq; hoc est q̄ Petrus dicit: In veritate cōperi quod non est acceptor personarum Deus, &c. Vide autē quid faciant Gabaonitæ. Primò, audito iudicio Dei timent. Timor enim initium est verè sapientiæ. Deinde, consultant, num pax an bellum melius esset, & consentiunt in pacem. Tertio, consultant, quib. medijs pacē inueniant. Quarto, non confidunt in fortitudine murorum. Quintò, quamuis scirent iudicium Dei latum super ipsos, nō tamen desperant de venia. Sextò, nō expectant donec ciuitas ipsorū impugnetur, sed præueniunt. Septimò, quia non audebant fateri qui essent q̄ dolum prætendunt. nec tamen quemquam offendat quòd mendacis vsi sunt, quia pagani fuerunt. Non ipsorum mendacio in exemplum nobis proponuntur, sed prouidentia & desiderium salutis, quemadmodum & in villico Luc. 16. iniquo, &c. Octauò, seruos Israelis se pronunciant: vt viuere possint. Nonò, dicunt se in nomine Domini.

DECLAMATIONES

venisse, vbi videmus quòd non rātūm timor, sed fides ipsos adduxit. Hinc discamus Christiani verū pietatis studium, ne gentilibus deteriores inueniamur, &c. Allegoricè, Christo resurgente & per Euangelium se mūdo manifestante, quidam ipsi repugnāunt, vt Iudæi & Romani principes. Alij autem se ipsi subiecerunt, vt electi in toto mūdo dispersi: Inter quos & patres nostri fuerunt, & nos sumus. Cæterū nihilo meliores & ornatiores venimus ad Christū, quàm hi Gabaonitæ. omnia vestimenta nostra vetera & conscissa erant, panis durus, vtres veteres, &c. Peccatores & damnati ad Christum venimus, & tamen benignè suscepti. Quantumcunque enim sententia lata est in peccatores, si ad Christum veneris, iudicium euades. Nec quemquam Christus eijcit, imò quos ipse suscipit etiam Deus suscipit in gratiam. Omne enim iudicium dedit filio. Talem ducem nos habemus.

Post tres dies cognouerunt, quod propè, &c.

Hic dolus detegitur, vbi primò videmus populi inconstantiam, qui allecti pulchritudine ciuitatum volebant fœdus rumpere, quantumuis per nomen Dei iurassent, proprium commodum diuinæ gloriæ præponētes. Huiusmodi homines & nos sumus, facillimè per nomen sanctum Dei & inconsultè iurātes, postea autem leuissimè & turpiter promissa frangentes, etiā leui de causa, propter paruum lucrum, quod certò cedit in ignominia Dei, cū paruum lucrum ipsius gloriæ & nomini præponimus. Quis autem non videt quanta nunc periuria & quam facillè fiant? Vt verè de nobis dici possit illud propheticum: Nō est veritas, nō est sciētia Dei in terra. Itē: Veritas in plateis corruit. Item: Quomodo facta est meretrix ciuitas sancta & fidelis? Et verè mirum, q̄ iuramenta tam parui æstimēt Christiani, cū gentiles tanta religione iuramenta obseruauerint, &c. Interim nemo cogitat, quòd Deus insonem habere non vult nec impunem, qui nomen eius in vanum sumit. Discamus hic non temerè iurare. Deinde q̄ semel per nomen Dei iurauimus, nullor

respe.

Ioan. 1.

Osee 4.
Isa. 59.
Isa. 1.

Exod. 20.

respectu commodi nostri soluere aut frangere. Cuius exemplum in Iosue habemus.

Iurauimus ei, in nomine Domini Dei Israel, & idcirco non possumus, &c.

Hoc, inquam, exemplū attendamus. Non tenebatur Iosue his fidem seruare, quia cum deceperant. ob reuerentiam tamen nominis Dei, per quod iurauerat, fidem seruat cum magno suo incōmodo. Nā quatuor illas ciuitates optimo iure sibi vendicare poterat & bona deripere. nihil tamen horum facit, leuius existimās damnum quatuor ciuitates amittere, quā committere vt nomen Dei blasphemaretur inter gentes, quod factum fuisset, si primum pactum cū gentibus soluisset. Optum virum. O impios nos, qui nomen & gloriā Dei tam parui estimamus, nihil igitur aliud Iosue hic quaesuit, nisi gloriā Dei, & quamuis Deus iussisset omnes habitatores terræ Chanaan exterminari, nec cum quoquam fœdus inire, sciebat tamen Iosue hoc de obstinatis potissimè dictum, nō de pœnitentibus & conuersis: sciebat Deum pœnitētibus parcere, idē nō dubitauit se rectē in hoc, facere, quōd Gabaonitas pœnitentes suscepisset, &c.

Quare decepistis nos?

Quantumuis fœdus inītū infringere nollet, ipsos tamen arguit verbis, & etiam temporali pœna punit. Imō maledicit eos, non quo ad animā (hoc enim non Iesus, sed Moyses facit) sed tantū quo ad corpus sic enim & Christus vitam quidem promittit suis, sed interim crucem imponit corpori. Hæc crux maledictum quidem videtur, sed non est, maximè pijs, imō summa benedictio est & vtilissima res. Sic Gabaonitis illis videbatur quidem seruitus illa maledictio esse, sed non erat. Seruire enim cultui Dei & populo Dei summa benedictio est. In hac igitur seruitute Gabaonitæ perstiterunt vsque ad Babylonicam captiuitatem, dicti Nathinæi, & cæter. Cæterū idē eis hanc seruitutem iniungit, vt scirent se non æquo fœdere Israeliis iunctos, sed tantū ex gratia, cū occidi potuissent.

DECLAMATIONES

Rom. ii. Eadem conditione & nos recepti sumus ex gentibus. Nihil nobis debebat Deus, quia tamen Iesus nobis vitam donauit, etiam Deus hoc ratum habet, ita tamen ut agnoscamus nos non fuisse à bona radice, cui debebatur gratia ex promisso, sed ex olcastro in bonam oliuam, idque ex mera gratia. Item ut seruiamus ad cultum Dei & fratrum. Vnde Paulus: Empti estis precio magno, glorificate, &c. his conditionibus recepti sumus, &c.

Nos serui tui audiuius, &c.

2. Reg. 21. Perstant in cœpta humilitate. hæc enim maximè valet in negotio salutis. Allegant se timore Dei ductos hoc fecisse. Qui tamen si esset timor seruilis, ipsis tamen profuit, quemadmodum & impio Achab regi Israel. Postremò se submitunt voluntati ipsius Iosue, ut faceret quod bonum ipsi videretur: quibus rebus eum maximè mouerunt, ut fidem illis seruaret. Discamus & nos quomodo cum Iesu nostro agamus, humiliemus nos, ac voluntati eius nos subiciamus, &c. Sic enim non reijciet nos, &c.

CAPVT X.



**Rom. 11.
Ephes. 3.**

Hactenus audiuius qua industria Gabaonitæ in societatem Israelitarum peruenerint. Vbi interim notandum, quòd tria genera hominum Iosue sub se habuit. Primi erant Israelitæ. Secundi erant Rachab & cognati eius, qui recepti erant in societatem Israel, & quidem æquo fœdere. Tertij erant Gabaonitæ, qui viuere quidem permissi sunt, sed tamen seruire coacti. Sic Christus in Ecclesia tria genera hominum habet: Primi sunt, qui ex Israel electi & vocati sunt. Secundi, qui ex gentibus in bonam oliuam inserti sunt, participes & cohæredes effecti. Tertij sunt, qui ex Iudæis & gentibus in Ecclesia sunt nomine tantum, seruiunt alijs verbo & doctrina & alijs, seipsos aut negligunt, manent in pristinis peccatis suis, &c. hi permittuntur quidem viuere,

uere, sed non assumuntur in foedus. Accipiunt mercedem suam hic, nihil habituri in futuro. Miserrimi scilicet homines, qui propter temporalia tantum in Ecclesia laborant, cum possent simul habere & æterna. Nunc igitur in hoc capite Iosue tertium cum hostibus congregatur, vincit, occidit in figuram Christi, qui solus omnem contrariam potestatem deijcere potest. Coram illo, inquit, procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Vnde & veteres magnis precibus aduentum & regnum eius flagitabant. Deus, inquit, iudicium tuum regi da, &c. ut iudicet pauperes & humiliet calumniatorem, &c. Et iterum: Speciosus forma præ filiis hominum. Intende prosperè, procede & regna. Accingere gladio super femur tuum o potentissime, &c. Et iterum: o Domine saluum me fac, o Domine benè prosperare, &c.

Psal. 71.

Psal. 44.

Psal. 117.

Quæ cū audisset Adonisedec rex Israellem, &c.

Primo nominantur hostes populi Dei, qui auditis tot victorijs, imò miraculis Dei, adhuc tamen insanunt contra Deum. Reges erant, huiusmodi enim homines inflati sua potentia non agnoscunt se homines esse, putant neminem sibi resistere posse aut debere, quemadmodum Pharaos: Quis est Dominus, ut audiam eum? Et Nabuchodonosor. Quis est Deus qui vos liberare possit de manu mea? Sic excæcat & inflat mundana potentia, qua tamen nihil infirmius est. Unde de Psalm. Ego, inquit, dixi dii estis, sed tamen sicut homines moriemini. Cæterum hi reges iam dudum mortem & exterminium meruerant: Nunc tamē nouum addunt peccatum. Prius impij fuerant in Deum, nunc iniuste eos opprimere volunt qui Deo se dediderant: quid igitur mirum quòd exterminantur? Sic plerique mirantur iudiciorum Dei grauitatem, interim tamen non attendunt peccatorum nostrorum multiplici-
tatem. quod si attenderent, dicerēt cum Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Et cum Michea: Iram Domini portabo quia peccaui ei. Et cum Daniele: Tibi Domine iustitia, nobis autem

Psal. 118.

Mich. 7.

Dan. 9.

DECLAMATIONES

Thren. 3. confusio. Et cum Hieremia: Misericordiæ Domini non consumpti sumus. Obseruandum quòd Adonisedek rex Hierusalem primus nominatur inter hostes populi Dei. Adonisedek Dominus iustitię. Hierusalem visio pacis. Optimū nomen habebat rex ille, sed huic nomini non conueniebat vita. Significat igitur eos, qui in Ecclesia magnos titulos præferunt, gaudent nominari sanctissimi, illustres. Christianissimi, &c. cum nihil minus sint. Atque hi vt plurimum maximus hostes Ecclesiæ sunt, qui Ecclesiam primi fouere deberēt, &c.

Matt. 26. Obseruandum & hoc, quòd qui primi bellum concitant, postea miserè pereunt. Sic qui accipit gladium, gladio peribit. Obseruandum & hoc, quòd non alio nomine Gabaonitas oppugnant, quàm quòd societatem cum Israele contraxerant. Sic qui à mūdo ad Deū se conuertunt, novos hostes acquirunt, dæmones scilicet & malos homines. Omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. Quamdiu mundo similis es, diligit te mundus: cum autem incipis diligere veritatem, iustitiam, &c. odium incurris. hinc Apostolis dicitur: Si de mūdo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, &c.

2. Tim. 3. licet & malos homines. Omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. Quamdiu mundo similis es, diligit te mundus: cum autem incipis diligere veritatem, iustitiam, &c. odium incurris. hinc Apostolis dicitur: Si de mūdo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, &c.

Ioan. 15,

Habitatores autem Gabaon miserunt ad Iosue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam.

Psal. 72, Magnam & firmam habebant ciuitatem, plus tamē in auxilio ipsius Iosue, quàm in proprijs viribus, confidebant. Nihil tam firmum in mundo cui inniti debeamus. Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meā. Docemur hic in aduersis nūcios mittere ad Iesum nostrū pro auxilio. Sine ipso enim nihil possumus facere. Nuncij nostri sunt boni angeli, qui orationes nostras ad Deum perferūt, vt patet Thob. 12, & Apoc. 8. Vel nuncij nostri sunt orationes. Oratio enim sursum ascendit sicut fumus incensi. vt Dauid ait. imò etiā nubes penetrat vt Sap. dicit. Hunc nunciū pius homo semper in procinctu habet, imò semper in itinere. Semper enim dicit cū Michæa: Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum

Ioan. 15.

Psal. 140,

Ecccl. 35.

Mich. 7.

Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum

Deum saluatorem meum, audiet me Dominus. Et cū Psal. 17.
 Dauide: Dominus firmamentum meum, & refugium
 meum, &c. Sic fecit Dauid, cū diceret: Ad Deū cū psal. 119.
 tribularer, clamaui, &c. Sic Israelitæ in Aegypto. Sic
 Daniel. Sic Ezechias. Sic Susanna, &c. Semper ad ora-
 tionem habuerunt refugium in aduersis, &c.

*Ascendis Iosue de Galgalis, & omnis exercitus bellato-
 rum cum eo.*

Non differt Iosue, hoc enim & nomen eius exige-
 bat & data fides. Iosue enim saluatorem significat, nec
 humilitatem & indignitatē eorum attendit, sed hoc
 tantum, quid sese deceat. Mysticè, Iesus noster inuoca-
 tus statim adest laborantibus, & periclitantibus, etiā si
 humilis conditionis sint. Non enim attendit, quales
 fuimus aut simus, sed quanta fide eum inuocemus, id,
 quod manifestè patet in leproso, in cēturione, in Cha. Matt. 8. &
 nanæa, &c. Hinc Sapiens: Qui timetis Deum, credite 15.
 illi, &c. Quis enim vnquam sperauit in Deum, & dere Eccl. 2.
 lictus est? &c. Hinc facilè videmus, quæ sit causa, quòd
 hostes nostri nunc ita præualent, &c. nempè, quòd nō
 mittimus nuncios ad Iesum, &c.

Irruit itaque Iosue super eos repente, &c.

Impijs semper inopinatò superueniunt mala, quia
 præsentibus excæcati futura non prospiciunt. Vnde
 Paulus: Cū dixerint: pax & securitas, tunc repētinus
 eis superueniet interitus. Exemplo sint Pharao, Nabu. 1. Theſ. 5.
 chodonosor, Sennacherib, Balthasar, &c. Et noster Ie-
 sus inopinatò veniet. Nescitis, inquit, qua hora filius
 hominis veniet, serò, an media nocte, an galli cantu, Lucæ 12.
 an manè. Vigilate itaque, &c.

Sol contra Gabaon ne mouearis, &c.

Hic nouum quid & insolitum audimus, cuius simi-
 le nunquam in scriptura reperies. Et primò quidem
 præsumptuosum videtur, quòd Iosue ausus fuit soli
 præcipere, quòd nullus sanctorum vnquā attemptaue-
 rat. Deinde etiā stultū videtur, quòd alloquitur crea-
 turas inanimatas, quæ audire non possunt. Reuera aut
 nō fuit præsumptio, multò minus stultitia, sed magna

DECLAMATIONES

fides & ardens zelus pro gloria Dei. Cùm enim videret Deum è cælo pugnare contra impios, non potuit se continere, quin maius aliquod signum peteret, quo scilicet clarius Dei potentia omnibus manifestaretur, vnum hoc quærebat sanctus hic, &c. Est autem sensus verborum, q. d. Gratias ago tibi Domine Deus, qui ita ostendis potentiam tuam, vtinam totus mundus hæc tuam potentiam videret. Sol consiste & sta. sine Deum suum opus perficere, vt omnes eum timeant, &c. Ex his videmus, quòd non ex præsumptione, nec ad propriam gloriam hoc dixit, sed tantùm ad gloriam Dei. Similem zelum aliqui ex Apostolis ostendere volebāt, verùm magis affectus erat carnalis, quàm zelus. Vis, **Lucæ 9.** inquit, dicimus, vt descendat ignis de cælo? &c. At Christus prohibens, Nescitis, inquit, cui⁹ spiritus estis. Heliam autem non prohibuit. Is enim vero zelo ducebarur propter contemptum Dei & veri cultus. Sicut igitur spiritus instigabat Heliam, vt diceret: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, &c. sic idem spiritus instigauit Iosue, vt hæc diceret. Cùm enim Deus vult exaudire, instigat ad petendum. Nec stultitia iudicanda est, q̄ creaturas inanimatas alloquitur. Imò summa sapientia erat. Sciebat enim omnia Deo obedire, etiam insensata. Sic nos quotidie creaturas alloquimur. Laudate Dominum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen, per hoc enim nos ipsos inuitamus ad laudem Dei, &c.

Steteruntque sol & luna, donec vlcisceretur segens de inimicis suis.

Mira res, sed admodum consolatoria, hinc enim videmus, quòd obedientibus Deo nedum creaturæ, sed etiam Deus ipse, obediunt. Voluntatem, inquit, timentium se faciet, &c. Deinde videmus, quantum possit fides. Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: tollere, & mittere in mari, & fiet. **Psal. 146.** Omnia enim possibilis credenti sunt. Vnde & Paulus confidenter: Omnia possum in eo, qui me confortat. **Matt. 17.** Videmus tertio, quòd oratio vera nihil non impetrat apud

apud Deum quantumcunque arduum sit, vt vera sit promissio de exauditione orationum, Ioan. 16. & 26. Mysticè, vbi Iesus noster est, ibi lux & dies est, quæ nunquam deficit. Nouit Christus noster diem prolongare cum salutis tēpus est, vt hic. Nouit etiam tempus breuiare, vbi periculum imminet. Vnde in euāgelio propter electos, inquit, breuiabuntur dies illi. Vides igitur, quā tutum sit sub Iesu militare, &c. Videmus etiam hic, quòd Deus est Dominus astrorum, qui ea potest conuertere, vel ad salutem, vel perniciem hominum. Non igitur astra, sed Deus timendus. A signis cæli nolite metuere. Videmus item, quòd etiam pij dominantur astris. Solent astrologi dicere: Sapiēs dominabitur astris. Verius autem est de pijs hominibus, id, quòd hic videm⁹. Nec mirum. Qui enim Deum habet, huic omnes creaturæ obediunt, & contrā.

Matt. 24.

Egerunt autem quinque reges.

Qui pri⁹ adeo superbe exierant, nunc adeò timidi sunt, vt nedum fugiant, sed etiam se abscondāt. Sic iudicium Dei facile impiorum superbiam frangit, quæ admodum & in Pharaone, Manasse & alijs videmus.

Mysticè aut, cum Iesus se iudicem ostendere cœperit, omnes impij dicēt montibus, cadite super nos, & abscondite ab ira agni, &c. Ad eundē terrorem diuini iudicij pertinet, quòd Iosue populo præcipit, ne cessent persequi hostes, nec permittant ipsos ciuitates intrare. Sic impijs omnis fuga præpedietur. Non erit fuga eis. Velox non effugiet, &c. Sic & terrorem iudicij ostendit, q̄ reges, quantumuis se absconderant, tamen coguntur exire, et si in terram te abstruseris, inde te retraham, ait Dominus. Denique & hoc terribile est, q̄ colla regū pedibus calcat, quo significatur omnimoda oppressio impiorum. quāuis Iosue hoc potissimū fecerit ad consolationem & confortationē populi, vt hinc discerēt Deum fortiorē hominibus quibuscunq; esse, sicq; non homines, sed Deum timerent. Insuper terribile malis principibus esse debet, q̄ Iosue nedum hos reges pedibus calcat, sed etiam occidit & suspendit.

Apo. 6.

Amos 2.

Amos 9.

Iudicium

DECLAMATIONES

- Sap. 6.** Iudicium enim durissimum his, qui præsumunt. Postremo omnium maximè terrificum est, quòd Iosue post occisionem regum omnes ciuitates eorum vastat, omnes homines occidit, &c. Sic enim & reliquæ impiorum interibunt. Et super quem ceciderit lapis, cõmīnuet eum. Sic igitur vides, qualis Iesus noster sit & in bonos & in malos. Si permanseris in populo Dei, habebis propugnatorem fidissimum & fortissimum. Sin autem, habebis iudicem districtissimum. Elige igitur, quòd vis. Ad literam docent hæ victoriæ Israelitarum, quòd non est sapientia, non est prudentia, nec consilium contra Dominum. Et quòd Dei voluntati nemo resistere potest. Quòd enim ipse decreuit, quis poterit infringere? Timeamus igitur Deum, & humiliemur sub potentij manu eius, misericordiamque eius fuisque lachrymis postulemus, vt Iudith admonet.
- Psal. 36.**
- Matt. 23.**
- Prou. 21.**
- Isa. 14.**
- Iudith 3.**

CAPVT XI.

Multa hæctenus de prælijs, imò de victorijs ipsius Iosue audiimus, & necdum finis. Nam & hoc vndecimum caput reliqua ipsius prælia describit, & quidam terribiliora, quàm hæctenus. Cum solis enim septem regibus hæctenus cõflicxit. Supererant autem adhuc viginti quatuor, cum quibus bellare cogebatur, quos tamen omnes in hoc capite vicisse legitur, Deo scilicet cooperante. Neminem igitur offendat, quòd sanctus ille tantum sanguinem fuderit: non enim hominis, sed Dei opus fuit; non hominis crudelitas, sed diuinum iudicium: non itaque tantum attendendum est, quid Iosue fecerit; sed quòd Deus dixit: Ego tradam eos in manus tuas.

Que cum audisset Iabin rex Azor, misit ad Iohab regem Madon, &c.

In hoc capite primò omnium attendendum, quales, quamque impij fuerint homines illi, qui hic leguntur vastati & exterminati, ne quis offendatur atrocitate

tate rei, Deumque crudelem & iniustum esse putet, quemadmodum quidam hæretici parum sentiebant de Deo veteris testamenti, putabant enim eum fuisse nimis crudelem, non considerantes, quàm benignus is idem Deus fuerit erga pios. Imò nec hoc considerabant, quàm impij fuerunt homines, contra quos Deus tam crudeliter egisse videtur. Sic enim & nos semper plus attendimus, quid Deus infligat, quàm quid nos commisimus, aut commiserimus, cuperemusque, ut Deus tantùm esset misericors, non autem puniret. At qualis Deus esset, si non iustus esset? Quis pius optaret sub eo principe degere, qui nullum malum puniret? Itaque si cui nimis crudeliter cum his hominibus actum fuisse videtur, is attendat, quales fuerint. Nabu. Dan. 1. chodonosor satis impius homo erat, tamen viso vno miraculo Dei in tribus pueris, gloriam veri Dei prædicare cœpit. Simile quid de Dario legitur in Daniele. Dan. 6. Hi autem non vnum tantùm miraculum audierant, sed multa audierant, deniq; exterminia aliorum, plus satis moniti erant, & diu expectati. Deniq; in gēs illud miraculum viderant in sole, adhuc tamen persistunt in impietate, ac tantū abest, ut pœniteant, ut etiã maiora peccata addãt, &c. Quid igitur mirum, quòd tam crudeliter perierunt? Hic igitur videm⁹, q̄ peccata nostra Deum iratum, & ut nobis videtur; crudelem faciūt. Peccata nostra diuidunt inter nos & Deū. Peccata nostra prohibent bonum à nobis. Non igitur Deo, Isa. 59. Ier. 5. sed nobis ipsis succenseamus, cùm malè nobiscum agitur. Ceterùm reges illi, qui in tanto numero, tantoq; conatu contra Iosue pugnant, significant aëreas potestates, imò & infernales, qui ducis Iesu gloriam ferre non possunt, adeò, ut etiam sæpius victi, tamen cessare nō possint. Sic Christi incarnationem sæpius impedire conatus est diabolus, sed frustra. Sic statim natum deuorare voluit gladio Herodis. Sic contra eum excitauit, primò ludæos, deinde gentiles, tertio tyrannos, quarto hæreticos, & vno deuicto semper plures successerunt, &c. Verùm Iesus noster omnibus fortior est,
omnibus

DECLAMATIONES

omnibus inquam dæmonibus, tyrannis, persecutoribus, hæreticis. Quot crudeles tyrannos vicit? quot superbos hæreticos? Ipsi peribunt, tu autem permanebis, ait Paulus ex Dauide. Hæc est spes & fiducia Catholicorum. Irruere possunt aduersarij in Christum, sed non vincere. Cæterum, quod Christo contigit, omnibus pijs contingit. Nunquam non hostes habent & deuicto vno, succedunt plures, & fortiores. Primum sollicitat nos mundus, id est, Hiericho. Mundo deuicto quinque reges, id est, quinque sensus nos oppugnant. Illis obstructis surgunt spiritualia peccata, superbia, auaritia, ira, & cæc. sic semper nobis pugnandum est. Verum sub ducatu Iesu omnes hostes vincere possumus eius præsidio & auxilio. Docet igitur hæc historia nullam quietem sperandam in hac vita. Deinde futuram gloriam non nisi magno labore acquiri. Postremò solus Christi auxilio victoriam constare.

Venit igitur Iosue, & omnis exercitus.

Magno conatu reges illi in prælium exierant, putantes se multitudine posse vincere. Ignorabant autem, quod Deo æquè facile est multos ac paucos opprimere. Nam impiorum etiam magnus numerus coram Deo est, sicut puluis, quem projicit ventus à facie terræ. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Vnde & Iaias: Aegyptus homo, & non Deus; & equi eorum caro, & non spiritus. Ideò Iosue audacter contra eos procedit, nihil territus eorum multitudine & armatura. Sic enim Deus dixerat: Noli timere, & c. hæc fuit armatura eius, in hac fide hostes aggressus est, cum Dauide scilicet dicens: hi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri sperabimus. Et quia cum tali fide prælium incepit, etiam ipse impletum vidit, quod in iam dicto psalmo sequitur: ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus. Verum de huiusmodi victorijs satis supra dictum est. Vnum hoc prætereundum non est, quod Deus iussit omnes equos subneruari, & currus succendi, cum potuissent etiam Israhelitis vsui esse.

Hebr. i.
Psal. 101.

psal. i.
Isa. 40.
Isa. 31.

Psal. 19.

Ibidem.

esse. Ideò autem hoc præcepit D E V S, ne occasionem haberent in aliud quiddam confidendi, quàm in solum Deum. Si enim equos & currus bellicos retinuis-
sent, fiduciam suam in huiusmodi armatura collo-
cassent, & non in solo Deo. Sic enim solent homines
confidere in bellico apparatu. Sic Holofernes & alij.
Deus autem vult, vt in ipso confidamus. Et reuertè v-
bi Deus est, ibi nec equis, nec curribus opus habemus.
Sic Helizæus vidit currus igneos circa se, angelorum 4. Reg. 6.
scilicet præsidium. Sic in Psalm. dicitur, quòd angelus Psal. 33.
Domini castrametatur in circuitu timentium Deum.
Quin & D E V S ipse vult esse murus igneus speranti. Zach. 2.
bus in se.

Deinde etiam ideò iussit subneruari equos & cur-
rus succendi, vt maiorem ostenderet iram in eo, quòd
vnà perdere volebat impios cum omnibus rebus suis
ad interneccionem vsque. Atque hoc dicitur in scriptu-
ra consummationem facere. Sic enim punit impios, Hier. 24.
pios autem si peccant, punit quidem, sed non facit cõ-
summationem. Erga impios autem nihil est, nisi ira.
Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spi- Psal. 10.
ritus procellarum pars, &c. Prætereà etiam ideò iussit
subneruari equos & currus comburi, vt manifestius Pro. 21.
fieret, quàm nihil profunt equi & currus contra Deū.
Non est fortitudo contra Dominum. Mirum igitur,
quòd nos tantum impensæ insumimus in huiusmodi
comparandis, &c. Insuper subneruari iussit equos ad
præfigurationem Christi, qui eodem modo hostibus
suis facturus erat, quemadmodum nunc fecisse eum
videmus. Hostes ipsius erant Iudæi, Tyranni, Hæreti-
ci, equi Iudæorum erat tēplum, sacerdotium, lex, pro-
missa terra Chanaan, In his superbiebant cõtra Chri-
stū. Verùm subneruauit hos equos, destruxit enim tē-
plum, abstulit terrā, &c. sicq; impios subegit. Equi ty-
rannorum erat potētia mundana, in qua superbiebāt,
sed per Christum destructa est. Equi hæreticorum, qui-
bus confidunt, sunt scientia mundana & eloquentia,
hos eis subneruat Christus suo verbo, sicque ruunt
hæretici.

DECLAMATIONES

hæretici. Omnia hæc in Iosue præfigurata fuerunt.

Postremò etiam ideo subneruari iussit equos, vt nos discamus, quo pacto hostes nostros aggredi debeamus. Si diabolum vincere nõ potes, equum eius, quo te impugnat, subnerua, id est, carnem tuam, membra tua, concupiscentiam tuam, &c. Subnerua autem ieiunijs, orationibus, labore. Sic enim corpore domito vinctes hostem, &c.

1. Reg. 15. Observandum, quòd Iosue sine mora obtinuerat, & equos subneruat, quibus benè vti poterat. Nihil inde concupiscit, nec avaritiæ locum dat, sicut Saul fecit, qui optimis pecoribus Amalechitarum pepercit. Hic autem simpliciter obedit etiam cum magno suo damno. Sciebat enim Deum omnia hæc posse refarcire. Sciebat se magis opus habere Deo, quàm equis, & melius esse Deum habere sine equis, quàm equos sine Deo.

Gen. 12. Hæc est vera fides veraque obedientia. Sic affectus debet esse Christianus, vt paratus sit obedire Deo, etiam si videat sibi damnum imminere. Sic Abraham ad iussum Dei omnia reliquit, &c. In fine observandum, quòd Iosue nedum hostes occidit & equos subneruat, sed etiã omnes vrbes diruit. Nihil in nobis relinquendum, quòd diaboli fuit, & ei præsidio esse possit. Expugnanda omnia vitia, nec vnum relinquendum, quia si vnum relinquitur, cum tempore etiam alia attrahet, &c. Et Christus hostes suos sic vastavit, vt nihil relinqueret, quod ipsorum fuisset. Destruxit enim errores, idola, templa, lucos, &c.

CAPVT XII.

Hoc caput nihil aliud est, quàm epilogus eorum, quæ hactenus de prælijs, quæ Iosue gessit, dicta sunt. Ideo autem tam diligenter & numerum, & nomina regum deuictorum recenset, vt clarius appareret veritas diuinorum promissorum.

missorum. Talia quippe ipsis ipsorumq; patrib. promissa fuerunt, quæ vix credibilia imò possibilis videbatur. Audierat Abraham: *Leua oculos tuos, &c. omnem terram, quam conspicias tibi dabo, &c.* Audierat Jacob: *Terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo, &c.* Audierat Moyses: *Faciã, inquit, signa quæ nunquã facta fuerunt, &c.* Audierant Israelitæ: *Inimicus ero inimicis tuis, & mittã angelum meum qui te introducat ad locum quem præpataui tibi. Mittam terrorem meum in hostes tuos. Item: Mittam crabrones qui eos eijciant, &c.* Demum audierat Iosue: *Omnem locum, quem calcauerit pes tuus, tibi dabo, &c.*

Gen. 15.
Gen. 28.
Exod. 14.

Exod. 23.
Ios. 1.

Hæ & similes promissiones multis etiã ex populo Israel videbantur impossibiles, idè Iosue tam diligenter eis inculcat numerũ & nomina regum deuictorũ, & regionum, quas acquisierant, Q. D. Videtis nunc quam potens quamque verax sit Deus, &c. Patrib. nostris impossibile videbatur tot hostes vincere, totq; vrbes debellare, & nos quoque vix hæc credere poteramus: iam autem videmus omnia impleta esse. Videmus Deum nihil non posse, & veracem esse. Nunquã igitur deinceps de potetia & veritate eius dubitemus. Si enim hæc potuit, poterit & alia: si in his nõ fefellit pmissis, nec in alijs fallit. Discamus & nos ex cõsideratione præteritorum confirmare fidem nostrã. Nam & nos plerasq; promissiones habemus quæ vix credibiles videntur, vt quod Christus dicit: *Ego sum resur. rectio & vita. Qui credit in me, &c.* Item: *Assumã vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, &c.* Verum si attendamus, quam perfectè priores promissiones adimpleuerit, non est, q̃ dubitemus etiam de residuis, &c.

Num. 14.

Ios. 11.

Ios. 14.

ALLEGORIA.

Multò plures hostes inuenerunt Israelitæ post transitum Iordanis, quam prius. Sic & Christianus. Nec aliter hostes nostros expugnabimus, nisi per fidem vnius Dei & obseruantiam decem præceptorum, quod per tricenarium illum numerum præfiguratum fuit. Tria enim per decem multiplicata faciunt triginta:

DECLAMATIONES

1. Ioan. 5. Fides sanctæ trinitatis vnitatis diuinæ naturæ per ob-
 seruantiã decem præceptorum multiplicata vincit
Matt. 7. omnes aduersarios. Hæc, inquit, est victoriã, quæ vin-
 cit mundũ, fides nostra. Et in Matthæo: Qui tuus, in-
 quit, verba mea, & facit, ædificat domum suam supra
 petram contra omnes insultus tutam, &c.

CAPVT XIII.

Psalm. 2. **I**N hoc capite incipit tertia pars huius
 libri, nempe de diuisione terræ, quæ &
 ipsa Christũ præfigurauit. Sicut enim
 Christus à Deo dux populi fidelis in-
 stitutus est, & hostes populi Dei debel-
 lauit: sic & ipse terram promissam di-
 stribuit. Et quidẽ priora duo iam pridem facta fuerũt.
 Nam ab æterno in regem & ducem institutus fuit, &
 ante multos annos morte sua terram promissam no-
 bis obtinuit & meruit, hostesq; deuicit. Tertiũ autem
 in hunc vsq; diem exequitur. Quotidiẽ enim aliqui ad
 fidẽ veniunt quib. diuidit dona spiritus, & aliqui mo-
 riũtur quib. diuidit mansiones in cælo. Ceterũ in hoc
Ioan. 14. cap. tria per ordinem describuntur, Primò quis terrã
 diuiserit, secundò qua auctoritate, tertio quibus.

Iosue senex & prouecta ætatis erat.

Gen. 25.
Gen. 5. Hic habemus personam eius, qui terram diuisit.
 Pulchro autem præconio hunc viũm describit, cùm
 eum nominat senem & prouectę ætatis. Hac enim lau-
 de primus Abraham dignus fuit. Vixerant nonnulli
 ante illum nongentis annis, de nullo tamen eorum di-
 citur quòd fuerit senex & prouectę ætatis. Vnde cer-
 tum est ad laudem ipsius Abrahæ hoc dictũ esse, quẽ
 admodum & hic de Iosue. Duplicem autem eorum
 senectutem scriptura his verbis subindicat, annorum
 & morum. Hoc enim reuera laude dignum est, vbi hæc
 duo conuenerint, canicies capitis & canicies sensus,
 multitudo annorum & vita immaculata. Alioqui so-
 la canicies capitis & multitudo annorum nos coram

Deo

Deo non commendant. Ob hanc causam in primitiua Ecclesia sacerdotes dicebantur presbyteri & seniores non propter annos, sed propter mores. Vnde Timotheo dicitur: Nemo adolescentiam tuam contemnat. Cæterùm sicut sol sæpius oriens multos nobis annos & senectutē conciliat, sic sol iustitiæ Christus sæpius mentem illustrans senectutem morum adducit.

Senuisti & longæuis es, terraque latissima derelicta est, que nec dum sorte diuisa est.

Iosue quantumuis sanctus & commendatus, nõ tam propria auctoritate se ingerit ad terram diuidendam, sed expectat Dei iussum & vocationem. E solo enim verbo & voluntate Dei pendebat. Ad verbũ Domini pugnabat, ad verbum Domini quiescebat. Quicquid enim propria temeritate citra vel contra vocationem Dei agimus vel conamur minus prosperè succedit, quemadmodum videmus in pseudoprophetis qui veniebant cum nemo eos misisset. Quilibet igitur cõsideret vocationē suam, & ad nulla officia Ecclesiastica se intromittat nisi vocatus. Sic enim nec Christus prædicare incepit donec à spiritu sancto fuisset designatus, & voce patris institutus vt doceret. Hic, inquit, est filius meus, hunc audite. Circa diuisionem terræ promissæ non opus est singula verba percurrere. Nam ferè nihil aliud continēt hæc capita, quã enumerationem locorum & ciuitatum, quæ nobis incognita sunt. Omissa igitur litera, allegoriam consideremus. Iosue Christum significat vt supra dictum est, is enim solus terram diuidit & peregrinis possessiones tribuit gratiæ in præsentia, & gloriæ in futuro. Diuisit quidem & Moyses nõ nihil terræ, sed citra Iordanem. Nã lex promittit suis obseruatoribus temporalia non æterna. Nec quicquam ad perfectum adducere potuit. Quanto tempore, inquit, hæres paruulus est nihil differat à seruo, & cæt. Postquam autem venit plenitudo temporis, &c. Itaq; iam non sumus serui, sed filij & hæredes. Sensus est quod lex hæreditatē conferre non potuit, sed fides in Christum. Christus autem

DECLAMATIONES

Pfal. 1.
Hebr. 3. non propria temeritate seingessit sicut nec Iosue, sed à Deo institutus. Vnde in Psal. Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo, &c. Et Paulus: Non, inquit, seipsum clarificauit vt pontifex fieret, &c. Cæterùm, sicut Iosue non diuisit terram nisi priùs expugnatis hostibus populi Dei, sic Christus priùs passione & resurrectione sua expugnauit hostes nostros, peccatum, mortem, diabolum, &c. post ascendit & diuisit dona hominibus. Et spiritualiter etiam nunc in vnoquoque homine primò expellit diabolum & vitia, post dat spiritum & gratiam. Vel aliter: priùs excidit Iudæos in frugiferos è bona arbore, postea nos inseruit, priùs illis abstulit regnum Dei, post dedit nobis gentibus. Deinde sicut Iosue non quamcunq; terram suis in possessionem dedit, sed eam quæ fuit optima & summè commendatur in scripturis, sic Christus non quæcunque, sed optima dona suis distribuit, gratiã scilicet in præsentibus, & gloriã in futuro.

Eph. 4.
Rom. 11.
Matth. 21.
4.
Deut. 8.
5.
Pfal. 104.
Deut. 26.
Tit. 2. Observandum quod Israelitis terra Chanaan data fuit sub duplici conditione. Primò vt præcepta Dei custodirent. Iuxta illud: Dedit eis regiones gentium, &c. vt custodiant iustificationes eius, &c. Secundò vt singulis annis primitias frugum offerrent & corã sacerdote confiterentur se à Domino accepisse terram. Eisdem conditionibus & nos vocati sumus ad Ecclesiam, vt scilicet piè viuamus & grati simus.

6.
Num. 32. Observandum & hoc quod Israelitarũ erant duodecim tribus, non tamen omnes accipiunt hæreditatem in terra promissa, sed tantùm nouem tribus cum dimidia. Hoc autem non ideò factum est, quod vel terra non sufficeret, aut quod Iosue aliquibus inuideret, sed ideo factum est quod aliqui præelegerant possessionem vltra Iordanem capti pulchritudine terræ & vbertate pascuæ. Sic Christus omnibus quidem meruit hæreditatem, sed & ipsum cælum omnibus hominibus sufficeret, tamen non omnes ad ipsum perueniunt. Huius culpa non est in Christo, sed in nobis, quod præelegimus terrena. Sic Iudæi primi noluerunt à Christo

sto hæreditatem. Nolumus, inquit hūc regnare super nos. Vnde ipsis dicitur. Non vultis venire ad me, ut vitā habeatis, Et iterū: Volui cōgregare filios tuos sicut gallina, & noluisti. Sic adhuc mundani homines superbia, auaritia, & voluptate se impedire sinunt quō minus ad Christum perueniāt. Nostra igitur culpa est, si hæreditatem non accipimus.

Obseruandum & hoc quod Iosue non alio medio, quam sortibus diuisit terram, nimirum dispositionē Deo permittens à quo sortes temperātur, vt minorem contraheret inuidiam, & quilibet suam possessionem ita acciperet vt à Deo datam, sicque qui plus acciperet abundantius gratias ageret. Qui minus, non contra homines murmuraret, sed speraret Deū & alia possidere. Eodem modo & Christus sorte diuisit terram, gratia enim Dei & electio est. Non est volentis neque curantis sed miserentis Dei. Erunt, inquit duo in agro, vnus assumetur, vnus relinquetur. Sic Iacob dilexi (ait) Esau autem odio habui. Quicumque igitur in Ecclesia possessionem Christum accepit, sciat esse gratiæ non meriti, vt obstruatur omne os, & qui gloriatur in solo Deo gloriatur.

Obseruandum & hoc quod Iosue possessiones quidem distribuit & omnibus illis qui vltra Iordanem nihil acceperant suam portionem dat, sed non æqualiter. Tribus Iuda plus omnibus accipit, Denique & partem habet cum tribu Benjamin in ciuitate Hierusalem. Sic Christus omnibus quidem dat, & abundanter & non impropere. non tamen æqualiter omnibus omnia dat. Nam alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c. Imò nec in futuro idem erit præmium omnium maximè accidentale. In domo enim patris mansiones multæ sunt, & sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum ait Paulus. Qui autem veri Iudæi sunt confidentes Christum, & fidem factis exprimentes hi optimam partem recipiunt. Denique & partem habent in cælesti Hierusalem.

DECLAMATIONES
CAPVT XIII.



HAC Tenus nonnulla præmisimus, di-
uisionem terræ promissæ concernen-
tia, sed in generali tantum. Nūc in hoc
capite incipit diuisio ipsa. Hæc autem
diuisio in tribus consistit. Nam primò
partes determinatæ singulis tribubus
assignantur. Secundò ciuitates profugitiuis separan-
tur. Et tertio ciuitates & suburbana Leuitis dantur.
primus autem qui portionē terræ accipit est ipse Ca-
leb, sic enim merebatur fides & virtus eius, imò sic ei
promiserat Dominus. Vnde & fidenter hoc petit.

Noſti, inquit, quid locutus ſit Dominus de me, &c.

Non est præsumptionis nec superbiæ quòd ipse præ
alijs postulat, sed fidei. Volebat per hoc omnibus ostē-
dere quod Deus verax sit in pmissis, & remunerator
piorum. Ideò tam diligēter Dei promissa recitat. Duo,
inquit, promisit mihi Deus, primum, quod morienti-
bus alijs ego victurus essem vsq; ad acquisitionem ter-
ræ promissæ. Secundum, quod etiam in eadem terra
portionem habiturus essem. Et primū quidem egregiè
impleuit. Ante quadraginta annos hæc mihi promi-
sit, interim sexcenta illa millia interierunt, ego autē so-
lus ex eis viuo, & nedum viuo, sed fortis & sanus. Re-
stat igitur vt & tu alterum Dei promissum impleas, vt
omnes in me videant quanti sit Deum colere, & cæt.
Hæc fuit intentio ipsius Caleb. Vide autem quàm
discretè loquatur. Primò enim etsi sua merita & a-
liorum exploratorum peccata recenset, vtrunque ta-
men breuibus verbis facit. Nemo enim vel seipsum
laudare vel aliorum peccata plus æquo aggrauare de-
bet, sed in hoc casu locum habere debet illud Psalmi:
Prohibe linguam tuam à malo. Itē: Pone custodiã ori-
meo, &c. Cæterum in commemorandis Dei promissis
fatis copiosus est Caleb. Hic enim locum habere
debet illud Psal. Benedicam Dominum in omni tem-
pore, &c. In recensendis vel nostris meritis vel aliorū
peccatis facilè modum excedimus, in laude autem
Dei

Psal. 33.

Psal. 140.

Psal. 33.

Dei non possumus nimium facere, quia maior est omni laude. Deinde Caleb non petit terram aliorum labore acquisitam, sed proprio labore acquirendā. Non imitatur eos, qui aliorum labores per tyrannidē ad se rapiunt. Præterea ciuitatem gigantum petit, vnde alij exploratores vel maximè territi fuerant, vt vel sic fidem in Deum exprimat in exemplum aliorum, quasi dicat: Alij exploratores putabant impossibile esse, vt gigantes opprimere possemus. Nunc autem, vt omnibus pateat fortitudo Dei, Ego solus eos depono, &c. Nō tamen de me præsumo, sed de Dei assistentia. Fortè Dominus erit mecum, &c. Fortè dicit nō dubitando, sed omnia Deo permittendo. Item ne videretur proprias vires iactare, aut Deum tentare. Sēper enim timendus est Dominus. Et facilè offendunt in Deum etiam sancti. Iudicia Dei abyssus. Duplici igitur nomine Caleb petit Hebron. Primò, vt deuiētis gigantibus gloria Dei augeatur. Secundò, quia illic erant sepulti quatuor patriarchæ, vnde hīc dicitur Adam maximus illic situs esse. De Abraham, Isaac autem & Iacob Genesis manifestè dicit, ipsos in Hebron sepultos. Et ob hanc causam Hebron etiam Canatharbe, id est, ciuitas quatuor dicta fuit, vel propter quatuor patriarchas illic sepultos, vel propter quatuor gigantes, qui illic habitauerunt.

Benedixitque ei Iosue, & dedit ei Hebron.

Laudat fidem & constantiam ipsius Caleb, deinde dat ei, quod petierat. Vera enim virtus duplici honore digna est, vt scilicet verbis cōmendetur in exemplum aliorum, & præmijs donetur. Sic igitur Caleb primus ^{1. Reg. 2.} accipit possessionē. Atq; hīc videmus, quomodo Deus ^{1. Tim.} glorificantes se glorificat, & quòd vera pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ. Obseruandum, quòd postquā Caleb extra sortem pro virtute donatus fuisset, prima sors cecidit tribui Iuda, secunda tribui Ioseph, tertia tribui Benjamin, quorū nullus fuit primogenitus, imò Iudas quartus fuit in ordine filiorum Iacob. Ioseph vndecimus,

DECLAMATIONES

1

Isa. 55. Benjamin autem ultimus omnium, & tamen omnibus alijs præferuntur. Imò Benjamin in ordine ultimus optimam ciuitatē acquirat, nempe Hierusalem. Videmus igitur hīc alia esse iudicia Dei, quàm hominum. Iuxta illud: non sunt viæ meæ sicut viæ vestræ, &c. Homines secundum speciem externam iudicant, vnde & sæpè decipiuntur. Deus autem secundum cor, vnde & plerunque fit, vt nouissimi fiant primi, & primi nouissimi. quemadmodum videmus in vinitoribus illis Euangelicis. Itē in Dauide & fratribus suis, item in Apostolis & Phariseis. In summa, qui ultimum se reputat, is primus efficietur cum Benjamin & Ioseph & Iuda. Qui enim se exaltat, humiliabitur, & cōtrā. Nemo igitur de status sui humilitate cōqueratur, sed eò magis cōtendat, vt Deo placeat. Nec quisquā sibi placeat de status sui sublimitate, fieri enim potest, vt fiat nouissimus, & cæt. Hæc circa diuisionem terræ dicta sufficiant. Ad nos enim non magnoperè pertinet de scriptio ciuitatum & locorum, quæ Iosue ad longum enumerat. Itaque ad alia procedamus. Secundo igitur loco Iosue in hac terræ diuisione etiam fugitiuis ciuitates aliquas refugij assignauit, de quibus mentio fit in capite vigesimo. Ipsum igitur caput videamus.

Matt. 20.
1. Reg. 16.

CAPVT XX.



N Actenus breuiter ostendimus, quàm exactè in his, quæ Iosue fecit, præostensum sit, quid Christus inter homines facturus esset, nempe hostes nostros debellaturus, gratiam & gloriā promeriturus, & vtrunque in se sequentes diuisurus. Iosue figura fuit, Christus autem veritas: Iosue omnibus portiones suas dedit, Christus in Euangelio clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Item: Si quis sitit, veniat ad me. Item: Ego veni, vt vitam habeant. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, & cæt.

Matt. 11.
Ioan. 1.
Ioan. 10.
Ioan. 3.

& cetera. Quàm lati igitur esse potuerunt Israelitæ post adeptam requiem & hæreditatem, tam lati nos esse debemus post adeptam gratiam. Curandum tamen, ut accepta gratia melius utamur, quàm illi, ne denuò excidamus, imò excindamur. Illi cum magna gloria in terram promissam introducti fuerunt, sed propter peccata eam iterum perdididerunt: imò non terram tantum, sed etiam Deum ipsum. factaque sunt nouissima eorum peiora prioribus. Sic enim eis prædixerat Moyses, &c.

Deu. 30.

Date ciuitates refugij, &c.

Hic videmus primò, quòd Deus non facillè quenquam è terra promissa eiecit. Quid enim crudelius homicidio? & tamen nec propter homicidium, si voluntarium nõ sit, Deus hominem eiecit. Deinde videmus hic, quàm promptus sit Deus remittere, quæ ignoranter peccamus. Et quid dico ignoranter? Etiam si scienter peccauimus, tamen paratus est remittere, si ex animo conuertamur. Prætereà videmus hic, quòd Deus noster patronus est innocentiae, nõ enim hoc loco patrocinatur noxijs (hos enim alibi sine misericordia perdere præcipit) sed tantum innocentibus. His igitur Deus refugium est. Sic Dauid innocens ad ipsum confugit: Domine Deus meus, inquit, in te speraui, saluum me fac, ex omnibus persequentibus me, &c. per totum. Sic Susanna ad hunc patronum confugit.

Num. 35.
Deu. 19.
Psal. 7.

Danie. 13. Sic Hieremias: Tibi, inquit, reuelauit causam meam. Sic Zacharias cum occideretur, videat, inquit, Dominus, & iudicet. Hæc est consolatio eorum, qui innocenter patiuntur, &c. Insuper videmus in hoc textu, quantum peccatum sit homicidium. Si enim casuale homicidium ita punitur exilio, quid de voluntario fiet? Quàm graue autem sit homicidium, scriptura vbique clamat. In Genesi dicitur sanguis effusus in cælum clamare. Item: Qui effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis eius. Item: Homicidam ab altari meo auelles, ut moriatur. Item: Non misereberis eius. Nec accipies precium, &c. Sic in Isaia: Non exaudiam vos,

Hier. 11.

2. Par. 24.

Gen. 4.

Gen. 9.

Exo. 21.

Num. 35.

DECLAMATIONES

2. Reg. 3.

Deut. 21.

Deut. 17.

quia manus vestrae sanguine plenae sunt. Hinc David, cum audisset occisum Abner, exclamavit: Innocens ego sum à sanguine huius, &c. Sic in Deuteronomio praecipitur, ut inueto caduere humano primores ciuitatis lauent manus, & dicant: Mundi sumus à sanguine huius, &c. Hoc attendere deberent, qui tã nihili aestimant humanum sanguinem fundere, maximè potentes, qui putant sibi omnia licere, &c. Si autem legem Dei perspicerent, à multis peccatis absterrentur. Unde regi praecipitur, ut semper legat in lege Domini, ut discat, inquit, timere Deum, & cæt. Quod si Deus tantum aestimat humanum sanguinem, quod nullo pacto impunem esse vult, qui sanguinem fundit, quãtò horribilius iudicium habebunt, qui animas hominum occidunt, scandalizant verbis vel exemplis. Væ mundo à scandalis, ait Christus. Imò væ nobis Christianis propter scandala. Hinc enim facimus nomen Christi malè audire coram incredulis. Imò causam praebemus Anabaptistis ab Ecclesia seipsos separandi. Non possunt enim credere, illic esse Ecclesiam, veraque sacramenta, vbi tanta peccata sunt, & impunè tolerantur. Itaque nouam ecclesiam, imò potius sectam erigunt. Ad huiusmodi res causam praestamus, licet ipsi malè agant se ab Ecclesia separando. Sed de hoc aliàs.

Stabit ante portam ciuitatis, &c.

Rom. 12.

Præscribit leges homicidæ, & primoribus ciuitatum refugij. Primò homicida ad ciuitates assignatas fugere debebat, quantumuis innocens esset, & dare locum iræ, ne praesentia sua amicis occisi occasionem daret maiora mala moliendi. Sic interdum etiam innocens iuri suo cedere debet, ad præcauenda mala in alijs. Date locum iræ. Secundò debebat stare iuri. Non sufficit tui ipsius iudicium. Nemo in propria causa rectè iudicat. Tertio in iudicio absolutus tamen ad ciuitatem refugij redire debebat, & illic manere vsque ad obitum summi sacerdotis, propter causam supra dictam, ne scilicet amicos sua praesentia irritaret in se. Deinde, vt alij hinc discerent grauitatem homicidij.

Si enim

Si enim innocens tã diu in exilio esse cogebatur, quali pœna dignus esset, qui volens hominem occidit? Si iustus vix effugit, impij vbi manebunt? Contrã incolæ ciuitatis tenebantur eum recipere, & à vi defendere ex lege charitatis, & maximè Leuitæ, quibus ciuitates refugij assignatæ sunt. Ipsorum enim bona debent esse cõmunia pauperibus, & ipsi debent esse refugium miserorum. Post mortem autem pontificis homicida redire poterat, quia tunc in publico luctu quilibet obliuisci debebat priuari affectus & dāni. Habes ex hoc loco, quibus immunitas debetur, nempè nō proteruè, sed ignoranter peccantibus. Lex enim non patrocina- tur impijs. Et quamuis Ecclesia etiam alijs peccanti- bus immunitatem concedat, nō tamen omnibus Ec- clesiæ nostræ debent esse asylum proteruis, &c. Alle- goricè. Homicida Adam exul fuit, nec redire potuit, nisi post mortem sacerdotis Christi. Homicida etiam est quicumque peccator, nam animam suam occidit, & alios pessimo exemplo inficit, itaque nullam aliam redeundi viam habet, nisi per mortem Christi. Ciuita- tes refugij remedia peccatorum sunt. harum ciuita- tum tres fuerunt vltra Iordanem, id est, ante bap- tismum in veteri testamento, nempè circumcisio, sacri- ficia, & fides patrum. In nouo testamento & citra Ior- danem etiam tres sunt, pœnitentia scilicet cum fide, spe, & charitate. vel cum tribus suis partibus contri- tione, confessione, satisfactione. vel cum tribus fru- ctibus, ieiunio, elemosyna, oratione. Vel ciuitates re- fugij in nouo testamēto sunt, inuocatio nominis Do- mini, quod est turris fortissima omnibus in se speran- tibus, fides & incorporatio Christi, qui est petra refu- gium erinacijs. Et Ecclesia, quæ est arca Noe sal- uans omnes ad se confugientes, & cæt. Sic igitur etiam nobis prouidit Deus de remedijs. Sit benedictus in secula.

1. Pet. 4.

Pro. 18.

Psal. 103.
Gen. 9.

1. Pet. 3.

DECLAMATIONES
CAPVT XXI.

LN hoc capite etiã Leuitas sua fors decernitur, sed longè aliter, quàm alijs tribubus. Hic igitur primò videmus, quàm sapienter Deus politiam in populo suo instituit, vt qui non tantum terram & possessiones ipsis diuisit, sed etiam potestatem gladij instituit, quæ malos arceret. Insuper & Leuitas ordinauit, qui verbum D E I prædicarent, & cultum Dei docerent, & peragerent. Hæc enim tria ad bonam politiam necessaria sunt, quantumcunque aliqui nunc putent, nihil opus esse principibus & sacerdotibus. Nulla politia, nullum regnum diu consistere potest sine cultu, verbo & timore Dei, id, quod videmus in tot regnis, quæ perierunt. Ideò Deus cultum & verbum suum habere voluit in populo suo. Imò pro magna pœna certa que perditione comminatur se ablaturum senes, & iudices, & prophetas, & missurum famem, non panis & aquæ, sed verbi Dei. In hunc modum & Christus regnum politiamque in Ecclesia instituens primò omnium Apostolos, & prædicatores instituit, sine his enim nulla politia constare potest.

Obseruandum & hoc, q̄ Deus Leuitas non simul esse voluit, quæadmodum alias tribus, sed ipsos dispersit per omnes tribus, vt nulla esset, quæ non haberet Leuitas. Idq; sapientissimè sic ordinatum fuit, primò, vt omnibus præsto essent, qui legem Dei docerent, inter iustum & iniustū iudicarent, ne quis vel ex ignorantia peccaret, aut quoquo modo se excusare posset. Deinde ideò dispersit Leuitas per omnes tribus, ne cultus Dei ad vnã solam tribum pertinere videretur. Tertio, ne vna tribus grauaretur tot Leuitas nutriendo. In hunc modum etiam Christus & eisdem de causis Apostolos suos noluit in vno aliquo loco residere, sed, Euntes, inquit, in mundum vniuersum, & cæt. Sic & Apostoli per omnes ciuitates ordinabant presby-

Isa. 3.
Amos 8.

Mat. 16.
Tit. 1.

presbyteros & diacones. Et patres nostri omnibus modis curarunt vt esset copia ministrorum ecclesiæ, ne quis negligeret. Hinc tot collegia, &c.

Accesserunt principes familiarum Leui ad Eleazarum sacerdotem, &c.

Hic tandem describitur portio & hæreditas Leuitarum. Vbi primò obseruandum quòd Leuitæ non acceperunt portionem terre sicut alijs tribus. Hoc autem ideò factum est, Primò ne impedirentur in officio suo. Ideò voluit eos esse liberos à cura & onere temporalium. Sic Christus Apostolis dixit: Nolite portare sacculum aut peram, & cætera. Sic Paulus. Nemo militans Deo implicat se temporalibus negotijs. Officium enim sacerdotale exigit totum hominem, qui nulla alia re sit occupatus. Nam multa ad pastorem vel sacerdotem exiguntur, nempe euellere, destruere, dissipare, ædificare & plantare. Item oues pascere, infirmos visitare, errantes reducere, &c. Ne tamen Leuitæ conqueri possent, Deus ipsis omnem sollicitudinem adimit. Ego, inquit, ero hæreditas & pars vestra. Sic & Christus Apostolis: Scit patet vester quòd his omnibus indigetis. Nolite igitur solliciti esse. Omnè igitur avaritiam longè esse voluit à Leuitis & sacerdotibus tam in veteri, quàm nouo testamento. Debent enim & suo adhærere officio, & alijs esse exëplo contemnedorum temporalium. Mirum igitur, quòd iam omnino contraria videmus, &c. Vide autem quàm diligenter prouiderit Deus Leuitis. Omnem, inquit, decimã dedi Leuitis, Item omnes primitias, similiter & primitiua, Item: partem sacrificiorum, adhæc etiam ciuitates ad habitandum. Et postremò etiam suburbana pro pecoribus. Et Ecclesiæ ministris satis prouisum est si tantummodo satisfacerent officio suo. Videmus hinc quid ministris ecclesiæ debeamus, nempe victum, vestitum, habitaculum, honorem. Hoc enim & ipsa ratio & lex naturæ & scripturæ exigit. Dignus est operarius cibo suo. Et qui altario seruit, de altario participat &c. Voluit autem Deus vt Leuitæ à populo victum & vesti-

Num. 18.

Exod. 13.

Deut. 18.

Matt. 6.

Matt. 10.

1. Cor. 9.

Num. 10.

vestitū acciperent, vt per hoc admonerētur se esse ser-
uos & debitores populi. Non enim frustra hæc eis dā-
tur. Sed pro ministerio, inquit, quo seruiunt mihi in
tabernaculo, & cætera. Beneficium datur propter offi-
cium. Et qui non laborat non manducet. Vtinam hoc
attenderemus.

CAPVT XXII.



ACTENVS audiuimus quomodo
Iosue in figura Christi dux populi
institutus hostes deuicerit, terrā pro-
missam acquisierit, eāque inter filios
Israel diuiserit: nunc ad finem histo-
riæ appropinquantes audiemus quo
fine Iosue & ducatum suū & vitam
concluserit. Tria autem per ordinem habebimus, pri-
mò quomodo Rubenitas ad propria remisit, secun-
dò quomodo principes populi instruxerit, & tertio
quomodo etiam vniuersum populum ante mortem
ad pietatem exhortatus sit, Vtinam omnes principes
tale testamentum facerent.

Eodem tempore vocauit Iosue Rubenitas, &c.

Magnum hic videmus exemplum veræ charitatis
in his tribus, Ruben scilicet, Gad & Manasse: Nēpe
quod nedū relictis vxoribus & filijs, pro alijs, imò an-
te alios pugnauerunt, idque longo tempore, sed etiam
post adeptam victoriam non discedunt nisi à duce li-
centiati, nec ipsi copiam abeundi petūt, sed à duce ex-
pectant, quamuis nō dubium sit eos magnum deside-
rium habuisse visendi suos. Vtinam talis charitas &
solicitude pro fratribus egentibus esset nobis. Atqui
etiā nobis præcipitur vt ipsis assistamus. Quod tibi,
inquit, vis nō fieri alteri ne feceris. Et Christus: Hoc est
præceptum meum, vt diligatis inuicem &c. Et. Apo-
stoli Paulo & Barnabæ vnum hoc præcipiebant, vt
pauperum memores essent, id quod Paulus diligenter
fecit, non erubescens per seipsum pauperibus quie-
rant Hierosolymis mendicare, & mendicata deferre.
Vnde ergò in nobis tanta duritia quòd nemo ad
alterius

Matt. 7.
Ioan. 13.
Gal. 1.

1. Cor. 9.

Alterius damnum mouetur? An non & nos fratres sumus? &c. Attendamus igitur quod Salomon dicit: Qui obturat aures ad clamorem pauperū, & ipse clamabit & non exaudietur. Vnde & Moses præcipit: Si frater tuus ad paupertatem venerit, caue ne auertas oculos tuos ab eo, &c. vt benedicat tibi Dominus, &c.

Prou. 21.

Deut. 15.

Deinde in hoc primo verbo huius capituli videmus exemplum boni principis in Iosue, qui Rubenitas non diutiùs detinet quàm necessitas exigebat, nec plura ipsis imponit quàm Moses decreuerat. Longè aliter faciunt tyranni, &c. Boni principis est agere patrem & pastorem, ac quantum potest à grauaminibus subditorum abstinere. quod si nō facit æque impius est ac populus obedientiam debitam non præstans. Potest princeps necessitatis tempore aliquid plus exigere quam aliàs solet, ac in hoc tenentur subditi obedire. Cæterū necessitate cessante etiam grauamencessare debet. Sic Iosue cum omnia plena hostibus essent, Rubenitas ad bellandum adegit, deuictis autem hostibus, statim eos remisit ad propria. Obseruandum tertio quòd non simpliciter eos remittit, sed cum laude & benedictione. Commendat enim ipsorum obedientiam ac bene illis precatur, & quidem meritò. Nam potestas nō solum ordinata est in terrorem & vindictam malorum, sed etiam ad laudem bonorum: hæc enim duo coniungit Paulus. Nec minus facit apud populum si videant honorari bonos quàm si videant puniti malos. Obserua hinc quæ sit vera laus subditi. Implestis, inquit, omnia quæ præcepit Moses, obedistis mihi per omnia, fratres vestros non reliquistis, implestis mandatum Domini. Hæc est vera laus subditi, obedire DEO, obedire prædicatoribus, obedire magistratibus, non deserere fratrem, eaq; omnia non ex adulatione, non ex ficto corde, sed ex timore DOMINI & vera charitate. Qui tales sunt digni, sunt benedictione. Obseruandum & hoc, quòd obedientibus duo præcepta dat, primum vt adhærant DEO, alterum vt prædam diuidant cum fratribus. Verè piūm hominem. Eodem

Rom. 13.

DECLAMATIONES

dem modo & Christus hæc duo cōiungit, Diliges Dō-
minum Deum tuum, & diliges proximum: in his duo-
bus mandatis, & cætera. Obserua autem quòd Iosue
dilectionem Dei multis verbis complectitur. Curate,
inquit, vt custodiatis attentè, & opere compleatis mā-
datum quod dedit Moses, vt diligatis Dominum, &
ambuletis in vijs eius, obseruetis mandata eius, & ad-
hæreatis ei seruiatisque ei in toto corde. &c. Hæc enim
omnia ad dilectionem Dei pertinēt. Charitatem au-
tem proximi vno verbo cōplectitur. Diuidite (inquit)
prædam cum fratribus: Probatio enim charitatis est
exhibitio operis. Et qui videt fratrem suum necessita-
tem habere, & claudit viscera sua ab eo, quomodo cha-
ritas in eo est? Sic igitur Rubenitæ cū alijs post exple-
tam obedientiam nedum sani ad propria redeunt, sed
etiam cum laude & magnis diuitijs, & quòd omnia
excellit, cum bona conscientia. Hæc sunt pæmia veræ
obedientiæ: prosperitas temporalis, laus coram mun-
do, bona conscientia coram Deo. Cōtrarium videmus
in seditiosis Chore, Dathan & Abiron, qui ex sua ino-
bedientia nihil aliud reportarunt, nisi confusionem,
ignominiam, malam conscientiam, miseriam & dam-
nationem.

1. Ioan. 3.

Num. 16.

Cumque venissent ad Iordnaem, & edificauerunt altare, &c.

Si causam huius altaris quæ in fine huius capituli
ponitur, attendamus, apparebit quantum hi Rubeni-
tæ cum alijs solliciti fuerint pro posteris suis, vt & ipsi
in societate Israelis & in fide cultuque veri Dei mane-
rent. Summam enim felicitatem æstimabant (quem-
admodum & verè est) habere pacem cum Deo & con-
cordiam cum populo Dei. Ideò hæc duo filijs suis re-
linquere studēt. Bone Deus quid nos relinquemus fi-
lijs nostris? Profectò, sicut nunc agimus, nihil illis re-
linquemus quàm bella perpetua, insuper & paganis-
mum. quia enim non studemus exortas iamdudum
discordias componere, certò relinquemus filiis exitia-
bile bellum, & perpetuam discordiam. Et quia eodem
filios nostros non instruimus ad cultū Dei, certissimè
relin-

relinquemus illis verum paganisum, qui etiam iam non parum se exerit in iuuenibus nostris. Doceant igitur nos Rubenitæ illi, vt & nos solliciti simus pro posteris, non tantum vt temporalia habeant, sed magis pacem & pietatem. Pacem inter se, pietatem ad Deum. Non opus est magis expensis ad hæc, imò facile hoc consequi possumus, si discordias componamus & filios bene instituamus, &c.

Audientes autem hoc filij Israel conuenerunt, &c.

Hic videmus verum Dei zelum. Statim enim audito Rubenitarum facto putantes ipsos velle & ab Israelitis & à cultu Dei se separare, conueniunt parati principijs obstare, parati Dei contemptum vindicare, nec fratribus in hoc parcere, imò parati erant etiam mori pro honore Dei vindicando. Sciebant omnium malorum radicem esse vbi discordiæ pullulant & impietates. Sciebant nihil prosperè contingere vbi Deus contemnitur. In memoria habebant quã seuerè Deus olim sui contemptum punietat, imò experti erant sæpe pro paucorum delicto totam multitudinem puniri. Idè non cessant, sed festinant malum auferre, antequã maius at fiat Deus puniat.

Vide autem quid faciunt. Primò conueniunt non aliò, quam in Sylo vbi arca Dei erat, nimirum oraturi pro peccato fratrum. Deinde mittunt nuncios, sed tales qui instruere & informare possent. Parati interim si illi imperata non fecissent armis decernere. Vtinã talis zelus in nobis esset. Et quidẽ non vnum altare erectum videmus, id est, non vnã superstitionem & abusum videmus, sed innumeros, vt interim taceam ignem discordiæ vbiq; ardere, &c. Discamus igitur & hæc à Iudæis. Non conuicemus ad idololatriam & blasphemiam Dei. Non palpemus vitia fratrum, ne iram Dei in nos prouocemus, &c. Sic nonnulli reges Israel aliàs inculpati ob id solum arguuntur quòd excelsa non abstulerunt vt Iosaphat, &c. contra Ezechias & Iosias laudantur quòd ea abstulerunt. Obseruandum quòd quamuis Israelitis displiceret altare erectum, non

DECLAMATIONES

statim hoc demoliuntur, sed prius causam inquirunt, imò audientibus bona intentione factum esse permittunt, ut maneat. Hic est spiritus discretionis ne quid temerè agamus. Multa apud nos ià destruxerunt scismatici in primo feruore quorū si causam primę institutionis considerassent, vidissent bona intentione instituta fuisse. Abusum igitur correxissent, rem ipsam permanere permisissent. Sed aberat spiritus discretionis. Hinc demolitas videmus ordinationes ecclesiasticas, cantus, festa, imagines, ieiunia, quę tamē bona intentione instituta fuerunt. In summa nihil temerè destruendum quod ad bonum conducere potest. Corrigen- dus autē abusus, &c. Obseruandū & hoc quòd Israelitę etsi parati essent ad bellum, iustamq; videbantur habere causam, deniq; propter multitudinem facilè tres il- libetribus poterant debellare, nō tamen statim gladio vtuntur contra frares, sed prius legationē mittunt, omniaq; tentant antequam sanguinem fundant. Denique audita satisfatione Rubenitarum statim quiescunt gaudentes & Deum laudātes quod non coacti fuissent contra fratres pugnare. Hic est spiritus verè pacis & charitatis, verum nos contraria omninò facimus & tamen Christiani videmur. Nescitis cuius spiritus estis ait Christus ad vindictę cupidos. Spiritus Christi non sic nos incitat contra fratres pugnare, &c.

Lucas 9.

Quæ est ista transgressio vestra?

Matt. 12.

Prudentissimè legationē suam exequitur Phinees. Primò enim arguit eos idq; cum Emphasi. Quæ est, inquit illa transgressio? Cur receditis non à quocunq; Deo, sed à Deo Israel? quem scilicet tot beneficijs & iudicijs cognouistis. Secundò in memoriam ipsis reuocat præterita peccata eorumq; pœnas ut vel sic plus absterreat. Peccata enim sæpius iterata maiorem merentur pœnam, ut patet de seruo qui post remissa debita in fratrem peccans crudelius punitus fuit. Tertio, exemplo Achan sacrilegi ostendit peccatum Rubenitarum ad omnem Israelē pertinere, ne quis diceret:

Quid

Quid ad vos, si nos peccamus? &c. Propter vnus enim peccatum impunitum, sæpè tota communitas puni-
tur. Contra si nos ipsos iudicamus, non iudicamur à Domino. Postremò etiam cū suo & sue partis dispen-
dio ipsos nititur reducere ad vnitatē & pietatē. Si ter-
ra vestra videtur vobis immūda, venite ad nos, de no-
stra hereditate vobis cōmunicabimus, tantū ne à Do-
mino & à nobis recedatis. Satius enim est damnum a-
liquod temporalium rerum pati, quàm vt ab inuicem
separemur, & Deū ad irā prouocemus, &c. Bone Deus,
si talis in nobis spiritus esset, quā dudum concordia
internos parata esset, & pietas restituta. Verum neutra
pars vel tantillum damni ferre vult. Commodum il-
lud proprium omnia bona apud nos impedit, &c. Di-
scamus igitur pacem & pietatem præponere cōmodo
temporali. Non enim carè emit, qui damno aliquo tē-
porali pacem & pietatem sibi cōparat. Sine pace enim
temporalia permanere non possunt. Sine pietate nihil
prosperum expectandum. Imitemur igitur & Israelitas,
& ipsorum legatos, & in super etiam Rubenitas, tunc
nobiscum erit Deus, &c.

CAPVT XXIII.



Hactenus audiuius, quid Iosue fece-
rit tempore belli: Nunc in hoc capite
dicitur, quid fecerit tempore pacis. Nō
minora enim periculā iminent po-
pulo Dei tempore pacis, quàm tempo-
re belli: imò maiora. Belli enim tem-
pore periclitantur corpora & bona temporalia: Pacis
autem tempore periclitātur animæ. Nimia enim secu-
ritas & prosperitas faciūt, quòd obliuiscimur Dei, cū
contrà aduersa nos ad Deum ire compellant. Ideò Iosue
etiam tempore pacis sollicitus est pro populo. Au-
di igitur quid faciat.

Euoluto autem multo tempore, &c.

Primò omnium quantumuis in sublimi statu cōsti-
tutus, tamē infirmitatis & humanæ cōditionis memi-
nit,

DECLAMATIONES

Pfal. 11.

nit, & mortem cogitat: cūm plerunq; diuites & potē-
 tes ne mētionē quidem mortis audire velint, ne scili-
 cet gaudia eorum turbentur. Ideò & tam proteruē a-
 gunt, proditq; quasi ex adipe iniquitas eorum. Exem-
 plo sūt tyranni quiq;, &c. Contra autem, princeps a-
 gnoscens se hominem & moriturum, nihil præfractē
 agit. Secūdo, quantumuis pacem Deus dederat Israe-
 li, ramen Iosue non cessat, sed officij sui memor pro
 populo sollicitus est. Nostri principes vix tempore ma-
 lo populi curā agunt. prosperitatis tempore quēlibet
 pro libitu viuere sinunt, nihilq; curant quomodo viua-
 tur. Tertio, populum suum conuocat, & comitia cele-
 brat, nō vt pompam ostendat aut ludos instituat vel
 cōiuiua, sed vt ad timorem Dei eos incitet. Verē piūm
 virum. Sciebat sine timore Dei nihil salui esse posse.
 Pulchram autem & piā orationem ad populū facit,

Luc. 1.

in ea enim primò admonet populum beneficiorum
 Dei. Vos, inquit, vidistis quæ fecit Dominus. Verē vi-
 derunt vbiq; Dei opera. Et pij quoque semper vident
 Dei opera, quòd scilicet deponit potētes de sede, & ex-
 altat humiles, &c. Cæterū qui beneficia Dei semper re-
 cogitat, nunquam à Deo recedet. Secundo hortatur i-
 psos ad obseruantiam legis. Hoc enim Deus exigit p̄

Deut. 10.

suis beneficijs vt Moyses testatur. Et nūc, inquit, Israel
 quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas eū?
 &c. Tertio monet eos, vt caueāt ab amicitia & fœderi-
 bus cū idololatriis, ac etiam periculum prædicat. Erunt,
 inquit, vobis in laqueū, &c. Exemplū in Salomo, Iorā,
 &c. qui per vxores idololatrias seducti fuerunt. Nos
 tantū diuitias attendimus, nō qua fide & pietate præ-

Deut. 29.

ditū sint, quos nobis adiūgimus vel filijs nostris. Quar-
 to promittit ipsis ingentia à Deo danda, si perseue-
 rent in timore Dei, quemadmodum & Moyses. Quin-
 to etiam ingentia comminatur mala, si Deum relin-
 quant. Nihil igitur omittit, quo populū in timore Dei
 conseruare possit. Et noster Iosue Christus omnia hæc
 etiam nobis proposuit, &c. Discant & prælati quibus
 medijs populum in timore Dei conseruent.

CAPVT

CAPVT XXIII.



IN hoc capite audiemus, quomodo Iosue se habuit tempore mortis. Atque hic videbimus quod sicut magno spiritu incepit, magno spiritu p̄ecit, sic & magno spiritu cōsummavit. Non enim fuit ex illorum numero, qui spiritu incipiunt, sed in carne consummant. Gal. 3.

Congregavit Iosue omnem Israel in Sichem, &c.

Hoc & paulò antè fecerat. Verùm nō ei satis est semel populum admonuisse. Sciebat enim, quòd quem admodū ager crebra cultura indiget, ne in zizania degeneret: sic & populus quicumq; quotidiana indiget admonitione. Hoc ipsum & patres Ecclesiæ scierunt, ideò & tot cōuocationes & synodos habuerūt. Vnde & ipsorum tempore diabolo ubiq; præcludebatur via, quam nunc vndiq; apertam habet, &c. Obseruandum quòd Iosue etiam mortis tempore populum cōuocat, nimirum, vt quæ diceret, fortius animis hæterēt. Hoc idem fecerūt & alij patres Isaac, Iacob, Moyses, Christus. Verisimile est sanctos patres præuidisse futuras Iudaici populi calamitates, atq; ideò tam diligenter voluisse præuenire crebris admonitionibus, &c. Arguitur hinc negligentia malorū, qui nec in vita, nec in morte pro subditis curāt. Viderint qui tales sunt, quomodo iudici dicenti: Redde rationē villicationis tuæ, respondebunt, &c. Signanter autem Iosue vocasse dicitur iudices & magistratus populi, multum enim in his situm est, imò prosperitas, pax & salus populi consistit in principibus. Iuxta illud: Secundum iudicem Luc. 16. populi sic & ministri eius. Et iterum: Quia pastores Eccl. 10. stultè egerunt, ideò omnis grex dispersus est. Hier. 10. Cæterū, sicut in Iosue diligentia, sic in populo obedientiam videmus. Cōparuerunt enim vocati & steterunt coram Domino, hoc est, tam obedienter, quasi Deus ipse vocasset eos. Felix politia, vbi hæc duo cōiuncta sunt, diligentia in rectoribus, obedientia in subditis.

DECLAMATIONES

Hæc dicit Dominus Deus Israel.

Hoc nusquam alibi fecit Iosue. Semper enim in sua persona populū allocutus est. Nunc autē moriturus in persona Deiloquitur: nimirū, vt fortiū persuadeat. Ob eandem enim causam prophetæ omnes suas conciones hoc verbo auspiciati sunt: Hæc dicit Dominus, &c. Nisi enim ipse Deus audiatur loquens, hoc est, nisi persuasum sit Dei verbum esse, non multū mouet, quod dicitur. Humana verba quantumcunq; polita sint, non tamen facilè corda mouent, Dei autem verbū est quasi ignis & sicut malleus supra petram.

Micr. 27.

Trans fluum habitauerunt patres vestri.

Iterum incipit cōmemorare beneficia Dei quod & capite præcedenti fecerat. Nihil enim fortiū mouet ad amorem Dei, quam crebra memoria beneficiorum Dei. Hęc sunt ligna quibus ignis ille nutritur, quę si subtrahas, decrescit omnis deuotio & amor: Hinc sancti non alio medio se ad laudē & amorem Dei excitabant. Vnde Dauid: Cōsitembor tibi Domine in toto corde meo. Narrabo omnia mirabilia tua. Et iterū: Benedic anima mea Domino & noli obliuisci omnes retributiones eius, &c. Ceterū tredecim beneficia Iosue hic per ordinem enumerat eaq; ingētia, vt videamus quomodo Deus nos obruat suis beneficijs. Quod si nos beneficia nobis ostensa enumeremus plura inueniemus. Nemo enim est, q non particularia beneficia à Deo accepit. Obseruandum tamen, quod magna quidem beneficia Deus præstitit Israeli, quæ tamen ob ingritudinem ipsis in malum cesserunt. Videāt igitur diuites, ne & ipsis in malū cedat, q præ alijs acceperūt. Quantò enim maiora quis accipit, tantò grauius dānabitur si ingratus fuerit, id quod Israelitis contigit. Non igitur gaudendum est, si immeritis insperata beneficia dantur, sed magis timendum.

**Psal. 9.
Psa. 102.**

Nūc ergo timete Dominū & seruite ei perfecto corde & verissimo.

Hic docet, quid sit rependendum Domino pro tot beneficijs. Tria autem per ordinem ponit. Primum, **Timete Dominum**, timore scilicet filiali & reuerētia-
li.

ii. Secundum, Seruite Domino, seruando scilicet eius præcepta. Signanter autem addit, in corde perfecto & vero. Non enim specie tenus tantum coli vult Deus, sed in veritate, nec dimidiato, sed toto corde. Iuxta illud: Quousque claudicatis in duas partes? & cæt. Et in 2. Reg. 18. Euangelio: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Matt. 6. Tertium, Auferte deos alienos. Non quòd idola adhuc haberent externa, sed quòd nemo facile sine idolis est in corde.

Si autem malum vobis videtur, seruire Domino, optio vobis datur, & c.

Aliquibus durum videtur, seruire Deo, alijs autem vanum, vt qui dicunt: Quod emolumentum nobis est, quia ambulauimus tristes coram Domino? Itē: Quid nobis prodest, si orauerimus Deum? Ne igitur Israelitæ similia dicerent, dat eis optionem eligendi, quod volunt, Q. d. non vos cogo, vt seruiatis Domino, nec Dominus coactum seruitium vult. Proposui vobis vitam & mortem, bonum & malum, vtrum vultis eligite. Ego autem & domus mea seruiemus Domino. Hoc addit, vt suo ipsius exēplo alios pronocaret. Docemur autem hoc verbo, vt consideremus, non quid multi, sed quid boni agāt, & vt Domino adhæreamus, etiāsi omnes alij desciscant, imitantes Matathiam, qui dicebat: Etiam si omnes gentes obediunt Antiocho, & cæt. 1. Mach. 2. ego tamen & filij mei obediemus Domino. Non imitandi sunt impij, etiam si plures & fortiores sint, quàm nos, sed relinquendi diuino iudicio, iuxta illud: Sinite illos, cæci sunt, & c. Matt. 15.

Absit à nobis, vt relinquamus Dominum.

Hic videmus, quantum ædificet in subditis fides, admonitio & exemplum prælatorum. Israelitæ enim videntes tantam fidem in Iosue, & tanta exempla pietatis, simulq; audiētes pias eius & crebras admonitiones, etiam ipsi in fide cōfortantur, & ad pietatem excitantur. Vbi autem nihil horum videtur in prælatis, non mirum, si etiam populus impius sit. Spondent autem Israelitæ, se seruituros Deo, idque nō semel, sed tertio,

DECLAMATIONES

& allegant iustissimas causas, propter quas meritò illi seruirent. Ipse (inquiunt) eduxit nos, &c. Discant hic Christiani, vt & ipsi quotidie renouent fœdus semel iētum cum Domino, & promissum, quod fecerunt in baptismo, semperq̄ de nouo proponant Deo seruire, ac pœniteant, si quid contra votum omissum fecerint, nuncq; se in anteriora extendant cum Paulo, oblitis omnibus, quæ retrò sunt. Habemus enim & nos iustas causas, vt seruiamus Deo. Primùm, q̄ nos creauit: Ipse enim fecit nos, & non ipsi nos. Deinde, quòd nos redemit. Empti, inquit, estis precio magno, gloriificate & portate Deum in corpore vestro. Præterea, quòd ei seruire promissimus in baptismo. Postremò, quòd non cessat nobis benè facere, imò etiam glorificationem promisit, &c.

Non poteritis seruire Domino, quia sanctus est.

Non hoc sentit, quòd impossibile sit seruire Deo, quemadmodum hæretici faciunt, qui nunquã non auribus vulgi intonant: Nihil boni potes facere, frustra conaris, &c. sicq̄ue simplices à studio bonorum operum retrahunt. Non sic Iosue, qui suos vbique ad bona opera extimulat, vt patet hic. Hoc aut̄ vult per hoc verbum. primò sicut Christus dixit: Non potestis Deo seruire & mammonæ, sic Iosue: Non (inquit) potestis seruire Domino, nimirum adhuc multis idololatrijs contaminati. Hoc notent, qui simul Deo seruire volunt & mundo, claudicantes in vtranque partem, &c. Deinde hoc verbo innatam ipsorum peruersitatem & duritiam taxat. Non potestis, inquit, Domino seruire. Q. D. Multa quidem promittitis, verùm scio, quòd nõ seruabitis, nam & hæctenus promissa non seruastis. In eundem modum loquebatur Moyses. Ego (inquit) scio ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me impiè egistis, quantò magis post mortem meam? Potissimùm autem Iosue hoc verbo ostēdere voluit longè maiora requirere cultum Dei, quàm cultum idolorum. Nam idola aut sunt argentum & aurum, & cæt. quæ nec viuunt, nec sentiunt, atq; adeò nec in se peccantibus

Phil. 3.

Psal. 99.
1. Cor. 6.

Matt. 6.

1. Reg. 18.

Deu. 31.

cantibus nocere possunt: aut sunt impij dæmones, qui impietatibus hominum gaudent. Deus autem noster viuus est, & sanctus, & fortis, & æmulator. Vult igitur Iosue, vt attendant, cui Deo seruiant, qualis & quantus sit, quid ad seruitium eius requiratur, & quid expectare habeant in eum delinquentes. Ad eundem modum Christus discipulos suos monet, vt prius se. Lucæ 14. cum expendant, quid ad discipulatum eius requiratur. Quis (inquit) homo volēs turrim ædificare? &c. Damnat igitur locus hīc eos, qui temerè vouent, & promittunt, quod prius non apud se expenderunt. Damnat & hos, qui alios vel promissis inducunt, vel minis cogunt promittere, quod non intelligunt. Non sic Iosue facit, sed prius grauitatem diuini seruitij ostendit, itemque & periculum. Non potestis, inquit, 2. Pet. 2. seruire Domino, & magni periculi res est inceptum seruitium Domini relinquere. Melius est enim viam veritatis non agnoscere, quàm agnitam relinquere. Si hæc vouere præponentibus proponerentur, non tam multi temerè vouerēt, nec tot vota temerè frangerentur.

Vos testes estis, quòd elegeritis seruire Domino.

Appellat ipsorum cōscientiam. Q. d. si quod nunc promittitis, non seruabitis, non opus habebitis alio teste contra vos. Ipsa vestra cōscientia vos accusabit coram Deo. Hoc verbum notent, qui peccata sua latere Deum putant, cū Paulus dicat, quòd ipse cogitationes nostræ in iudicio vel accusabunt, vel defendent nos. Rom. 2.

Percussit igitur Iosue fœdus cum populo.

Cū videret populum perseuerantem in proposito, tandem fœdus renouat inter ipsos & Deum, & quàm potest arctissimè ipsos Deo cōiungit, nimirum sciens, quòd beata est gens, cuius Dominus Deus eius. psal. 31. Cæterum, non tantum fœdus renouat, sed etiam cōditiones fœderis ostendit. Proposuit, inquit, eis legem & iudicia: nimirum dissimilis illis, qui semper quidem iactant fœdus & promissa Dei, nunquam tamen

DECLAMATIONES

cogitant, quid foedus illud à nobis exigar, & quibus conditionibus in illud foedus admissi simus. Verùm quidem est, quòd Deus nobis per Christum omnia bona promisit: Contrà autem, nos ei promissimus seruitutem & subiectionē. Hanc si non præstamus, nec ipse nobis tenetur.

Ioan. 15.

Non enim simpliciter dixit: vos amici mei estis, sed si feceritis, quæ præcipio vobis. Non igitur foedus tantum, sed etiã conditiones foederis attendendæ, & populo proponendæ sunt, &c. Postremo loco Iosue ad perpetuam rei memoriam etiam apud posteros duo signa instituit, primò, quòd hæc scripsit in volumine legis pro his, qui legere sciunt. Secundò, quòd lapidē crexit pro his, qui legere nesciunt, vt vtrique haberēt, quo admonerentur in perpetuum foederis cum Domino iēti. Hæc igitur sunt, quæ Iosue proximus morti fecit. Felix, quem mors in tā pio opere inuenit. Hunc igitur imitemur, ac omnibus modis curemus, ne in malo opere, aut voluntate mors nos inueniat. Cæte-

Ioā. 13. 14. 15. 16. 17. rum, quicquid Iosue proximo morti fecit, hoc & Christus fecit proximus passioni, &c.

Post hæc mortuus est Iosue seruus Domini.

Mors omnia claudit, quantacunque enim de homine dicuntur, semper in fine sequitur: Et mortuus est. Beati sunt, qui morte piorum, & in Domino moriuntur, in quos secunda mors potestatem non habet. Ceterum, de Iosue non simpliciter dicitur, quòd mortuus sit, hoc enim nihil nouum esset, sed additur, seruus Domini, id, quod summa laude dignū est. Mori in diuitijs, honoribus, potestate, officijs, &c. nihil ad rē facit, imò plerunque officit. At mori seruum Domini, vel in seruitute Domini summa felicitas est. Quòd aut Iosue in seruitio, & vt seruus Domini mortuus sit, declarant præcedentia, maximè autē, quod sequitur Israelē Domino seruuisse omnibus diebus Iosue. Ex quo satis innuitur, cum non tulisse idololatriam, aut alia vitia in populo, sed restitisse & admonuisse, & cæt. Et quid maius de hoc viro dici potuisset? **Quomodo male mori**

lè mori potuit, qui sic vixit? Advigilemus & nos, vt sic **Lucæ 12.**
 mori possimus. simus similes seruis expectantibus Do-
 minum suum, quando reuertatur à nuptijs, &c. Nume-
 rantur anni Iosue ad consolationem nostram, vt cer-
 ti simus omnes nedum annos, sed & dies, & horas in-
 storum, imò & capillos capitis numeratos esse. Et quis **Matt. 10.**
 huic tam fido Domino non libenter seruiret? Quòd
 autem Iosue nò tam diu vixit, vt alij patres ante eum,
 nihil officit. Consummatus enim in breui expleuit **Sap. 4.**
 tempora multa. Nec quàm diu, sed quàm benè quis
 viuat attendit Deus. Sepultus autem dicitur intra fi-
 nes possessionis suæ. Sic enim veteres mortuos suos
 non procul à se, sed in proximo sepeliebant, vt admo-
 nerentur & illorum pietatis, & propriæ mortalitatis.
 Itidem fecerunt maiores nostri ab exordio Ecclesiæ
 vsque in hæc nouissima tempora, in quibus incipimus
 mortuos fratres nostros procul à nobis extra ciuita-
 tes sepelire, quasi nihil ad nos pertineant, ne scilicet
 memoria mortis gaudia nostra perturbet: quod quã
 pulchrè & fidei nostræ, & charitati cõsonet, alibi dixi.

Seruititque Israel Domino omnibus diebus.

Hoc, vt dixi, ad laudem & commendationem ip-
 sius Iosue additam est. Summa enim laus principis
 est pius & disciplinatus populus, sicut gloria patris est
 filius sapiens. Interim tamen hoc verbo etiam Iudæo-
 rum incredulitas & duritia arguitur, qui nisi crebro **Ioan. 4.**
 admonerentur, & vi quadam in pietate retinerentur,
 vel (vt Christus) nisi crebro signa & prodigia viderent;
 non credebant, nec in bono perseuerabant, quæ
 admodum & vulgus Christianorum etiam solet face-
 re. Nimirum degeneres filij sunt, quos semper ad bo-
 num cogere oportet.

Ossa quoque Ioseph sepelierunt in Sichem, &c.

Hoc Ioseph ipse fratribus præceperat, vt exeun- **Gen. 50.**
 tes ex Aegypto ossa sua secum ferrent, id, quod &
 suprâ eos fecisse audiuius. Ideò autem ossa sua ad **Exo. 13.**
 terram promissam deferri curauit, nò quòd dubitaret

Deum

DECLAMATIONES

Deum ubique esse, sed ut ostenderet, se firmiter credere diuinis promissis, seque velle & cupere participem esse eorum, quæ Christus in terra Chanaan operaturus esset, ut vel sic fratres & posterius sui in eadem fide confirmarentur. Ceterum non putandum est ossa Ioseph tam diu insepulta permansisse vsque ad mortem Iosue, qui viginti annis præfuit populo, sed verisimile est, statim post occupationem terræ Chanaan, ea sepulta fuisse. In scriptura enim sæpius, quæ diu antè contigerunt, post scripta inueniuntur. Pars autem agri, in qua ossa Ioseph sepulta dicuntur, is est locus, de quo in Euangelio: venit Iesus in ciuitatem Samaritæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.

Ioan. 4.

*Mortuus est etiam Eleazar, & sepelierunt eum in Gabaath
Phinees filij eius, &c.*

Moriuntur omnes, qui ad temporalem Israelis liberationem aliquid fecerant, ut Moyses, Aaron, Iosue, & Eleazar, ut appareat nullum illorum fuisse, vel esse verum saluatorem, ut qui nec seipsum à morte potuerunt redimere. Solus igitur Iesus Christus filius virginis est verus ille saluator, qui non moritur. Imò clauis habet vitæ & mortis. Et si enim semel mortuus, non tamen necessitate, sed voluntate mortuus est, denique, ut victor mortis resurrexit, & amplius non moritur. Huic igitur securè confidimus.

Rom. 6.

Ceterum, quod in fine huius libri tam diligenter describitur, quomodo Iosue & seniores mortui fuerint, quasi præludium est sequentis historię, quasi dicat: Moriebantur, qui opera Dei viderant: contra, succrescebant, qui nihil tale viderant, non igitur mirum, quod tanta mala deinceps de illo populo audietis. Et nobis hoc dictum est, quorum tempore piorum numerus quotidie minuitur, succedit autem populus leuissimus, & sine omni timore Dei, quare nihil boni sperandum, ni Deus sua bonitate præueniat: cui sit gloria in secula,

AMEN.

ANNO.

ANNOTATIO NES IN LIBRVM IUDICVM.



Non temerè est, quòd scriptura sacra
 tam diligèter historiã Israelitici po-
 puli describit, idque à prima origine
 vsque ad Christum. Primò enim o-
 portuit esse populum aliquẽ, cui De-
 verbum suum reuelaret, itemque &
 volùtatem suam, quid scilicet in po-
 sterum per Christum facturus esset. Is autem populus
 fuerunt Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei, &
 quibus Deus promisit Christum suum. Ideò Deus hũc
 populum mirabiliter seruauit inter tot hostes. Imò i-
 deò eundem populum etiam ad impietatem deficien-
 tem misericorditer tolerauit, donec veniret Christus,
 propter quem vnum populus electus erat. Hinc est,
 quòd scriptura diligenter ostendat, quid DEVS
 in populo illo egerit. Longè autem aliter se habet hæc
 historia, quàm mundanæ, quæ nihil aliud, quàm cu-
 riositati satis faciunt, ac nedum legentem non melio-
 rem faciunt, sed plerunque deteriorem. Hæc autem
 historia ad multa prodest. Nam primò docet nos agno-
 scere Deum, docet fidem, timorem & amorem Dei,
 confortat in fide, denique voluntatem Dei ostendit
 tam erga bonos, quàm etiam erga malos. In hac histo-
 ria videmus Deum nostrum, cui nos dedimus, esse ve-
 racem in promissis, omnipotentem in operibus, mise-
 ricordem in donis, terribilem in iudicijs. Præterea in
 hac historia videmus quid sit homo, quid possit & fa-
 ciat, vbi sibi ipsi relinquitur. Postremò in hac historia
 videmus, quid veteres de Christo senserunt. Vnde &
 idem Christus Iudæos illuc remittit: Scrutamini, in-
 quit, scripturas, Ecce ipsæ testimonium perhibent de
 me. Non

Roma. 5.

Ioan. 5.

Rom. 15. me. Nō igitur alienū cuiquam videri debet, quod hāc historiam Israelitarū hactenus enarraui. Quęcūq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinā scripta sunt, &c.

Hactenus igitur audiui⁹ originē populi Israelitici. Deinde quomodo in Aegyptū venerint, & iterū inde liberati. Tertio quomodo legem acceperint. Et quarto quomodo terrā Chanaan occupauerint. Nūc in hoc libro scriptura historiā eiusdem populi profęquitur. Hęc igitur tria videndā sunt, antequā ad textū pcedamus. Primum q̄s sit author huius libri. Deinde cur dicatur liber Iudicū. Postremō quis sit scopus & intētū huius libri. Verus & p̄cipuus author sacre scripturę est spiritus sanctus, cuius instinctu nedum locuti sunt, sed etiā scripserunt sancti Dei homines. Quis autē hominum hunc librum compegerit & scripserit, ignoratur. Aliqui putāt quemlibet iudicē scripsisse gesta sui temporis. Alij à Samuele aut Esdra aut Ezechia scriptū putant. Cęterū parum refert q̄s librum hunc scripserit, cum certum sit eum esse in canone sanctarū scripturarum tam apud Hebręos, quā Ecclesiasticos. A iudicibus autem nomen accepit, quorum gesta continet. Obseruandum autem quōd iudices in hoc libro dicuntur, non q̄ in vnaqua uis vrbe ad cognoscendas ciuiliū controuersias ordinati erant vt Moses p̄ceperat, sed qui miraculis diuinitūs eligebantur, vt essent principes Israelitarū, ipsosq; oppressos, ab hostibus liberarent & in obseruatione legis cōtinerent. Horū duodecim in hoc libro recensentur per ordinē, vt puta Othoniel, Aod, &c. Hi autem quamuis p̄essent populo, non tamen dicebantur reges aut principes, sed tantum iudices, q̄a non p̄erant imperatorię aut potestatiuę, aut tyrānicę, sed tantum vt directores, liberatores, cōsiliarij &c. Vnde & G E D E O N cūm populus diceret: Dominare super nos, &c. respōdet: Nō dominabor vestri, &c. sed Dominus Deus dominabitur super vos, &c. Hinc facillē cōiicitur, q̄ populus Israeliticus nunq̄ in meliori & trāquilliori & liberiore politia fuit, quā sub iudicibus. Tunc enim ipsorum aureū seculū fuit.

Tametsi

Tametsi enim tempore Salomonis in magna prosperitate fuit populus ille, tamē tunc erant serui, quē ad modum illis p̄dixerat Samuel. Hoc (inquit) erit ius regis: Tollet filios vestros, &c. Vnde & Roboā dicebat: Pater meus cecidit vos flagellare, ego cecidam vos scorpionibus. Sub iudicibus autē erat libertas. tunc enim non humana libidine regebantur, sed diuina auctoritate. Vnde & Deus hūc Israelis statum suum proprie regnum vocat. Vnde cum peterent dixit ad Samuelē: Non te abiecerunt, sed me. Restat ostendere, qd in hoc libro expectandum sit, hoc est, quæ sit intentio huius libri. hæc autem talis est: In Iosue descripta est occupatio & diuisio terræ Chanaā, ac institutio publicæ religionis & politicæ in Israel iuxta legē Mosi: In hoc autem libro describitur progressus populi Israel in religione ac politia nuper instituta. Hic igitur videbimus, quid expectandū sit seruientibus Deo, & continentibus eum. Videbimus Israelē ob peccata sua sæpius in manus hostium datum, atq; inde, cum pœniteret, misericorditer liberatū à Deo, imò mirabiliter. Ad eò, vt totus ille liber nihil aliud præ se ferat, q̄ Dei misericordiam & iudiciū. Et quanquā etiam alij libri sacre scripturæ Dei iusticiam & misericordiam p̄dicent, hoc tamen insigne præ alijs hic liber continet, q̄ commemorat multa exempla, quibus ostēditur Deū præter solennē suam consuetudinem, p̄cipitem fuisse tum erga peccatores, tum erga inuocatores nominis sui. Nam Psal. 7. Deus aliàs dicitur lōganimis & patēs, quòd non mox punit, sed inuitet ad pœnitentiā sua lenitate. Ad hæc etsi in aduersis inuocetur, plerunq; tamē auxiliū suum tam diu differt, vt etiam pijs videatur dormire & preces non exaudire. In hoc autem libro varijs exemplis demonstratur quòd Deus nulla lōganimitate, sed subita præcipitātia præuaricatores legis suæ supplicio affecerit, & quòd resipiscētes & nomen suum in afflictionibus inuocantes sine vlla dilatione exaudierit & liberauerit. Hoc autē idē factum est vt populus recens

1. Reg. 8.

3. Reg. 12.

1. Reg. 8.

Roma. 2.

ANNOTATIONES

Deut. 28.

Ioan. 20.

in lege institutus videret, ac firmiter sibi persuaderet, certissimò futura, quæ Deus vel promisit vel comminatus est. Promisit autem in lege benedictionem, & omnia bona seruantibus legem, contra maledictionem & omnia mala transgressoribus legis. Itaque si initio institutionis politicæ nec contempores legis statim supplicio affecti fuissent, nec resipiscentes & Deum inuocantes mox auxilium cõsecuti essent, profectò lex auctoritatem suam amisisset & promissiones & minæ verbi Dei mendaces habitæ fuissent. Vt igitur auctoritas diuinæ legis confirmaretur, in exordio statim puniuit & liberauit. Idem contingit in Euangelio. Dixit Christus Apostolis: Quorũcũq; remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Itaque ne quis vanum existimaret hoc dictum, effecit Dominus ab initio reuelatũ Euangelij, vt hi, qui fide prædicationem Euangelij excipiebant, manifestò spiritus dono ornarentur, Ananias autem & Saphira mentientes fidem & Ecclesiam fraudantes ad vocem Petri collapsi expirarẽt. Per hoc enim Deus probare omnibus voluit auctoritatẽ Euangelij. In summa, nouas ordinationes nouis etiam miraculis cõfirmare solet Deus, exemplisque tum iræ, tum misericordiæ, vt ex his cognoscatur quòd etiã post-hac supplicium peccati differatur, aut inuocantes Dominum non videantur exaudiri, certissimum tamen esse, quod nec impijs impunè feret suam impietatem, nec pius suo voto aut desiderio frustrabitur. Docetur igitur in libro hoc fides quãdo traditur Israelitas Deũ in aduersis inuocantes nunquã fuisse derelictos. Docetur etiam timor Dei, quando proponitur Israelitas propter peccata sua in manus hostium traditos. Hæc de intentione huius libri dicta sufficiant. Nunc ad textum accedamus.

CAPVT I.

*Post mortem Iosue consuluerũt filij Israel Dominum, dicentes:
Quis ascendet ante nos contra Chananeum, &
erit dux belli?*

Deui-



Euicerat Iosue hostes Israelis, tamē
 post mortem eius etiam posteri inue-
 niūt hostes. Itidē cōringit Christiano,
 qui semper pugnare habet. Quōd autē
 Iosue non omnes aduersarios debella-
 uit, idē factū est, primō ne terra redi-
 digeretur in solitudinē. Pauciores enim adhuc erāt Is-
 raelitę, quā qui omnē terram inhabitare possent. Se-
 cundo, vt exercitiū haberent & seruarent armōrū, ne
 ocio dffluerēt: Tertio, vt maiorē occasionem haberent
 Deo adhærendi, quēadmodū infra dicitur. Quod Do-
 minum cōsulunt, didicerunt à Iosue, qui nihil incon-
 sulto Domino faciebat. Nec nos quicquā quātumuis
 humile & abiectum absq; verbo Dei tentemus Quali-
 ter autē & quibus ritibus Dominū consuluerint, hic nō
 exprimitur, certum tamen est, q̄ per sacerdotē hoc fe-
 cerunt, perq; sacrificia & orationes. Sic enim & Saul 1. Reg. 2.
 & Dauid consulebant Dominū. Quomodo autē Deus 1. Reg. 2.
 responderit consulentibus se patet ex eo quod de Sau-
 le dicitur: Dominus non respondit ei, neque per som-
 nia, neque per visionem, neque per prophetas.

Iudas ascendet. Ecce tradidi terram in manus eius.

Per Iudā intellige non vnū aliquem virum, sed to-
 tam tribū Iudæ. Eodem modo intelligatur etiam q̄ se
 quitur: Dixit Iudas Simeoni fratri suo, id est, tribui Si-
 meonis, &c. Vide autē bonitatē Dei. Iubet Iudā pugna-
 re cōtra hostes, sed statim addit promissionē: Ecce tra-
 didi eos in manus eius. Sic Deus ubiq; p̄ceptis suis
 addit promissiones. Mādātā enim Dei grauiora sunt,
 quā vt quisquā possit ea humanis suis virib. capessere. Gen. 12.
 Ideō addit promissiones, vt hinc fidē concipiamus. Ex
 fide autē spiritum S. & cor voluntariū. Sic p̄cipiens
 Abrahæ, vt egredeteretur de terra sua, &c. adiecit pro-
 missionē: Faciam te, inquit, in gentē magnā. Sic Chri-
 stus p̄cipiēs Apostolis, vt se sequerentur, adiecit pro-
 missionē: Faciā vos fieri piscatores hominū. Sic omni- Matt. 4.
 bus mandatū est, ne furentur, & adiectæ sunt promi- Matt. 6.
 siones.

ANNOTATIONES

siones: Pater vos nutriet ac vestiet, &c. Ut igitur alia
 cres reddamur ad præcepta Dei capeſſenda & obſer-
 uanda, ante omnia reſpiciendū eſt in promiſſiones Dei,
 &c. Cæterū, quòd Iudas iuſſus aſcendere contra ho-
 ſtes aſſumit ſecum tribum Simeon, non ex incredu-
 litate factū eſt, ſed ex prudentia fidei & charitatis.
 Fides enim eſi certa ſit de conſequendis rebus pro-
 miſſis, nec vllam fiduciam in carnalia collocet, bonas
 tamen creaturas Dei ad vtendum à Domino propo-
 ſitas non faſtidit, ſed dono & cōmoditate eorum, quā-
 tum licet vtitur, ne Deus præſumptione & temeritate
 tentetur. Sic Iudas ex fide auxilio proximi vtitur. Cha-
 ritatis autē eſt, quòd Iudas recipit Simeonem viciffim
 adiuturum. Erat enim Simeoni ſors ſua data in ſorte
 tribus Iudæ: Inter vicinos autē, vt dicitur, manus ma-
 num lauare debet. Frater enim, qui adiuuatur à fratre,
 tanquam ciuitas firma. Hanc mutuam iuſtitiam etiā
 publicani (vt Chriſtus ait) præſtant, nimirum officium
 officio, beneficium beneficio penſantes. quātò magis
 ea à populo Dei requiritur? Myſticè, poſt mortē Chri-
 ſti Apoſtoli pugnare cœperunt, prius tamen Dominū
 conſuluerunt orantes ab aſcenſione eius vſq; ad ad-
 uentū ſp̄itus ſancti. Moraliter, pugnaturus Chriſtia-
 nus præmittat Iudam, id eſt confessionem fidei ad-
 iuncto Simeone, id eſt, obedientia mandatorum. His
 duobus promiſſa eſt victoria.

Aſcenderunt ergo contra Chananeum.

Nedum promiſſionibus, ſed etiam apertis victorijs
 certificantur filij Iſrael, vt ſciant & videant, quòd etiā
 mortuo Iſue Deus adhuc viuat & promiſſionū ſua-
 rum memor ſit: Id, quod non paruam conſolationem
 etiam nobis præſtat. Quamuis enim etiam noſtri pa-
 tres & duces Eccleſiæ mortui ſint, adhuc tamen in vi-
 gore ſunt promiſſiones Dei, nec ideò manus ipſius
 abbreviata eſt, ſed adhuc idē ipſe permanet, qui ſem-
 per fuit. Non eſt igitur, quòd deſperemus.

Fugitque Adonibefec & perſecuti ſunt eum.

Adonibefek, id eſt, Dominus Beſek. Nā Adonai Do-
minū

Iofue 19.

Prover. 18.

Matt. 5.

Act. 1.

Iſa. 59.
Pſal. 101.

minum significat, tyrannus maximus fuit, Iosueque
 mortuo nunc quasi securus agebat. Verum nunc ve-
 nit hora eius. Effugerat manum Iosue, sed non manū
 Dei. Oportebat enim etiam in ipso monstrari, quod Luc. 2.
 Deus dispergit superbos mente cordis sui, deponitq;
 potentes de sede, vt virgo nostra canit. Circa hunc igitur
 Tyrannum multa nobis videnda sunt. Primò quo
 modo Deus impios aggreditur. Cùm enim maximè
 timent, sinit eos vt plurimum elabi, iuxta illud: In la-
 bore hominum non sunt, & cum hominibus non fla-
 gellantur, idèd tenuit eos superbia, &c. cū autem secu-
 ri sibi esse videntur, tunc super eos irruit iudiciū Dei,
 quādo scilicet nihil minus timēt, vt verū appareat il-
 lud Pauli: Dies Domini sicut fur in nocte veniet. Et cū
 dixerint Pax & securitas, &c. Sic Nabuchodonosor, 1. Thes. 5.
 Balthasar, Sennacherib, Holofernes perierūt. Sic Sodo-
 mitæ, Aegyptij, &c. Secundò videmus quanta crudeli-
 tas insit homini impio. 70. (inquit) reges sub mensa
 mea colligebant ciborum reliquias. Nulla bestia cru-
 delior homine impio. Leo parcat subiectis, vsus cada-
 ueribus mortuis. Nihil autem horum facit homo im-
 pius. Hæc autem crudelitas hinc prouenit impijs,
 quòd nō cogitant se habere Deum iudicem, nec agno-
 scunt se esse homines. Qui enim hæc duo secum co-
 gitat, non facilè proximum offenderet. Quòd autem
 impij nec Deum, nec seipsos cogitant aut agnoscunt,
 facit superbia, ad quam ipsos perducit nimia prospe-
 ritas. Hæc enim est causa omnis huius mali. Qui enim
 in omnibus prosperè agit, superbus efficitur. Superbia
 autem ita hominem exæcat, vt non ampliùs cogitet
 se esse hominem, imò vt nec Deum timeat. Sic enim Psal. 72.
 superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper.
 Quid igitur mirum, si talis homo crudelis efficiatur in
 proximū? Quot exempla legimus in scripturis tā san-
 ctis, quā prophanis? quot exempla videremus in mun-
 do eorum, quos nimia prosperitas in tantam super-
 biam euexit & euehit, vt alios homines non aliter, quā
 pecora tractent, contemnant sine omni misericordia?

ANNOTATIONES

&c. Cauendum igitur Christiano, ne nimia eum prosperitas inflat & decipiat. Ex hac ipsa enim historia aperuissimè ostēditur non confidendū esse prosperitati mūdane aut fortunæ: Nam & 70. illi reges ad tempus prosperitatem senserant, quā tamen magna iniuria consecuta fuit. Exēpla instabilitatis fortunæ multa in historijs profanis habemus, vt de Policrate Samio, Dionysio Syracusano tyranno, Siphace, &c. Meritò igitur Iosaphat principib. & iudicibus suis dicebat: Sit timor Dei vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Quicquid enim iudicaueritis, in vobis recidet. Tertio, ex vno hoc tyranno videmus quales fuerint Chanaanæ i, nēpe impij in Deū, crudeles in proximum. Vnde & meritò tam horrendè exterminati sunt ad omniū impiè viuentium terrorem. Quarto, videmus in hoc tyranno æquitatem iudiciorum Dei, quam & ipse agnoscit nimirum ex lege naturæ. Sicut (inquit) feci alijs, sic Dominus reddidit mihi. Huc pertinet illud Sapientis: per quæ inquit, peccauerūt, per ea puniti sunt. Et illud propheticū: Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te: Et illud Isaia: Væ qui prædaris, nōne & ipse prædaberis? Væ qui spernis, nam ipse & sperneris. Nouit igitur Deus compensare peccata ipsorum iustis supplicijs. Contrā autem iustis compensat ipsorum benefacta. Date, inquit, & dabitur vobis. Quamēsurā mensi fueritis, remetietur vobis. In summa quā bonus & electus Deus est cum bonis, tam peruersum se ostendere potest peruersis.

Præterea in hoc tyranno videmus, quod Deus non solum illam iniuriam non fert inultum, quam impius pio infert, sed etiam quam impius impio infert. Hic enim tā Adonibezek, quā septuaginta illi reges impij fuerunt & tamen punitur Adonibezek propter crudelitatem illis illatam. Sic & in Amos Moab puniendus decernitur eò quod incenderit ossa regis Edom qui tamen impius erat. Docemur igitur ex his exemplis, ne etiam impio homini malefaciamus. Nostrum est diligere inimicos, vindictam committere Deo Postremo

1. Par. 19.

Sap. 11.
Aboc. 2.

Isa 33.

Luca 6.

Psal. 17.

Amos 2.

Matt. 5.
Deut. 32.

Postremo

Atremò ex verbis huius tyranni apparet, quòd etiã gen-
res cognouerint Deum, quemadmodum & Paul. pro. Rom. 7.
bat. Vnde hìc dicitur: Reddidit mihi Dominus, &c.
Obferuandum tamen quòd impij quidem sciunt esse
Deum, sed eum non cogitant nisi in aduersis. Deinde
etsi in aduersis Deũ cogitent ipsumq; punire sentiãt,
non tamen veniam precantur, non ipsum inuocant,
nesciunt fidere in eius misericordiam. Exempla vide. Isa. 28.
mus in Antiocho & Iuda proditore. Non sic fecerunt
Manasses & Iatro ille Euangelicus, qui etsi Deum tum
primum in pœnis agnoscerent vexatione nimirũ dã-
te intellectum, statim tamen ad inuocandum eum as-
surrexerunt, vnde & veniam meruerunt.

Pergensq; Iudas contra Hebron.

Hoc fecit Caleph qui de tribu Iuda erat, vt & suprã Iosue 15.
dictum fuit. Is enim deleuit gigantes. Hoc autem idè
repetitur tum vt fides huius viri melius conspiciatur,
tum etiam vt omnibus persuadeatur nullum benefa- 1. Tim. 4.
ctum coram Deo irremuneratũ manere. Pietas enim
ad omnia utilis est, promissionẽ enim habet vitæ præ-
sentis vt patet in Caleph. Deinde etiam promissionẽ
habet futuræ vitæ, vt ex eo patet, quod iudex dicturus
est in iudicio: Venite benedicti percipite regnum. Esu- Matt. 25.
riui enim & dedistis mihi, &c. quibus verbis aperte
promittitur æterna vita benè operantibus.

Dixitq; Caleph: Qui percusserit Cariatsepher, &c.

Hìc præter superiora etiam aliud quiddã laude di-
gnum de Caleph dicitur. nempe quòd generum quæ-
rit, non opibus, sed virtutib. præstantem. Quemadmo-
dum & Saul rex Israel promittit filiam suam percusso- 1. Reg. 17.
ri Goliathis. Sic & gentilis Themistocles de sponso
filie suę paupere quidẽ viro, sed probo dixit, Malo virũ
absq; pecunia, quàm pecuniam absque viro. Nunc ni-
hil nisi pecunia quæritur, nulla probitas curatur.

Terram arantem dedisti mihi, da & irriguam.

Historia hæc vix digna videtur, quę in scriptura sacra
contineri debeat, & tamen non semel, sed bis ponitur.
Nam & in Iosue eisdem verbis posita fuit. Quantũuis Iosue 15.

ANNOTATIONES

tamen humilis sit, ostēdit tamen etiam circa literam non contemnenda. Nempe quales olim fuerint diuitiæ & opes veterum. Nihil hīc de pecunia, auro & argento audis, sed de agris. Sic & diuitiæ ipsius Iob erāt pecora. Hæ fuerunt diuitiæ veterum. Nunc sola pecunia in precio habetur. Deinde videmus hīc q̄ veteres non ad pompam filios suos educauerunt. Hæc enim Axa filia principis à patre tamen nō preciosas vestes, &c. sed agrum postulat. Nunc omnia in vestimenta infumātur, &c. Mysticè Caleph figurauit Deū patrē, filia eius animam fidelem, Othoniel Christum, cui ob virtutem animæ fidelium desponsatæ sunt.

Matt. 6.

Rom. 7.

Sap. 9.

Hic igitur sponsam suam iubet à patre petere agrū irriguum cū dicit, Cū oratis dicite: Pater noster qui es in cælis, &c. Fidelis igitur anima sic instructa dicit: Terram arenē dedisti mihi, id est, fragilem carnem, in qua non habitat bonum, & quæ aggrauat animā. iunge & irriguā, id est, da corpus per omnia rationi subiectum, da conuersationem in hac terra cælestem. Donum lachrimarum impende, virtuosæ operationis exuberantiam largire. Vel terram arētem dedisti, id est, gratiam in hoc mundo, da & gloriam in futuro. Sic rogatus Deus dat irriguum superius, & inferius. Irriguū superius est gratia deuotionis, ex desiderio regni cælestis, ex suauissima complacentia creatoris, ex memoria dominicæ passionis, &c. Irriguum inferius est spiritus contritionis & fletus ex consideratione propriarum & alienarum culparum, ex timore diuini iudicij, ex imaginatione infernalis supplicij, ex attentione multiplicis miseræ huius vitæ, imperfectionis & defectuositatis propriæ, &c. Verè diues homo qui hæc duo habet.

Hiebusæum autem non deleuerunt, &c.

Hic incipit in genere peccata Israelitarū describere, quib. postea irā Dei meruerunt. Peccatū aut ipsorum fuit, q̄ gentes nō deleuerunt contra præceptū Domini, victi nimirū cupiditate tributi ab ipsis suscipiendi. Itemq; ambitione super alios donādi. Sic igitur plus secuti

secuti sunt propriam rationem, quam legem Dei, plus at-
tenderunt temporale lucrum, quam gratiam Dei quod tamen i-
psis in malum cessit. Nam cum gentes inter se haberent,
facile ad idololatriam prolapsi sunt, quod futurum predi- Deut. 7.
xerat Moyses. Sic cedunt humana consilia nempe in ma-
lum si negligitur verbum Dei. De his postea diffusius.

CAPVT II.



Superiori cap. ostensum fuit in genere
quomodo Deus etiam post mortem Iosue
non cessauit Israelitis benefacere, in fi-
ne tamen additum fuit qualiter ipsi ma-
datum Dei transgressi sint. Ideo conse-
quenter in hoc capite ponitur transgres-
sionis reprehensio. Sic enim Deus pro sua clemen-
tia consuevit prius reprehendere & monere, antequam
puniat. Sic prius monuit primos parentes: Quocun- Gen. 2.
que, inquit, die comederitis, moriemini. sic monuit
impium Cain. Cur, inquit, concidit facies tua? &c. Sic Gen. 4.
monuit Aegyptios multis plagis. Itidem & Israelitas. Exod. 7.
Monet etiam nunc omnes nos, verum sicut illi con-
tempserunt, sic & nos. &c.

Ascenditque angelus Domini de Galgalis.

Hic nuncius siue fuerit angelus de caelo, siue ppheta
quispiam aut sacerdos, parum refert, certe quod concionatur,
verbum Domini est. Communiter tamen sentiunt
nostri quod angelus de caelo fuerit, imo is angelus, qui
Israelitas praecessit in deserto in columna nubis & ignis. Iosue 22.
Praemonuerat eos Moyses Deut. 7. Itidemque & Iosue
monuerat, sed frustra, ideo nunc angelum de caelo mit-
tit, quod d. Si homines non vultis audire, saltem angelum
audite, &c. Per hoc autem insigniter ostensum est, quod Ezech. 17.
Deus non vult mortem peccatorum, sed ut conuer-
tantur & viuant. Simile quiddam & Christus indicat Matt. 21.
in parabola de malis agricolis, ad quos paterfamilias
primò misit vnum seruum, deinde plures, postremò
etiam filium suum. Fortassis, inquit, verebuntur fi-
lium meum, &c. Caeterum angelus hic sermonem suum ed-

ANNOTATIONES

dirigit, vt ostendat q̄ non Deus, sed populus primò rupit & irritum fecit foedus inter ipsos & Deū iētum. I-
 dedò primò Dei beneficia recenset. Eduxi, inquit, vos,
 &c. Hęc verba si p̄ partes explicare volueris, inuenies
 esse immensa beneficia. Maximum tamen est, q̄ iura-
 uit se foedus suum nunquā irritū facturum. Quid am-
 plius facere debuit quod non fecit? Hęc & nos attēda-
 mus qui eadem beneficia etsi non corporaliter, at spi-
 ritualiter accepimus. Secundo loco angelus Israelitis
 peccatū suū ponit ob oculos, q̄ ex collatione benefi-
 ciorum Dei grauius redditur. Noluitis, inquit, audire.
 quo verbo omnē ipsis excusationem adimit. Non e-
 nim dicit: Obliti estis verborum Domini, hoc enim
 non nihil excusationis haberet. Multo minus dicit: Nō
 potuistis verbum Domini implere quod plenam excu-
 sationem haberet, sed noluitis, inquit. Hoc idem ver-
 bum Christus non semel Iudæis obiecit in Euange-
 lio. Non vultis, inquit, venire ad me vt vitam habeat-
 tis. Item: Quoties volui congregare filios tuos sub
 alas & noluitis? Sic igitur tam Christus, quā angē-
 lus peccatoribus excusationem adimunt. Igitur non
 sunt veri nunciij Dei, qui consuunt puluillos sub omni
 cubito manum, qui peccatoribus blandiuntur, qui di-
 cunt: Non potes seruare præcepta Dei, nam impossi-
 bilia sunt. sicq; faciunt, vt etiam qui volūtariē in pec-
 catis manent, per hoc tamen se excusare velint. Non
 sic loquitur angelus, sed, noluitis, Quasi dicat, possetis
 si velletis. Non deest facultas maximè Christianis si
 vellemus: Datus est enim nobis spiritus sanctus, pro-
 missa gratia & auxilium Dei, &c. Tertio loco angelus
 addit pœnam quam Israel meritus erat. Nō expellam,
 inquit, gentes, & cæt. Iusta pœna. quia enim priùs nō
 luerunt gentes expellere, iusto Dei iudicio factum est,
 vt postea cū vellent, non possent eos expellere. Et sic
 cuti in ipsorum gratiam Deus gentes delere proposue-
 rat, sic nunc in ipsorum pœnam eos viuere permit-
 tit, vt habeant hostes, & cæt. Sic omnibus impijs con-
 tingit, quia enim cū possent benè agere, nolūt, iusto
 Dei

Ioan. 5.

Matt. 23.

Dei iudicio fit, vt postea, cum vellent, non possint. Pul-
 chre autem hic describitur malus vicinus, quo nulla
 pestis grauior. Erunt, inquit, vobis in laqueum & pe-
 dicam. Et in Iosue dictum est: Erunt vobis sudes ex la-
 tere, & spina in oculis. Obserua, quid angelus perse-
 ueranter peccantibus promittat, nempe nihil nisi poe-
 nam. Ergo nuncij Dei non sunt, qui talibus pacem pro-
 mittunt, cum non sit pax impijs. Miserè igitur seducun-
 tur, qui in maximis peccatis sibi pollicentur pacem, &c.
 quemadmodum nunc pessimi quiq; de Euāgelio ma-
 ximè gloriantur, interim perpetuò peccantes, &c. Nō
 sic docet angelus hic, &c.

Iosue 23.

Isa. 58.

Eleuauerunt vocem, & fleuerunt, &c.

Hæc est energia legis, quæ iram operatur, & occi-
 dit. Nam & peccatum & supplicium manifestat, è qui-
 bus nihil aliud sequi potest, quàm fletus. non solū au-
 tem fleuerunt, sed etiam hostias immolauerunt. Non
 enim satis est in conscientia terreri, sed oportet oculo-
 s per fidem in celum leuare. Alioqui terrores illi ho-
 minem ad desperationem adducunt, si non accedat
 & fides, ideò Israelitæ etiam immolant, ac testantur
 se credere in venturum Christum, quem illa sacrificia
 adumbrabant. Exemplo Israelitarum compungamur
 & nos ad correptionem prælatorum, immolemus spi-
 ritum contribulatum, Psal. 50. hostiam laudis, Psal. 115.
 hostiam obedientiæ, Eccl. 31. hostiam corporis nostri,
 Ro. 12. Habes igitur hic, quæ ad veram resipiscentiam
 requirantur, nempe, primò agnitio peccatorum, se-
 cundò fides in Christū, tertio opera fidei. Prima duo
 Israelitæ habebant, verum vltimum deerat. Nihil e-
 nim legis de emendatione vitæ, imò nedum non priora
 peccata emendauerunt, sed insuper etiam maiora addi-
 derunt. Ideò poenitentia eorum frustranea fuit, quem-
 admodum & nostra, nam & nobis vt plurimum deest
 tertium illud, quod ad veram resipiscentiam requiri-
 tur, nempe emendatio vitæ.

Rom. 4.

Surrexerunt alij, qui non nouerunt.

Hic in genere describitur impietas Israelitarū, con-
 tra Dei

ANNOTATIONES

tra Dei & iustitia & misericordia, estque locus hic vsque ad finem capituli quasi summarium totius libri. quæ enim hic in genere describuntur, ea post specialius describentur. Ad hoc autem potissimum tedit locus hic, ut videamus non Dei, sed populi culpa factum esse, ut non omnes gentes à terra promissa pellerentur. Pulchrè autem repetit mortem ipsius Iosue & seniorum, ut videamus, quantum dānum sit, vbi pij per mortem subtrahuntur, maximè qui verbum Dei prædicarunt: Pietas enim populi dependet è ministerio verbi Dei. Vbi autem verbum negligitur, vel non habetur, ibi in omnia vitia ruitur. Deus ergo puniturus populum primò subtrahit bonos prælatos & pastores, sicut in Isaia dicitur.

Na. 1.

Seruiert Baalim & Ascharoth.

Hæc est impietas, quam Israelitæ post mortē Iosue designarunt. Dereliquerunt Dominum, & seruiert Baalim. His paucis verbis comprehenditur lerna malorum. Dimittere enim Dominum, est contemnere, & relinquere verbum Domini. Qui autem verbum Domini contēnit, is neque credit, neq; timet, nec in mandatis ambulat. Seruire Baalim, est factitijs sacris confidere, gētilium impietates imitari, &c. Sic impius semper grauius & profundius cadit. Peccatū enim, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit. Imò sic Deus peccatū peccato punit, quia enim etiam ab angelo moniti præcedens peccatū non emendauerunt, iusto Dei iudicio nunc permittuntur in maiora incidere.

Gregorio.

Iratusque Dominus tradidit eos, &c.

Deu 28.

Vide, quid sequatur impietatem, ira scilicet Dei & supplicium. Sic enim antea comminatus est Deus. Si audire nolueris, seruiet inimico tuo in fame & siti, & cæt. Habes igitur hoc loco minas Dei maximè serias, ac verissimas esse. Nemo igitur sibi in peccatis blādiatur, quasi ignis inferni non ita caleat, ut prædicatur. Sed sic animum tuum inducas, quòd donec fueris maledictioni legis obnoxio, nulla lingua explicare queat,
quanta

quanta te supplicia propter peccata tua maneant. Signanter autem hic ad terrorem malorum dicitur, quod quocumque se vertebant Israelitæ, manus Domini erat super ipsos in malum. Hanc enim Dei manum nemo potest effugere.

Cumque Dominus suscitaret iudices, &c.

Seipso in mala precipitare poterant, sed non inde seipso iterum liberare poterant. Vide autem Dei bonitatem. Flectebatur, inquit, misericordia, & audiebat gemitus eorum, &c. Memorabilis est hic locus, quo primum docemur afflictiones, & gemitus afflictorum maxime respectu coram Deo esse, a deoque nullum posse Deo gratius sacrificium offerri, quam si proponatur ei cor contritum, & humiliatum. sacrificium, inquit, Deo psal. 50.
spiritus contribulatus, &c. Et iterum: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit, &c. Et in Isaia: super quem respiciam, nisi super psal. 112.
humilem, &c. Hinc sancti confidenter in aduersis Deum inuocauerunt, &c. Deinde videmus hic Deum non velle mortem peccatoris, sed magis, ut conuertatur, & vi. Ezech. 18.
uat. Tantæ enim sunt diuitiæ bonitatis Dei, ut pessime de se meritis optime faciat, quod eos ad poenitentiam inuitet. Quis igitur desperaret, aut tam pio Domino non libenter obtemperaret?

Postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum.

Hic vides, quid bonitas Dei apud impios proficiat, nempe, quod peiores fiunt. Sic Israelitæ & viventibus iudicibus non obtemperabant, & mortuis illis deterius peccabant, quam patres ipsorum. Sic impij semper the Rom. 2.
saurizant sibi iram Dei. Obseruandum hoc etiam nobis. Similia enim facimus. In tribulatione clamamus, libertati peiores efficimur, &c. Sed de hoc inferius.

Dimisit ergo Dominus omnes nationes hæc.

Conclusio est, qua ostenditur, cuius culpa factum sit, quod gentes illæ, de quibus postea mentio fiet non fuerint deletæ iuxta promissum Domini. Non enim Deus, sed Israelitæ in culpa fuerunt, ut dictum est.

Caput

ANNOTATIONES CAPVT III.



VOD scriptura duobus primis capitibus summam proposuit, videlicet Dominum dereliquisse aliquot gentes in terra Chanaan superstites, & Israelitas exemplo earum gentium ad idololatriam defecisse, ac propter impietatem varijs malis afflictos esse; Hoc nunc ab isto capite vsque ad finem libri per partes explicat, commemorans initio, quæ fuerint illæ gentes reliquæ. Deinde exponit, quid Israelitæ peccauerint, qui hostes eos afflixerint, qui iudices ipsos liberauerint, quod sub quoque iudice memorabile gestum sit, & omnino, quæ fuerit fortuna illius populi iudicibus Republicam administrantibus. Omnia autem hæc etiam ad nos pertinent. Sicut enim Deus omnes creaturas eò ordinauit, vt in ipsis inuisibilis Dei maiestas, & virtus cõspiceretur, sic & ex omnibus gentibus populum Israel elegit, & ad hoc ordinauit, vt in ipsis ostenderet conditionem suorum operum, nempe gratiam & bonitatem erga bonos, iram & iudicium erga malos. Itemq; longanimitatem suam erga peccantes, & misericordiam in afflictionibus, &c. Hoc inquam voluit ostendere in illo populo, vt omnes hinc discerent Deum agnoscere, scirentque, quid ab ipso expectandum sit. Hinc Moyses ait: En Dominus elegit te hodie, &c. vt sis ei populus peculiaris in laudem, & gloriam, & nomen suum. Et in Hieremia dicit Deus. Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi domum Israel, vt essent mihi in nomen, & laudem, & gloriam.

Hæ sunt gentes, quas dereliquit Dominus, &c.

Inter gentes has nemo pertinacius & diutius afflixit Israelitas, quàm Philistæi, vt qui tempore Dauidis primùm subiugati fuerunt, Iustè autem hoc à Deo factum & permissum fuit, nam hæ quinque ciuitates Philistinorum, Azotus, Accaron, Geth, Gaza, Ascalon, ceciderat in sorte tribus Iudæ, vt in Iosue habetur. Quia

autem

Rom. 1.

Deu 26.

Ier. 13.

Iosue 15.

autem Israelitæ Philistæis pepercerunt, iustè factum est, vt hostes eos haberent. Sic humana prudentia ducit ad malum, sic misericordia contra Deum fit crudelitas contra posteros, sic infidelibus parcere, est fideles vastare. Itidem & in multis alijs contingit. Obseruandum, quòd non vnã tantùm gentem cõtrariam ipsis relinquit, sed plures, vt scirent, se hostes habere. Cæterùm, ne quis suspicetur Deum hîc promissioni suæ non satisfecisse, causas addit scriptura, cur Deus aliquot gentes reliquerit. Harum prima est, vt in eis tentaret Israelẽm, vtrum mandata Domini serualet, vel non. Secunda, vt discerent bellare contra hostes, ne si in pace essent, in segnitiam & torporem resolverentur. Vbi obserua, quòd prius cùm Dominum haberent, non opus erat armis, vnus enim fugabat mille hostes. Nunc autem suo malo cõguntur discere artes Chananæorum & fortunam belli experiri, quæ nunc his, nunc illis victoriam tribuit. Non igitur felicitatis, sed necessitatis refugium est, discere bellare. Multò felicius esset, bellum nescire, felicissimum autem Deo propugnatore vti. Tertia causa relictarum gentiũ est, vt Israelitæ in timore Dei conseruaentur, videntes se eius auxilio semper indigere. Ob has causas Deus aliquot gentes reliquit. vide autem, quàm impiè Israelitæ hac re abutantur. Non enim discunt in gentibus impietatem execrari, sed imitari. Nec discunt in eis pia bella gerere, sed impia fœdera facere. Sic vulgaris hominum moribus est, quòd commoda à Deo proposita in suam perniciem vertat. Sic epulones abutuntur cibo, sic ebriosi vino, sic auari diuitijs, sic tyranni potentia, sic impij afflictione, &c.

Allegoricè etiam nos per Christum introducti sumus in terram promissam, attamen relinquuntur etiã in nobis desideria carnis, alijsq; hostes nos impugnantes, nempe quinque Satrapæ Philistinorum, id est, quinque sensus corporis, per quos subinde vt per fenestras mors intrat ad animam. Item Chananæus, id est, mûdus, Sidonius, id est, caro, Ethæus, id est, diabo.

ANNOTATIONES

Ius. Hostes hos reliquit nobis Dominus. Primò, vt probeat fidẽ nostram, num velimus potius verbo Domini, quàm concupiscentijs carnis obsequi. Deinde, vt re ipsa sentiamus, quanta sit impietas hominis, in qua conceptus & natus est. Alioqui nemo nobis persuadere posset, nos tam malos esse, nisi eam malitiam sentiremus. Quòd si magnitudo peccati nobis ignota esset, etiam magnitudo gratiæ ignota esset. Reliquit igitur Deus hostes, vt miseriam nostram sentiremus, & contra Dei gratiam. Tertiò, ne in securitate viuentes ad vitia laberemur. Hinc in Exodo dicitur. Non simul delebo omnes hostes tuos, ne multiplicentur contra te bestię. Vbi enim non sunt hostes, ibi multiplicantur bestię, id est, vitia.

Exo. 23.

Duxerunt uxores, & serui erunt dijs eorum.

Hoc pluries prædixerat Moyses. Certissimè (inquit) decipient te, quanquam enim omnis malorum conuersatio periculosa sit, maximè tamen in matrimonio hoc experti sunt Samson, Salomon, &c. Verùm Israelitæ huiusmodi præmonitionibus non crediderunt, putâtes se satis firmos esse. Sic caro semper præsumit, & verbo Dei credere renuit, quemadmodum & Petrus, quantumcunque à Christo præmoneretur, putabat tamen se fortiter acturum. Sed contrariũ postea expertus est. Præmonet nos etiam nunc scriptura à multis, nempe, vt caueamus à pseudoapostolis. Itẽ ab avaritia, &c. Nemo tamẽ credit, sicque decipimur. Obseruandum hic, quòd qui parua contemnit, paulatim incidit in maiora peccata. Sic Israelitæ leue putabant erratum, quòd non omnes gentes delerent è terra promissa, imò vix peccatum esse credebant, potius aut misericordiam interpretabantur. Ex eo tamẽ initio post in idololatriam grauissimum scilicet peccatũ ceciderunt. Sic ex ebrietate plerunque caditur in homicidium, & ex contemptu humanarũ legum ad contemptum vsque diuinæ legis. Monent igitur hæc exempla, ne vnquam diabolo locum demus, neue nobis ipsi plus æquo confidamus.

Matt. 26.

Rom. 17.
1. Tim. 6.

Obliti sunt Domini, & seruerunt Baulim & Astaroth.

Non sic intelligendum, q̄ omninò Deum verū ex animo & memoria eiecerint, aut quòd crediderint alium Deū esse, quàm eum, quē tantis operibus cognouerant. Quomodo enim in tantam infantiam peruenissent? in scripturis igitur obliuisci, Dominū est contemnere, aut non curare verbum, & præcepta eius. Sic de Iudæis dicitur in Ileremia: Populus meus oblitus est mei, & tamen eo tempore adhuc de templo & cultu Dei gloriabantur. Nihilominus tamen iudicantur, q̄ oblitī sint Dei, quia etsi nomen Dei in ore habebant, cor tamen eorum longè erat ab ipso. Dei igitur obliuiscuntur, qui præcepta eius non seruant, etiam si semper de Deo loquātur & cantent. Seruire autē dijs alienis est, cūm vel fiduciā non in solo Deo ponimus, vel alieno cultu eum colimus. Hoc enim nomen Deus, interdum significat Deum verum inuisibilem, vt cūm dicitur: In principio creauit Deus cælum, & cæt. Interdum autē significat externum cultum Dei, vt cūm dicitur: Fac nobis deos, qui procedāt nos. quo verbo hoc voluerūt, vt Aaron ipsis institueret aliquē cultum, quo Deum propitiarent. Non enim tā infāni fuerunt, vt crederent, q̄ homo posset facere Deū. Vnde & fabricato vitulo Aaron proclamauit: Cras solennitas Domini est, nō dicit solennitas vituli, ex quo parer, quòd hunc cultum vero Deo exhibere voluerunt. Vnde & dicunt: isti sunt dij tui, qui te eduxerunt. Non enim vitulus eos eduxerat, sed Dominus D & V S. Quòd igitur filij Israel seruijsse dicuntur dijs alienis, sensus est, quòd non omnem fiduciam in Deo vero posuerunt. Deinde, quòd omisso eo cultu, quem Deus præscriperat, alieno cultu & gentili ritu eum colere inceperant, quod ipse reprobat. Non vult enim coli, nisi eo ritu & cultu, quem ipse præscribit. Is autem cultus tunc consistebat in externis cæremonijs. Nunc autem consistit in spiritu & veritate. vult Deus, vt eum audiamus, Ierem. 7. vult, vt ei seruiamus in timore, Psalm. 2. Vult, vt credamus, vult vt eum diligamus, laude.

Ier. 2.

Ier. 32.

Gen. 1.

EXO. 32.

Ioan. 4.

Ioan. 6.

ANNOTATIONES

laudemus. gratias agamus, memoriã passionis Christi celebremus. Hunc cultum præscripsit Deus. Qui igitur aliquid facit contra verbum Dei, etiam si intēdat colere Deum, idololatriam cōmittit, vt pater de Saule, & cæt. Deinde, qui omisso eo cultu, quem DEVS præcipit alium cultum excogitat, idololatriam committit. Hic, igitur videamus, ne & in nos dici possit: Obliti sunt Dei, & seruerunt dijs alienis, &c. Quali autem ritu Israelitæ Deum colere cœperint præter imò cōtra verbum Dei, patet ex eo, quod subditur: Seruerunt Baalim, &c.

Cultus ille Baal initium sumpsit à Belo, qui secundus rex Assyriorum fuit, alio nomine dictus Iupiter secundum Berosum. Ipso enim mortuo, filius eius Ninus statuam in memoriam patris Beli instituit, circa quã postea cultum Dei exercuerunt. Qui cultus cum tempore auctus cæremonijs in speciẽ deuotis, & quia Assyrij tunc Monarchiam habebant, ab ipsis in alias etiã gentes hic cultus transiit, donec etiam ad Israelitas perueniret. Hi igitur omisso cultu, quem lex præscribat, hoc nouo & gētili cultu Deum colere incipiebāt, quod scriptura & hic, & alibi nominat seruire Baal. Nō quòd ipsum Baal, aut Belum putarent Deum esse, sed quòd cum cultum vero Deo exhibebant, quẽ gentiles circa statuam Beli exercebant.

Iratus Dominus, tradidit eos in manus Chusan, &c.

Hic videmus, quàm Deo displiceat, cum disceditur à verbo eius. Non credebant Israelitæ, se malè facere, propterea, quòd bona intentione nouum hunc cultum Deo exhibebant. Hic autem videmus, quòd Deus eum cultum respuit, qui fit contra verbum ipsius, quantumuis adsit bona intentio. Nō enim quod nobis videtur agendum, sed quod Deus iubet. Signanter igitur scriptura dicit Deum iratum fuisse, quod diligenter attendendum est. Quantumuis enim impij non curent iram Dei, sancti tamen nihil magis timēt.

Psal. 6. Vnde David: Domine ne in furore tuo arguas me, &
Natum. 1. cæt. Et Nahū: A facie indignationis eius quis stabit? Et

Amos:

Amos: Leo rugiet, quis non timebit? Ideo sequitur: *Antoeg.*
 Tradidit eos, &c. Tradit autem Dominus, cum auxiliū
 suum subtrahit. Quid enim potest homo sine Deo?
 Spiritualiter tradit impios cum vel per excommuni-
 cationem superantur ab Ecclesia, vel cum incorrigi-
 biles tradit vitijs & abstinentioni. Signanter autem di-
 citur, Tradidit eos. Nihil enim eis facere potuisset ad-
 uersarius, nisi Deus permisisset. Non igitur homo ti-
 mendus, sed Deus. Vide autem quam facile DEVS *Matt. 10.*
 punire possit. Nihil minus timere poterant Israeli-
 tæ, quàm ne à rege Mosopotamię caperētur, propter
 ea quòd longè ab ipsis esset, & tamen ipsi subijciun-
 tur. Sic facile etiam à longinquo Deus gentem ali-
 quam adducere scit ad pœnam malorum, id q̄ & sæ-
 pius re ipsa probauit. Vide etiam æquitatem diuino-
 rum iudiciorum. Qui Deo subdi volebant, coguntur
 homini subesse tyranno, vt discerent quanto melius *Deut. 20.*
 fuisset Deo seruire. Hic igitur experiuntur impletum
 quod per Moysen prædictum fuerat. Si, inquit, nō au-
 dieris, &c. seruius inimico tuo in fame & siti, &c. &
 ponet iugum ferreum super ceruicem tuā, &c. Octo
 autem annis seruire coguntur, quā diu scilicet in pec-
 catis perseuerabant. Spiritualiter, qui cōtra Deum se
 erigunt, dæmonibus & vitijs subijciuntur, interdum
 etiam tyrannis.

Et clamauerunt ad Dominum.

Hic vides ad quid proffit tribulatio. Nunquam Is-
 raelitæ peccatum suum agnouissent, nūquam ad Do-
 minum clamassent, nisi tribulatio eos coegisset. Hæc
 itaque vna causa est, cur Deus mala immittit. Mala e-
 nim, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. *Isa. 28.*
 Et vexatio dat intellectum. Vnde & Psalm. Cum affli-
 geret eos, quærebant eum. *Psalm. 77.*

Et suscitauit illis saluatorem.

Hic vides, quam promptus sit Deus ad misericor-
 diā, & quam verè dixerit: Si auerterit se impius ab im- *Ezech. 18.*
 pietate sua, &c. omnium iniquitatum eius non recor-
 dabor, &c. Videmus item, quid Deus quærat cum ad-

Sap. 1. uersa immittit, nempe vt emendemur. Nō enim dele-
 ctatur in perditione nōstra. Cæterū hæc exempla, qui-
 bus ostēditur Israelitas antea propter impietatem ho-
 stib. traditos, postea autē clamātes ad Dominū libera-
 tos fuisse summa diligētia obseruare debemus tāquā
 preciosissimas gemmas. Nam cū propter peccata no-
 stra punimur, cōscientia nōstra ad cō puida redditur,
 vt non audeat faciem suam ad cælū leuare, & Deū in-
 uocare. Timet enim, ne preces eius & gemitus nō ad-
 mittantur ab irato Deo. Verūm hæc exempla erigunt
 conscientiam & confirmant contra huiusmodi pu-
 sillanimitatē, ne dubitemus etiam peccatores Deum
 inuocare. Quod autē primus iudex, quem Dominus
 suscitauit ad liberationem Israelis, dicitur fuisse Otho-
 niel frater Caleph, indicio est, quā citò post mortem
 Iosue descuerint à lege Domini.

Tradidit in manus eius Chusan rasathain regem, &c.

Sicut hostis non potest vincere populum Dei, nisi
 tradēte Domino, ita nec vinci potest per populū Dei,
 nisi tradente Domino. Igitur victoria nō est tribuēda
 humanæ iustitiæ, fortitudini, aut industriæ, sed diui-
 næ clementiæ. Obserua igitur, quòd mutatis nobis o-
 mnia nobiscum mutantur. Sic Israelitæ cū in pecca-
 tis essent, bellum habebant, vincebantur & neminem
 habebant propugnatorē, nec Deum nec hominē: Nūc
 autē ad Dominū conuersi vincunt hostes, habent pro-
 pugnatores, capiunt aduersarium, deniq; quadra-
 ginta annis pacē habent. Sic Deus cum bonis est bo-
 nus, cum peruersis peruersus. In fine additur: & quie-
 uit terra 40. annis. Suprà promisit pacem & securitatē
 perpetuam sine determinatione temporis. Cur hic i-
 gitur tantum quadraginta annis dat pacem? Quia sci-
 licet ipsi Israelitæ non diutius permanserunt in pieta-
 te. Vnde sequitur:

Addiderunt filij Israel facere malum.

Hæc est secunda pars huius historiæ, de secūdo sci-
 licet iudice, vbi primò videmus, quanti referat bonos
 habere prælatos. Viuente siquidem Othoniele popu-
 lus

lūs in pietate persistebat: eo autem extincto, simul cū ipso extinguebatur pietas & salus populi. Non enim erat alius, qui ita vrgeret legem Domini, sicq; peccatis obsisteret gladio, vt ipse: vbi aut verbū Domini nō vrgetur, & gladius non obsistit impietati, illic breui omnia vitiorum genera inualescunt. Sapiētissimè itaque vtramq; potestatem, vtrunq; gladium in Ecclesia ordinauit, pietas enim populi pendet à pietate p̄sidentium, sic vnus Othoniel omnē populum in pietate conseruauit.

Addiderunt facere malum.

Hic vides quod suprà dixerat, quod mortuo ali. ^{supr. 22. 2.} quo iudice semper deterius peccabant. Speciali autem verbo hic vtitur scriptura: Non enim dicit iterum peccârunt, sed addiderunt, &c. nimirum vt ostenderet omnia peccata quæ facimus in vnum cumulum crescere, qui tandem in immensum augetur. Vnde & Christus: Implete mēsuram patrum vestrorum. Et Paulus: ^{Matt. 23} ^{Rom. 1.} Thesaurizas tibi iram, &c. Hoc attendant qui incessanter peccât, &c.

Confortauit contra eos Eglon, regem Moab.

Hic sequitur pœna, quæ iterum declarat minas Dei sem maximè seriam esse. Vt autem videamus Deum hanc pœnam irrogasse, dicitur hic: confortauit Dominus Eglon contra eos, alioqui is nunquam hoc attentare ausus fuisset. Sic in Isaia dicitur, Sibilabo mus. ^{Isa. 7.} cæ, quæ est in Aegypto, &c. id est, adducam super te gentes extraneas. Sed dicit, Si Deus impios confortet & incitat, ergo non peccant alios vastantes: Responso. Potestas hostium certò est à Deo, sed nō potestatis abusus. Volebat Deus punire Israelitarū peccata, sicq; ipsos ad se reducere. Hoc intendebat Deus & ad hoc utebatur Moabitis, ipsi aut potestate sibi data nō hac intentione utebantur, vt Israelitæ emendarentur & gloria Dei cresceret, sed tantum ex ira, odio, crudelitate & cupiditate. Idè paulò pòst etiam ipsi puniti sunt. Sic etiam contigit Nabuchodonosor, sic Sen ^{Isa. 10.} nacherib, &c. Sic adhuc multis contingit. Pauci enim

ANNOTATIONES

potestate sibi permiffa vtūtur ea intentione, qua Deus permiffit. Obseruandum hīc, quòd hostes noſtri non aliunde fortes fiunt, quàm è peccatis noſtris. Huc pertinet quod Achior Holofetni dixit: Si eſt aliquod peccatum ipſorum in Deum ſuū, poterimus vincere eos: ſin autem, non, &c. Sic filij Iſrael Amalechitas facili prælio vicerant prius, nunc ab ipſis vincuntur. Et Moabitæ adeò perterriti erant cūm ex Aegypto aſcenderent filij Iſrael, vt non auſi cum eis pugnare Balaā conducerent ad maledicendum eos, &c. nunc autem ipſis Moabitis ſubiecti ſunt. Sic impletum, quod Dominus dixit: Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non eſt Deus, & ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus. Obſeruandum autē hīc, q̄ Deus plerunq; crudeliùs affligit populum ſuum, quā alienos, etiamſi peiores ſint. Hoc autem ideò facit, primò quia in Iſrael erat verbū Dei, non inter gentes. Affliguntur ergò peccantes in verbum Dei, vt reiſa cōprobaret eū eſſe vetum Deū, qui in Iſrael prædicatur, verbumq; eius verè verbum Dei eſſe. Ob eandem cauſam Ananias ob paruā fraudem factam crudeliùs punitur, quā crucifixoſ Chriſti. &c. Deinde crudeliùs affligitur populus Dei propter peccata, vt hinc diſcant gentes quid ipſis patientium ſit. Ideò iudicium incipit à domo Dei. Vnde Ier. Ecce in ciuitate in qua inuocatum eſt nomen meum ego incipio affligere, & vos innocētes eritis? Et Petrus: Si primum à nobis, quis finis erit eorum qui non credunt? Et Chriſtus: Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Clamauerunt, ad Dominum, qui ſuſcitauit eis, &c.

Non dicit orauerunt, ſed clamauerunt, &c. Nunquā enim deuotiùs oratur, & magis ex corde, quā in afflictione. Hæc autē ſola oratio penetrat cælos, quæ ex corde procedit. Vnde & ſtatim exaudiuntur Iſraelitæ.

Suſcitauit eis ſaluatorem Ad nomine.

Hic eſt ſecundus iudex populi Iſrael, qui ſaluator dicitur propterea, q̄ Iſraelitas liberauit de manu Moabitarum. Neq; tamen ipſe vel alius quiſpiam iudicium
filios

filios Israel à peccatis liberare potuit, imò ne ab omnibus quidem hoc. Vnde manifestè patet differentia inter ipsos & Christum, qui solus perfectè liberare & saluare potest. Quantūuis igitur Israelite multos iudices & saluatores habuerūt, nobis tamen sufficit vnus saluator Christus, qui nedum potest quod illi potuerunt, corporaliter scilicet liberare ab hostibus, sed etiam spiritualiter potest liberare, imò & eternaliter saluare. Hinc in Matth. dicit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et in Ioan. Dediti, inquit, mihi filio tuo potestatem omnis carnis, &c. Matt. xx.
Ioan. 17.

Qui vtraque manu utebatur pro dextera.

Sic habet textus noster. Ideò autem hoc cōmemorat scriptura, vt ostendat, quid pertineat ad principem, nempe vt vtraq; manu vtatur, hostes oppugnādo & ciues defendendo. Sunt qui altera tantū manu vtantur, aut enim cōtra hostes pugnāt, sed ciues tyrannide premunt, aut ciuibus consulunt, contra hostes tamen nihil valent. Deinde etiam hīc ostēditur mysticè, quid ad omnes nos pertineat. Habemus siquidē hostem Eglō, qui interpretatur rota, significatq; instabilitatē. Huic hosti subiecti sumus, q̄ nec in prosperis, nec in aduersis constamus: in prosperis enim superbimus, in aduersis desperamus. Necessarius igitur nobis est Aod quispiam, qui vtraq; manu vti sciat, id est, tam in prosperis, quàm in aduersis nos constantes efficiat. Hoc autem sola fides in Deum firma facit. Ipsa enim docet & facit prosperis nō inflare, quemadmodum de Moyse legitur quod fide negauit se esse filium filix Pharaonis, &c. Eadem fides facit, vt aduersa constanter tolleremus, vt ibidem dicitur: Sancti per fidem vicerunt regna, &c. Cæterū in Hebræo habetur: Erat Aod inuvalidus manu dextera. Hoc autem ideò ponit scriptura, vt videamus qualis artifex sit Deus, nempe quod etiam per instrumenta inutilia magna efficere potest, iuxta illud: Quæ infirma sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Hoc autem ideò facit, vt ipsi omnis gloria ascribatur, nec vlla caro coram eo gloriari possit. Heb. 11.
Ibidem.
1. Cor. 1.

ANNOTATIONES

possit. Itaque quò quis infirmior est, eò aptius instrumentum diuinæ operationis sese existimet. Nemo igitur desperet. Non dicat eunuchus: En ego lignum aridum, &c.

Ma. 56.

Miserunt filij Israel per illum munera Eglon regi Moab.

Non contentus erat tyrannus tributo, sed insuper etiam subinde muneribus placandus erat. Præter tributum igitur & grauem seruitutē etiam munera offerre cogebantur publico hosti. Nec sic tamē aliquod reuelamen inueniebant. Sic punit Deus ingratitude nostram. Si meritis non datur quod eis debetur, itemque pauperibus in nomine Domini, necesse habemus inuiti dare immeritis & tyrannis in nomine diaboli, Quod non tollit Christus, tollit fiscus.

Aod autem fecerat sibi gladium, &c

Hic oritur quæstio, an Aod benefecerit, quòd subditus contra magistratum suum insurrexerit. Erant enim omnes Israelitæ serui Eglon, quo iure igitur licet seruo cōtra dominum suum grassari? Nōne scriptum est: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit? Item: Qui accipit gladium, gladio peribit? Verum hæc sunt intelligēda de his, qui resistunt potestati & gladium arripiunt priuata temeritate, & absq; authoritate diuina. De Aod autē dicitur: Suscitauit eis Dominus saluatorem. Vnde manifestè patet, quod à Deo ad hoc vocatus fuit vt liberaret Israel de manu Eglon, ideò non peccauit. Nec per hoc cuius licet resistere magistratui, nisi & ipse vocetur à Deo. Sic Iehu subditus lorā regis suscitatur à Deo cōtra Dominum suum, &c. & in hoc non tantum nō peccat, sed etiam laudatur & premiatur à Domino. Nemo igitur hinc exēplum sumat vel potestati reluctandi, vel alios interficiendi, Aod enim omnia hæc vocatus à Domino fecit.

Reuersus de Galgalis vbi erant idola.

Redierat cum socijs Aod versus terram Israel. Cū autem venisset ad Galgala, vidisset que regem in eo loco in contemptum Israelitarū idola erexisse, quē locum ipsi propter multa sanctum iudicabant, zelo
Dei

Rom. 13

Matt. 26.

4. Reg. 9.

Dei corripitur, & spiritu Domini induitur, reditque & occidit regem. Sic boni principis zelus eò magis ardeat, & se ostendere debet, quò magis videt gloriã Dei obfuscare, Deumque cõtemni. Magna autem fide proditus fuit Aod iste. Primò, quòd solus audet regem aggredi. Secundò, quòd vna manu inualidus erat, sicque rex multò fortior ipso erat. Tertiò, quòd satellites nõ longè aberant, qui ad clamorem regis accurrere eum, que iuuare poterant. Hæc (inquam) poterant ipsum deterrere à perpetrando facinore. Verùm fides omnia hæc vincit & paruipendit. tantùm enim in verbum & promissionem Dei, & vocationem suam respicit, idèd omnia perrumpit, adèd, vt etiam montes transferre possit. Vnde & Zorobabeli dicitur: *Mar. II. Zach. 4.* Quis tu mons magne coram Zorobabel? In planum scilicet deduceri. Sic igitur & nos è verbo DEI fortitudinem concipiamus ad aggredienda, quæ mandat Deus. Si enim in pericula & obstacula varia intenderis, nunquam aliquid efficias, semper erit, quod te absterreat.

Verbum Dei habeo ad te ô rex.

Quantumuis magnam fidem habuerit, nihil tamen temerè egit; sed omnia prudenter. Non enim tẽrandus est Deus. Sic Aod occultè sibi parat gladium, deinde paruum eum facit, ne videatur, prætereà sub vestibus occultat. Ad hæc in dextro femore eum portat, vt minus quis suspicari possit malum aliquid, prætereà relictis socijs solus adiit regem, vt omninò nulla insidiarum suspicio concipi posset. Ad hæc, vt eijciat satellites regis, simulat se aliquid stupendum & magnum habere, quod nulli, nisi regi soli narrandum sit. Postremò, occiso rege non moras necit, sed citò per posticum elabatur, vt interim dum serui falso errore ante fores cœnaculi tenerentur, ipse elaberetur. Hinc igitur discamus, vt nihil temerè agamus, nec Deum tẽtemus, sed humanis & naturalibus medijs vtamur, quoad possumus. Dum autem ea deficiunt, tunc non dubitemus Deum affuturum, &c.

ANNOTATIONES

Statimque per secreta nature, &c.

Vide infamem & turpem mortē tyranni. Hoc igitur exemplo Dominus ostendere voluit, quā turpiter & ignominiosē pereant hi, qui populum Dei affligunt. Quamuis enim Deus populū suum propter peccata puniat per tyrannos, tamen nō relinquit crudelitatem in tyrannis impunitā. Sic perierunt Pharaos, Nabuchodonosor, Sennacherib, Antiochus, &c. Vides etiā hīc, quā nihil prosint omnia vrgēte iudicio Domini. Multos hic seruos habuit, sed nunc nullus adest. Securior igitur est, qui Dominum habet, &c. Vnū tantū in hoc tyranno laude dignum fuit, quōd ad auditum verbi Dei assurrexit, & quōd etiam subdito aures præbuit benignas: quorum neutrum nostri satrapę faciunt, superbiores & pomposiores Ethnicis. Ceterū, occiso tyranno Aod, quod bonum decebat ducē, populum conuocat, præcedit, consolatur, hortatur. Sequimini me, inquit, tradidit Dominus, &c.

ALLEGORIA.

Sicut Aod primò hostē per seipsum occidit, postea populum ad bellum cōuocauit: sic Christus primò solus cōtra diabolū pugnavit, eumq; vicit, postea cōtra deuictū hostē Apostolos, imò omnes nos cōuocauit, qui alioqui nihil agere poteramus contra tā potentē hostem, nisi Christus eum primò strauisset: Imò ne resistere quidem ausi fuisset. Hūc igitur ducem nostrum sequamur. Ipso enim præcedente non potest consistere aduersa pars. Exurgat Deus, &c.

Psal. 67.

Post hunc fuit Sangar filius Anath, &c.

Nihil magnum de hoc iudice dicitur, verūm non omninò nihil. Primò enim ad laudem eius pertinet, quōd filij Israel non leguntur sub ipso malum egisse, id, quod certum iudiciū est, ipsum bonū fuisse, & alios ad bonum incitasse. Nusquam enim leguntur filij Israel sub malis principibus in pietate constitisse. Solūm igitur hoc satis commendare posset hunc iudicem. Deinde ad laudem eius pertinet, quōd pacē sub Aod factā multiq; annis conseruauit. Nō minus enim
laude

laude dignum est, pacē partam conseruare, quā pacē procurare, bona parta conseruare, quā de nouo acquirere. Utinā nos Germani cōseruare possemus, quæ patres nostri magnis laboribus acquisierunt spiritua-
lia & æpōralia. Vnus quod Paulus plantauit Apollo **1. Cor. 3.** rigauit, posteriores episcopi, &c. in vigore conserua-
rent. Verūm quod Romanis olim contigit, etiā nobis contingit. Non deerant ipsis, qui multa acquirerent, postea autem non erant, qui parta conseruarent, sic nobis. Non minore laude digni sunt principes, qui ab alijs benè acquisita benè conseruare student, quā hi, qui de nouo ea acquisierunt. Malo vnum ciuē seruare (ait Fabius ille cunctator) quā mille hostes occidere. Signanter tamen hīc exprimitur, quo pacto Sāgar ille pacē partam conseruārit. Percussit, inquit, sexcentos Philistæos vomere, &c. Vbi primò satis innuitur, quòd non fuerit pompæ deditus, sed etiā iudex tanti populi agriculturæ operā dedit. Tales erant olim veteres Romani Fabricij, Curij Cincinnati, &c. qui ab aratro ad summum imperium vocabantur, & inde rursum ad aratrum redibant. Nunc qui vel minimum officium habet, pompæ deditus est, filios & vxores purpura vestit, &c. hinc oriuntur exactiones, & grauamina subditorum, &c. Sagar autem paucis contentus non his opus habuit. Ceterū, vbi nos habemus, percussit eos vomere, alij legunt, ex Hebræo: percussit eos stimulo bouum. quasi dicat, percussit eos non lanceis, aut gladijs, sed instrumentis rusticis, baculis scilicet & stimulis. Hoc autem non sine causa expressit scriptura, significare enim per hoc voluit pijs, non opus esse multis armis, imò nihil tam vile, abiectum & ineptum esse, quod nō fiat cōmodissimum & aptissimū instrumentum præstandi auxiliij, si mens sit verbo Domini munita & armata. Sic Dauid in funda & lapide deiecit **1. Reg. 17.** Philisthæum. Sic Samson maxilla asini percussit ho- **Iudic. 15.** stes, &c. In summa, si mens sit sana, & fide armata, sepes lignea fit murus lapideus, & pedum pastorale fit gladius acutus. Si verò mens nō fuerit armata verbo

ANNOTATIONES

1. Reg. 17. Domini, tunc murus minus munit, quàm sepes, vt testantur muri Hiericho: & gladius in iugulum Domini sui recogitur, vt vides in Goliath. Vnde in Psalm. dicitur: Non saluatur rex per multam virtutem, &c.
Psalm. Ecce oculi Domini super metuentes eum, &c. Docet igitur hic Saugar principes, vt studeant pacem à maioribus partam conseruare. Docet deinde pastores ecclesiasticos non semper gladio vti debere, sed plerunque vomere verbi dura corda mouere. Diabolo enim non minus resistitur verbo, quàm gladio, imò plus. Postremò docemur omnes, vt veri agricolæ simus, terram cordis nostri excolètes, ac aratrum semel susceptum, id est, crucem Christi non relinquentes, nec respicientes ad ea, quæ vt stercorea retrò reliquimus. Sic enim fortes erimus aduersus hostes, & cadent à latere nostro milie, & cæt.

CAPVT IIII.

IN hoc capite describitur, quis fuerit status, aut politia Israelitici populi sub IIII. iudice, Barach scilicet & Debora, qui pro vno iudice computantur, eò, quòd cõmuni animo res gesserunt. In primis aut iterum peccatum, iterum supplicium, iterumque liberatio nobis ob oculos ponuntur. Hæc enim tria fermè in omnibus capitibus huius libri proponuntur, nimirum, vt eò fortius mentibus nostris imprimatur, quàm damnosa res sit peccatum, & maximè idololatræ; deinde, quàm horrèdum sit incidere in iudicium Dei; & postremò, quàm potens sit manus Domini ad se conuersos liberare.

Addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod.

Psalm. 77. Hic primò videmus, quàm facilè homo obliuiscatur beneficiorum Dei, id, quod scriptura multū exaggerat. Citò, inquit, fecerunt, obliui sunt operum Dei, &c. Va.

&c. Vnde meritò brutis animalibus insensatiores iudicamur. Cognouit, inquit, bos possessorem suum, & *Isa. 1.* asinus præsepe Domini sui, & cæt. Videmus deinde, quam proni simus ad idololatriam, vbi enim nõ semper gladio verbi Dei obstititur, semper in superstitiones cadimus, &c. Hinc est, quòd etiam ad oculos videmus eos, qui verbum Dei contemnunt, aut maximis peccatis, aut vanissimis superstitionibus obnoxios esse. Prætereà videmus hinc, nihil periculosius esse carnali securitate. Nam deuictis Mesopotamijs, Moabitis & Philistæis videbantur Israelitæ nullum alium hostem habituri, qui aduersus ipsos mutire auderet. Et fruebantur iam pace octoginta annis. Ideò ducebant vitam securissimã, contemnebant verbum Dei, cogitantes, quis eis possët resistere. Hoc prædixerat Moyses: *Deu. 32.* Incrassatus est, inquit, dilectus, &c. Subdit autem: Vidit Dominus, & ad iracundiam incitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filie, &c. Sicut igitur Moyses tunc prædixit, sic nunc contigit, idè sequitur.

Tradidit eos Dominus in manus Iabin.

Quis fuerit ille Iabin, nõ hinc exprimitur, de Azor autem & rege eius alibi audiuius, quòd Iosue eã *Iosue 11.* uitatem deleuit, & regem eius interfecit. Fieri igitur potest, quòd hic Iabin filius aut nepos illius fuerit, què Iosue interfecit. Constat tamen ex litera, quòd ciuitatem Azor à filijs Israel recepit & reedificauit, quandoquidem dicitur, q̄ regnauerit in Azor. Vnde patet, quòd in auersionem filiorum Israel à Deo etiam omnis prosperitas eorum mutata fuit, & quod prius magna gloria acquisierãt, nunc iterum perdunt, imò sub iugum rediguntur eorum, quos prius vicerant. Tradidit, inquit, eos. In Hebræo habetur, vèdidit, quo verbo significatur Israelitas à Iabin non aliter tractatos, quàm iumèta & pecora, què vèdi & emi atq; ad vilissima & laboriosissima quèq; ministeria deputari solèt, adcoq; tãta seruitute oppressos esse, vt ipsa mors optabilior ipsis fuisset. Primò enim (quod ad humanum iudicium attinet) nulla ipsis spes liberationis aderat,

nam

ANNOTATIONES

nam in Deo nihil illis auxiliij situm videbatur, quòd ipsum peccatis suis abalienauerant. Nec vllum apud homines auxilium emicabat, erant enim omnes finitimi ipsis infensissimi. Ad hæc ipse Iabin tyrannus implacabilis videbatur, quòd Israelitæ maiores eis trucidassent, & metropolim regni eius nomine Azor igni combussissent. Denique & tyrannis eius potentior erat, quàm vt Israelitæ possent se suis viribus inde vindicare. Dux enim exercitus eius habebat non gentos falcatos currus. Tanta grauitate punit Deus securitatem carnalem, & cõtemptum verbi sui. Mysticè, cùm à Deo recedimus, moritur nobis Aod & Sangar, id est, boni prælati, sicque tradimur & vendimur in potestatem diaboli, vnde ex nobis ipsis redire non possumus, nisi Deus subueniat.

Clamauerunt filij Israel ad Dominum, &c.

Hoc prius non semel profuisse experti fuerant, ideò etiam nũc repetunt. Videtur autẽ textus dicere, quòd post viginti annos primùm clamauerint. Verisimile quidem est etiam antea eos clamasse, sed ex indignatione & impatientia & execratione hostium, & nulla agnitione peccati. Verùm hunc clamorẽ non exaudit Deus. Non igitur etiam Israelitæ exauditi sunt vsque in 20. annum, quo tandem durissima seruitute eruditi incepterunt clamare ex agnitione peccati. tam tardè agnoscimus peccata nostra. Et nos etiam facilè in tribulatione clamamus, quia autem interim à peccatis non cessamus, nec emendamus, certum est, quòd magis ex impatientia clamamus, quàm ex agnitione peccatorum & fide, quid igitur mirum, si nõ exaudimur?

Erat autem Debora prophetissa vxor Lapidoth, &c.

Psal. 144.

Audiuimus iudiciũ Dei, audiamus & eius clementiam: Nõ enim minor est in misericordia, quàm in iudicio, imò suavis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Audi igitur, quomodo liberati sint. Erat, inquit, Debora, &c. Propheta dicitur in scriptura, primò, qui futura instinctu Dei prædicit, qualis fuit Isaias & cæteri, secundò, qui verbum Dei

inter.

interpretatur & annunciat, vt Aaron qui fuit propheta
 ta Mofi, id est, loco Mofi annunciauit Pharaoni verbū
 Dei. Fuit igitur Debora prophetiffa, quia reuelationes
 habebat à Deo, vt infra dicitur, item quia quæstiones
 foluebat, docebat timorem Dei, consolabatur afflictos,
 prædicabat voluntatem Dei, cantica fpiritualia confi-
 ciebat, pro populo orabat. Hic igitur vides populū Dei
 nunquam fic derelinqui, quin aliqui remaneant, qui
 & Dei gratiam habeant, & alijs consulere poffint. Sic
 tempore Achab, cum omnia desperata videbātur, ad-
 huc supererat Helias, imò etiā alia feptem millia viro-
 rum, &c. Sic in paffione Chrifti omnia deplorata vi-
 debātur, tamē supererat mater Chrifti fub cruce ftās,
 accedebant deinde Nicodemus & Iofeph, &c. Sic hic
 Ifraelitæ quamuis indigni, non tamen omni confola-
 tione deftituebantur, fed habebant adhuc prophetif-
 fam & verbum Domini, vnde confilium petere pote-
 rant. Videmus fecundò hic nullum fexum à Deo om-
 ninò abiectum. Malè audiebat fexus muliebris apud
 gentiles philofophos, propterea quòd multis occasio
 perditionis fuerat. Deinde etiam maledictus fuerat in
 Eua. Præterea nullus mulieribus publici honoris locus
 in Republ. Ifraelis hactenus contigerat, è quibus fuf-
 picari quis poffet mulieres coram Deo abominabiles
 effe. Vt igitur declararet Dominus etiam hunc fexum
 fibi gratum effe non minùs, quàm virilem, elegit mu-
 lierem in propheten & iudicem & liberatricem popu-
 li. Ob eandem caufam videmus etiam hic coniugium
 à Deo probari, ex eo, quòd mulier matrimonio iuncta
 prophetiæ fpiritū habet. Videmus deniq;, quòd Deus
 non femper eodem modo liberat. Liberauit Loth per
 angelum Gen. 19. Item que Ezechiā. Ifraelitas aliquan-
 do per viros vt per Mofen. Iofue &c, aliquando per
 mulieres vt per Iudith, Hefter, Deboram, &c. vt fcia-
 mus Deum multis modis poffe iuuare, nec vnquam
 desperemus de eius auxilio, &c. Quòd autem mulierē
 in propheten & iudicē elegit, primò factū effe ad humi-
 liandam superbiam Ifraelitarum, quemadmodum &

nunc

Gen. 2.

3. Reg. 19.

2. Reg. 19.

ANNOTATIONES

nunc pauperibus dantur dona quæ diuites magna pecunia emerēt. Per hoc autē humiliare eos vult Deus, ne nimium superbiant, aliosque contempnant, cum videant & sibi multa deesse, & etiam alios habere sua dona à Deo etiam si pauperes sint. Secundò, vt manifestaretur hoc opus liberationis non esse opus humanæ virtutis, sed diuinæ clementiæ, quemadmodum & Christus pauperes elegit vt non posset gloriari homo, sed omnis Deo gloria ascriberetur. Postremò satis hic apparet, quantum Israelitæ contempserint verbum Dei, vt ad mulierem spiritus prophetiæ concesserit, quemadmodum & nunc simplices plerique plus de scripturis sciunt, quàm hi, qui alios docere deberent. Sic Deus prouocat nos in eo, qui nō est populus, & in gente stulta irritat nos vt confundamur.

Misit & vocauit Barach, &c.

A verbo Dei incipit liberatio nostra. Quando liberare vult, excitat prophetas, & mittit verbum suum, iuxta illud. Misit verbum suum & sanauit eos. Contra cum punire vult aufert verbum suum, iuxta illud: Auferam à Ierusalem prophetam & iudicem, &c. Item: Mittam vobis famem, non panis & aquæ, sed audiendi verbum Dei, &c. A verbo igitur Dei Debora exorditur. Nihil enim rectum efficimus, nisi verbum Dei præcedat, consulat, ducat, doceat. Cæterum de Barach quisnam fuerit, incertum est. Aliqui volunt ipsum fuisse maritum Debora. Alij aliter, sed hæc nihil ad rem. Ad hunc igitur mittit Debora, quia hunc etiã à longe positum & latitantem elegerat Deus. Ipse enim nō vicina tantum videt, sed etiam quæ procul sunt. Nec quisquam sic latet in obscuro, vt eum non videat qui plerumque de terra suscitatur in opem, vt collocet eum cum principibus populi sui.

Præcepit tibi Dominus Deus tuus Israel. &c.

In Hebræo habetur: Nōne præcepit tibi Dominus quæ ita sonant ac si prius quoque Barach admonitus fuisset à Debora, vt aduersus Sisaram bellum gereret, ipse autem timore cunctatus esset, ac detrectasset bellum.

lum.

1. Cor. 1.

Deut. 32.

Psal. 106.

Isaia. 3.

Mic. 23.

Psal. 112.

lum. Et quidem non vsq; aded mirum est si cunctatus fuit. Multa enim erant, quæ animū eius dubium reddere poterant Primū, quia nulla verborum pompa, sed simplicissimè dicitur ei: Vade, duc exercitum, &c. Deinde, quia hoc verbum dicitur à muliere, quod genus varium est & mutabile Ad hæc, nec à vulgo Israelis, nec à potentioribus & sapientioribus eius populi pro verbo & vocatione Dei habebatur Præterea nullis præsentibus miraculis cōfirmatum erat. Postremo, videbatur mādare impossibilia. Quid igitur mirum, si cunctatus fuit? cū nesciret hoc esse verbum & vocationem Dei. Interim tamen non excusatur, quia haud difficulter cognoscere potuit hoc esse verbū et vocationē Dei Primum ex eo, q̄ consentaneum est generalibus promissionibus Dei. Promisit enim Deus se Israelē ab omnibus hostibus liberaturū, & in omnibus aduersis auxiliatorem adfuturū. Deinde ex ministerio prophetiæ, quo Debora fungebatur. Dicit enim scriptura Debora fuisse prophetē. Non autē habita fuisset prophetes, nisi in hoc munus miraculis ab initio sanctificata & inaugurata fuisset, aut alioq̄ diuina ordinatione in ministerium prophetiæ peruenisset. Quare tametsi verbū hoc præsentibus miraculis nō confirmat Debora, tamē q̄ ministerium eius antea diuinitus confirmatū fuit, nō dubitare debuit Barach hoc esse verbum & vocationē Dei. Meritō igitur arguitur à prophetissa. Qui enim audire negligit verba vocantis Dei, audire cogetur verba redarguetis. Cæterum omnia hæc verba emphasim habent: Nōne præcepit tibi Dominus, &c. Q. d. putas me proprio motu hæc conari & dicere? Nescis me esse propheten? Non ego tibi præcipio, sed Dominus, nec quicūq; sed Deus Israel cui omnes obedire tenentur, maximè nos &c. Cæterum quibus coniecturis Barach cognoscere potuit verbū Dei esse quod audiebat à Debora, eisdem & nos cognoscere possumus verbum Dei esse, quod in absolute audimus. Multa enim sunt, q̄ etiam nos dubios reddere possent. Nā verbū absolute audimus ab homine, q̄ equè peccator est ac ego.

Deinde

Deinde nō accedunt præsentia miracula. Insuper sentimus adhuc peccatum & iram Dei in conscientia. Ex eo tamen cognoscitur esse verbum Dei, primò quia consentaneum est Euangelio quod prædicat remissionem peccatorum gratis propter Christum. Deinde ex autoritate ministerij Euangelij. De ministris enim Euangelij dicit Christus: Qui vos audit, me audit. Et quorum remisistis peccata, remittuntur, &c.

Si veneris mecum, ibo, &c

Videntur etiam hæc esse verba incredulitatis, sed res ipsa declarat hunc Barach fuisse præditum magna fide. Et in epist. ad Hebr. is idem producit in exemplum fidei. Ideo sentiendum est hæc esse fidei verba. Non enim Barach ideò postulat, vt Debora secum proficiscatur, quia non credit verbo Domini, sed quia credit, ideò postulat vt secum proficiscatur, primò vt ad manum habeat propheten, per quam in tam periculosa expeditione in fide cōfirmaretur. Deinde, vt semper voluntatem Dei per ipsam scire posset, ne quid perperam ageret. Solo enim verbo Dei duci voluit. Præterea, vt manifestum fieret hoc opus non esse humanæ temeritatis, sed diuinæ vocationis, sicque populus libentius sequeretur.

Surrexit Debora, & perrexit cum Barach in Cedes.

Vide hic qualiter Barach se instruat ad bellum. Prima illi cura erat, vt haberet secum propheten cū verbo Dei. Deinde populum quidē conuocat, sed paucos, & tantū ex duabus tribub. & quidē humilioribus. Ex altera parte habebat Sisara (Iosepho teste) ter cētum millia armatorum, & 10000. equitum, præter nongentos illos falcatos currus. Quis igitur crederet ipsum vinci posse à tam paucis Israelitis? imò quid aliud fecisse credendi sunt aliæ tribus Israel, cum viderent Barach cum tam imbelli exercitu aduersus tot & tantos hostes proficisci, nisi quòd partim stultitiã & insaniã eius riserint, partim deplorauerint publicam Israelitarum salutem temeritate paucorum magis prodi, quàm restitui, & hac expeditione hostes plus irritari, quam

quã superari? Nihilominus tamen Barach in fide verbi procedens vincet. Eodem modo pij homines ridetur vbi solo verbo Dei nituntur. Verum hoc non curant, sed pergunt in sua vocatione, sentiunt que tandem inuictos esse qui verbo Dei nituntur.

Nunciatum est Sisaræ, &c.

Sisara hic typus est diaboli, qui tunc magis cõtra homines se opponit, cū videt ipsi velle reluctari. Est etiã exemplum omnium impiorum, qui cõ plus infaniunt, quò proprius eis imminet iudicium, id q̃ videmus in Pharaone, Sennacherib, Balthasar, &c. Magna igitur pompa hic Sisara procedit in bellum, confusus suis viribus & multitudine populi, sed quia Dei obliuiscitur, constare non potuit. Vnde sequitur:

Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus, &c.

Trepidat quidem Barach ad cõspectum tot hostiũ, sed rursus verbo Domini confirmatur, eo que verbo magis animatus fuit, quàm si multa millia hominum in auxilium eius venissent. Verè enim insignis consolatio, Dominus ipse erit ductor tuus, &c. Proinde & nos cum in periculis trepidamus, inquiramus verbũ Domini, & teuocemus in memoriam fidei promissionem Dei. Hæc enim per fidem concepta in tantam securitatem erigemur vt iam nos omnia mala euasisse existimemus, &c.

Perterruit Dominus Sisaram.

Fugatur ab hominibus, terretur à Deo. sic iudicio Dei appropinquante ex omni parte impij expugnantur. Armantur etiam creaturæ ad vltionem impiorũ. Multipliciter autem terret Deus. Pharaonem terruit rotas curuum subuertendo. Quinq; reges cõtra Iosue pugnantes terruit grandine de cælo ipsi simmissõ. Aliquibus immittit pauorem, vt cùm dicit: Dabit tibi Dominus cor pauidum, &c. Hinc & in Isaia dicitur: In die illa erit Aegyptus quasi mulieres & stupebũt & timebunt, &c. Fieri igitur potest, vt aliquo istorũ modorũ etiam terruerit Sisaram, vel potius omnibus his modis simul. Magnum enim terrorem fuisse oportet

Sap. 5.

Exod. 14.

Iosue 10.

Deut. 12.

Isai. 19.

ANNOTATIONES

ut tantus exercitus fugeret adeo, ut nec Sisara currus suo satis fideret. Hic igitur videmus quàm certæ sint promissiones Dei. receperat se populum suum in aduersis seruaturum, id nunc apertissimè ostēdit. Nemo igitur Dei promissis diffidat, si naturaliter fieri aut impleri non possunt, Deus mirabiliter ea implebit, id quod non semel fecit. Deinde videmus hic, quod Deus in manu sua habet corda omnium aduersariorum populi Dei, & potest illa vertere quocūque voluerit, facitque ut vel ad

2. Reg. 15.

conspēctum populi Dei trepident & desperent, aufertque eis omnem cordis eorum fiduciam, qua ablata, arma iam magis oneri sunt quàm vsui. Quid igitur timeamus impios? Potest Deus infatuare consiliū Achis

Deut. 6.

tosel, potest retūdere præsumptionē Sennacherib, potest reprimere seuitiam Pharaonis & Antiochi. Solus igitur Deus timendus. Dominū Deū tuū timebis & illi soli seruiēs. Præterea videmus hic aduersarios populi Dei tū vel maximè perire, dū videntur potētissimi ac habere victoriā in manu. Sic cōtigit Pharaoni, &c.

Prou. 21.

Postremò videmus hic nō esse cōsiliū aut fortitudinē contra Dominū. Magna pompa egressus fuerat Sisara hic, nunc turpiter fugit. Magna igitur stultitia est confidere in potētia humana & virib. & interim impiè viuere. Quid possunt prodesse omnia mundana, si Deū aduersarium habemus? Tunc autem cum habes aduer

Psal. 5.

farū, cū impiè agis, Quia est Deus nō volens iniquitatē. Vis igitur securus esse etiā citra humana præsidia, imò in medio hostiū, pietati stude & erit tibi Deus igneus murus. Erit tibi nomen eius turris fortissima. Castrametabitur angelus eius in circuitu tuo & eripiet te. Secureque dicere poteris: Tu es firmamentum meum, &c.

Psal. 6.

Heber autem Cinæus recesserat, &c.

Hoc recensetur propter ea, quæ de Iahel postea sequuntur. Cinæi autem erāt descendētes ab Obab vel Iethro cognato autē socero Moyfi. Hic Ietro ad populum Israel venisse & cum eo ad terram Chanaan per-

Num. 10.

rexisse scribitur in Num. idēō posteris eius datur locus intra

Intra terminos Israelis in gratiam Moyſi, poterantque huc illucque diuertere quocumque libuiſſet. Ob hanc cauſam dicitur Heber hic locum mutaſſe. Nemo enim ex Iſraelitis impediēbat. Ad huius igitur tabernaculum diuertit Siſara ſperans ſe illuc conſeruandū propterea quod pax eſſet inter Iabin & hunc Heber eiſque domum. Verum longè fallitur, ubi enim euasione ſperat, illic vel maximè perit. Sic impijs omnia contraria ſunt, nec Hier. 22 poſſunt latere aut effugere. Si occultabitur, inquit, vir & ego non videbo eum? Et iterum: Dies Domini tenebræ & lux. Fitque in iudicio Dei quaſi qui fugit Amos 21 leonem & occurrit ei uſus: & cum euaserit uſum, mordetur à colubro. Sic contigit Siſaræ: Putabat ſe euaſiſſe, verū ideò euadere permiſſus fuit, ut turpius periret. Quòd ſi tam terribilia ſunt particularia iudicia Dei ſuper impios, ut nullum eis relinquatur effugium, quid erit in iudicio generali? Miſeros nos, qui nō timemus nec Deū præuidemus & præuenimus eius iudicium.

Egreſſa autem Iabel, &c.

Hæc eſt mulier illa, de qua Debora prædixerat: in manu mulieris tradetur Siſara. Non du bium, quin Barach multum ſecum cogitauerit quæ nam futura eſſet illa mulier tam magnum & egregium facinus auſura, videt hinc, & experitur quæ nam illa ſit. Non caſu factum fuit, quòd Siſara ad ipſam venit, ſed DEI ordinatio erat. Per ipſam humiliari debebat tyrannus, Iudic. 9. & finis tyrannidi eius tandem imponi. Eodem modo & Abimelech tyrannus à muliere ignota lapide grandi ad excuſſionem uſque cerebri vulneratus eſt. Et Hoſernes à Iudith decollatus. Poterat Deus alio modo Iudith. 13 perdere impios, ſed ſic placuit ignominioſè eos perdere, ut impleretur, quod in Pſalm. dicitur: Videbunt Pſalm. 52 iuſti perditionē, ſcilicet impiorū, & timebunt, & ridebunt & dicent: Ecce homo qui nō poſuit Deum adiutorē ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarū ſuarum, &c. Ego autē ſicut oliua fructifera in domo Dei mei ſperauit in miſericordia eius, &c. Mirum autem, quod

ANNOTATIONES

quòd mulier tantum facinus ausa fuit, cū sexus ille natura tam formidolosus sit, vt vix armatū virum aspicere audeat, nedum ad interficiendum aggredi. Et Sisara eo tempore apud omnes finitimas gentes etiam suo nomine terribilis, quemadmodum hoc tempore est nomen illud Turca. Verūm hæc est natura fidei, q̄ etiam naturę imbecillitatē vincit, & ea, quę terribilia sunt, contēptibilia reddit. Sic nos natura nostra mortē tanquam crudelissimum tyrannum formidamus, & ad ipsum mortis nomen ita tremur, vt expelle scamus, quam tamen sancti martyres fide muniti constantissimē & summa alacritate aggressi sunt. Et quid multis opus? Longē maius opus est q̄ Catherina martyr & virgo intrepida stetit cōtra mortem, quā quod Iahel aggredi ausa est Sisaram. Vtrunque tamen per fidem affectum est. Obserua autem prudētiam ipsius Iahel, quod viribus non poterat, hoc insidijs & fallacijs executā est ipsum familiariter alloquendo, potando, obte gendo, &c. Verum hīc multa occurrunt dubia. Primum num liceat simulare amicitiam & tamen sub ea specie inimicum agere? Aliter loqui, quā in corde sentias? Hospicio susceptum occidere? Afflicto afflictionem addere? quæ omnia Iahel illa fecit. Hīc planē respondendum, hæc non licere Christianis, quibus præcipitur, vt omnes verē diligant, sitq; sermo eorum est est. nō non. Itemq; vt quod sibi fieri nolint, alijs ne faciant. Nec in hoc cōmendatur Iahel, quòd hospitem, cui fidem dederat, fefellit, quemadmodū nec Iudith in eo q̄ Holofernem ad concupiscentiam sui verbis & ornatu induxit, itemq; in eo quod plura ei mendacia dixit. Sicut igitur obstetrices Aegyptiorum non in hoc cōmendantur quòd regi mentitæ sunt, sed q̄ paruulis Israelitarum misertæ, & sicut villicus ille malus nō hoc laudatur quòd Dominum fraudauerit, sed quòd prouidit futura, eodem modo Iudith & Iahel non ob id commendantur quòd falsa quædam dixerint, & cæt. sed quòd tantæ fuerunt fidei & charitatis, vt seipsas periculo obijcerent pro Deo & populo eius.

Nemo

Matt. 5.

Matt. 7.

Exod. 1.

Lucæ 16.

Nemo igitur siue vir siue mulier sit, per hoc factū Iahe-
 lis excusare conetur mendacia sua, fallacias, insidias,
 proditiones, hypocrisim, infidelitatem. Nec enim
 ipsa Iahel in his excusatur à sanctis, sed tantū in
 principali facto. Nemo igitur hinc exemplum sumat.
 Queritur deinde nū Iaheli licuerit Sisaram occidere
 cōtra ius amicitie & fœderis quod cum ipso habebat? Hic
 duo consideranda sunt, primò quid mouerit Iahelem
 ad hanc cædē. Multa enim sunt quæ homines mouēt
 ad homicidia. Alterū mouet odiū, alterum auaritia,
 &c. Hanc autem nihil tale mouit, sed tantū fides in
 Deum, item amor gloriæ Dei, & misericordia erga af-
 flictum populum Dei. Deinde considerandum quis
 fuerit ille Sisara, nempe impius & nunc etiam à Deo
 proscriptus & morti adiudicatus. Tradā, inquit, cum in-
 manus tuas. Sicut igitur in externis cuilibet datur ius
 spoliandi & quoquomodo fieri potest trucidandi ad-
 uersarium imperij quem imperator proscripsit & ban-
 no imperiali colligauit, ita omnes quos Deus proscri-
 bit & occidere iubet, nedum possumus, sed etiam te-
 nemur persequi & opprimere nō obstante quacunq;
 amicitia, fœdere, consanguinitate, &c. Plus enim Deo
 debemus, quam hominibus. Sic Leuitæ qui ex præce-
 pto Domini per Moysen fratres suos occiderunt pro-
 pter peccatum vituli in scriptura cōmendantur & præ-
 miantur. Itaq; Iahel occidens Sisarā non peccauit, nā
 quia à Deo proscriptus, traditus & cōdemnatus erat,
 nō tenebatur ius fœderis cū ipso seruare: imò in hoc
 rem bonam & laudabilem fecit præferens volunta-
 tem Dei hominum amicitie. Sed nunquid cuilibet li-
 cet occidere tyrannum populum opprimentē quem-
 admodum Romani occiderunt Iulium & Caium Ca-
 ligulam & plerosque alios? Responsio. Non, Petrus
 enim iubet vt obediamus Dominis nostris, non tan-
 tum bonis, sed etiam discolis. Et subdit: Hæc est enim
 gratia si propter conscientiam Dei sustineat quis, &c.
 Vnde & sancti martyres patienter tulerunt etiam im-
 pijssimos tyrannos. Esset etiam tam multitudini,

ANNOTATIONES

EROU. 20.

Supr. ca. 2.

Iohel. 2.

quàm eius rectoribus periculosum si liceret privata præsumptione occidere tyrānos, plerunq; enim hoc mali plus quàm boni attentant. Malis enim graue solet esse quodcunque dominium, non tantum tyrannorum, sed etiam bonorum principum, quia secundum sententiam Salo. dissipat impios rex sapiens. Magis ergo immineret periculum multitudini de boni regis amissione quàm remedium de tyranni subtractione. Nemo igitur manus extēdat in potestātē, nisi expressum Dei mandatum habeat quemadmodum Aod habuit contra Eglon & Iahel contra Sisaram, de quo dictum fuit quod à Domino tradēdus esset in manus foeminæ. Si Dominus eum tradidit in manus Iahelis, ergo potuit & debuit eum occidere. Non igitur propria temeritate hoc fecit, sed instinctu Domini. Nihil igitur hic locus patrocinator seditiosis, &c. Videmus igitur in hoc textu quàm miserè tandem pereāt impij, quod relictī à Deo nihil usquā rutum inueniant quantumcunq; in prosperitate cōstituti multos videantur habere amicos. Mone-mur deinde ut posito ob oculos turpi impiorū exitu deterreamur ab iniquitate & impietate, nec quicquā impiū conemur fiducia rerū carnalium, sed cōpare-mus cōsilia & conatus nostros ad verbū & obedientiā Dei. Qui enim ambulat in vocatione & obedientia Dei, is potest in omnib. aduersis sperare in Deum & inuocare nomē eius in fide. Qui autem inuocat nomē eius nō pudefit. Maximè aut hinc spectanda est fides & charitas Iohelis quæ & se & suos periculo exposuit p-pter gloriam Dei & salutem Israelitarum oppressorū. Verè magna fides & ingens charitas. Verumq; in necessitate probatur. Multi iactant fidem, sed in necessitate desperant. Alij iactant charitatem & interim nefestucam leuant pro salute fratris, ut interim taceam quod fratres opprimunt, impijs parcunt. Allegoricè, qui diabolum prosterne cupit, non suis virib. confidat, sed arripiat clauum & malleum, id est, apprehendat Christum clavis & malleis pro nobis crucifixū. Hoc vno medio vincitur, imò iam olim victus est diabo.

diabolus. Vnde Christus iturus ad passionem dixit: Ioan. 12.
Nunc princeps mundi eicietur foras, & cæter. Et alibi: Ioan. 16.
Confidite, inquit, ego vici mundum.

CAPVT V.



Ost victoriam sequitur carmen trium-
phale, quod composuerunt Debora
& Barach ad agendas gratias Deo pro
beneficio victoriæ. Et instituerunt, vt
publicè in Israel cantaretur, quò be-
neficium huius victoriæ in memoria
hominum conseruaretur, & maiestas
nominis Domini commendaretur.

Hic igitur videmus conditiones piorum hominũ.
Primò enim nihil illis iucundius est, quàm recolere
magnifica Dei opera, quemadmodum in Dauide et-
iam videmus. Bonum, inquit, confiteri tibi Domine,

Psal. 92.

& psallere nomini tuo ad annuntiandum manè mise-
ricordiam tuam, &c. quia delectasti me Domine in fa-
ctura tua, &c. Et iterum: Confitebor tibi Domine in

Psal. 9.

toto corde meo. Narrabo omnia mirabilia tua, & cæter.

Psal. 50.

Item: Ego autem in te speraui, & adijciam super om-
nem laudem tuam. Os meum nunciabit iustitiã tuam,
tota die salutare tuum, &c. Altera cõditio piorum est,
quòd omnia bona Deo ascribunt, ac primò omnium
ipsi gratias agunt. Sic hic fecerunt Debora & Barach,
neque id mirum est, cùm etiam de ethnicis legamus,
quòd post partã victoriam instituerunt publicas sup-
plicationes & gratulationes. itemque dedicauerint tẽ-
pla deorum, atque his operibus se dijs suis gratos o-
stenderint. Et hi etiam in mendacio veritatẽ detinue-
runt. Veritas enim est, quòd nomen Dei debeat pro
acceptis beneficijs ad gratiarum actionem illustrari,
iniustitia autem est, & mendacium, hãc gloriam non
vero Deo, sed dijs factitijs ascribere.

Rom. 1.

Si ethnici sciuerunt Deo gloriam dandam, quid mi-
rum, si pij homines hoc fecerunt, cùm certũ sit, quòd

ANNOTATIONES

nullus cultus externus Deo gratior est, nec ullus ma-
 iori cura à spiritu S. in scriptura requiritur, q̄ vt nomē
 ac titulus Dei glorificetur. Vnde Dauid ait: Laudabo
 nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in lau-
 de: Et placebit ei super vitulum nouellum, &c. Nomen
 autem Dei est omnipotens: deinde Seuerus, postremo
 Clemens: quòd Deus tantæ sit potentia, vt queat af-
 flictos confidentes in ipsum seruare, aduersarios au-
 tem eorum perdere. Et quòd sit tantæ seueritatis & cle-
 mentia, vt velit certissimè afflictos iuxta potentiam
 suam iuuare, & affligentes opprimere. Hæc nomina
 & hi tituli vult Deus, vt illustrentur, ac publicis con-
 cionibus, carminibus, scripturis celebrentur. Non sua
 causa; ipse enim bonorum nostrorum non eget, multò
 minus laudis nostræ: sed vt impij terreantur, dum au-
 diunt Deum tam potētem & seuerum, & iusti in affli-
 ctionibus spem concipiant, cùm audiunt Deum cle-
 mentem. Hinc Dauid pro acceptis beneficijs nihil al-
 liud nouerat rependere, quàm gratiarum actionem:
 Exaltare, inquit, Domine in virtute tua. Et subdit: Cā-
 tabimus & psallemus virtutes tuas. Et iterum: Salua
 me ex ore leonis, & cæt. & subdit: Narrabo nomen
 tuum fratribus meis, & c. Et iterum: Redde mihi læti-
 tiam cordis tui, & cæt. sequitur compensatio: Docebo
 iniquos vias tuas, & cæt. Et iterum: Dirupisti vincula
 mea, & cæt. Sequitur: Tibi sacrificabo hostiam laudis,
 &c. Et quid opus multis? Tam Ethnici, quàm Christia-
 ni nouerunt Deo gratias esse agendas pro bonis acce-
 ptis. Soli nos ingrati sumus: nam non Dei nomen ce-
 lebramus, sed aut nostras virtutes iactamus, aut bo-
 nis acceptis impiè abutimur, &c. Tertia conditio pio-
 rum est, quòd nedum pro se, sed etiam pro posteris so-
 liciti sunt, vt in pietate maneant, sic Debora & Barach
 non pro seipsis tantùm Deum laudant, sed etiam can-
 ticum conficiunt pro alijs, imò & pro posteris. Impij
 igitur sunt, qui nedum posterorum, sed etiã proprio-
 rum filiorum nullam curam gerunt, vt pietati assue-
 scant. Ex his satis apparet, quàm nihil pietatis in ple-
 risque

Psal. 77.

Psal. 115.

Psal. 20.

Psal. 21.

Psal. 50.

Psal. 115.

risq; etiã Christianorum sit. Sed audiamus canticum.

Cecinerunt Debora & Barach, &c.

Hoc est tertium carmen & canticum, quod in fide-
li populo publicè olim cantatum fuit. Priora duo ceci-
nit Moyſes: alterum poſt tranſitum maris rubri, alte-
rum ante mortem ſuam. In hoc autem cantico duæ
perſonæ nominantur, & quidem capita populi, De-
bora ſcilicet & Baruch, vt vel ſic oſtendatur, tunc be-
nè ordinatam eſſe politiam, vbi vtraque poteſtas, ſpi-
ritualis ſcilicet & ſecularis præcedunt, ac verbis exem-
plisq; ſubditos ad pietatem adhortantur, inq; rebus
diuinis vnanimè ſunt. Quanquam rara ſint huiusmo-
di exempla. Plerumque enim paſtores ſpirituales ſeip-
ſos paſcunt, non gregem: Et principes ſuis delicijs ſtu-
dent, nihil contriſtati ſuper contritione Ioseph, id eſt,
ſubditorum.

Exo 15.

Deut. 23.

Ezech. 34

Amos 6.

Qui ſpontè obtuliſtis animas veſtras, &c.

Primùm eos ad laudem Dei prouocat, qui cum ip-
ſa in prælio fuerant. Hi enim præ alijs occaſionem
laudandi Deum habebant (quamuis nemo ſit, qui nõ
occaſionem habeat:) ſed hi plus, tum quia ipſos in
maximo periculo conſeruauerat Deus, tum quia ipſis
animum dederat contra hoſtes egrediendi, quod ma-
ior pars detrectauerat, tum denique, quòd per ipſos
Deus ſuum nomen & gloriam illuſtrauerat. Ideò ali-
qui hic legunt: Vos abominabiles in Iſrael benedici-
te Domino. Quid hætenus fuiſtis abominabiles &
contempti ab alijs, nunc facti eſtis inſtrumentum, qui-
bus DEVS gloriam ſuam illuſtrauit, ideò benedici-
te Domino. Arguit hic locus ingratitudeſtatem noſtram,
qui ad tam magna præ alijs electi ingrati perſeueram-
us, & cæt.

Audite reges, auribus percipite principes.

Secundo loco etiam ad filios ſe conuertit, & maxi-
mè ad potentes. Hi enim præ alijs opus habent, vt Dei
& operum eius admoneantur, alioqui ſuperbi efficiun-
tur. Hos igitur potiffimùm alloquitur, vt ſciant ſe ha-
bere maiorè Dominum. Ideò cum emphafi dicit: Ego

Fff 5

ſum,

ANNOTATIONES

sum, quæ Domino canam, &c. Q. d. vos videmini esse magni, vultis laudari, &c. sed ego maiorem scio, huic canã & psallam, &c. Deinde principes hic alloquitur quasi subfannando. q. d. Vos superbia inflati cõtemnitus pauperes, quasi nihil magnificum per eos fieri possit, ego autem ostendam, quàm magna Deus etiã per ablectissimos efficere possit, vt confundatur superbia vestra, & manifesta fiat Dei omnipotentia, &c.

Domine cùm exires de Seir, &c.

Antequam præsens beneficium proponat, recollit prius præterita beneficia Dei. sic enim fieri oportet. Non satis est in presentibus Dei beneficijs gratos esse, sed oportet insuper etiam præteritorum meminisse.

Psal. 102.

Vnde Psal. Benedic anima mea Domino, & noli oblitisci omnes retributiones eius. Initium autem huius narrationis diuinorum operum sumptum est è verbis

Deu. 23.

Psal. 67.

Moyfi, vbi dicit: Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis. Postea iterum vsurpatum est in Psal. De cùm egredereris in cõspectu populi tui, &c. terra mota est, &c. Tunc enim vel maximè apparuit gloria Dei.

Exo. 19.

Primò in monte Sina, vbi sic ostendit maiestatem suam, vt filij Israel territi non auderent accedere ad montem. Postea eandem suam maiestatem ostendit etiam gentibus, cùm filios Israel è monte Seir & deserto duceret versus terram Chanaan, tunc enim tantum terrorem incussit omnibus habitatoribus terræ illius, vt nullus in eis spiritus remaneret, quèadmodum Raab dixit: Audiuius (inquit) quæ fecerit Dominus, &c. idèò irruit super nos terror vester, &c. Hoc sibi vult Debo-

Iosue 2.

ra, cùm dicit: Domine cùm exires, &c. hoc est, cùm ex mandato tuo populus te comite, te defendente, te ducente, & vnà cum ipsis proficiscente à montanis Seir,

Deu. 2.

circa quæ longo tempore vagati erant, abiret, & ad terram Chanaan iter suum dirigeret, tunc terra tremuit, &c. Hic metaphora describitur ingens terror, quo finitimæ gentes ad conspectum Israelis compræhensæ sunt. Nam sicut in terræ motibus, in quibus etiam altissimi montes concutiuntur, & in horrendis pluuiarum &

rum &

rum & ventorum tempestatibus homines magnis terroribus corripuntur, ita nunc factum est in illis gentibus. Non enim aliter territi fuerunt, quàm si grauissima tempesta toti orbi exitum minaretur.

Montes igitur & terra, quæ tremuit, fuerunt Edomitæ, Moabitæ, Amonitæ, Chananæi, &c. De his dicit Moyses. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Philistij. Quamuis igitur vel ex hoc vno factis conspici possit Dei potentia, pergittamen Debora etiam nouum illud DEI opus pulcherrimis verbis commendare.

In diebus Sangar quieuerunt semitæ.

Vt clarius conspiciatur diuini beneficij magnitudo, describit prius necessitatem populi, in qua fuerat. Quiescebant, inquit, semitæ, id est, Sic tyrannus Sifara affligebat Israelem, vt cessarent viæ & rustici, hoc est, vt nullus ciuis tutò negotiandi causa peregrinari, nullus viator rectà proficisci, nullusque rusticus tutò agros suos colere auderet, statim enim capiebantur, & vendebantur à latronibus Sifaræ. Possunt & vie intelligi pro ordinationibus ciuilibus, & incedentes in via pro magistratibus, vt sit sensus: Tanta calamitas erat in Israel, vt nec magistratus potuerit defendere populum, nec vlla ciuilibus disciplina seruaretur. Insuper cessabant & fortes, id est, decrant prædicatores & consolatores, &c. Quid autem miserius ea Republica, in qua nec magistratus, nec ciues, nec rustici, nec doctores suæ vocationi seruire possunt? Certè ea non est respublica, sed turba & calamitas publica. Sicut igitur Sifara cum populo Israel egit, sic agit diabolus cum hominibus, &c.

Donec surgeret Debora mater in Israel.

Hic incipit describere populi liberationem. Primò, inquit, matrem eis excitauit, quæ pro ipsis sollicita esset, vt mater pro filijs. Deinde noua bella elegit. Primò enim non elegit ferocem quendam bellatorem, sed mulierem. Secundò nō multo elegit nobiles,

sed

ANNOTATIONES

sed paucos quosdam & abiectos in Israel. Præterea etiam inermes misit contra armatos. Neque enim vel scutum aut clypeus apparuerunt in 40. millibus Israel:

2. Reg: 13, Vbi videmus, quod tyrannus Sisara etiam arma ipsis abstulerat, quemadmodum & postea Philistæi fecerunt. Potest tamen hoc vltimum de his intelligi, qui ad bellum cum Debora proficisci timuerunt, quasi dicat: Maior pars Israelis tanta formidine correpti erant eo tempore, quo pauci illi in prælium proficiscebantur, ut nec scutum nec hastam manu contingere, & aduersus hostem leuare auderent. Omnia autem hæc faciunt ad gloriam nominis Dei. Vnde sequitur: Et portas hostium contriuit, nihil obstante, quod pauci essent Israelitarum in prælio. Per portas autem potentiam intelligit iuxta illud: Et portæ inferorum non preualebunt aduersus Ecclesiam. In portis enim olim celebrabantur iudicia, & circa portas, ut plurimum ciuitates fortiores & munitiores sunt. Qui autem fuerint hostes, in sequentibus explicat, cum dicit:

Venerunt reges, & pugnaverunt.

Non, inquit, contemnendos, aut humiles hostes habuit Israel, sed potentissimos. Primum enim fuerunt reges, secundò non vnus, sed plures, tertio cum tanta fiducia in prælium ibant, ut pollicerentur sibi certissimam victoriam, imò quasi non ad prælium, sed ad prædam irent. Verum nihil tulere prædantes. Cur? quia de celo pugnatum est contra eos, vel per tempestates, vel per immissionem terroris, ut supra dictum est. Insuper etiam stellæ pugnaverunt contra Sisaram. Prouerbialiter hoc dictum est: habet autem hunc sensum, quod Sisara nullam prosperam fortunam habuit, omnes enim creaturæ ipsi contrariæ erant. Præterea torrens Cison traxit cadauera eorum, id est, tanta clade affecti sunt multi à paucis, ut nedum eos gladio interfecerint, sed etiam compulerint in torrentem Cison. Postremò etiam vngulæ equorum cõturbatæ sunt, id est, non solum equites, sed etiã equi ad conspectum Barach trepidauerunt, iuxta illud: Tu terribilis es, & quis resistet

resistet tibi? Ab increpatione tua dormitant qui ascendant equos. Vide igitur quam pulchrè Deborah victoriam hanc describit non ob aliam causam, quàm ut clariùs appareat Dei potentia & ira contra impios, contrà autem eius bonitas in pios.

Conculca anima mea robustos.

Nihil aliud hoc verbo vult, quàm ostendere quod magna animi voluptate afficeretur de hostium populi Dei oppressione: Non quod liceat carnaliter insultare aduersitatibus hostium & gaudere de malis inimicorum (præcipitur enim nobis, ut diligamus inimicos nostros. & miseri non sunt alia miseria contristandi) sed quia his verbis exprimitur gaudiū spiritus sancti, quo pii exultant, ubi Dominus reuelat maiestatem suam & veritatem promissionum suarum in opprimendis aduersarijs, & liberandis fidelibus. Vnde in psalm. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius. &c. Sequitur: Et iusti epulentur & exultent in conspectu Domini.

Matt. 5.

Psal. 67.

Cor meum diligit principes, &c.

Hæc est tertia pars cantici, in qua Deborah commendat eos, qui verbo Domini innixi in prælium ierant. Primò autem in generali dicit ipsos laude & dilectione dignos. Non loquitur autem de quibuslibet principibus, sed de his, qui spontè offerunt animas suas pro populo, quorum heu pauci sunt. Deinde eos etiam nominatim recenset. Ex Ephraim (inquit) deleuit eos, &c. Nominat autem tribum Ephraim, Benjamin, Machir, id est, dimidiam tribum Manasse, Zabulon & Neptalim. Ex his enim tribubus aliqui secuti sunt Barach. Cæterum quod nos legimus, ex Machir fuerunt principes, in Hæbræo habetur, doctores. Et quod nos legimus, ex Isachar fuerunt qui exercitum ducerent, in Hebræo habetur, qui tenderēt arcum calamo scribæ. Vult autem Deborah per hoc ostendere quòd in exercitu Domini fuerunt doctores & scribæ, homines scilicet magis apti ad tractandos libros, quàm ad bella, & tamen per hos Deus victoriam contulit. Ideò autem
Deborah

Debora eos nominatim perstringit, primò vt magis manifesta fiant opera Dei, cum non è maioribus, sed minoribus fuerint, per quos vicit aduersarios. Deinde vt sciamus eos perpetua laude dignos, qui seipfos periculo exponunt pro gloria Dei & vtilitate Ecclesiæ. Postremo vt etiam nos extimulemur ad similia audenda. Atque vtinam hoc exemplum nostro tempore expenderetur, vbimira paucitas est pugnantium pro Ecclesia & honore Dei. In duobus autem commendat Debora hos pugnatōres, primò quòd periculo obrulerunt animas suas, & Barach secuti sunt, qui quasi in præceps, & barathrū se dabat, deinde quòd hoc sponte fecerunt. Sunt enim etiam nunc qui pro ecclesia pugnat, sed propter commodū priuatum, nō sponte, &c.

Diuisio contra se Ruben, &c.

Hæc est quarta pars cantici, in qua arguit eos, qui detrectauerunt Deboram sequi. Horum primi fuerunt Rubenitæ, qui quamuis audirent sibilum gregum, id est, populum Israel clangore buccinæ ad bellum conuocari, noluerunt tamen sequi. Cur? quia diuisi erant inter se. Deinde quia superbi erant & dedignabantur cum hominibus tam abiectis proficisci. prætereà, iuxta translationem nostram, malebant audire sibilos gregum, hoc est, pecoribus alendis intendere, quàm in bellum proficisci. Tria igitur impediebant tribum Ruben, dissensiones, superbia, auaritia: Et hoc vltimum etiam alias tribus impediuit, vnde sequitur: Dan vocabat nauibus, & Aser &c. An non autem hæc etiam hodie primores ecclesiæ impediunt quo minus ecclesiam defendant? Intendunt enim superbiæ & auaritiæ, &c. Interim vix pauci & humiles pro Ecclesia pugnant, maioribus illis securè quiescentibus &c. Quid autem sequitur? Num impune ferent, quòd sic ecclesiam negligunt? Nequaquam. Maledicite, inquit, terræ Meron quia non venit in auxilium Domini. Hic audis eos à spiritu sancto maledici, qui non pugnant & laborant pro gloria Dei & pro ecclesia. Attendant hoc ociosi pastores, qui ecclesiam deserunt, &c. Deinde vides hic quòd

quòd non solum resistere ambulāti in vocatione Dei, sed etiam non adiuuare peccatum sit maledictioni obnoxium. Attendant hæc qui alijs resistunt in bono, &c. Attendāt diuites qui pauperibus non opem ferunt cum possent. Attendāt deniq; hoc oēs, quib. nulla cura est pro gloria Dei & ecclesia. Postremò videmus hic quòd auxilium quod præstatur ambulantibus in vocatione Dei, computetur tanquā ipsimet Dominus Deo præstitum sit. Non, inquit, venerunt in auxiliū Domino, id est, populo Domini. Dominus quidem in se non eget auxilio nostro, sed in membris suis: Sic esurit in pauperibus, sic nudus incedit in paupere, &c. Ideo dicet, Esuriui & non dedistis mihi manducare. & iterum: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Matt. 25.

Benedicta in mulieribus Iabel, &c.

Sicut spiritus S. maledicit eos, qui non laborant pro ecclesia, sic contrā eos commendat & benedicit qui se periculo offerunt pro gloria Dei & populo eius. Specialiter tamen commendatur, vt quæ causa fuit quod nemo alius fecisset. Pulchrè autem describuntur gestus huius mulieris. Manum, inquit, sinistram misit ad clauum, &c. Imò non tam gestus eius describuntur, quàm fides & charitas. Deinde subicitur etiam gestus Sifaræ cūm interimeretur. Curuauit se, cecidit, iacuit, iterum curuauit, se, idque ante pedes mulieris. Sub his autem gestibus proponit nobis spiritus S. turpitudinē confusionis impiorum. Quid enim strenuo duci turpius, quàm à muliere interimi & coram ipsa curuari & mori? Cæterum non felicior nec gloriosior exitus manet omnes impios. Postremo loco ponitur sollicitudo matris et xoris pro Sifara. Mater sollicita timet, & quod timet euenit. Vxor ingentia sperat, sed spe sua frustratur. Sic impijs accidet quod timent, quod autem sperant non accipient. Vana igitur est tam sollicitudo quàm spes impiorum.

Sic pereant omnes inimici tui, &c.

Epiphonema est ad finē carminis adiectum, quo paucis ex-

ANNOTATIONES

cis explicatur, quid sibi velit totū carmen. Docet enim hoc in summa, quòd sicut impius Sisara crudeliter & turpiter seueritate Dei perijt, Israelitæ autem gloriòse clementia Dei seruati sunt, ita perituri sint omnes impij, liberandi autem omnes pij. Erunt, inquit, iusti sicut sol, id est, erunt clarissimi & felicissimi. Huc pertinet illud psal. Ecce inimici tui sonuerunt, &c. & sequitur: Fac illis sicut Madiam & Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cison. Habes ergò in hoc carmine commendatam & cantatam Dei seueritatem erga impios, vt discamus timorem Dei. Habes deinde clementiam Dei erga pios & verbo eius credentes, vt discamus fidem in omnibus aduersis, itemque spem & charitatem.

Psal. 82.

CAPVT VI.



HActenus quid sub quatuor iudicibus factuum sit audiuimus: nunc incipit historia quinti iudicis, Gedeonis scilicet, in qua præter literalē sensum etiã multa mysteria de Christo cõtinentur, quare diligenter obseruanda est.

Fecerunt filij Israel malum &c.

Hoc semper primum est, vbi de filijs hominum fit sermo, nempe quòd faciant malum. hinc Psal. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, &c. Deinde Israelitarū calamitates descripturus prius describit eorum peccata, ne quis putaret Deum contra sua promissa fecisse ipsos puniendo, deinde vt scirent ipsi propter peccata sua hæc pati. Malū autem hîc idololatriã significat, quod verè malum & summum malum est, quia cõtra primum præceptum. & ab ipso veniunt omnia mala. qui enim non rectè de Deo sentit, aut eum nõ timet, is facilè in omnia peccata cadit. Iam igitur tertio Israelitè post mortē Iosue relicto cultu vero Dei in idololatriã declinauerunt, vt meritò Moses ipsos vocauerit generationem peruersam. Quid enim magis peruersum, quàm quòd quadraginta

Psal. 13.

draginta annis tranquilla pace ex Dei clementia fruebantur, in tot tamen annis non hoc discebant, vt Domino Deo suo gratias agerent, sed potius deficiebant à verbo Dei ad impietatem? Ingenium hominum est quòd procliuēs sunt ad peccatū & maximè ad superstitionem & idololatriam, item quòd in prosperis facile obliuiscuntur Dei. Quanta igitur impietas humani cordis est quod non solum malis & aduersis, sed etiam prosperis abutitur?

Tradidit eos in manus Madian.

Iusta planè poena. Noluerūt Domino ob edire in prosperis, necesse igitur habuerunt ei obedire in aduersis. Noluerunt facere coram Deo q̄ bonum & iustū erat, coguntur ergò ab aduersarijs pati q̄ iniquum & iniustum erat. Cæterū quòd tradidisse eos dicitur, nihil aliud est, quā quòd auxilium suū subtraxerit. Quomodo enim Deus peccantes tradat aduersarijs in Isaiā o- Isa. 5.
stenditur, vbi Dominus dicit: Hoc faciam vineæ meæ: diruam sepem eius, destruam macerā, non fodietur amplius, & nubibus mandabo ne pluant super eam. Videmus igitur hīc quòd Deus non fert inultam ingrati- tudinem nostram & impietatem.

Cumque scivisset Israel, &c.

Describitur calamitas Israelis, quæ eò maior erat prioribus, quòd grauius peccauerant post acceptā gratiā. Primò enim Madianitæ in fines Israel incursiones faciunt ac quicquid obuiū est perdunt, deuastant. Deinde omnes segetes vt erant in herbis conculcant. Postremò nullū pecus in Israel relinquunt. Sic complebatur veritas minarū Dei. Sic utebatur Deus malitia impiorum ad eruditionē Israelis. Videmus hīc quam malum sit vbi homo à Deo relinquitur. Videmus deinde q̄ ingeniosi sint mali homines ad nocendum. Fi- Lucæ 16.
lij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis. Videmus tertio hīc quid spiritualis Madian conetur contra Ecclesiam, primò enim eā omninò exterminare cuperet, id eò omnes creaturas, omnia genera calamitatū contra eā excitat: Secundò quæ longo tempore bo-

ANNOTATIONES

Ezech. 18. na collegimus, spirituales scilicet diuitias auferte co-
natur, id q; per peccatum. Nā cū iustus à iustitia de-
fecerit ad impietatem, omnis iustitiæ, quam fecerat
prius, nō recordabitur amplius. Postremò hoc agit
vt segetes cōculeet, id est, initia boni operis vel etiam
iuuentutem. Has igitur cogitationes eius cū non igno-
remus, cautiores nos esse oportet.

Fecerunt sibi antra & speluncas, &c.

Omnia prius tentamus in aduersis, quā vt ad Deū
cōuertamur, cū tamen hoc præ omnib. agēdum es-
set, & sine hoc alia prodesse nō possint. Fecerunt sibi
Israelitæ antra & munimenta, non tamen ob id tuti
erant. Quo enim plus se in antra condunt & ad arces
cōfugiunt, eò fortius hostes instant. Quia etsi effugeris
externum hostem in antrū aut arcem, non tamen ef-
fugies iram Dei, quæ te propter peccata tua quocun-
que fugeris sequitur. Irato autem Deo vires hostis à
Deo excitat; subinde magis ac magis augmentur. Quare
si verè ab hostibus vis esse tutus, ea inquirenda sunt,
per quæ iram Dei effugere queas.

Clamauerunt ad Dominum, &c.

Prou. 18. Vel tandem inueniunt eam speluncā & arcem, per
quam tuti fiunt & liberantur. Certissimum enim asy-
lum effugiendæ calamitatis est clamor ad Dominum.
Est enim spelunca absconditissima & arx munitissima,
quam nullus impius inuenire aut expugnare potest.
Psal. 7. Turris enim fortissima nomē Domini, &c. Ex hac arce
& turri ea tormentorum genera in impios dirigun-
tur, de quibus dicitur: Nisi conuersi fueritis, gladium
suum vibrauit, arcem tetendit, &c.

Misit ad eos virum prophetam.

Psal. 144. Post clamorem mox adest Dominus. Propè enim
est omnibus inuocantibus cum in veritate. Confir-
memus igitur hoc exēplo fidem nostram in aduer-
sis, vt excitemur in oratione certa persuasione quòd
Dominus exaudiet perseuerantes in oratione ex ve-
ra fide præcedente. Vide autem quàm humiliter (ne
dicam ridiculè) Deus incipiat liberare: non mittit
bella.

bellatorem quempiam, sed prophetam. Quis crederet hac via populum liberandum? maximè cū propheta nihil aliud facit quàm quòd peccata eorum arguit. Reuera tamen verus & vnicus modus hic est si liberari debemus ab hostib. Nō enim liberat Dominus nec confert salutē nisi resipiscentib. Nemo autē resipiscit nī si agnoscat peccata. Peccata verò cognoscūtur ex prædicatione legis & increpatione verbi Dei. Quare in adipiscenda liberatione & salute primò omnium præcedere debet prædicatio legis & ostensio peccatorum. Ostensurus autem peccata prius Dei beneficia cōmemorat propheta hic. Magnitudo enim sceleris nunquam clariùs conspicitur, quàm cū attēdimus magnitudinē beneficiorum Dei: Quatuor autem beneficia cōmemorat: Ego vos eduxi, hostes vestros vel ante vos expuli, terram eorum vobis dedi, insuper dixi & promisi q̄ ego Deus vester esse velim. Hæc 4. omnes nos impietatis conuincunt, &c.

Venit autem angelus Domini, &c.

Post prophetam arguentem venit angelus consolans. Post prædicationem legis audienda prædicatio Euangelij. Vtraque in Ecclesia necessaria. Obserua quod tres personæ nominantur in hac liberatione Israelis, propheta scilicet, angelus & Gedeon. Propheta tantum arguit, ostendit peccatum, nihil aliud facere potest. Angelus etiam non liberat, cū posset hostes occidere sicut tempore Ezechia, sed tantū ostendit eum qui liberaret populum. Gedeon autem in prælium procedit & victor redit. Sic in liberatione hominis à potestate diaboli tres personæ fuerunt, Moyses ostendit peccatum, nihil aliud facere potuit: Ioā. qui nominatur angelus, ostendit Christū & nihil amplius: Christus salutem perfecit & perficit. Cæterum videmus etiam hīc angelos esse spiritus administratorios, Hebr. qui mittuntur in ministerium nostrum.

Gedeon excutiebat triticum vt fugeret.

Nihil minus cogitabat Gedeon quàm liberationem Israelis tam propinquam esse, imò se liberatorem futurum.

ANNOTATIONES

rum. Sic enim auxilium Domini tunc maximè præstò est, cum res nostræ videntur maximè deploratæ. Senserunt hoc Israelitæ in Aegypto, Job, David, Ioseph, Thobias, Susanna, &c.

Dominus tecum virorum fortissime.

Magnificè salutat angelus Gedeonem, quia necessaria ipsi erat consolatio. Est autem sensus: Dominus tecum, &c. q. d. Noli despondere animū, Dominus adhuc viuit & propè est, imò tecum est, tibi fortitudinē daturus, &c. Hæc salutatio insolita prælagium erat futuri boni, quemadmodum & salutatio virgini mari allata signum fuit venturæ & secuturæ redemptionis & gratiæ.

Obsecro Domine, si Dominus nobiscum est.

Humilitatis est quod cum angelus dixisset in singulari Dominus tecum, ipse repetit in plurali, si Dominus nobiscum. Verè pius enim semper maiora & meliora de alijs tenet, quàm de seipso. Ceterū hoc verbo clarè exprimit sententiam quàm homines in afflictionib. habent. Existimant enim accessione afflictionū Dominum recedere & quò grauior fit afflictio, eò longiùs Deum abesse. Vnde illæ voces in Psal. Exurge, quare obdormis Domine? &c. Sed hæc opinio falsa est & peccatum incredulitatis cōtra primū præceptū: Ego sum Dominus Deus tuus. Exemplum quoq; huius historie docet hanc opinionē esse falsam. Quò enim magis Gedeon queritur Dominū abesse, eò propior astat. Ceterū quod addit, vbi sunt mirabilia eius? iterum videmus ingenium hominum. semper enim cōqueruntur Deum nō facere quæ vellent, non attendunt seipso in causa esse. Nō enim est abbreviata manus Domini, sed iniquitates nostrę diuidūt nos à Deo, &c. Apparet tam etiā ex hoc verbo Gedeonem tempore afflictionis magna vehementia ad Deum clamasse, & fidem orationis suæ memoria antiquorum miraculorum cōfirmasse. Prouerbum est, Ex abundantia cordis os loquitur. Cùm igitur Gedeō ad salutationem angeli statim incidit in mentionem antiquorum miraculorum, argumen-

Lucæ 1.

Psal. 43.

Exod. 20.

1 Sa. 59.

gumen-

gumentū est quod hæc prius semper in animo volu-
tauerit. Sic & Dauid exoptulat cum Deo & tamen in- Psalm. 98.
terim etiam declarat fidei suæ ardorē. Vbi, inquit, sunt
misericordiæ tuæ antiquæ Domine sicut iurasti Da-
uid in veritate tua? &c.

Respexit Dominus ad eum & dixit: Vade, &c.

Respexit Dominus, id est, angelus Dominum repræ-
sentans. Respexit eum quasi compatiens & approbās
eius verba. Item: Respexit Dominus eum interne &
virtutem dedit. Videmus iterum Dominum esse pro-
pitiolem addandū, quàm nos ad petendum. Nondū
quicquā petierat Gedeō, & statim Dominus ex seipso Isa. 56.
dat & promittit salutē, sicut enim impletū est: Antequā
clamat exaudiam. Quod autē addit, vade, est vocatio
Gedeonis. Hoc enim verbo eligitur & sanctificatur in
liberatorem populi. Fortitudo autem in qua iubetur
Israelem liberare nō est corporalis, sed spiritualis, ea
videlicet quā habebat è promissionib. diuinis in ora-
tione sua. Cū enim secū volueret diuinis, promissiones
& miracula quib. Dominus prius Israelitas liberaue-
rat, ingentem concipiebat fiduciam. In hac igitur for-
titudine iubentur in prælium procedere & Israelē li-
berare. Nulla fortitudo maior quàm fidei, hæc enim Matt. 21.
etiam montes transfert, & ei nihil est impossibile. Scio Matt. 17.
(inquit) quod miserim te. Hæc est vocatio illa, est diuina
vocatio, Dei est, non hominis. Habes hinc quid ad ma-
gistratum pertineat, nempe vocatio & fortitudo. Co-
gitet se vocatum ad officium & laborem, interim ta-
men etiam sibi promissum auxilium.

Obsecro Domine, in quo liberabor?

Locus hic docet prudentiam Gedeonis, quod rem tam
arduam nō temerè aggreditur, nō præsumit de se, non
facile credit, sed prius omnia secum expendit, proprias
scilicet vires, hostium potentiam, periculum negotij.
Non enim semper tutum est abijcere iugum, ne malus Ier. 28.
iugum incurramus, iuxta illud: Confregisti cathe-
nas ligneas, & facies pro eis ferreas. Primò igitur
videmus hinc eius humilitatem quod nihil magis de
se sen-

ANNOTATIONES

se sentit, indignum & minus idoneū se reputat, quā-
 admodū & Moyses & Hieremias. Hęc est conditio pio-
 rum. Nemo enim tam magnus est, qui non habeat oc-
 casionem se humiliā di. Cōtrā, impij magna de se pre-
 sumunt, se ipsos offerunt & intrudunt, temerē omnia
 agunt, ideo vt plurimum & se & alios perdunt. Dein-
 de subindicat hoc verbū ꝑ Gedeon non parum secū
 admiratus sit Dei consilium: Non quidem quòd libe-
 rare vellet, sed quòd ad hoc opus non magnos & po-
 tentes eligeret, sed se omnium inferiorem, nedum in
 tribu Manasse, sed etiam in domo sua: Verū hęc sunt
 opera & iudicia Dei. Sic elegit infirma & ignobilia
 mundi, vt confundat fortia, vt ipsi soli gloria perma-
 neat. Maximē tamē Gedeon hoc verbo percontari vo-
 luit mundū, per quem liberandus esset Israel, quem-
 admodū & Maria, cūm diceret: Quomodo fiet istud,
 quoniam virum non cognosco? Et sicut ipsa tunc au-
 diuit: Spiritus sanctus superueniet in te, &c. sic Gedeō
 hīc audit: Ego ero tecum, quasi dicat: Non tuis viri-
 bus id efficies, sed Dei. Non igitur in te, sed in Deum
 respicias. Sicut igitur sine Deo nihil possumus, sic cū
 Deo omnia possumus. Omnia enim possible sunt
 credenti.

Da mihi signum quòd tu sis, &c.

Incredulitatis fuisse videtur verbū hoc, reuera tamē
 fuit prudentia, quòd probat spiritus num ex Deo sint.
 Sensus enim verbi est, q. d. Credo quidem Deum esse
 omnipotentem, & verbum ipsius esse verax, vt quod
 promittit, possit & velit præstare: sed in hoc nondum
 certus sum nū verbū tuum sit Dei verbū. Obsecro igitur
 te vt conscientiam meam signo aliquo confirmes,
 quo firmiter credam verbum tuum esse verbum Dei.
 Hęc igitur petitio Gedeonis non est impietas, sed pia
 prudentia ad fidem omninò necessaria, alioqui si cui-
 libet spiritui statim credimus, facile decipimur. Non
 tamen ideo licet cuius & semper signa & miracula
 veteri. Diues ille in inferno positus petebat, vt La-
 zarus miraculosè resuscitatus prædicaret fratribus
 suis.

suis.

uis, sed audijt: habent Moysen & prophetas. Sic pha- Matt. 12
 risæi signum è cælo petentes audierunt: Generatio ma-
 la signum quærit, & non dabitur ei, &c. Aliud est enim
 nouas reuelationes habere, aliud veterem doctrinam
 docere. Nouæ enim reuelationes (qualis fuit ista Ge-
 deonis) egent etiã nouis miraculis, ideò & Deus sem-
 per nouis reuelationibus adiunxit miracula, vt patet
 in institutione Moyfi Exod. 12 Exod. 4. In datione legis, & in
 exordio Euangelij, vbi Deus semper magna miracula
 addidit. Vetus autem doctrina siue de lege, siue de
 Euangelio non indiget nouis miraculis. Est enim an-
 teã per signa & miracula ita confirmata, vt si angelus
 de cælo aliud doceret & contrarium, magnisque signis Gal. 2
 illud confirmaret, non esset audiendus.

Ne recedat, donec afferat sacrificium.

Hoc signum potissimum petebat, scilicet vt oblatio
 eius miraculo quodam absque igne humanis mani-
 bus imposito incenderetur & absumeretur quemad- Gen. 4
 modum sacrificium Abelis absumptum fuit, quo de-
 clarabatur Dominum respicere Abelem. Petit igitur
 & Gedeon hoc signo certificari, quòd Dominus respi-
 ceret Israelem. Vide autem bonitatẽ Dei. non vnũ, sed
 plura miracula Deus Gedeoni ostendit. Primò iubet
 angelus, vt ipse Gedeon carnes super petram poneret,
 ne quid sinistrum suspicari de angelo posset. Deinde
 iussit etiam ius superfundi carnibus. Postremò ad pri-
 mum attactum virgæ ignis exiijt de petra. Tria igitur
 miracula simul contigerunt; primũ, ignis de petra; se-
 cundum, q̄ ignis & ius carniũ deuorauit; tertium,
 quòd angelus disparuit, sic tria pro vno signo habuit
 Gedeo. Mysticè quod Gedeoni contigit, etiam nobis
 contingit. Cũ enim audimus magnas illas promissio-
 nes Euangelij, existimamus eas ad sanctos tantum per-
 tinere, & longè maiores esse, quàm quæ ad nos perti-
 neant. Verũ sicut angelus docet Gedeonem quod non
 humana, sed diuina potentia victoriam sit repor-
 taturus, ita docemur nos ex Euangelio promissiones
 nobis contingere non nostris meritis, sed sola gratia

ANNOTATIONES

Rom. 8. Dei per Christum. Ne quis autem etiam hinc dubitet, datur nobis signum, nempe ignis de petra, hoc est, spiritus sanctus ex merito Christi. Hic testimonium dat spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Ideo Paul. Deus, inquit, est qui confirmat nos in Christum, qui etiam vixit & obsignavit nos, deditque arram spiritus in cordibus nostris. Moraliter autem docemur hinc, ut sacrificia, id est, opera nostra ponamus super petram Christum, alioqui nunquam grata erunt.

Heu me Domine mi, quia vidi Dominum.

Jud. 13. Putabat se confestim moriturum Gedeon. Sic enim persuasum erat Israelitis si quis angelum videret, quem admodum & infra patebit de parentibus Samsonis. Hæc autem persuasio inde prouenerat quod in Exordio Deus dixit: Non videbit me homo & viuet. Ideo autem Deus hunc terrorem Gedeoni immisit, ne superbitet de reuelatione Domini, &c.

Exod. 33.

Interim tamen non vacat mysterio, quod Gedeon ad faciem Domini conspectam terretur; Iacob autem & Iob lætantur; Vidi (inquit) Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et Iob post magnam tristitiam, nunc (inquit) etiam oculus meus videt te, &c. Cæterum, non caret mysterio quod aliqui à facie Domini exhilarantur, alij terrentur. Facies Dei est verbum Dei. Sicut enim homo in facie cognoscitur, sic Deus in verbo suo. & sicut voluntas hominis relucet in facie, (iratus enim contrahit frontem & toruum videt, hilaris autem exporrigit frontem.) ita animus & voluntas Dei relucet in verbo suo. Est autem duplex verbum Dei, vnde & duplex facies eius, Alterum est verbum legis, & hæc est facies irata, quando scilicet nos terret maledictionibus legis, peccatis & morte. Hanc faciem ne-

Exod. 33. mo suis viribus ferre potest ut non moriatur & damnetur, & de hac facie dictum est: Non me videbit homo & viuet. De hac etiam loquitur hinc Gedeon, Heu me Domine mi, quia vidi Dominum, &c. Quantumvis enim primò non exhorruit ad conspectum angeli, tamen post cognitum, quod angelus fuisset exterritus fuit, sic quan-

tumuis

sumus nos ad auditum legis non semper terremur, tamen cum cogitamus, quod Dei verbum est, fieri non potest, quin oriatur timor mortis & damnationis. Alterum Dei verbum est Euangelium gratiæ, & hæc est facies Dei propitia. Cum enim audimus Deum gratis nobis remittere peccata propter Christum, & propter eundem nos diligere, & velle saluare, videmus faciem Dei propitiam, hinc oritur gaudium in conscientia. De hac facie locutus fuit Iacob, cum dixit: Vidi Deum, Gen. 32. minum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Gratias autem Deo, qui olim iratam faciem ostendens, nunc nobis propitiam faciem ostendit, vt nemo habeat occasionem desperandi.

Pax tecum, ne timeas, non morieris.

Consolatur territum. Qui enim faciem Dei iratam videt, opus habet consolatione, alioqui desperaret. Vide autem mirabiles salutationes angeli huius ad Gedeonem. Cum enim Gedeon esset in externis malis anxius, audit: Dominus tecum virorum fortissime. Cum autem esset in angustijs conscientiæ, audit: Pax tecum, noli timere. Non morieris, Hæc est duplex illa consolatio, quam habemus ab angelo magni consilij, id est, Christo, de qua & Isaias: Consolamini (inquit) consolamini popule meus: Pollicitus enim nobis est Christus auxilium in malis huius mundi. Ecce, inquit, vobiscum sum, &c. Ideo nomen habet Emanuel. Promissum item nobis pacem conscientiæ. ideo nomen habet Iesus. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, imò & pax nostra. I. Ioan. 2.

Aedificauit altare, & vocauit illud, &c.

Tantis consolationibus externis & internis suffultus non potest se continere, quin in gratiarum actionem prorumpat, ideo aedificat altare, vt ostendat se gratum. Cæterum, nemo hic offendatur, quod altare aedificat, cum sciret hoc lege prohibitum: non enim ex superstitione hoc fecit, quemadmodum alij, nec per hoc voluit homines retrahere à vero altari per Moysen aedificato, quemadmodum Ieroboam fecit. imò nec in-

ANNOTATIONES

iussus aut propria sponte hoc fecit, sed iussus ab angelo, ut postea patebit. Ideò autē altare instituit, ut gratus Deo esset. Secundò, ut per hoc etiam populum admoneret diuinæ bonitatis & clementiæ. Ideò altare nominat pacem Domini, vel Dominum pacis, ut esset memorabile etiam posteris; Dominum Deum tantæ esse clementiæ, ut nedum afflictis succurrat, sed etiam turbatos corde cælesti pace & gaudio impleat. Mone-mur itaque etiam nos, ut post accepta beneficia recõ-ciliationis cum Deo gratos nos exhibeamus. Vera au-tem gratitudo est, ut vnum Deum colamus, prædica-mus, celebremus. Deinde, ut mandata eius obseruemus. Gedeon igitur pugnaturus; primùm ædificat al-tare Deo, quo tam ipse, quàm eum sequentes diuinæ bonitatis & potentiæ admonerentur, & inde vires & fortitudinem hostes aggrediendi haurirēt. Hoc enim verum & optimum medium est hostes aggrediendi. Sic Abraham congressus est cum quatuor regibus. Sic David cum Goliath, Domin⁹ (inquit) qui eruit me de ore leonis & vrsi, liberabit me etiam de Philistæo hoc, &c. Nec aliud impedit victorias nostras de Turcis, quã quòd nõ cum Deo incipimus, plus confidimus in no-stris præsijs, quàm in Deo, cùm dicere deberemus cum Psal. hi, hi inquam, infideles in curribus & in e-quis, nos autem (Christiani) in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Gen. 14.
2. Reg. 17.

Psal. 19.

Tolle taurum, &c. & destrues aram Baal.

Hic primò videmus, quale fuerit peccatum propter quod Israelitæ in præsens malum inciderant, nempe, cultus Baal: qui qualis fuerit, suprà ostensum est. Tam vulgatus autem erat hic cultus in Israel, ut quælibet ciuitas suum haberet altare cõtra expressum verbum Dei. Deinde tanto sumptu celebrabatur, ut vnus vir Ioas pater Gedeonis duos tauros haberet huic cultui destinatos. Sic enim semper plura expendimus in illi-eita, quàm in bona, & cæt. Iubetur igitur Gedeon de-struere aram Baal & lucum, & Domino Deo offerre, quæ idolo deputata erant. Atq; hoc secundū est, quod
Gedcon

Gedeon agit, antequam hostes aggrediatur. Duo autem hinc docemur. Primum, quod qui Deum verè colere intendit, debet prius destruere omnem impietatem & idololatriam. Nihil enim coram Deo abominabilius idololatria, quia est contra primum & summum præceptum: Ego sum Deus tuus, Non habebis deos alienos, & cæt. Exo. 20. Secundum, quod cupientes liberari primò omnium resipiscamus ab impietate, & abijciamus omnia, quæ contra Deum sunt: propter ipsa enim irâ Dei meremur. Atque hoc secundum est, in quo deficiamus. Volumus pugnare contra Turcas, ipsi peiores Turcis. Volumus conuertere hæreticos, ipsi peiores illis. Volumus corrigere errores in alijs, ipsi pleni erroribus. Volumus reducere scismaticos, ipsi putrida membra Ecclesiæ sumus, imò vt plurimum nihil cum Ecclesia commune habentes. Non mirum igitur est, quod nihil prosperè succedit. Destruamus prius aram Baal, succidamus lucos, auferamus scandala, emendemus vitam, & prosperiori fortuna utemur. Videamus autem, vt Gedeonem in hoc verè, non fide imitemur. quod non sine causa moneo, multi enim nunc sibi videntur esse Gedeones, & spiritu sancto duci, & instigari ad destruendum & abrogandum quicquid ipsis non placet, hinc alius destruit imagines, alius missam, alius sacramenta, alius cæremonias, alius ieiunium, & cæt. vt fermè nihil amplius in Ecclesia remanserit, quod huiusmodi homines non prostrauerint. Voluntque videri, se optimo iure hæc facere, prætendentes, nescio, quam idololatriam & impietatem, sicque veraciter impletum est illud propheticum: Venerunt destructores tui destruentes te, &c. Isa. 49. Quantumuis autem bonam speciem prætexant, vt plurimum tamen nihil est, nisi præposterum iudicium, quod scilicet malè iudicant de rebus his, & suo soli iudicio credunt, vt interim taceam, quod plerique sola temeritate ducuntur, alij sola libidine, alij inuidia cleri, alij proprio cōmodo, & avaritia ducuntur, & cæt. Hoc vel inde conspicuum fit, quod plerunq; ea destruunt, quæ in se mala

ANNOTATIONES

3. Reg. 19.
 mala non sunt, & ad multa mala conducunt. quæ autem maxime cõtra Deum sunt, vt blasphemix, ebrietates, luxuriæ, tyrannis, &c. non destruunt. Horrent ad conspectum imaginum, & non horrent ad nefandissima peccata, in quibus iacent. Sed agè bone Gedeon destrue prius in te tuam tyrannidem, lasciuiam, pompam, ebrietates, & cæt. tunc videbimus te spiritu bono duci.

Summa, non in spiritu, non in commotione, non in igne Dominus, multò minus in temeritate, &c. Nõ magnum est posse quippiam destruere, sed ædificare, quod bonum est, hoc verè magnum est. Antiochus & Nabuchodonosor etiam destruere nouerant, & videbantur sibi in hoc non malè facere, nihilo tamen laudatioribus sunt. Verum quidem est, quòd multa sunt in Ecclesia, quæ abolenda & destruenda forent, nihil tamen temerè in hoc agendum, nihil ex inuidia, aut auaritia, nihil denique ex proprio capite, quia scilicet sic nobis videtur, possumus enim falli in proprio iudicio. Vidèdum item, ne cum zizanijs simul euellamus triticum. Item ne paruim malum emendantes maius malum adducamus, &c. Quæ autè manifestè mala sunt, siue in moribus, siue in fide, ea corrigat potestas gladio, prædicatores verbo, priuati fuga & uitatione, & cæt.

Produc filium tuum, vt moriatur.

Ier. 44.
Act. 19.
 Quamuis vulgo nihil sit instabilius, tamen in retinenda impietate & inueterata consuetudine nihil eo pertinacius. Sic in Hiere. dicunt Sacrificabimus reginæ cæli, &c. Sic in Act. Apost. Magna Diana Ephesiorum. Sic Gothis irrupentibus in Italiam clamabāt Pagani: Repetantur sacra deorum. Tutius igitur Gedeon, & minori cum periculo prostrauit hostes, quàm idololatriam. Sic & nunc, qui contra inueteratos mores clamat, non sine periculo est. Cæterùm, Gedeon per patrem suum est liberatus. Quid (inquit) vos pugnatís pro Baál? Si Deus est, non eget vestro auxilio, potest enim seipsum vindicare, & certò si Deus est, nõ
ad crasti,

ad crastinam vsq; lucem viuere permittet, hominem habent. His verbis moti cessauerunt, non dubitantes Gedconem diuinitus puniendum, vnde & vocāt eum Hierobaal, quasi dicāt: Baal se de eo vindicabit. Quē admodum enim Melitenses Paulum iudicabant homicidam esse, cū cernerēt viperam eius manum inuasisse, expectabantque quā mox moreretur, postquam autem videbant ei nihil mali accidere, mutata mente dicebāt eum esse Deum, sic & Gedconi contigit, primò enim expectabant, quā mox puniretur à Baal, vel igne de cælo misso, vel terra sub pedibus eius dirupta: sed postquam viderunt eum non tantum incolumē manere, sed etiam Madianitas vincere, ex admiratione virtutis vocabant eum Hierobaal.

Igitur omnis Madian & Amalech, &c.

Impij incipiunt vel veteri odio concitati cōtra Israel, vel (quod verius est) diuino iudicio. Aderat hora, qua perendi erant. Diu tolerauerat Deus eorum malitiam contra Israel, verū ipsi Dei longanimitatem contempserant & thesaurizauerant sibi iram. Quia enim non citò profertur contra impios sententia, filij hominum absque timore perpetrant peccata.

Spiritus autem Domini induit Gedeonem.

Hic vides, quòd Deus his, quos vocat, etiam spiritum dat, vt possint vocationi satisfacere. Sic in fratre gemus de Samone. Sic de prophetis. Non est igitur, q̄ vocatus diffidat de executione sui officij. Qui vocat, is & spiritum dare potest & vult: in cuius rei signum, & olim septuaginta senioribus quasi sensibiliter de spiritu Moyse diuisit. Et in nouo testamento etiam visibili signo Apostolis spiritum suum dedit, quo vocationi suæ satisfacere possent.

Clangens igitur buccina vocauit.

Non solus hostes aggreditur, quamuis audisset: Tu liberabis populum Israel, &c. sed consuetis vtitur medijs, ne tentet Dominum. Videmus etiam in hoc exercitu non fuisse potiores tribus Israel, sed tantum humiliores & abiectiones. sic Deus vt plurimū maxima sua

ANNOTATIONES

sua opera per humiles & abiectos perfecit, vt scilicet ipsi soli gloria maneret, nec posset gloriari quisquam homo.

Si saluum facis populum tuum per manum meam, &c.

Vide hic naturæ humanæ imbecillitatem. Gedeon erat diuinitus vocatus, habebat promissionem Dei, eratq; eius vocatio miraculo confirmata, habebat præterea exercitum triginta millium virorum, nihilominus tamē cū deberet hostes aggredi, & videret maiorem hostium exercitum, quàm suum, cunctatur & trepidat. Sic ante tentationē videmur nobis satis fortes in fide, satis instructos verbo Dei, cū autem tentatio adest, trepidamus, timemus, ne non satis instructi simus, &c. Sic etiam solēt homines plus timere pericula sectando vocationem Dei, quàm peccando aduersus Deum. Sic scortator magis timet paupertatem, si vocetur à Deo ad ducendam vxorem, quàm si scortetur, & suam libidinem sectetur. Sic vsurarius maiora sibi pericula somniat, si vsuras relinquat, quàm si pergat peccare, &c. Sic plerique maiora pericula timent confitendo veritatem, quàm abnegando, cū tamen Deus ambulātibus in vocatione auxilium suum promiserit. Cæterum Gedeon quantumuis trepidet, non tamen desperat, non retrocedit, sed prosternit se coram Deo, & petit fidei fortitudinem per signum ali-

Matt. 17.

quod, quasi dicat illud Euangelicū: Credo Domine,

adiuua incredulitatem meam. Petit autem, vt primò

solūm vellus in arca positū madescat rore, deinde, vt

solūm vellus siccum maneret. Vtrunque autem fecit

Isa. 42.

Psal. 146.

Dominus, vt vel hīc videas, quòd calamum quassatū

non confringit, & linū fumigans non extinguit, item-

que quòd voluntatem timentium se facit. Cæterum,

non sine instinctu spiritus sancti potissimū in velle-

re hæc duo signa quæsiuit. Nedum enim ipsius con-

firmanda erat fides, sed etiam adumbranda futura

Christi tempora, Gedeon enim in plerisque fuit figu-

ra Christi. Primū in eo, quòd excutiebat frumenta

in torculari: sic Christus ventilabrum habet in manu,

&c. &c.

Matt. 3.

Matt. 2.

&c. Secundum, quod fugit à facie Madianitarum: sic Christus fugit in Aegyptum, & post in desertum, Ioannis undecimo. Tertium, quod salutatur ab angelo, Dominus tecum virorum fortissime: quæ salutatio maxime competit Christo, in quo diuinitas corporaliter requieuit, & quem Dauid iam olim potētissimum dixerat. *Psal. 48.* Quartum, quod ab angelo ante prælium consolatur, sic Christus ante passionem ab angelo consolatus fuit. *Lucæ 22.* Quintum, quod arā Baal destruxit, & aliud altare Deo instituit: Sic Christus idololatriam destruxit, & verum cultum Dei instituit. Sextum, quod panem & carnē obtulit, quæ vtraque ignis consumpsit: sic Christus carnem suam in cruce obtulit, & nunc in pane offert igne charitatis incensam. *Ioan. 4.* Septimum, quod duplici signo in vellere declaratur dux electus populi: sic Christi certissimum testimonium est, quod tempore eius exiccatum est vellus, quod prius solum habebat humorem gratiæ, terra autem madefacta, quæ prius erat arida. Area enim est mundus, Vellus populus Iudaicus, qui primò soli habebant rorem gratiæ, nunc aut postquā Christum abiecerunt, exiccati, excecati, excisi sunt. Terra circum vellus sunt gentiles, qui prius aridi erant, Nunc autem rorem gratiæ habent, &c.

CAPVT VII.



HActenus dictum est, quomodo Gedeon se ad pugnam contra hostes preparauerit: in hoc capite dicetur, quomodo cum ipsis congressus sit, eosque vicerit. Longè autem aliam pugnam videbimus, quàm in mundo fieri solet. Nec mirum, cum Deus aperte dixerit: *Isa. 59.* Non sunt viæ meæ viæ vestræ, nec cogitationes meæ cogitationes vestræ. Quantum enim exaltatur cælum à terra, tantum exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, &c. Sed ad textum.

Igitur Hierobaal, qui & Gedeon, &c.

Confor.

ANNOTATIONES

Confortatus diuinis promissionibus & signis con-
 stanter rem aggreditur, nihil amplius vel sua paruita-
 te, vel hostiū fortitudine sollicitus, sciebat enim Deū
 omnibus fortiolem. Securus igitur dicebat intra se:
Dominus illuminatio mea & salus, quem igitur time-
 bo? &c. Nocte autem surgit, quòd vel eius diligentia &
 feruor diuina mandata implendi, vel eius prudentia
 ostenditur, qua nihil temerè facit, sed omnia cum cõ-
 silio. In bello enim temeritas multum nocet, & ma-
 ximè in bello spirituali, id, quod in Petro videmus. Af-
 sumit autem secum non contemnendum exercitum,
 non quòd fiduciam collocaret in exercitu suo, sed ne
 videretur Dominum tentare, si iusta & legitima me-
 dia non adhiberet. Non tentabis Dominum Deum
 tuum. Credendum verbo Dei, sed tamen non idè cõ-
 temnenda media humana, maximè quādo nescimus,
 quo pacto Dominus iuuare velit.

Multus est populus, &c.

Mirabilis bellator Deus. Alij gaudent multitudine
 exercitus, certiolem inde sibi victoriam pollicentes,
 Deus autem paucos habere vult, cuius causa subditur:
 Ne gloriatur Israel contra me, &c. Vult Deus in ope-
 ribus suis glorificari. Gloriam (inquit) meam alteri nõ
 dabo. Vult, vt omnia bona ipsi ascribamus. Deniq; ta-
 lem hñc Israelitis victoriam dare decreuerat, vt nemo
 posset dubitare Dei hoc opus esse, omnesque cogeren-
 tur dicere: Non nobis Domine non nobis, sed nomi-
 nituo da gloriam. Non quòd Deus delectetur vanis
 laudibus hominum, sed vt cognita ipsius potentia &
 bonitate fiducialius ad eum curratur, & cæt. Obserua
 item, quòd Gedeoni processuro ad bellum Deus om-
 nia aufert, in quibus posset fiduciam ponere, nimirū,
 vt in nullo alio, quàm in solo Deo sciret sibi confiden-
 dum. Firmè enim omnè exercitum ei aufert, ac quo-
 dammodo solūm hostibus obijcit. hoc autem non fa-
 cit, vt victoriam ab ipso auferat, sed vt victoriam ei
 mirabilius & maiori vtriusque gloria largiatur. Sic cę-
 cum illum à natiuitate visu priuauit. Sic Naaman

Syrum

Psal. 26.

Deu. 6.

Psal. 113.

Ioan. 9.

Syrum leprosum fieri permisit, & Lazarum mori, nō
 vt sic semper manerent, sed vt mirabilius liberarētur. 4. Reg. 5.
Ioan. 11.
 Docemur hīc vt quando Deus aufert à nobis ea, quæ
 videntur apta, cōmoda & iucunda organa felicitatis
 huius seculi, vt sunt diuitiæ, sanitas, bona fama, &c.
 non indignemur, non murmuremus, non resistamus
 ei: non enim aufert ea vt felicitatem auferat, sed vt
 mirabilius eam nobis concedat. Sic Gedeon nihil in-
 dignatus fuit, quamuis fermè omnem ei exercitum
 Deus auferret, solo siquidem Deo contentus erat,
 sciens ipsum omnia ad suam gloriam & salutem no-
 stram ordinare. Hīc igitur discamus orare, Fiat vo- Matt. 6.
 luntas tua.

Qui formidulosus est, reuertatur.

Solent etiam mundani milites è duobus probari, ex
 constātia scilicet animi & firmitate corporis: Ideò hīc
 primum ablegantur formidulosi. Sic enim etiam in
 Deuteronomio præceptum erat. Nam hi non persi- Deut. 20.
 stunt in pugna, simulq; & alios pauere faciunt. Quis
 autē crederet tot formidulosos in eo populo esse, qui
 tantas promissiones audierat, tantaque signa viderat?
 Statim enim recesserunt viginti duo millia. Tam pau-
 ci sunt, qui verè credant. Multi quidem videntur
 credere, sed in tentatione vix paucissimi constant. Nō
 omnium est fides. Quemadmodum autem Gedeon
 formidulosos ab exercitu suo remouit, nec alios ha-
 bere voluit, nisi cōstantes & imperterritos, sic & Chri-
 stus fecit. Vnde in Euangelio clamat: Qui non accipit Matt. 10.
 crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Et Lucz 14.
 iterum: Qui non renunciat omnibus quæ possidet,
 non potest meus esse discipulus. Christianissimus e-
 nim requirit homines fortes, constantes, omniū peri-
 colorū contemptores, paratos quęcunq; ardua & fa-
 cere & pati pro nomine Christi. Vnde dicit: Qui a- Ioan. 12.
 mat animam suam, perdat eam. Hīc autē sermo mul-
 tis durus videtur, vnde & retrò abeunt, impleturq; il- Lucz 11.
 lud: Ad tēpus credunt, & in tempore tentationis rece-
 dunt. Itemque illud: Multi vocati, pauci verò electi. Matt. 20.

ANNOTATIONES

Christianum militem oportet esse fortem, constantem, impavidum. Qui enim erubuerit Christum coram hominibus, erubescet eum Christus coram angelis. Maxime autem fortes esse debent pastores ecclesiastici, ut nedum veritatem constantiter predicent, sed etiam aduersarijs potenter resistent. Tales enim vult Paulus episcopus habere, quorum sermo non tantum sit fidelis, sed etiam potens contradicentes reuincere.

Matt. 10.

Tit. 1.

Lucæ 9.

Docet igitur hic locus eos, qui ob humanum timorem à Christo & veritate recedunt, eos indignos esse, qui militiæ Christi ascribantur. Nemo, inquit, mittens manum suam ad aratrum & aspiciens retrò, aptus est regno cælorum.

Ahuc multus est populus, &c.

Nedum formidulosi inepti sunt ad præliū, sed etiā qui labores, famem, sitimque ferre non possunt: Ideò eiciuntur qui in terram cadentes ex aqua biberant. Hoc enim signum erat quòd & fessi erāt & ægrè sitim tolerabant. Contrà sumuntur in belli socios, qui tantum manu ad os aquam proijciunt, idque stando, hoc enim signum erat quòd nō defatigati essent, & quòd non admodum siti æstuant. Obseruandum quòd si inepti ad prælium iudicantur qui nimis auidè aquam bibunt, quātò magis inepti sunt q̄ semper ebrij sunt? quales esse videmus milites nostros. Et reuera cum trecentis sobrijs & iustis plus damni inferre possemus Turcæ, quàm cum centum millibus impiorum illorū militum, quales ætas nostra fert.

Mythicè aqua significat tribulationem, iuxta illud: Psal. m. 17. Eripuit me de aquis multis, &c. Ad hanc aquam probat suos milites Deus, iuxta illud: Eccl. 25. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio. Qui ergò in afflictionibus constant, hi ad spiritualem pugnam apti sunt: qui autem in afflictionibus flectuntur à fide & bono proposito, frangunturque, hi inepti ad pugnam sunt: Horum autem semper maior pars est, qui scilicet ad tempus credūt, & in tempore tentationis recedūt.

Sic

Sic multi sequebantur Christum in die palmarū can. *Lucæ 19*
 tantes, Osanna filio Dauid, paulò post cū eos duce-
 rēt ad aquas tribulationis, ab omnibus relictus fuit. I-
 tidem & nunc fit. Duo itaq; hīc discamus. Primum q̄ *2. Tim. 2.*
 Christus suos certò ad aquā hanc crucis & tribulatio-
 nis ducit. Omnes enim qui piè volunt viuere in Chri-
 sto, persecutionem patiētur. Hoc quilibet sibi ipsi pro-
 ponat, & vt (sapiens monet) præparet se ad tentatio-
 nem. Sic Paulus paratus erat non solum vinciri pro-
 pter Christum, sed etiam mori. Deinde cū ad aquā *Actor. 25.*
 tribulationis veneris, vide ne cadas, ne frangaris, ne
 desperes, sed cōsiste. Arripe promissiones Christi, itēq;
 exempla sanctorum, qui & ipsi de aqua hac biberunt,
 sed stando. In fide enim permanserunt, id q̄ Paulus
 multis exemplis probat ad Hebr. & tandem etiam nos *Hebr. 11.*
 monet vt non deficiamus, quin potius genua debilia
 & manus dissolutas roboremus, curramusq; ad pro-
 positum certamen, aspicientes in Christū & consolati-
 onē scripturæ, &c. Vel aliter. Aqua interdum etiam *Hebr. 12.*
 voluptates seculi huius significat, in quibus etiam pro-
 bantur pij nō minus, quā in aduersis. Et multi qui-
 dem cadunt in aduersis, plures tamen in prosperis, iu-
 xta illud: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à
 dextris tuis, &c. Qui igitur voluptatibus huius seculi *Psal. 90.*
 se immergunt, atq; toto corpore terræ affixi sunt, ni-
 mis auidè temporalia appetentes, hi inepti sunt ad
 bellum spirituale. Qui autem ita tantū lambunt de
 temporalibus, hoc est, tantū quod necessitati natu- *1. Cor. 7.*
 ræ sufficiat sumunt, hi vtentes mundo tanquam non
 vtantur, & habentes victum & vestitum his contenti
 sunt, hi ad ecclesiasticam militiam instructissimi sunt.
 Docet igitur hæc historia, diuitiæ si affluant, cor non *Psal. 61.*
 apponamus. In summa, hi soli ad spiritualem mili-
 tiam & regimen ecclesiasticum idonei sunt, qui nec
 prosperis nec aduersis rebus abducuntur à Deo, sed in *Lucæ 24.*
 prosperis sunt grati & temperantes, in aduersis autem
 patientes. Item que qui lingua & manu vri sciunt &
 vtuntur, hoc est, doctrina & opere quemadmodū de

ANNOTATIONES

Ecl. 15.

Christo dicitur, &c. Vel aliter. Aqua est doctrina sapiē-
tiæ salutaris. Hanc stando bibunt qui scientiæ pietatē
vitæ adiungunt, & quod sciunt, etiam opere complēt.
Genuculando autem bibunt, qui scientiam habentes,
pietatem vitæ negligunt, terræ affixi nunquam se
ad altiora leuantes: hi non sunt apti ad prælium, sed
priors.

Surge, descende in castra.

Amos. 5.

Eph. 6.

**Tren. 3.
112. 42.**

Apparet ex hoc textu Gedeonem iterum tentatum
fuisse de fide promissionum Dei, alioqui non opus ha-
buisset noua confortatione. Vbi iterum videmus
quàm arduum & rarum sit in tentatione persistere. Si
enim Gedeon tot promissionibus & signis instructus
tamen trepidauit, quid facient qui nec verbum nec
signa Dei attendunt, imò vtrunq; contemnunt? Non
sine causâ Amos dixit, diē Domini esse tenebras & nō
lucem, & in ea etiam tribulari fortem. Hæc eò dicun-
tur, vt quilibet præcogitet, quàm arduum & anceps
erit pugnare cum peccato, morte & diabolo: & iam
nunc se præparet ad illud certamen, arma spiritus in-
duat, auxiliū desuper à Deo quærat, verbo Dei se mu-
niat, exempla que eorum, qui ante nos pugnauerūt a-
spiciat. Omnia enim hæc necessaria erunt, & tamen
vix persistemus in tentatione, &c. Vide autem bonita-
tem Dei, poterat iure Gedeonem abijcere tanquā hac
vocatione indignum, vt qui tot signis & promissio-
nibus nondum perfectè crederet, sed maluit misericor-
diam & clementiam suam ostendere tolerando eius
infirmi-tatem. Hanc eandem misericordiam Dei &
nos quotidie experimur. alioqui nisi ea esset, iam diu
consumpti essemus. Sic Deus linū fumigans nō extin-
guit, sed fouet. Vt igitur Gedeonem iterum confirma-
ret in fide, quam habebat admodum infirmam, & vix
fumigantem, mittit eum clam & noctu ad custodias
& vigilias hostilium castrorum, vt qui non potuit sa-
tis confirmari signis & verbis Dei, confirmaretur ver-
bis & signis hostium.

Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo.

Hoc

Hoc erat signum, quo Gedeon confirmari debebat ut sciret se quantumuis vilis & contemptus haberetur ab hostibus (quæadmodum & panis subcinericius vilis & contemptus est) tamen castra hostium destruturum. Accessit interpretatio somnij, qua apertè fatentur hostes se traditos in manus Gedeonis. Hoc signo & verbo ab hostibus audito ita confirmatur Gedeon, ut nihil amplius dubitet.

Videmus hîc primò quàm occultè iudicium Dei adrepat. Iacebant Madianitæ in valle nihil minùs timentes quàm Gedeonem, interim tamen iudicium Domini fertur eos occidendos gladio Gedeonis. Sic *Thes. 5.* dies Domini velut fur in nocte venit. Et cū dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Videmus deinde horrendam impiorum excæcationem in duobus istis vigilibus, Præmoniti erant somnio, ac ore proprio fatebantur se tradendos gladio Gedeonis, non tamen pœnitent, nō inuocant Dominum. Hoc est quod impij nunquam non faciunt. Scimus, fatemur, credimus futurum iudicium, & tamen nō prouidemus, imò quotidie prouocamus iudicem. O miserā insaniam & excæcationem. Videmus tertio hîc, quam mirabiliter Deus sua dona dispenset alijs alia dando. Sic enim vni vigilum dedit videre, alteri dedit interpretari somniū. Nemini autē vni omnia dat, vult enim ut sciamus & aliorum opera nobis necessaria esse. Videmus quartò, quòd interdum etiã infidelibus sua secreta manifestat, non ad ipsorum salutem, sed ad consolationem piorum. Sic Balaam multa bona de Christo prædixit, ipse tamen in impietate permisit. Sic pseudoprophetæ apud Iudæos, Sibyllæ apud gentiles, mali prædicatores apud Christianos interdum Dei secreta cognoscunt, ipsis tamen nihil inde utilitatis accidit, sed tantum alijs. Hoc autē partim iustitiæ Dei est, ne impij excusationem habeant, partim misericordiæ, quòd pijs etiam per impios consulit. Videmus quinto in hoc textu, quàm contempti in mundo sint pij homines, populus enim Israeliticus

Num. 23,

ANNOTATIONES

2. Cor. 4. atque adeò Gedeon ipse inter alias gentes ita contē-
 nebatur, vt panis hordeaceus & subcinericius, cū ta-
 men magni essent coram Deo. Sic Paulus de se & a-
Psal. 21. lijs Apostolis dicit: Tanquam purgamenta huiusmo-
 di facti sumus, &c. Et Christus de seipso: Ego, inquit,
 sum vermis & non homo, opprobriū hominum, &c.
 Discamus igitur æquanimenter ferre, si à mundo con-
 temnamur, non enim nouū hoc est, sed omnes pij hoc
 experti sunt in vetere & nouo testamēto. Maximè au-
 tem videmus in hoc textu quàm mirabiliter Deus sua
 opera perficiat. Ex nihilo enim potest aliquid facere.
 Et nihil tam vile ac humile est, per quod non magna
 efficere possit. Quid enim vanius, incertius & magis de-
 ceptorium somnio? Et tamen somnio Deus hic verita-
 tem promissionum confirmat. Sic aliàs Christus ape-
 ruit oculos cæci nati luto, cū aliàs lutum potius ex-
 cæcet oculos, quā illustret. Sic per baptismum & eu-
 charistiam confirmat conscientias nostras, quæ tamē
 nihil minus videntur, quàm q̄ possint quicquam ani-
 mo conferre. Valdè autem prodest hanc diuinam in-
 dustriam nosse, vt si idonea salutis nostræ organa no-
 bis ab oculis auferantur, credamus Deum nostrum sa-
 tis industrium esse, qui possit etiam per organa minus
 apta seruare.

Cumque audisset somnium, adorauit.

Gen. 12. Pietas Gedeonis tripliciter hic apparet; primò q̄
 missus ad castra hostiū statim pergit, cū tamē nesciret,
 quid Dominus ei ostendere vellet, & iter satis pericu-
 losum esset. Discamus hic veram obedientiā, vt Deo
 vocanti & præcipienti obsequamur etiā si nesciamus
 quò res sit euasura. Non seducet nos Dominus, sed q̄
Exod. 14. optimum nobis est, ostendet. Sic Abraham secutus est
 vocantem Dominum nesciens quo iret, nec tamen
 deceptus fuit. Sic Israelitæ ex Aegypto vocantem Do-
 minum sequentes omnia prospera inuenerunt. Dein-
 de pietas Gedeonis in hoc etiam ostenditur, quod con-
 firmatus verbis & signis hostium procidens adora-
 uit Dominum, admitans scilicet ipsius sapientiam & gra-

gra-

gratias agens ipsius bonitati. Sic nobis quoq; faciendum. Sic Abraham fecit, cum enim Deus ei dixisset: *Gen. 17.* Feriam tecum pactum, &c. Abraham præ gaudio & admiratione tantæ dignationis cecidit pronus in terram, & adorauit. Itidem fecit Dauid, cum audisset sibi & semini suo tanta promitti, &c. Postremò pietas indicium in Gedeone est, quòd expertus Dei bonitatem statim eam alijs etiam prædicat, aliosque ad sequendum incitat. Pio enim homini non satis est, apud seipsum scire Dei magnalia, nisi alijs etiam nota fiant. Vnde Dauid: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te, &c. *Psal. 21.*

Diuisitque trecentos viros, &c.

Quantumuis de victoria certificatus esset, nihil tamen temerè agit. Hoc enim esset tentare Deum, sed omni militari industria vititur. Et quia Deo promittente auxilium non opus habebat humana fortitudine, ideò omnibus alijs omissis hoc vnum agit, vt hostibus quàm maximum terrorem incutiat. Primò enim non interdium, sed nocte hostes aggreditur, quæ aliàs ex se terrorem habet. Deinde trecentos viros diuidit in tres partes, vt hostes putarent omnia plena esse ab hostibus. Addit terrorem cum terribili sonitu tubarum ex omni parte clangentium, simulque cum inopinato fulgore tot luminum, vt hostes omnium aliorum obliti de sola fuga cogitarent. Denique, vt magis terrentur, iussit omnes clamare. Gladius Domini & Gedeonis, vt scirent hostes Deum ipsum in prelio esse, cui nemo resistere potest. Præterea & alium terrorem addit, perculosos & fugientes insequendo cum clamore & impetu. Postremò mittit nuncios ad alias tribus, vt præoccupent hostibus viam & transitum. Huiusmodi stratagemate Deus tunc fundi voluit impios, qui aliàs vnus angeli virtute occidit totum exercitum Sennacherib. Huius mirabilis victoriæ scriptura sæpè meminit, vt *Isa. 9. & 10.* Itemque *Psal. 82.* multa enim in se cõtinet notatu digna. Primò enim hac victoria comprobatur, quòd victoria non sit opus humanarum

ANNOTATIONES

virium, sed Dei. Quanquam enim sæpenumerò fortior vincit hostem imbecilliozem, tamen hac Gedeonis victoria reuelat Dominus, quòd etiam forti non contingat victoria propter suam fortitudinē, sed propter clementiam Dei. Quòd si nostris viribus vincere non possumus homines, multò minus vincemus demones spiritualesque tentationes. Deinde docet hæc historia, quòd militaris industria tunc sit felix, cum benedicatur diuinitùs. Nisi enim Dominus benedixisset hunc Gedeonis apparatus, nihil egisset. Ideò etiã, si quid astutissimè & sapientissimè excogitauerimus, orandum tamen est pro benedictione Domini. Prætereà victoria ista argumētum certissimum est, quòd Deus velit populum suum è manibus aduersariorum liberare. Insuper ostensum hïc est, aduersarios populi Dei finaliter confundēdos, & suis ipsorum armis perdēdos. Huc pertinet illud psal. Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb, &c. Itemque illud Isaia: Suscitabit Dominus super Assur flagellum iuxta plagã Madian in petra Oreb. In summa, finis impietatis est interitus, & horrenda confusio. Quòd si Dominus non parcat principibus, & toti genti persequenti populum DEI, multò minus parcat priuatis iniuriam alicui ex populo Dei inferentibus.

Psal. 80.

Isa. 10.

Isa. 9.

Mar. 16.

Matt. 10.

Matt. 16.

Ioan. 12.

Matt. 10.

Allegoricè præfigurata hïc fuit victoria Christi & suorum contra regnum diaboli, sic enim Isaias dicit de Christo: iugum oneris & sceptrum exactoris, &c. superasti, sicut in die Madian. Buccinę enim adumbrāt prædicationē Euāgelij. Lampades claritatem miraculorum, Lagenæ autem contractæ passionē Christi. His tribus Christus vicit diabolum. Eadem arma & Apostolis tribuit: Tubas, cum dixit: Euntes prædicate Euāgelium, &c. Lampades, cum dixit: infirmos curate, mortuos suscite, &c. Lagenas autem confringendas cum dixit: Qui vult venire ad me, abneget semetipsum, &c. Item; Qui amat animam suã, perdet eam. Item: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. His armis Apostoli subiugarunt mundum, Vbi obseruandum,

dum, quòd quàm diu lagenæ, id est, corpora eorum integra erant, non videbantur lampades, in vita enim contempti erant: Post contractionem autem lagenarum, id est, post mortem corporis cœperunt apparere lampades signorum. Et nos igitur hostes spirituales nō aliter vincemus, quàm predicatione Euangelij, clamore orationis, & mortificatione carnis. Obseruandum autem, quòd tubæ in dextera portantur, lagenæ autem in sinistra. Prima enim & potissima cura debetur verbo Dei, postrema autem corpori. Contrarium nos facimus, &c. Postremò ex eo, quòd Gedeon post cœptam victoriam nō otatur, sed persequitur hostes vsque ad internecionem, docemur, vt & nos victoriã in baptismo inchoatam perficiamus, nec vnquam in hac vita cessemus, donec supersunt in nobis reliquię peccati, vt sicut prius obediimus peccato, sic deinceps obediamus iustitiæ & Deo, &c.

Rom. 6.

CAPVT VIII.



Multa & magna hastenus de Gedeone nobis proposita fuerunt: nunc in hoc capite ad finē currit eius historia. Sic omnia finem accipiunt, quæ super terram sunt bona & mala. Laudandi tamen sunt, qui benè concludunt, vel (vt Ioannes ait) Beati, qui in Domino moriuntur, quandoquidem nihil stabile sub sole, & moritur doctus vt indoctus. Sed literam videamus.

Apoc. 14.
Eccl. 1.

Dixeruntque ad eum viri Ephraim.

Tribus Ephraim superbos aluit filios, multū enim de se præsumebant, tum quia Iacob prætulerat ipsum Ephraim ipsi Manassè primogenito Ioseph, tum quia primus dux populi Israel post Moysen fuit de tribu Ephraim, nēpè Iosue, tum quia tribus Ephraim præ omnibus alijs possessionem accepit statim post tribum Iuda, quod indicatiū erat has duas tribus potiores esse inter omnes. Ephraimitis similes sunt, qui magnum nomen ambiunt, nihil tamen magnum agunt. Deinde,

Gen. 48.

H h h 5

qui de

ANNOTATIONES

qui de magnis patrum facinoribus gloriantur, cum ipsi semper inglorij mancant.

Iurgantes fortiter, & prope vim inferentes.

Vbi superbia, ibi arrogantia. Deinde ex superbia generatur inuidia, vnde sequuntur iurgia, vt verum sit illud Sapientis: Inter superbos semper sunt iurgia. Atque hæc pestis etiam inter fratres & cognatos regnat. Ephraim & Manasse fratres erant, & è tribu Manasse erat Gedeon, & tamen talia patitur à cognatis è tribu Ephraim. In Ephraimitis igitur tripliciter videmus mundi ingenium, primò, qui ante fugam Madianitarum ne hiscere quidem audebant, nec Gedeonem sequi, nunc cum vident hostes fugatos, magnanimi volunt videri, ac indignantur, quòd non vocati sint. Sic mundus adhuc facit, vbi quid feliciter cedit, nemo nõ vult videri amicus, & pessimè quemque habet, quòd ad consilium rei feliciter peractæ non sit vocatus. Si quid autem infeliciter cadit, nemo vult videri consuluisse, & amici tunc facile numerari possunt. Discamus igitur, vt in omnibus negotijs tantum in vocationem Dei respiciamus, nunquam autem humanæ amicitie causa impiè agamus. Secundò Ephraimitæ cum gratias agere debuissent Gedeoni, quòd se mortis periculo pro communi omnium bono obiecisset, ipsi contra eum iurgantur. Sic mundus in nullos infestior est, quàm in eos, qui maximè vtiles sunt: alia inutilia pondera terre nedum fert, sed exultat. Tertiò Ephraimitæ nedum nihil pro se agunt, sed etiam laboranti pro Republ. inuidet. Sic mundus. Væ autem eis, qui pro Republ. laborantes impediunt, aut ipsis inuident, cum ipsi nihil faciant, & cæt. Cæterum, in huiusmodi peruersitate mundi consolari nos debet, quòd & Gedeon, & omnes pij hæc passi sint.

*Nõne melior est racemus Ephraim vindemijs
Abiezer?*

Racemus pauca grana habet, vindemia autem multa. Est autem sensus: Quid contra me iurgamini, cum talis sim, qui in nullo vobis comparari debeam? Vnus enim

enim ex vobis melior est, quàm mille ex cognatione mea. Deinde pauci illi, quos cepistis, maioris reputationis sunt, quàm multa illa millia, quæ nos occidimus. Dominus dedit vobis, vobis inquam, non mihi, in manus principes Madian, &c. Quid simile ego feci, aut facere potui? Mira hætenus audiuius de fide, fortitudine, prudentia, constantia Gedeonis, hic magis mira audimus de eius modestia. Modestiam autem dico virtutem illam & moderationem animi, qua quis nedum in prosperis non superbit, sed insuper etiã nouit cedere, & tacere inferioribus, & bona verba dare, vbi malis impetitur. Sic Gedeon hic nedum furori Ephraitarum cedit, sed insuper eos laudat, eorumq; facta magnificat, sua autem extenuat. Poterat & ipse duriter respondere, sed quid secutum fuisset? Nempe, vt inter se ipsi ad arma venissent, sicque vel hostibus locum effugiendi dedissent ad spatium, vel ipsis animum addidissent redeundi ad Israelitas inter se pugnantes interficiendi. Nihil perniciosius discordia intestina, vbi hostes haud procul absunt. Hoc autem nomine, vel maximè deploranda est Germania, quòd quòd propius nobis imminet hostes, eò magis inter nos discordamus. Multa igitur mala Gedeon hac sua modestia preuenit, nam & seditionem sedauit, & se suosque à periculo liberauit, & ruptam concordiam inter fratres refarciuit.

Requieuit spiritus eorum.

Hoc est, quod sapiens ait: Sermo mollis frangit iram. Et iterum: Lingua mollis confringit duritiam. Et Charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc est igitur altera Gedeonis victoria, multò laudabilior, quàm prior illa. Nam melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Hanc victoriam nos docet Paulus, cum dicit: Noli malum pro malo reddere, sed vince in bono malum. Malum siquidem non vincitur malo, sed augetur potius, quemadmodum nec nigrum nigro, nec album albo deletur. Vincitur autem malum bono, quemadmodum

Prou. 15.

Prou. 25.

Prou. 10.

Prou. 16.

Rom. 12.

ANNOTATIONES

admodum nigrum albo, & album nigro deletur.

Dixitque Gedeon viris Socoth: Date, obsecro panes populo, qui mecum est, quia valdè defecerunt.

Socoth locus erat, in quo Iacob primò tabernaculum suum fixit, postquam cum frate suo Esau reconciliatus fuerat: Phanuel autem locus erat, in quo Iacob luctatus fuerat cum angelo. Vtrique loco Iacob nomina imposuerat, utrunque incolebāt Israelitæ, quò magis repræhensibilis efficitur eorum duxitia. Admonere ipsos debuerat ipsa loci sanctitas, & memoria sancti Iacob, ne fratribus necessaria denegarent, verùm ut plurimum sic contingit, ut quò sanctior locus, eò peruersiores sint incolæ eius. Cæterùm Gedeon sicut nec improbitate & iniurijs Ephraitarum, sic nec irrisione horum mouetur aut retardatur ab eo, quod Deus iusserat, sed solùm in Dei præceptum respicit. Atque ideò etiam Deus hæc illi contingere permisit, ut omnibus eius perseuerantia in bono ostēderetur pro exemplo. Hoc enim est perrūpere arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per infamiam & bonam famam, &c. Hūc imitentur omnes Christiani, maximè autem, qui alijs præpositi sunt. Cæterùm in viris illis Socoth & Phanuel pulchrè ostensum fuit, quid faciat perfidia, ubi cor humanum ceperit. Nam primò non sinit cogitare Dei beneficia. Deinde nō sinit attendere proximi necessitatem, imò nec sibi ipsi consulit: mauult enim talis homo turpiter seruire, quàm laborando libertatem nasci.

Deinde in his viris ostensum est, quales se exhibeāt impij homines in mundo erga eos, qui infirma specie in officio & vocatione Domini ambulant. Quò enim infirmiores apparent, magisque auxilio aliorum indigere vidētur, eò plus ab impijs ridentur, & auxilio eorum destituuntur. Sic Moabitæ & Ammonitæ negant Israelitis in deserto panes. Sic Dauidē ex aula eiectum produnt Ziphæi. Sic Christum in cruce pendentem rident pontifices, & potant aceto addentes dolorem supra dolorem. Hæc nobis ponūtur ob oculos; primùm,

vt disca-

Gen. 33.

Gen. 32.

2. Cor. 6.

Num. 20.

1. Reg. 23.

Matt. 27.

vt discamus non confidere in humana auxilia; deinde vt propter aduersa & irrisiones impiorum vocationem Dei non deseramus.

Postremo viri illi Socoth & Phaniel typum eorum gestant, qui nedum non laborant, sed nec laborantes adiuuant: quin potiùs irrident & impediunt. Quibus merito Gedeon magnam pœnam comminatur ad terrorem aliorum, ne quis vnquam benè operantem irrideat aut impediatur. Hinc Sapiens: Noli, inquit, prohibere eum qui benefacit, sed si potes & ipse benefac. Et Christus Pharisæis horrendum illud VAE comminatus est, quòd cum haberent clauem scientiæ nedum non introibant, sed insuper introeuntes prohibebant.

Prou. 1.

Matt. 23.

Zebee autem & Salmana requiescebant cū omni exercitu suo, &c.

Videbantur sibi iam mala euasisse, nec putabant Gedeonem transiturum Iordanem, securè igitur agunt sine omni timore. Sic impij quantumuis iram Dei sentiant & in ea trepident, cū tamen flagellum cessauerit, statim omnem timorem abijciunt, sicque contingit, vt subitò ira Dei & improvise ipsos adortur, quemadmodum Paulus dicit, & Christus exēplis Sodomorum & diluuij ostendit. Quanto igitur tutius est semper timere, semperq; sollicitum esse? Sicut enim gladius Gedeonis hos Madianitas tantisper sequebatur & vrgebat, donec ipsos opprimeret, sic nos incessanter sequitur mors & iudicium Dei. Beatus igitur homo, qui semper est pauidus. Et: Beatus homo, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, & cæte. Obseruandum in Gedeone, quàm indefessè vocationi suæ insistit, nimirum quia videbat Dei auxilium sibi adesse. Vbi enim Deus auxiliatur, nemo cessare debet, ne occasionem omittamus. Hoc est, quod Paulus ait, vt temporì seruiamus. Nunc enim tempus acceptabile est, in quo Deus exaudire vult. Nunc dies salutis est, in quo adiuuare vult. Qui hanc occasionem negligit, sibi imputet si præueniatur morte, &c.

1. Thef.

Matt. 24.

Prou. 28.

ApoC 16.

Rom. 12.

2. Cor. 6.

Venitque ad Socoth & dixit eis, &c.

Potesta-

ANNOTATIONES

Potestatis est non solū hostes reipublicæ expugnare, sed etiam peruersos ciues punire. Sic Gedeon expugnatis hostibus impios ciues punit, quos & impios in Deum & crudeles in fratres inuenerat, imò grauius eos punit, quàm hostes ad terrorem aliorum, sic Israhelitæ mali semper atrocius puniti sunt, quàm gentiles. Sic Sodomis remissius iudiciū erit, quàm his, qui audierunt & nō crediderunt. Sic pseudochristiani grauius damnabuntur. Melius enim esset nūquam viam veritatis agnouisse, quàm agnitam blasphemare. Obseruent hoc pseudochristiani & illusores tam fidei rerum quæ diuinarum, quàm necessitatis fratrum. Obseruemus item discretionem Gedeonis, qui cautè nomina principum, qui fontes erant, perquirat, ne quem ex innoxijs perdat. Alius forsan omnes incolas loci occidisset sine delectu. Sed aliter agit Gedeon, aliter etiam præcipit lex: Anima quæ peccarit, morietur. infontem ne occidas, &c. Allegoricè, Sicut Gedeon post adeptam victoriam illusores suos occidit & miserè perdit cum spinis deserti, eorumque turrim destruit: sic Christus post resurrectionem suam Iudæos suos illusores miserè perdidit, nam & ciuitatem eorū subuertit & templum. Et ipsorum carnes etiamnum conterit cum spinis, id est, anxietate & auxilio. Animas autem mala cōscientia effusi sanguinis Christi cruciat.

Dixit Iether primogenito suo, Surge & interfice eos.

Nec regibus impijs parcat Gedeō, quemadmodum nec Christus parcat tyrannis: Imò iudicium durissimum his, qui præsumunt: & potentes potenter tormento patientur. Videmus autem quòd officium mortis adiudicatos occidendi antiquitùs nō tā inhonestum erat, quàm apud nos putatur, alioqui Gedeon nunquam commisisset hoc filio suo. Imò ex libris regum colligi potest, quòd qui primarij erant apud reges, hoc officio fungebantur, vt patet de Banaia filio Ioiadæ, &c. Deinde etiam in lege mandatur, quòd manus testium deberet esse prima in lapidatione sceleratorum. Non autem admittebantur ad testimonia nisi honesti.

Insuper

Matt. 11.

2. Pet. 2.

Sap 6.

1. Reg. 2.

Insuper sicut honestū locum inter ciues obtinet qui prerogatiua quadam à vulgaribus legib. liber est: ita is non parū honestus cēsendus est, qui est liber ab hac diuina lege, Non occides: ita vt liceat ei impunè occidere, quod lex diuina alijs prohibet. Proinde officium carnificis per se est officium honestum. Quòd autem nunc inhonestum iudicatur, partim venit ex superstitione, qua sentimus magistratum rem prophanā esse, partim ex inhonestate carnificum, qui vt plurimum ducūt vitā impurissimam, atque ita fit, vt propter vilitatem personarum vilescat officium. Modestia autem adolescentis est, quòd timet occidere reges. Itaq; à Gedeone perimuntur. Sic semper stipendium peccati est Rom. 5. mors. Sic pereūt impij. Sic mors peccatorum pessima. Sic tyranni rarò bona morte moriuntur, quod vel maximè ex hoc libro haçtenùs ostensum est de pluribus. psal. 115.

Dominare nostri tu & filius tuus.

Quis non miretur hīc hominum peruersitatem? Omnibus modis Deus hoc egerat, vt sibi soli hæc pugna ascriberetur: idè enim Gedeonem ex humili conditione præfecit in ducem, eiq; paucissimos adiunxit, ne cuiquā homini ascribi posset victoria. Israelitæ autem omninò contrarium faciunt, statim enim Dei obliuiscuntur, hominem autem mirantur: imò Deum reijciunt, homini dominium offerunt. Tu, inquit, dominare nostri, Tu liberaisti nos. An nō manifestè hoc est Dei beneficia obliuisci? imò in Deum contumeliosum esse? Non quidem malum erat Gedeonem, quem instrumentum Dei probauerant, honorare, imò iustum erat. Malum autem erat quòd quæ Dei erant, ipsi attribuunt, ne mentione quidem Dei habita. Et suprā quidem Barach & Debora post victoriam Domino canebant, hīc autem nihil tale audis. Quæ Israelitæ hīc fecerunt, & nos facimus. Magna operatus est Deus per sanctos suos in vita & morte, verum non ob aliud, nisi vt maiorem occasionē haberemus ipsum laudādi. Nos autem Dei oblitī, sanctos tantūm suspicimus. Sic fiebat Petri cum sanasset claudum.

ANNOTATIONES

Act. 3.
Abor. 14.

dum. Sic Paulo cum Lystris alium claudum sanasset. Cæterum quòd Israelitæ Gedeoni Dominum offerunt. nihil aliud erat, nisi inpræmeditata temeritas vulgi: Sic enim solet vulgus facere, nullam mediocritatem nouit seruare, aut summè extollit, aut extremè odit. Denique nihil eo inconstantius aut mutabilius, quem enim modò in cælo possuisse cupiunt, ei paulò post omnem humanam opem interdicunt. Et quem nunc ad astra ferunt, eum postea omnibus diris execrationibus deuouent. Sic Israelitæ Gedeonem hinc regem facere volunt, paulò post audietis, quòd eum sic abominantur quòd omnes filios eius crudeliter occidunt. Sid Iudæi Christum regem cõstituere volebant, sed eundem postea cruci affixerunt. Multa alia huius inconstantia exempla in historijs inuenimus. Nemo igitur in fauore vulgi confidat, ne decipiatur, &c.

Non dominabor vestri, &c.

Act. 3.
& 14.

Eundem spiritum hinc videmus in Gedeone, quem in Petro & Paulo videmus in locis supra allegatis. Sicut igitur Gedeon ab humilitate cœpit, sic in humilitate vocationem suam consummat. Et verè magna humilitas, post tantam victoriam nihil magni de se sentire, nihil magnum appetere. Et nescio, an hoc maximum sit, quod in hoc viro admirari debeamus. Magna enim têtatio est, vbi honor & potestas & regnum alicui liberè offeruntur. Nemo hinc facillè contradicit. Quid enim regno acceptius? quid iucundius? Nihil est quod magis appetant homines. Poterat Gedeon esse rex super Israel, nec quisquam ei obijcere potuisset quod seipsum intrusisset, &c. sed magno animo hoc contempsit, primò quia sciebat magis securum esse qui in humilitate manet. Magna officia magnas habent curas & pericula. Et qui multum accepit, de multis rationem reddet. Ad hæc quantò gradus altior, tantò casus grauior: ideò Gedeon maluit priuatus esse. Deinde sciebat omnem gloriam Dei esse, seque nihil egisse in bello, sed tantum instrumentum Dei fuisse. Ideò dicit: Non dominabor vestri, sed Deus dominabitur:

habitur. quasi dicat. Nolo ut Dei gloria mihi tribua-
 tur. Qui vos verè liberavit, is glorificetur, is regnet.
 Nolite alium Dominum quætere, quam Deum, &c.
 Tertio & maximè, idè recusavit regnum, quia vide-
 bat se nec legitimè, nec ex voluntate Dei, sed tantum è
 subito & repentino favore populi vocari ad regnum.
 In lege enim dicitur: Cùm regem cõstituere super te
 voles, non eum constitues, quem tu tuo arbitrio & be- Deut. 17
 neplacito, sed quem Dominus Deus tuus verbo decla-
 rat eligendum. Nondũ declarauerat autem Deus ver-
 bo suo, q̄ Gedeon deberet mutare pristinum statum
 iudiciatum in monarchiam vel regnum. Ideo agno-
 scens regna contra voluntatem Dei occupata non cõ-
 stare, prudèter ac piè regnum recusat. Nõ dominabor
 (inquit) vestri, sed Dominus dominabitur. Verè ma-
 gna pietas prudentiaq; huius viri. Sed dicis: ergo non
 dominatur Dominus, vbi dominatur rex? Aut nun-
 quid sentiendũ q̄ filij Israel nullum hætenus habue-
 rint magistratum? Nequaquã. Semper enim domina-
 tur Dominus, etiam si rex dominetur. hinc rex Babylo- Dan. 4.
 nis è regno eiectus fuit à Deo. Donec, inquit, scias q̄ ex Deut. 16.
 celsus dominetur in regno hominum, &c. Ad hæc Is-
 raelitæ semper habebãt suos iudices & seniores in sin-
 gulis vrbibus: Sic enim lex præceperat. Ideò autem di-
 cebatur Deus tempore iudicũ regnare in Israel, quia
 is status à Deo ordinatus fuit. Deinde quia eo tempo-
 re nullus erat monarcha in Israel qui pro sua libidi-
 ne & potètia dominaretur. Sed eligebantur in singulis
 ciuitatib. iudices & seniores, qui rempub. administra-
 rent, non secundum suum arbitrium, sed iuxta legem
 Dei. Quod si non faciebant, licebat eos ab officio
 deponere. Interim si hostes ingruerent à Domino
 accipiebant iudicem & ducem. Ideò cùm Israelitæ
 hanc formam politicæ eijcerent & peterent, regnum,
 dixit Deus ad Samuelem: Non te abiecerunt, sed 1. Reg. 8.
 me, ne regnem super eos. Sicut igitur Sathan Chri- Matt. 4.
 sto obtulit & promisit omnia regna mundi si ipsum
 adoraret, sed Christus noluit: sic Gedeoni offerebatur

ANNOTATIONES

regnum, si Sathanam adorare vellet, id est, si aduersus ordinationem Dei statum politiae mutaret. Sed noluit, & palàm fatetur se Dominum adoraturum. Docemur hoc exemplo vt constanter repudiemus honores, regna, dignitates, opes & quaecunque alia quæ contra mandata & ordinationem Dei nobis offeruntur & bona coram Deo conscientia haberi non possunt.

Date mihi in aures ex preda.

Matt. 16. Vanitatem mundi hic videmus, qui tantum externum ornatum quærit, animæ ornatum negligit. Verum quid prodest corpus ornare auro, & cæc. anima neglecta? Ornamenta hæc & corpus grauant, & hostes alliciunt. Multis siquidem diuitiæ occasio mortis fuerunt, & tamen nõ cessamus eas congregare. Mira cecitas, q̄ malumus habere hostes, quàm amicos. Diuitias congregare generat hostes, diuitias autem in pauperes dispensare generat amicos, nedum coram mūdo, sed etiam coram Deo. Facite, inquit, vobis amicos de mammona, &c. Verum nos malumus pecuniam cū curis & periculis.

Fecit ex eis Ephod, &c.

Iudic. 5. Dignum iudicabat Gedcon, vt post tantam victoriã signum aliquod erigeretur in memoriam eius victorię. Deinde quia angelus sibi apparuerat, dignū putabat vt eò loci cultum Dei institueret. Tertio volebat & suã ciuitatem & tribum honestare cultu diuino. Sic eum decipiebat propria ratio & bona intentio. Non sic fecerunt Barach & Debora. Nec ei licebat vestem sacerdotalem facere, nec alibi, quàm in loco à Deo electo sacrificare. Hæc igitur sunt iudicia Dei occulta quæ meritò terrere debent, nempe quòd nemo tam firmus stat, qui non cadere possit. Ideò Paulus, Noli (inquit) altum sapere, sed time. Si enim Salomon tanta sapientia, & Gedcon tantis virtutibus præditi tamen lapsi sunt, quid de nobis sperandum est? Atque hæc vna causa est, quòd sancti adeò pertæsi leguntur hanc vitam, nimirum quòd tam nihil securum habet.

Nemo

Nemo itaque gloriatur de sua virtute, sed nec alium cadentem irrideat, cum & ipse cadere possit. Ceterum Ephod vestis est sacerdotalis, quã Leuitæ quidem lineam portabant, summus autẽ sacerdos ex hiacyntho & purpura contextram.

Fornicatus est omnis Israel in eo.

Sic cedunt nostra consilia. Cùm Gedeon vir tam sanctus illud Ephod instituisset & in loco angelicæ apparitionis posuisset, vndique conueniebant Israelitæ, ad hoc videndum, vt venerandum, vt ibi in loco tanquam alijs sanctiori sacrificarent vota que soluerent. Hic autem non tantum erat abusus vestimenti sacerdotalis, sed manifesta impietas, quia expresso contra verbum Dei. Hic Gedeonis erat, cum hoc videret, superstitionem populi prohibere, imò occasionem superstitionis auferre, quemadmodum Ezechias fecit ^{4 Reg. 18.} confringendo serpentem æneum quo populus superstiosè abutebatur. Sed Gedeon tacet, conuiuet, dissimulat. Duplex igitur peccatum eius fuit, & quòd Ephod contra verbum Dei fecit, & quòd ipsius abusum videns non iterum aboleuit. Quis autem non videt similia in Ecclesia contingere? Quam multa instituerunt sancti bona intentione, quæ tamen nunc videmus partim in abusum, partim in superstitionem verti. Exemplo sint festa, cæremoniæ, imagines, Missa, Monasteria &c. Nihil horum ea intentione institutum fuit, quo nunc habentur, &c. & tamen Gedeones nostri tacent, non abolent abusus, nõ auferunt superstitiones, &c. Sed quid sequitur?

Factum est Gedeoni & domui eius, &c.

Non est ridicula res habere aut obseruare que verbum Dei prohibet quantuncumque bona intentione fieri videatur. Sic cum Aaron vitulum instituisset, dixit Deus: ^{Exod. 32.} Dimitte me vt irascatur furor meus in populum, &c. Sic cum Saul sacrificasset bona intentione, ne scilicet nondum placato Domino bellare cogeretur, dixit ad eum Samuel: Nequaquam regnum tuum vltra con- ^{1. Reg. 13.} surget. Quia enim abiicisti sermonem Domini, abiicit

ANNOTATIONES

2. Reg. 19. te Dominus. Sic & Hieroboam regi dicitur: Quia fecisti tibi Deos alienos, &c. ideo inducam malum super domū tuam, &c. Sic & Gedeoni domuiq; eius hoc factum est in scandalum & laqueum, imò ruinam. An autem Gedeō saluatus vel damnatus sit nos Deo permitteremus. Certè hīc dicitur, quòd mortuus sit in senectute bona. Et Paul. cum in catalogo sanctorum recenset, &c. Nostrum est verbo Dei plus credere & obedire, quàm propriæ rationi, nihil instituite nisi consulto verbo Dei, nihilque tolerare quod verbo Dei cōtrarium sit, &c.

Hebr. 11.

Habuit autem septuaginta filios.

Felicissimus sibi videri poterat Gedeon tam numerosa prole, verūm si sequentia attendas, videbis nec in hoc consistere veram felicitatem: Omnes enim hi filij Gedeonis paulò pòst miserabiliter interierunt. Cæterū quòd de concubina ipsius dicitur, non sic intelligendum quasi scortum habuerit iuxta vxores: Concubina enim in scriptura non ea dicitur, quæ vt scortum viro concumbit illegitimè, sed quæ cū sit serua & ancilla, à libero homine in vxorem ducta est. Antiquitùs enim seruorum & ancillarum tam vilis erat conditio, vt (quod ad ius ciuile pertinet) non haberentur pro hominib. Et coniunctio serui & ancillæ nō diceretur matrimonium, sed contubernium. Quamquam enim talis coniunctio si legitimè fiebat, verum erat matrimoniū coram Deo, tamen in hoc seculo nō habebat cōditiones veri matrimonij, quippe quod liberè tali coniunctione nati non erant in potestate parentum, sed dominorum: & non erant parentū suorum hæredes. Vnde etiam si liber ducebat seruam in vxorē, ea tamen non dicebatur vxor, sed cōcubina, nō enim habebat honorem matrisfamilias, nec liberi ex eo matrimonio nati erant legitimi hæredes honorū parentis sui, sed habebant tantū dona & legata. Vnde de Abraham dicitur: Filij s concubinarum largitus est munera. Nemo igitur puet hunc locum patrocinari impuro illi concubinatui & fornicationi, quam scri-
ptura

Gene. 25.

ptura ubique damnat. 1. Corinth. 5. & 6. Galt. 5. &c.

Mortuusque est Gedeon filius Ioas.

Perierant Madianitæ, nunc moritur & Gedeon. sic mors omnia claudit. Moritur doctus simul & indoctus, longè tamè differenter, mors enim sanctorū preciosa in conspectu Domini: Contrà autem mors peccatorum pessima. Errant igitur qui dicunt: Quid nobis prodest si orauerimus Deū? Edamus & bibamus cras enim moriemur. Nostra res in hoc verbo consistit: Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Psal. 115.

Psal. 33.

Job. 21.

Isa. 22.

Postquam autem mortuus est, auersi sunt filij Israel.

Hic describitur ingratitude & impietas Israelitarū, quæ eò turpior est, quòd plura beneficia acceperant. Primò, inquit, Non recordati sunt Domini Dei sui qui eruit eos, & cæt. quæ autem maior ingratitude esse posset? Deinde addunt impietatem in eo, quod restaurant sacra Baal, quæ Gedeon antè diuino mandato abrogauerat. Nec simpliciter ea instaurant, sed percutiūt fœdus cum Baal, hoc est, mutuis fœderibus iuramento firmatis promiserunt se obseruaturos sacra Baal perpetuò, nec vnquam passuros, vt ea sacra aboleantur. Quisquis autem hoc attentauerit hunc veluti sacrilegum extremo supplicio afficiendum esse. Hęc est impietas mundi, quæ semper post beneficia peior efficitur. In crassatus est dilectus & recalcitrauit. Satiasti eos & mœchati sunt.

Deut. 32.

Hier. 5.

Nec fecerunt misericordiam cum domo Gedeonis.

Sicut in Deum impij, sic in Gedeonem ingrattissimi inueniuntur: nec mirum, qui enim Deo non seruat fidem, quomodo homini seruaret? Magna beneficia Deus per Gedeonem præstiterat Israeli, is enim Gedeon primò liberauit eos à tyrānide Madianitarum grauissima, & intolerabili. Deinde administrauit rempubl. Israeliticam 40. annis in summa pace & tranquillitate. Postremò conseruauit legitimū Dei cultum (excepto Ephod) & effecit ne suo tempore Baalitica impietas restitueretur. Hostes autem vincere, ciues in pace & tranquillitate conseruare, & veram religio-

ANNOTATIONES

nem tueri, vera sunt magistratus officia, & summa beneficia, quæ Deus per magistratum populo suo cōfert. Quam autem gratitudinem Israelitæ Gedeoni retulerint, sequens capitulum ostendet de occisione filiorum eius. Meruerat quidem Gedeon ruinam domus suæ propter institutionem Ephod, Israelitæ tamē ingens scelus designant, quòd filios eius, qui optimè de ipsis meritis fuerat, tam crudeliter interficiunt. Hi sunt mores huius seculi, vt quòd plura beneficia hominibus contuleris, eò peiorem illi gratiã referant. Hoc autem nobis præscribitur, nō vt sciamus tantum, sed vt discamus quomodo debeamus nos in tam ingratis huius seculi moribus gerere. Non enim debemus propter huiusmodi ingratitude officia nostra deserere, & homines vicissim malè tractare. sic enim similes mundo efficeremur. Longè aliter agit pius: Primò enim credit se Deo potiùs, quàm hominibus seruire, simulque secum reputat quòd tamen si mundus indignus est cui seruiatur, dignus tamen est Deus cui obediatur. Deinde expectat remunerationem non ab hominibus, sed à Deo. Imò Deus hac potissimum causa permittit tantam impiorum ingratitude, vt assuefaciat pios ad expectandum præmium in altero seculo, & vt doceat planè aliud seculum futurum esse, in quo bona remunerentur & mala perpetuò puniantur.

CAPVT. IX.



Quod in fine præcedentis capitis dictum est filios Israel nō fecisse misericordiã cum domo Gedeonis, nunc in hoc capite explicatur. Est autē insignis historia, in qua primò videbimus quàm frequenter etiam sanctorum filij degenerent: Deinde quanta mala faciat ambitio. Præterea ostendet caput hoc veras conditiones tyrannorum. Insuper quanta mala sequantur vbi in electionibus plus secundum fauorem, quam secundum virtutē agitur,

agitur. Finaliter autem quàm miserè pereant impij. Omnia hæc ad oculos videbimus in hoc capite ad admonitionem nostri.

Abijt autem Abimelech filius Hierobaal, &c.

Hic habes imaginem degeneris filij. Quod pater ipsius omnibus modis detrectabat, nempe regnū cum vltro ipsi offerretur, hoc filius hinc vltro appetit & ambit, multoque sanguine ad hoc contendit. Quis crediderit tam degenerem filium ex tam pio parente venturum? Huic Abimelech similes sunt plerique nedum priuatorum, sed etiam principum & regum filij, qui vix expectata parētum sepultura, omnia innouare incipiunt, obliuiscunt pietatis & exempli parentum; recedunt à hinc, &c. sequuntur suos affectus. Non audiunt benè monentes, sed tantum sui similes, qui affectibus eorū correspondentia dicunt, quemadmodum & Roboam 1. Reg. 12. fecisse legitur. sicque & seipsos & subditos perdunt. Nemo igitur præsumat de probitate parentum, quando nedum Gedeon, sed etiam Abraham, Isaac, Iacob, David, &c. degeneres filios habuerunt. Admoniti autem sint parentes, vt quàm diligentissimè filios ad pietatē instituant. Si enim etiam interdum benè instituti ita degenerant, quid boni sperandum de nostris, quos nihil instituiimus, imò in malo fouemus, & ad malum inducimus?

Loquutus est ad fratres matris suæ, &c.

Hic vides ambitionem huius Abimelech. Nemo eum quærebat, aut eum petebat in regem, imò nec illius opus habebant, cum optima politia tunc esset in Israel sub dominio & regimine non hominis, sed Dei. Seipsum autem ingerit, seipsum regno dignum æstimat, seipsum omnibus fratribus præfert, cum esset & dignitate, & virtutibus longè minor fratribus. Nec attendit exemplum patris aut fratrum, qui non ambiebant regnum aduersus ordinationem Dei. Denique non attendebat sibi non licere præter, imò contra ordinationem Dei mutare statum politix, quam Deus instituerat. Summa, nihil aliud aspiciebat, quàm regnum,

ANNOTATIONES

Leui. 10.
Num. 16.

& potentiam, & ad ipsa quocunque etiam modo per-
tingere festinabat. Postremò non considerabat, quod
nullus præcedentium sanctorum regnum Israelis af-
fectasset, sed nec illud perpendebat, quàm miserè pe-
rierint olim Naab & Abin, itemq; Chore cum cõplici-
bus suis temerè alienum officium vsurpantes. Hęc est
natura ambitiosorum, quòd seiplos ingerunt neque
ius neque fas considerantes. Sic ambitiosissimus iu-
lius Cæsar solitus fuit dicere: Si violandum est ius, re-
gni gratia violandum est: in alijs pietatem colas.

Loquimini ad viros Sichein, &c.

Eccl. 28.

Ab hoc loco & deinceps pulchrè depingitur, & re-
præsentatur imago tyranni, ad eòq; proponitur nobis
exẽplum vulgati illius dicti, quod de tyrannis dicitur;
Intrant vt vulpes, regnant vt leones, moriuntur vt ca-
nes. Hoc est, tyranni inuadunt, & occupant regna a-
stutè, administrant ea ferociter, sed tandem percunt
turpiter. Hoc autem non tantùm in tyrannis, sed etiã
in priuatis impijs accidere videmus: Hi enim solent
opes astutissimis imposturis congregare, postquã ve-
rò ipsas acquisierunt, magno fastu, & aliorum cõtem-
ptu vitam agunt, sed tamen pereunt vnà cum opibus
suis ignominiosissimè iuxta prouerbium; Malè partũ,
malè dilabitur. Vide igitur, quo astu, qua vafricie, qui-
bus dolis Abimelech regnum inuadat. Primò per co-
gnatos hoc negotium agit, ne à quoquam temerita-
tis argui posset, si teipsũ offerret. Deinde fratres suos
suspectos facit, quasi ipsi omnes simul regnum affecta-
rent. Hęc est mera calumnia, pestis frequentissima in
aulis principum apud ambitiosos. Hac autem calum-
nia fratribus innocentibus inuidiam suscitatur. Vide,
quid faciat detractio, & tertia lingua. Vnde Sapiens;
Lingua tertiã multos commouit & disperdit, &c. ad
longum. Prætereà Abimelech quã certissimum esset,
quod de fratribus suis mentitus fuerat, nec indigeret
vllis argumentis, declamat longè consultius esse, vt v-
nus dominetur, quàm vt multi in vna regione reges
sint. Et id quidem verum est. Nam multitudo princi-
pum per-

pum pernicioſa eſt. Vnde Alexander Magnus aiebat neque terram duos ſoles, neque regnum duos reges ferre poſſe. Sic igitur Abimelech præſendit publicam vtilitatem ſe quærere, non priuatam. Hæc eſt vulpina aſtutia, Nihil enim aliud quærere, quàm ſuum commodum, & tamen aliud ſimulat. Poſtremò captat ſibi ipſi beneuolentiam à cognatione. Simul, inquit, cogitate, quia os & caro veſtra ſum. Atque ita duobus argumentis ſuadet illis, vt ſeipſum regem creent: altero quòd vnus dominatus tolerabilior ſit, quàm multorum, altero, quòd ſit ipſe cognatus eorum, quo nomine haud obſcurè ſignificat ſe, ſi rex ab ipſis creetur, genus marci num clariffimè illuſtraturum, & omnib. cognatis ſuis benefacturum. Hi ſunt doli & aſtus, quibus Abimelech inuadit regnum Iſraelis. Atq; vtinam ſolus talis fuiſſet. Nunc autem multos ſimiles habet, imò non eſt iam alia via perueniēdi ad honores & officia, niſi per dolos, ſimoniam, veneficia, homicidia, &c. Et ô miſeri filij Adam, quid tanto conatu cupitis aſcendere? Ad certum præcipitium ſcanditis. Quò enim altior gradus, eò caſus grauior, &c.

Locuti ſunt fratres matris eius ad viros Sichem.

Facile inuenit impius adiutores. Non ſolùm verba eius accipiunt fratres & cognati eius, ſed etiã omnes viri Sichē inclinauerūt cor ſuum poſt Abimelech. Hic primùm vide magnam hominum illorum incoſtantiam, qui propter vnum furioſum iuuenem optimum ſtatum politiæ Iſraeliticæ mutant, & eum ſtatū, quem Deus inſtituit: idque faciunt nulla neceſſitate coacti, ſed tantùm, vt affectibus ſatisfacerent impij vnus hominis, ſimulque ſperantes gratiam ab eo illis rependendam. Hoc eſt autem ingenium mundi, quod vtilitatis ſpecie facile ad ſeditiones, & ad mutandum ſtatum Reipub. mouetur, nulla interim honeſti ratione habita, cum tamē etiam ethnici viderint, nihil eſſe vtile, niſi idem ſit honeſtum. Denique non attēdunt, quid futurum ſit, ſed præcipitater omnia agunt, cum non fruſtrà dictum ſit: **Quicquid agas, prudēter agas,**

ANNOTATIONES

Deut. 32.

& respice finem. Et Moyses: Vtinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent. Deinde magna erat Sichemitarum cæcitas, quòd in rege eligendo nò attendunt mores & vitam, non pietatem, non prudentiam, aut idoneitatem personæ, sed tantum cognationem. Et quid aliud fieri videmus nunc in quibuscunque electionibus? Semper illic primum locum obtinet Abimelech, id est, ambitiosi, & Sichemitæ, id est, qui cognatos suos promouent, qualescunque tandem

Act. 1. & 6.

sint. Accedit plerunque & Simon pecunias offerens, &c. Non sic elegerunt Apostoli Mathiam, & septem illos Diaconos. Non sic docet Moyses instituere iudices. Nò sic docet Paulus instituere episcopos. ò igitur miseram Ecclesiam, &c. Præterea magna stultitia Sichemitarum erat, quòd furioso illi iuueni statim tantum argentum dant, per hoc enim malitiæ eius ianuam aperuerunt. Nam quod gladius in furioso, hoc est pecunia indomito iuueni. Neque enim ille gladio, nec hic pecunia, nisi in suam & aliorum perniciem uti potest. Verum hoc est ingenium mundi, quod promptissimè expendit pecunias, & administrat sumptum impietatibus & seditionibus, cum interim ad pietatem & tranquillitatem publicam conseruandam, vel etiam ad subleuationem pauperum ciuium ne teruncium quidem det. Postremo, magna Sichemitarum insania, imò impietas est, quòd impium illum post tantam crudelitatem in proprios fratres perpetratam, cum eum omnibus auersari debuissent, etiam si prius dilexissent, non abijciunt, non puniunt, sed quasi re benè gesta regem constituunt. Verum paulò post eius tyrānidem & ipsi experti sunt.

**Deut. 1.
Tit. 1.**

Qui conduxit viros inopes & vagos.

Vel hinc ingenium hominis illius conspicitur. Non assumit sibi viros probos & sapientes, hi enim nò permisissent eum tantum facinus perpetrare, sed arguissent. Verba sapientum quasi stimuli. Neglectis igitur talibus alios sui similes assumit. Sic fecit Roboam. Sic

3. Reg. 12.

& Iulius Cæsar huiusmodi, homines sibi conciliabat, afferens

asserens eis planè opus esse ad bellum ciuile. Maxima autem crudelitas huius Abimelech fuit, quòd tantum innoxij sanguinis fudit. Occidit enim non vnum aut alterũ, sed septuaginta viros & fratres suos, idque in domo patris sui. Ô tyrannum. Atq; hoc tam execrabili factò regnum suum auspicatur. Videtur autem sibi hoc minimè impiè, sed ad tuendum regnum & conseruandam tranquillitatem necessariò facere. Innumera sunt exempla huius crudelitatis fratrum in fratres apud ethnicos scriptores. Regnum enim impatiens est consortis, neque consistere posse existimatur, nisi æmulus è medio tollatur. Sic & Ioram rex Iud. 2. Par. 21. da occupans regnũ patris sui, occidit fratres & quosdam principes iuda. Sic Absalon regnum, quòd inuaserat non se conseruaturum putabat, nisi concubinas patris sui impiè sordidaret, & patrem crudeliter persequeretur. 2. Reg. 16.

Hoc autem nõ tam stultitia, quàm extrema impietas est. Regna enim non possunt retineri impietate ac crudelitate, sed potius his moribus amittuntur. Interim tamen sub his factis Abimelech & Sicheuitarum attendenda sunt iudicia Dei. Peccatum enim, quòd peccauerat Gedeon; nunc punitur in filijs eius, iuxta illud: Ego Deus fortis Zelotes, visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationẽ, &c. Exo. 20. Atque hic videmus, vnde sit, quòd magnæ aliquando familiæ miserè pereunt. Propter peccata videlicet parentum. Non quòd filij æternaliter puniãtur pro peccatis parentum, nisi fuerint imitatores peccatorum parentum. huc enim pertinet illud: Non morientur filij pro parẽtibus æternaliter scilicet, sed temporaliter sepius peccata parentum puniuntur in filijs. Deinde, quia Ephraitæ prius contra Gedeonem tumultum fecerant, & aliàs superbi erant, nunc iusto Dei iudicio tyrannum acquirunt in regem, qui eorum superbiam frangat. Dabo eis regem in furore meo, & cæt. Do. Osee. 12. cet nos hæc historia, ne temerè statum Reip. mutemus, ne quid improuidè agamus, ne prodigæ iuuentuti

nimium

ANNOTATIONES

nimum indulgeamus, ne affectibus obsequamur. Omnia enim hæc ad interitum ducunt, &c.

Terunt ligna, vt vngerent super se regem.

Ioathan natus minimus inter filios Gedeonis exprobrat Sichemitis impietatem eorum, & vaticinatur ipsis, quanta eos maledictio maneat, quod creauerint Abimelech regem, & auxilia ei præbuerint ad interficiendos fratres eius. Vt autem planius, & magis perspicuè ob oculos ponat Sichemitis ipsorum impietatem, & ingritudinem, & futuram pœnam, confingit apologum, seu fabulam de arboribus petentibus regem. Ne quis autem offendatur audiens etiam in sacris literis fabulas haberi, obseruandum, quod duplex est genus fabularum: alterum est scurrile, quod tantum risum mouet, & hoc neque ad sacram scripturam, neque ad bonos viros pertinet, alterum est doctum, eruditum, & serium genus fabularum, vt sunt apologi & fabule Poëtarum. Hoc genus excogitarunt prudentes viri ad utilitatem humanam, ad institutionem morum & formandam prudentiam in pueris & rudibus hominibus. Nuda, n. præcepta sapiëntiæ dura sunt & horrida. Verba enim sapientum quasi stimuli & clauis in altum confixi, ad hæc facile excidunt è memoria. Qui ergo ruditati, & imbecilli hominum memoriæ consultum voluerunt, hi inuenerunt hoc genus dicendi per apologos & fabulas, quod cum voluptate quadam cõiunctum est. Hinc nati sunt apologi Aesopi, qui certè mores & prudentiam formant. Hinc & Poësis Homeri de Achille & Vlyssè, itemque Vergilij de Aenea. Quæ Poëses nihil aliud sunt, nisi præcepta sapiëntiæ, & institutiones morum ac doctrinæ aliarum multarum rerum, quæ ad humanam vitam conducunt. Ad hoc igitur eruditum genus fabularum pertinet apologus hic. Nec existimes sacram scripturam ab huiusmodi genere docendi abhorrere: in hoc enim genus referri possunt visiones prophetarum, somnia Pharaonis & Nabuchodonosor, quæ certè reipsa nihil erant, sed tamen veritatem rei diuino spiritu reuelante demonstrabant. Huc referri possunt

Ephes. 5.

Eccl. 12.

possunt parabolę, quibus & Nathan Dauidem, & alius 2. Reg. 12.
 quispiam propheta regem Achab in cognitionē pec. 3. Reg. 20.
 catorum adduxerunt, imò huc pertinent etiam para-
 bolę Euangelicę quę similitudinibus rerum veritatē
 rerum ostendunt. Ad propositum. Sensus huius Apo-
 logi hic est: Sylua significat populum Israel. hęc sylua
 multas arbores habuit bonas & malas, Primò enim
 habuit Oliuam, id est, homines diuites in virtute, qua-
 les fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, &c. horum autem
 nullus regnum super alios appetiuit, cum tamē digni
 & idonei fuissent, sed potiùs in humilitate viuere vo-
 luerunt. Deinde sylua hęc habuit ficum, id est, homi-
 nes charitate, mansuetudine, & beneficentia dulces,
 vt puta Moysen, Iosue, Iudices, &c. sed nec horū quis-
 quam regnum appetiuit. Præterea habuit sylua hęc
 vitem fecundam, ipsum scilicet Gedeonem, cuius fi-
 des & virtus & Deum & homines lætificauit, sed nec
 is regnare voluit, vt suprā auditum fuit. Postremò ha-
 buit hęc sylua rhamnum, ipsum scilicet Abimelech
 hominem spinosum, inquietum, cruentum. Hic solus Iudic. 9.
 tyrannidem inuasit cum esset omnibus alijs minus
 idoneus. Obseruandum igitur circa hunc apologum,
 quòd pij homines bonis & fructuosis arboribus com-
 parantur, quę admodum & in Psal. Impij autem steri-
 libus spinis quę nihil aliud quam pungunt, nec ad ali-
 ud quàm ad ignem vtiles sunt, quemadmodum & Psal. 1.
 Christus dicit: Omnis arbor quę non facit fructum, Ioan. 15.
 excidetur & in ignem mittetur. Videmus deinde hic
 stultitiam impiorum, qui ferè semper presentem sta-
 tum fastidiunt, ac nouis rebus student, quo tamen stu-
 dio nihil aliud consequuntur, quàm quòd subinde ma-
 iores calamitates in sua ipsorum capita asciscunt. Quid
 enim opus erat arboribus regē? Erant creatę & ordi-
 natę in statu valdè tranquillo, hoc tamen non con-
 tentę ad exemplum hominum regem petunt. Quid
 ergò fit? Nacti regem rhamnū deuorantur ab igni eius.
 Sic vulgus non contentum præsentem statu seipsum in
 extremam perniciem conijcit. Præterea videmus hic
 condi-

conditiones piorum, quòd scilicet sua sorte contenti sunt, nec confidunt in subitaneo vulgi fauore, nec affectant sublimiorem status conditionem, sed suam sortem etsi humiliorem, tamen tranquillio- rem retinent, dicunt enim: Num donum meum diuinitus datum, officiumque à Deo commissum derelinquam & maiora appetam, ad quæ vocatus non sum? Nû hoc esset sapere, securum & tranquillum vitæ genus rej- cere, & seipsum in periculosissimum & laboriosissi- mû vitæ genus injcere, idque propria temeritate pro- pter & contra vocationē Dei? Sûma, quò quis stultior, peior, ineptior, tantò audacior, præsumptuosior, ambi- tiosior inuenitur, & contra quò quis prudētior, tantò humilior, &c. Docemur hic per oliuam, ficû & vitem quales perficiendi sint, nempe clementes, fideles, pru- dētes. Cæterum quod in hoc Apologo dicitur vinum lætificare Deum & homines, non significatur Deum bibere vinum, sed explicatur excellentia vini. Nā & de cibo valde sapido dicitur: Hic cibus tam sapidus est, vt nemo præter Deû ipso vesci deberet. Et præstans vinum dicimus Dei vinû, *Hergots wein*. Ad hæc vini quoq; vsus est in sacris, quæ Deo fiebant.

Regnavit itaque Abimelech tribus annis.

Conditio impij hominis. Pergit regnare & tyranni- dem exercere quantumuis monitus esset & de graui- tate præteriti peccati & futuri supplicij. Sic impij non curant verba Dei, nec credunt futuram pœnam donec eam sentiant. Atque hoc est, quod Deus vbique cõtra homines conqueritur. Misi (inquit) omnes seruos me- os, prophetas manè consurgens, & noluerunt audire. Et Christus: volui (inquit) congregare filios tuos sub alas & noluisti. Magna itaque Dei misericordia, quòd etiam pessimos non punit nisi præmonitos. Magna i- tidem eius patientia & longanimitas hic ostenditur, quòd tribus annis impium Abimelech impioque Si- chemitas expectat ad pœnitentiam antequam puniat, cum meruissent statim puniri. Magna e contra peruer- sitas Sicheuitarû, qui nec Dei admonitione, nec lon- ganimitate

Hier. 7.

Matt. 23.

ganimitate ad pœnitentiam promouebantur, sed per Rom. 9.
gebant thesaurizare sibi ipsi iram, & c. Cantauimus Matt. 11.
vobis & non saltastis.

Misit Deus spiritum pessimum, &c.

Hic tandem incipit impleri quod Ioathan prædixerat futurum. Sichemitarum enim qui prius tanto favore Abimelech in regem promouerant, nunc eum extremoodio persequuntur. Accusant eum latrocinij, conuiciantur ei, & deficientes ab eo in exitium eius conspirant. Atque ad eò tantisper inter se vicissim insanunt, Isa. 42. donec alteri alteros opprimant. Sic Deus etsi diu dissimulat & pœnam differt, finaliter tamen comminationes suas implet. Tacui, inquit, nunquid semper tacebo? &c. Hic igitur primò videmus nullas amicitias, conspirationes, fœdera & mutua auxilia impiorum aduersus Deum, aut verbum, præceptum & ordinationem Dei constare posse, sed quò firmitus impij sibi inuicem adherent, eò turpius vinculum eorum soluitur, vt qui amicissimi fuerunt inter se, inimicissimi fiant. Sic contigit inter Cæsarem & Pompeium. Sic Iudæi & Romani in passione Christi valdè concordabant, ad Ioan. 19. eò vt Iudæi clamarent: Non habemus regem, nisi Cæsarem, tamen paulò post hostes inter se facti sunt infensissimi. Huc pertinet quod Salomon dicit: Mali Prou. 11. quanquam inter se conspirent, non elabentur. Et Dauid: Dominus in cælis irridebit eos. Sic Dominus non Psal. 2. Psal. 326. uit dissipare consilia impiorum. Congregamini, inquit, & vincemini. Loquimini verbum, & non fiet, &c. quia nobiscum Deus.

Nemo igitur confidat in amicitijs aut conspirationibus fœderibusque contra Deum initis, non enim constare poterunt. Secundò videmus hîc intestinam discordiam esse principium, causam & certissimum signum futuræ perditionis, id quod in omnibus historijs videmus tam sacris quàm prophanis. Omne enim regnum in se diuisum desolabitur. Sic discordia Sichemitarum aduersus Abimelech perditionem attulit vtrisque. Utinam hoc Germanis persuasum esset. Ceterum quod

ANNOTATIONES

quod hic dicitur, Misit Deus spiritum malum, &c. nō intelligas Deum auctorem esse peccati: nam quod Dominus misit spiritum malum inter Abimelech & Sichemitas non fuit malum peccatum, sed bonum supplicium impietatis & crudelitatis. Sic & alibi Dominus legitur misisse spiritum mendacem ad decipiendum, id est, puniendum Achab. Sic in Ezechiele dicitur: Propheta cum errauerit, ego Dominus decepi eum, Et Paulus: Tradidit illos in reprobū sensum. Huc referre possumus etiam indurationem Pharaonis & excitationem Israelis.

Qui cœperunt detestari eum, &c.

Vide quā temerè agant Sichemitæ, quia sciebāt Abimelech esse malum, putabant se certā habere victoriam & optimam causam, cum tamen ipsi non minus mali essent. imò sub prætextu recuperandæ libertatis & puniendæ tyrannidis nihil non malorū committebant, edebant, bibebant, prædabantur, succidebant vineas, &c. Ideò ipsi primò pereunt. Idem nos facimus, cum vel contra Turcas pugnare volumus ipsi peiores Turcis &c. vel aliorū vitia corrigere nitimur &c. Hic igitur vide primò Dei iustitiā. Sichemitæ prius contra ordinationem Dei volebant habere Abimelech in regem, nūc coguntur eum habere inuiti. Prius auxilium ei præbebant ad interfecionem innocētum, nunc etiam ipsi gladium eius sentiunt. Iustus Dominus & rectum iudicium eius. Sic ranæ coguntur ferre regem ciconiam, quem petierunt. Deinde videmus hic humani ingenij præposteram prudentiam, imò apertam stultitiam in expiandis sceleribus & corrigenda temeritate sua. Sichemitæ enim antè magna impietate regem constituerant, eique in malis auxilio fuerant: Nunc autem cū pœniteat eos facti, non emendatione vitæ, non confessione peccatorum, non oratione ad Deum (quæ vera media fuissent depellendi tyranni) sed noua temeritate & impietate, nouis item peccatis priorem temeritatem, priusque peccata expiare student. Nam primò odiunt Abimelech contra

præ-

2. Reg. 22.

Ezech. 14.

Rom. 1.

Exod. 7.

Ma. 6.

Psal. 118.

præceptum, diliges proximum tuum. **Secundò con** Exod. 22.
 uitiantur ei contra præceptū: **D**ijs non detrahes, &
 principi populi tui non maledices. **Tertiò seditiosum** Ioan. 18.
 Gaal secuti seditionem mouent, ac gladium vsurpāt
 contra verbum Domini quod prohibet gladium pri-
 uatis. Interim edunt, bibunt, prædantur & ad do-
 mum idoli concurrunt, quæ omnia prohibita erant.
 Ipsi tamen putant se hoc modo posse corrigere prio-
 rem temeritatem, cùm sic agendo magis ac magis irā
 Dei prouocarent. Sic cæto semper nouis sceleribus ve-
 tera, & noua temeritate veterem corrigere & expiare
 conatur. Sic Dauid admissum adulterium homici- 2. Reg. 11.
 diotegere volebat. At hoc non est scelera purgare,
 sed augete.

Præterea videmus etiam hîc in Sicheinitis non cā-
 nendum esse encomium ante victoriam, nec cōtem-
 nendum esse hostem quantumcunque imbecillis vi-
 deatur. Maximè autem attendenda est in hoc textu
 misera perditio Sicheinitarum, miserè enim occidun-
 tur: insuper & ciuitas eorum destruitur. Hic finis est
 seditiosorum & omnium impiorum. Cæterùm quòd
 Abimelech reportat victoriàm è Sicheinitis, cùm ta-
 men ipse non minùs malus fuerit, docet nos vt nul-
 lam causam ex euentu aut fortuna iudicemus. Ne-
 que enim ob prosperam alicuius fortunam iudican-
 da est causa eius bona, neque ob aduersam, iniusta. Sic
 Philistæi sæpè vicerunt Israelitas, non quia iustam
 haberent causam aduersus Israelitas, sed quia Domi-
 nus volebat Israelitas conseruare in timore suo. Sic
 Turca sæpè vincit Christianos, non quia iustam ha-
 bet causam, sed vt Christiani hac virga ad pœnitentiã
 inducantur.

Ordinavit quidē Deus verbo suo, vt qui obedierit Deut. 28.
 eius mandatis sit benedictus & habeat prosperam for-
 tunam, qui autem non obedierit, sit maledictus &
 habeat aduersam fortunam: Sed hæc Dei ordinatio in
 hoc seculo, in quo Sathan princeps est, sæpenumerò
 intetrumptitur, idque Deo iustis de causis permittente

ANNOTATIONES

donec iudicium Domini reueletur. Tunc enim volē-
 tenolente sathana ordinatio Dei promouet vt & pius
 prosperā habeat fortunā, & impius aduersam. Sic &
 hoc loco cōniuet Dominus ad prosperam fortunam
 impij Abimelech, vt per ipsum impij Sichemite pūiā-
 tur. Mox autem & ipse Abimelech eò grauius punitur
 quò diutiùs supplicium eius dilatatum est.

Ingressi sunt phanum Dei sui Berith.

Hoc erat templum Baal & vocabatur templum Be-
 rith, id est, fœderis. Inierant enim Israelitæ fœdus cū
 Baal vt esset eis in Deū, vt suprā dictum est. Ad huius
 igitur DEI templum & munimentum fugiunt Si-
 chemitæ sperantes fore vt quos nec arma, ne moe-
 nia vrbis, nec turres defendissent, eos munimentum
 templi & auxilium Baal defenderet, sed frustrā spe-
 rant: igni enim & fumo miserè pereunt. iudicante e-
 nim Domino, impij nec in munitis vrbibus, nec in
 magnis turribus, nec in munimentis deorum suorum
 tuti sunt, sed quocunque fugiant, ibi inuenit eos ira
 Dei. Non est (inquit) qui de manu mea possit eruere.
 Et in Amos: Non, inquit, erit fuga eis, & qui fugerit
 ex eis non saluabitur. Si descenderint vsque ad infer-
 num, inde manus mea educet eos. Sic igitur Siche-
 mite ab igne è rhāno proficiente consumpti sunt, sicut
 prædixerat Ioathan. Admonitioni igitur sit hæc ipso-
 rum pœna, ne vnquam ex propria temeritate statum
 reipubl. innouari vel immutare conemur. Raro enim,
 vt dicitur, melius sequitur. Et plerunque volentes no-
 bis prodesse, maximè obsumus. Hoc autē studeamus,
 nempe Deum piè colere, sic enim Deus etiam inter
 crudelissimos tyrannos nos custodiet saluos, & bene-
 dicet, id quod Daniel expertus est in Babylone, & Tho-
 bias in Ninie.

Abimelech autem inde proficiscens, &c.

Vide vt Abimelech è prospera fortuna subinde in-
 solentior fiat, adeoque felicitate sua pro more impio-
 rum ad maiorem crudelitatem & tyrannidem abu-
 tatur, existimans se ob prosperam fortunam iustam
 ha-

Sup. cap. 8

Deut. 32.

Amos. 9.

Dan. 2.

Thob. 1.

habere causam, id quod & nostro tempore in plerisque magnatibus videmus, &c. Hoc autem est quod Sapiens Ecccl. 2. dicit: Quia non profertur citò cōtra malos sententia, absque timore vllō filij hominum perpetrant peccata. Et Paulus: Iuxta duritiam tuam (inquit) & cor impoenitēs thesaurizas tibi iram, &c. Cogitare debuerat Abimelech: Si Dominus tanta seueritate puniuit Schemitas, qui meo potiùs quā suo consilio peccauerunt, quid de me fiet? Hæc inquam cogitare debuerat. Deus enim aliorum supplicijs, alios inuitat ad pœnitentiam. Ignoras (inquit Paulus) quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et Christus: Putatis quòd Ibidem Lucz 13. hi Galilæi præ cunctis alijs peccatores fuerint? Non dico vobis. Sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Verùm nihil horum cogitat impius Abimelech, sed pergit implere mensuram peccatorū suorū. Quid igitur fit?

Mulier quædam fragmen mole desuper iaciens, &c.

Putabat se hostes iam in manu habere, nec aliud cogitabat quàm vindictam, sed ecce subitò perit & vnde minimè timebat. Vide aut quā facilè Deus impiorum superbiam & conatus contundat. Non opus habet magna virtute aut exercitu. Sic superbum illum Alexandrum magnum vnus haustus veneni deciecit. Sic impium Achab sagitta in incertū emissa occidit. Sic impium Antiochum morbus retinuit à malo proposito. Imò generaliter Deus sic ordinat, vt qui sibi gloriosissimi videntur, scedissimè confundantur & periant, vt omnes qui eorum casum vident, dicant: Ecce 3. Reg. 22. homo qui non posuit Deum adiutorē suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, &c. Sic igitur vides in hoc Abimelech impletum quod David dicit: Psalm. 36. Vidi impium exaltatum sicut cedros libani: trāsiui & ecce non erat, &c. Quid misero huic profuit potentia & superbia? Imò vides hîc quàm benè monuerit Sapiens, cum dicit: Memorare nouissima tua, & in æternū nō peccabis. Quid igitur Abimelech hæctenus fuit aliud quàm rex tragicus, qui breui admodum tempo-

ANNOTATIONES

Eccl. 2. *re* egit personam regis, nunc autem eò turpius moritur. Sic vita nostra nihil aliud est, nisi fabula quædam, in qua sub diuersis personis introducimur, finaliter autem detractis personis omnes æquales sumus, omnes morimur doctus & indoctus, &c. Nemo igitur in huiusmodi externis confidat, nam perpetua nō sunt, nec diu manent.

Euagina gladium tuum & percutite me.

Exemplum desperati hominis, qui etiam in extremo spiritu constitutus nec Dei meminit, nec iudiciū Dei timet, sed tantū opprobrium mundi. Sic solēt impij, qui etiam in morte plus solliciti sunt de pompa funeris, quàm de salute animæ. Sic igitur mors impiorum pessima fit, quia in peccatis moriuntur.

Et reddidit Deus malum, &c.

Epilogus est huius capituli & expositio rerum gestarum, videlicet quòd Deus ob hanc causam cōiue- rit ad seditionem & bellum intestinum inter Abimelech & Sichemitas, vt impij propter impietatem suam punirentur ad cōsolationem piorum, terrorem verò malorum

CAPVT X.

HACTENVS historiam quinq; iudicum audiuius, sextus enim Abimelech quia iudicis titulo non contentus, regem se appellauit regnauitque nō ad bonum sed ad perniciem populi, indignus est qui inter iudices numeretur. Veri autem iudices & æterno nomine digni fuerunt Othoniel, Aod, Barach, Sangar, & Gedeon. Sequitur nunc in historia.

Post Abimelech surrexit Thola, &c.

Matt. 15. Hic redit politia Israelis in statum pristinum. Abimelech eam politiam mutauerat, sed consistere non potuit quod citra, imò contra verbum Dei humana temeritate institutum erat. Omnis, inquit, plantatio quam non plantauit pater meus eradicabitur.

Quic-

Quicquid enim citra vel contra verbum Dei fit, stare non potest, etiam si totus mundus hoc conetur. Ex- Gen. 11.
 emplum sit turris Babel. Contra quicquid Deus decernit, consistit, etiam si totus mundus aduersetur. Ex- Isa. 14.
 emplum sit publicatio Euāgelij per totum mundum. Dominus enim decreuit, quis potest infringere? Hinc discamus omnes conatus nostros cum verbo Dei conferre. Non enim paruum peccatum in scriptura iudicatur aliquid incipere & es Domini nō interrogare, Isa. 30.
 ut patet in Isaia. Nō enim ob aliud verbū suū nobis dedit, quam ut regula esset ad quā omnia opera nostra institueremus. Cæterum Thola hic duplici nomine ostenditur fuisse parvæ æstimationis. Primum quia erat è tribu Isachar quæ reputata fuit inter extremas trib. Deinde quia dicitur filius patris Abimelech. Suprà Sup. ca. 6.
 autem dixerat cognationem suam esse minimam in tribu sua. Quanquam in Hebræo non dicitur patri Abimelech, sed simpliciter patri eius, quo ostenditur ipsum Thola amissis parentibus cessisse in curā patri sui. Huiusmodi autem filij proprijs parentibus carentes ut plurimum sunt miseri, nemo enim alienos filios tam sollicitè curat ut proprios. Eligit tamen Dominus hunc Thola in iudicem, ut ostendat se nō esse acceptorem personarum, & eligere contempta huius seculi ut pudefaciat nobilia. Hæc pauperum est consolatio in contemptu sui, ne de sorte sua querantur, aut diuitibus inuideant, cum videant se nullo modo contemni à Deo. 1. Cor. 1.

Huic successit Iair Galaadites, &c.

Obscuro homini vir illustris in officio iudiciario succedit nomine Iair. Hic fait vir nobilis & felix numero liberorum, & potens maiestate equitatus, & imperio urbium. Eligit autem Dominus nunc etiam virum nobilem in iudicem, ut diuerso exemplo declararet se non esse respectorem personarum. Quanquam enim ignobilia in hoc mūdo eligat ut pudefaciat nobilia, non tamen hoc fit eo cōsilio, quasi ex toto cōdēnet & abijciat nobilia, sed quia nō vult ut gloriatur 1. Cor. 2.

ANNOTATIONES

- Gal. 3.
 vlla caro in cōspectu suo. Tolle igitur à nobilitate gloriatiōē, tunc nihil refert in cōspectu Dei, nobilis ne, an ignobilis, obfcurus an illustris fueris: vt enim in Christo non est mas neq; foemina, nec Græcus nec Iudæus, ita in ipso nec est nobilis nec ignobilis. Neq; enim Deus beneficiū confert nobili propter nobilitatē, nec ignobili propter ignobilitatē, sed tantum propter suam ipsius clementiam & misericordiā. Obseruandū quod tempore horum duorum iudicium q̄ tantum ad 45. annos durauit, non leguntur filij Israel idololatriam aut alia flagitia cōmississe. Hoc autem non pietatis eorum fuit, cū semper fuerint populus duræ ceruicis, sed quia duo illi iudices benè præerant verbis & exemplis. Et quia recessus perditio Sichemitarum in timore & pietate ipsos conseruabat. Ideò enim Deus semper aliquos habet in quos iram suam exerceat, nō quod illi soli hoc meruerint, sed quod supplicio paucorum omnibus cōminatur, vt quilibet dicat: Ille hodie, ego cras. Item: Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? In hunc modum Dei opera & iudicia accipienda essent. Verum nihil minus agit mundus, id q̄ Deus conqueritur per prophetam: Vē, inquit, qui consurgitis mane ad ebrietatem, &c. & opus Dei non respicietis, &c. Deus enim etiam nūc operatur & quidem vtraq; manu: Dexterā quidem pijs subuenit, sinistra impios punit. Neutrum nos attendimus donec tempus miserendi transeat, solumq̄ iudicij tempus supersit. Tunc enim plaga plagam sequitur, nec tamen finis, sed adhuc manus eius extenta. Ignis enim Domini semel accensus ardet vsq̄ ad inferni nouissima.

Addiderunt filij Israel facere malum.

Hoc iam sextò filij Israel declinant ad idololatriam & quidem grauius quàm vnquam aliàs. Hic enim nō vna, sed septem nominātur idololatriæ. Seruierunt, inquit, Baalim & Astaroth, dijs Syræ & Sydonis, Moab & Ammon & Philistijm. Sic enim quò frequentius cadimus eò profundius Deo iustè hoc permittē-

mittente. Quia, inquit, cū cognouissent Deum, nō sic Rom. 2.
ut Deum glorificārent, tradidit illos in reprobū sen-
sum, vt faciant quæ non conueniunt. Cæterū q̄ Israe-
litæ tam frequenter ad idololatriam declinarunt, tri-
plex potest ostendi causa. Prima est peruersitas & ma-
litiā cordis humani, quòd Deum non diutiùs curat,
quàm eius ope indiget, nec diutiùs timet, quā virgam
in manu habēs percutit, id quod quotidie experimur.
Vbi enim nulla est fides & timor Dei, illic non aliter
facit homo. Prauū enim est cor hominis & inscruta Hier. 17.
bile. Nemo credere posset tantā malitiā in corde ho-
minis versari, nisi historiæ tot nobis Cain, Esau, Pha-
raones, Saules, Caiphas, Iudas, Neronēs, Caligulas,
Heliogabalas & reliquos huius farine homines p̄di- Isa. 11.
disēt. Nō igitur sine causa timor Domini inter dona
spiritus S. cōnumeratur. Nec quicquā carnali homini
melius optari posset. Quis det, inquit, talē eos habere Deut. 5.
mentē vt me timeant? Timor enim Domini frenū &
chamas est quo retrahimur à peccato. A facie tua, in-
quit, vel (vt alij habent) à timore tuo Domine cōcepi-
mus & peperimus spiritū salutis. Vnde & in Hiere. Isa. 26.
promittit: Dabo eis timorem meū vt non recedant à
me. Secunda causa quod filij Israel tā citò & tam fre- Hier. 32.
quenter ad idololatriā declinabāt est q̄ seniores mo-
riebātur, iuuenes autē in locū ipsorum surgebant. Hęc
causam scriptura ipsa ponit, vt suprā audiuimus. Iu. Iud. 2.
uentus enim ex se est feruens, temeraria, incōsultra, im-
prouida futurorum, ducitur & regitur affectib. nō at-
tendit aliorū admonitiones, nec sibi ipsi rectē cōsule-
re potest. Non igitur mirū quod facit quæ non decent.
Exempla multa præ oculis sunt, & maiora adhuc ti-
mentur. Quid enim boni potest sperari, vbi nec prin-
cipes suos filios religioni in sua iuuentute, nec popula-
res ex se prognatos ad pietatem educant, sed potiùs ad
omnem lasciuiam assuescere sinunt? Quid nisi mera
barbaries in Germania sperāda est futuris temporibus
si non habuerit principes sapientes, doctos & pios sa-
cerdotes & obedientem populum? Tertia causa defe-

ANNOTATIONES

Sionis filiorum Israel erat prudentia carnis. Videbāt finitimas regiones prosperam habere fortunam in sua idololatria, se verò nunc hac nunc illa aduersitate affligi: Præterea videbant magnam multitudinem eorum qui alienis dijs seruibant, se verò paucos & solos esse qui aliam fidem sectarentur. Hic igitur suadebat prudentia carnis: Quid vos pauci? Soline sapitis contra tot sapientes & potentes? Nōne satius esset ipsorum religionem assumere, sicque cum ipsis perpetuā pacem & prosperitatem habere? &c. Hæc prudentia carnis nostro tempore multos decipit, qui vel propter multitudinem errantium, vel propter maius commodum, & vt habeant pacem, desciscunt à fide catholicæ Ecclesiæ, traduntque se sectis, &c. Atqui aliter nobis faciendum est. Nos habemus verbum Dei magnis & manifestis signis confirmatum. Hoc igitur debemus prudentiæ carnis opponere. Tametsi enim impietas felix est, tamen docet verbum Domini eam perpetuā non esse, imò ne diuturnam quidem. Et quanquam multi potentes & sapientes impietatem sectentur, vnus tamen Dominus Deus noster maior, potentior, sapientior est omnibus. Hunc igitur sequamur, non prudentiam carnis.

Iratus Dominus tradidit eos in manus, &c.

Exod. 20. Hæc est pœna impietatis, quæ & multis verbis exaggeratur. Non parua enim commeriti erant. Atque hic vides quàm meritò & verè dixerit: Ego sum Deus fortis zelotes, visitans iniquitatem, &c. Omnia hæc ad oculum hic videntur. Non patitur Deus honorem suum ad alios transferri, potens est etiam quoscunq; punire. Nemo enim de manu eius potest eripere. Deniq; re ipsa visitat & punit peccata. Hinc discamus timorem Dei ne promittamus nobis impunitatē propterea quod interdum dissimulat. Patiens siquidem est, **Psalm. 7.** sed tamen iustus iudex.

Clamauerunt ad Dominum, &c.

Nunc tandem Deum cogitant, & se eius ope indigere sentiunt. Hoc ipsos docuit tribulatio. Nā in prosperis

ris vix discimus Deum cogitare, vixque credimus eius nos indigere. Plures enim semper inveniuntur, qui cū Pharaone in prosperis dicant: Quis est Dominus, vt **Exo. 5.** dimittam Israel? &c. quàm qui cum Abrahā, Ioseph, Dauide, Iob, & Thobia, similibusq; in diuitijs Dei memores sint. Nimia igitur prosperitas plerunq; perniciofa est, nam obliuionem Dei adducit. Vnde & Salomon tamen si sapientissimus esset, vix tamen confidebat se in magnis diuitijs probū permanere posse. **Di. Prou. 30.** vitias, inquit, ne dederis mihi, ne fortè satiatus dicā: quis est Dominus? Et reuerà quod timuit, hoc postea ipsi accidit, cū in maxima peccata rueret, &c.

Non adij. iam, vt liberem vos vltra.

Hic nouum quiddam audimus, & quidē quod merito terrere deberet, quòd Deus, cuius misericordia & bonitas vbique prædicatur, dicit se amplius non exauditurum. Quis hīc non contremiscat? Quid terribilius, quàm vbi quis in angustia positus, & ab omnibus derelictus, in super audit etiam Deum nolle auxiliari? Quid hīc aliud restat, nisi desperare? Summa enim tentatio, vbi conscientia sensu peccatorum suorum & ira Dei ita turbatur, vt putet homo se etiā à Deo derelictū & abiectum. In hac enim tentatione primus Cain, & **Gen. 4.** post ipsum Iudas proditor desperarunt. **Matt. 27.** Quantumuis enim huiusmodi hominibus prædicatur remissio peccatorum & gratia Dei per Christum, ita tamen sensu iræ Dei obruti sunt, vt hanc prædicationem non admittant, sed secum subinde cogitent: Fatemur quidē concionem Euangelij de remissione peccatorum veram esse, nescimus autem, an ad nos quoq; pertineat, imò toties in peccata relapsi sumus, vt id sperare non possimus. Nunquam ex animo credidimus, nunquam ex animo resipuimus. quid igitur restat, nisi quòd abiecerit nos Dominus? &c. Hęc, inquam, est grauissima tentatio. Diligenter igitur præsens locus excutiendus est, ne quis inde occasionem desperandi sumat. Primò igitur reuerà terribile est, quòd dicit se non amplius auxiliaturum. Hoc idem enim impijs etiam in alijs lo-

ANNOTATIONES

Deut. 32. eis comminatur, vt cùm dicit : Abscondam faciem
Prou. 1. meam ab eis. Item : Ego quoque in interitu vestro ri-
Isa. 1. debo. Item : Cùm clamaueritis, non exaudiam, cùm ex-
Iob 24. tenderitis manus, non aspiciam. Sic Iob quoque de
 impio dicit : Obliuiscetur eius misericordia. Hæc in-
 quam, cogitare debemus, cùm pertinaciter peccamus
 super misericordia Dei. Cæterùm, qui territas habent
 conscientias, obseruent hîc, quòd Deus indignanter
 quidem respondet, Non addam vltra, vt liberem vos.
 Paulò post tamen dicitur doluisse super afflictione eo-
 rum. Hîc vides voluntatem Dei non esse, vt pereamus,
 quantumcunque irascatur, sed vt conuertamur & sal-
Psal. 29. uemur. Ira enim in indignatione eius, & vita in volun-
 tate eius. Sic pater sæpè minatur filio, quòd nolit ei
 amplius quicquam dare, interim tamen petenti nihil
Psal. 102. negare potest. Idem nobis de Deo persuadeamus : Nã
 & ipse pater est, & quomodo miseretur filiorum pa-
 ter, sic ipse miseretur nostri, quoniã ipse nouit figmen-
 tum nostrum. Quòd autem Deus hîc tam seuerè lo-
 quitur, cùm tamen decreuisset eos liberare, primò id-
 eò fecit, vt ostenderet, quid meriti essent, & quàm gra-
 uiter peccent, qui à Deo se ad idola conuertunt. Meren-
 tur enim, vt post in aduersis non exaudiantur. Atten-
 dant hoc, qui neglecto Dei alibi auxilium quærunt, &
Deut. 32. cæt. Huc pertinet, quod dicit : Ite ad deos vestros, ipsi
 adiuuent vos. Idem dicitur in Deuteron. Secundò per
 hoc voluit monere, ne quis super misericordia Dei
 peccet, quòd enim sæpius peccamus, eò difficilius ve-
 niam impetramus. Sic de filijs Israel superius semper
 dictum fuit : Clamauerunt ad Dominum, & misit eis
 saluatorem. Hîc autem toties recidiantes difficilius
 exaudiuntur, imò dicitur eis : Non liberabo vos. Sic
 post baptismum recidiantem non satis est dicere : Cre-
 do, sicut in baptismo, sed exigitur pœnitentia, con-
 tritio, confessio, lachrymæ, elemosyna, oratio, & cæt.
 Terriò etiam ideò non statim exaudiuit eos, quia cla-
 mabant quidem, sed nihil tamen emendabant vitam,
 nondum proiecerant idola. Quomodo autem Deus
exaudi-

exaudiet clamorē vocis, cū interim peccata nostra multo fortius clament vindictam? Tege prius peccata ne clament, tunc exaudiri potest clamor oris. Re- **Ionæ 3.**
uertatur, inquit, vir à via sua mala, & tunc clamet ad Dominum in fortitudine.

Peccauimus. Redde tu nobis, &c.

Non cessant, nec desperant, etiamsi repulsi videantur. Impius Cain ad vnam irati Dei vocem ita desperauit, vt non amplius auderet orare. hi autem nō ideo cessant, sed quò magis repelluntur, eò vehementius instant, vrgent. Primò igitur non excusant, sed agnoscunt peccatum, & se indignos esse veniam. Deinde totos se Deo offerunt. Redde (inquiunt) tu nobis, tantum libera nos ab hostibus. quo verbo Deo gloriam dant, quòd placabilior sit, quàm homines, quemadmodum & Dauid: Melius est, vt incidam in manus Do- **2. Reg. 24.**
mini, quàm in manus hominum, quia multæ misericordix eius, & cæt. Et reuera sic est, quòd facilius placatur Deus, quàm homines. Homo homini reseruat iram, cū tamen etiam ipse opus habeat Deum orare pro venia. Tertio loco Israelitæ clamant. Quarto proiciunt idola. Quinto seruiunt Domino. Atq; his rebus in tantum mouent Deum, vt doleat super miserijs eorum. Hęc nobis quoq; obseruanda sunt. De clemētia enim Dei per Christum haudquaquā desperandum est, sed instandum fide, vrgēdæ promissiones, cōfitenda peccata, clamandū incessanter, proiciēda, quę mala in manib. habemus, exercenda bona opera. Hęc si feceris, certò consequeris veniam, etiamsi Deus & conscientia tua videantur te damnare. Huc pertinet, **Exo. 32.**
quòd Dominus olim perdere volebat populum, sed Moysē instante & vrgente promissiones placatus fuit. Huc pertinet exēplum Chananae, quæ toties repulsa, **Matt. 15.**
tamen sua instātia vicit, vt Christus ei omnia cōcederet. Huc pertinet etiā parabola de eo, qui noctu efflagi- **Lucæ 11.**
tabat accōmodari sibi panes, propter instantiā enim eius & improbum clamorem exauditus fuit, &c. Huc etiam pertinet illud Ioan. Etiam (inquit) si cōdemnat. **Ioan. 9.**

ANNOTATIONES

nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro,

Doluit super miserijs eorum.

Hiere. 18.

Vide insignem misericordiam, quàm facilè irā remittit conuersis ad se. Repentè (inquit) loquar de gente, vt perdam eam, &c. Sed si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam, &c. Hoc exēplum maximè obseruent, qui in conscientia sua iudicium peccatorum sentiunt, & comprehensi sunt terroribus iudicij & mortis. His inquam hæc scripta sunt. Nam his, qui adhuc securi in peccatis viuunt, longè alia doctrina, quàm ea, quæ est de remissione peccatorum inculcanda est. Doctrina enim est vt cibus. Alius autē cibus ægroto, alius sano corpori conuenit, sic & hic. Nam ad securos & temerarios ea, quæ in lege de ira Dei & supplicijs dicuntur, pertinent, concionandumq; illis est de morte, Satana, inferno, vt discant peccata agnoscere & confiteri. His autem, qui territi sunt, prædicandum Euangelium de gratia Dei.

Filij autem Ammon conclamauerunt,

Gen. 19.

Ammonitæ ex Loth originem duxerunt, atq; ad eò Israelitarum consanguinei fuerunt, vnde & Israelitæ cum exirent de Aegypto, prohibiti fuerunt, ne Ammonitas impeterēt, aut quicquā terræ eorum inuaderēt.

Deut. 2.

Ipsi autem Ammonitæ nunc & consanguinitatis, & accepti beneficij immemores filios Israel infestant. Sic qui veram fidem non habent, nec amicitiam, nec cōsanguinitatem, nec beneficia accepta curant, vbi aliud suadet cōmodum proprium. Fides enim Deum agnoscere docet, quòd sit iustus & bonus. Ex hac cognitione sequitur timor & dilectio Dei. Timor Dei facit, ne proximum lædas, charitas Dei facit, vt proximum diligas. Vbi ergo nulla fides est, ibi nec timor Dei, nec dilectio proximi est, id, quod hic videmus. Et reuerà nulla alia causa est, quòd indies magis ac magis nos mutuò infestamus & fraudamus, &c. quòd oblitij omnis dilectionis, quàm defectus fidei. Fidem quidē insigniter iactamus. Sed, quid ait Iacobus? Ostende mihi fidē tuā ex operibus. Si enim vera in nobis fides esset,

Iaco. 2.

id est,

Id est, si verè agnosceremus Deum, nunquam tã impij
 essemus in proximos, Iusto autem Dei iudicio factum
 fuit, vt Israelitæ dereliquentes Deũ etiam eos hostes
 habere cogeren tur, à quibus bona sperare debebant.
 Deo enim recedente etiam creaturæ recedunt, & qui
 Deũ relinquit meretur consolationẽ amittere, quam
 è creaturis habere poterat. Verè igitur dixit Hiere.
 mias, amarum & summum malum esse, vbi derelin-
 quimus Deum.

Hiere. 2.

In Galaad fixere tentoria.

Hic videmus iterum, quòd Deus opera sua quasi
 contrario modo incipit, volens enim Israelitas libera-
 re, nunc primũm hostes excitat contra Israel. Poter-
 rant Israelitæ post peractam pœnitentiam & oratio-
 nem sperare, se deinceps minimè ab hostibus infestan-
 dos, & ecce nunc primũm hostes irruunt. Verũm hæc
 sunt Dei opera. Sic impios impingere sinit, vt fortius
 deiciat. Sic pios malis obijcit, vt mirabilior fiat &
 gratior liberatio. Vide autem hinc impiorum conatus.
 Conclamant Ammonitæ, concurrunt quasi delecte vo-
 lentes Israelitas, nec quicquam timent. Tantum enim
 attendunt homines, non sciunt aut cogitant Israeli-
 tas iam Deo reconciliatos, atque idè etiam cũ Deo
 sibi esse pugnandum. Contra autem procedunt Israe-
 litæ, etsi enim nihil adhuc certè promissionis habebãt
 de auxilio diuino, quia tamen pœnitentiã egerant, &
 orauerant, non dubitabant de auxilio diuino, sciebãt
 enim, quòd Deus seipsum negare non potest. Hac igitur
 fide & spe armati procedunt. Sic igitur duæ acies
 contra se consistunt dissimiliter armatæ. Ammonitæ Psal. 20.
 enim confidebãt in curribus & in equis, Israelitæ aut
 in nomine & misericordia Domini Dei. Hic discendũ,
 quibus armis pugnandum sit cõtra Turcas, &c. Obser-
 ua, quòd Deus nondum promiserat ipsis auxilium, &
 tamen iam aderat, eiusque gratia in hoc sentiebatur,
 quòd Israelitis animum resistendi dedit. Nam antea
 in decem & octo annis nõ audebant resistere, &c. Sic
 igitur Deus transgressoribus aufert cor, & animum, &
 confi-

ANNOTATIONES

consilium. Dabit tibi Dominus cor pauidum, &c. Cōtra autē pœnitentibus restituit cor, & animum, & consilium. Huc pertinet, quod Sap. dicit: Fugit impius nullo persequente, iustus autem vt leo confidit, &c.

CAPVT XI.

Hoc caput historiam cōtinet octaui Iudicis, qui Iephte dictus fuit, vnus ex his, quos Paulus nobis in exemplum fidei proponit. Suprà igitur audiuius pœnitentiam Israelis, hîc audiemus, quomodo Deus placatus ipsis suscitauerit saluatorem.

Hebr. n.

Fuit autem Iephte vir Galaadites, &c.

Primò attendendum est, quis fuerit ille Iephte, sic enim clarius apparebunt in ipso Dei mirabilia iudicia. Fuit in quâ filius mulieris meretricis, & tamen in ducē populi eligitur. Verè mirum. Nā aliàs in lege spurij **Deut. 23.** prohibentur intrare in Ecclesiam Dei, hoc est, fungi publicis & honestis officijs. Ad hæc etiam non admittebantur ad hæreditatem, vt patet hîc. vnde & Abraham filio suo Isaac dedit hæreditatem, filijs autē concubinarum (quæ tamen & ipsæ coniuges eius erāt, sed secundariæ) largitus est munera. Vtrumq; etiam nunc in mundo obseruatur circa spurios, & hoc in detestationem fornicationis, & honorem coniugij, ne coniugium vilescat, & fornicatio approbetur, si inter spurios & legitimos nulla esset differentia.

Cæterum mundus in hoc deficit, quòd spurios quidem detestatur, ac honore indignos iudicat, fornicatores autem & adulteros, qui iustius punirentur, (Nā ipsi peccāt, non filij, qui nascuntur) impunitos dimittunt, imò etiam ad honores promouent. Non sic autem diuina lex. Nam ea quidem propter honorē coniugij spurios submouet à functione honestorum officiorum, at adulteros morte punit, Fornicatores nusquam patitur. Non erit (inquit) meretrix de filiabus **Deut. 23.** Israel.

Israel, &c. Sed ais: Si Deus prohibuit spurios intrare in Ecclesiam Dei, cur hîc spurium elegit in ducem populi? Hoc primùm ideò fecit, vt sciamus, quòd corâ Deo filius non portet iniquitatem patris, et si aliquândo pœnam portare cogatur. Coram Deo enim nemo propter peccatum alterius damnatur, sed vnusquisque in peccato suo moritur. Non est acceptor personarum Deus, sed quicumque eum timet, & mandata eius obseruat, gratus est ei, siue sit legitimè, siue illegitimè natus, &c. Secundò per hanc electionem ipsius Iephte spes data est omnibus, qui in hoc mundo contempti sunt, ne putent se ob id etiam Deo abominabiles esse. Non dicat (inquit) eunuchus: Ego lignum aridû, &c. Nec dicat alienigena: Abiecit me Dominus. Si enim sabbatha mea custodierint, dabo eis locum in domo mea, &c. Sic igitur excelsus quidem est Dominus, sed tamen humilia respicit.

Ezech. 18.

Act. 10.

Isa. 56.

Psal. 112.

Non potes esse heres in domo patris nostri, &c.

Hoc est ingenium mundanorum, si modicum quid præ alijs habeant, superbiunt, insolescunt, alijs insultant. sic hi contra Iephte gloriantur se legitimos filios esse, ipsum autem non: non attendunt, quòd hæc res in se hominem coram Deo neque cõmendat, neque abominabilem facit. Nec sciunt se eius, quem nũc despiciunt, olim opera vsuros esse. Discamus hîc, nõ superbire de his donis, quæ nos Deo non cõmendant, & gratiores faciunt, vt sunt legitima natiuitas, honesti parentes, diuitiæ, honores, &c. Imò in vniuersum dona nos non cõmendant, sed rectus vsus donorũ. Non gloriatur, inquit, sapiẽs in sapientia sua, &c. sed in hoc gloriatur nosse me, &c. Discamus secundò nullũ contemnere, quantumcunq; abominabilis videatur, nescis enim, qualis sit coram Deo, & quid Deus adhuc ex ipso factururus sit. Multi videntur abiecti coram mundo, qui tamen magni sunt coram Deo. Multi nũc peccatores sunt, qui in futurum fortè sancti erunt. Multi videntur nobis nihil prodesse, quorum tamen in futuro indigebimus, vt patet in diuite & Lazaro. Vnde
Christus

ANNOTATIONES

Lucæ 16. Christus iubet, vt pauperes nobis faciamus amicos,
& cæt.

Veni, & esto princeps noster, &c.

Prudentia est in Iephte, quòd non consentit recipere ducatum, nisi prius stipulatione & fœdere principatum ipsi polliceatur. Mores enim huius seculi sunt, vt quis tantisper acceptus sit, donec vsui fuerit. In aduersis quærimus auxilium à bonis, in prosperis autem contemnimus eos. Hoc Iephte meritò timere poterat, quia prius eum eiecerant. Obseruandum hîc, quo pacto veteres, & quanta reuerentia diuini nominis iurârint. Dominus, inquit, qui audit, sit mediator & testis. Vtinam in omnibus iuramētis hæc cogitemus, quòd ipse omnia videt, audit, & testis est, &c. iuxta illud: Ego sum iudex & testis.

Hier. 29.

Misit nuncios ad regem Ammon, &c.

Deut. 20. Non confestim cognita bella causa in hostes irruit, sed prius negotium explorat, si fortè publico potius iure, quàm armis hostem debellare queat. Decet enim sapientem omnia prius experiri, quàm armis. Vnde & in Deuteronomio præcipitur Israelitis, vt expugnaturi ciuitatem, prius pacem offerant. Discant Christiani principes, ne proni sint ad inferenda bella. Si enim Ethnicus ille Imperator Augustus potius ducebat vnum ciuem seruare, quàm mille hostes iugulare, quantò magis repræhensibile est in Christiano principe, proprios subditos expilare, & ad famem redigere, vt habeat, quo propriam suam iniuriam vindicet in aduersario? Et si Paulus vult Christianos potius debere iniuriam & fraudem pati, quàm vt inter se mutuò cõtendant coram iudicio seculari, quantò minus Christianum erit, si gladijs inter seipso decertent? Christianos decet charitas, concordia, beneficentia, &c.

1. Cor. 6.

Quia tulit Israel terram meam.

Vide, quam causam belli proponat. Sic filij Adam pro terra belligerantur, cælum & cælestia negligunt. Falsò autem accusat filios Israel, quòd tulerint terram eius. Iure enim legitimi belli eam acquisierant à

Seon

Secundum rege Amorrhæorū ut dicitur in Numeris. *Fuc. Num. 21*
 rat quidem olim ea terra regis Moab, sed nunquam
 fuit filiorum Ammon. Falsum igitur præ tendit rex
 ille. Vide autem quā temerariè loquatur. Tulit ter-
 ram meam, non agnoscit se administratorem, sed Do- *Psalm. 20*
 minus esse vult, nec agnoscit Domini Dei esse terram
 & plenitudinem eius, verum hæc est natura impiorū,
 quod omnia sibi ipsi tribuunt. Cæterum quod rex il-
 le ad se trahere nititur terram non suam, causa à lon-
 ginq̄ quæ sita, sicque bellum mouere contra Israe-
 litas nihil aliud in causa fuit, quā ipsius superbia, aua-
 ritia, ambitio & regnandi libido. Videbat sibi terrā illā
 esse oportunam, idè causam quærit quomodo ad eā
 pertingat. Ex hac radice firmè omnia bella orta sunt.
 Ambitio & regnandi libido fecerunt ut & Nemroth
 fieret robustus venator & Alexander magnus totum
 orbem bellis infestaret. Eadem etiam nunc causa est
 omnium bellorum. Nemo curat quomodo commis-
 sam terram benè regat, sed tantum quomodo eam
 ampliet. Hic quærimus occasiones, &c. Hic bella cru-
 delissima mouemus, interdum etiam propter res leui-
 culas, ut propter inanes titulos, interdum propter v-
 num aliquod verbum, aut puerilem iram, &c. Et in
 huiusmodi bellis nostris immaniores sumus quā olim
 fuerunt pagani: Imò crudeliores ipsis bestiis, quæ non
 semper, nec in quoslibet sæuiūt. Nos autem ne fratri-
 bus quidem parcimus, & tamen Christiani nobis esse
 videmur, cum nihil Christianæ professioni magis cō-
 trarium sit, quā bellum, imò etiam naturæ nostræ.
 Nam natura hominem producit prorsus inermem, ut
 sciamus eum non ad bellum, sed ad pacem & amici-
 tiam natum. Deinde Christus & verbis & exemplis do-
 cuit charitatem & pacem, eamque vel maximè & so-
 lam à Christianis exigit. Idem docent Apostoli, &c.
 Videant igitur qui temerè bella mouent quomodo
 Christo respōsuri sint cuius membra sic trucidāt, per-
 dunt, &c. Quintò meliùs esset dispendium pati, quā
 cum tot hominum cede ampliare ditionē. In summa,

ANNOTATIONES

tales homines non Christiani, sed Ammonitæ sunt.

Non tulit Israel terram tuam, &c.

Hic iterum vides animum in Iephte pacis cupidū, nihil enim non agit vt bellum præueniat, etiam impio hosti rationem reddens. Quatuor autem rationibus probat regē Ammon iniuste Israelitis bellū inferre. Primò quia Israelitæ in egressu ex Aegypto nec Iudæis, nec Moabitibus, nec Ammonitis quicquā nocuerunt, nimirum sic edocti à Domino. quin potius ab eis declinauerunt. Secūdò quia terram illam à Seò rege Amorrhæorū iure belli acquisierant. Tertio quia Dominus Deus ipsis terram eam dedit possidendam, cuius omnia sunt & qui potest transferre regna & dare cui vult. Quartò adducit etiam præscriptionē trecentorum annorum, quib. Israel quietè possidet terram illam. Ex omnibus his colligis Iephte populum Israel diuino iure possidere terram illam. Discant hinc principes imitari exemplum ipsius Iephte, vt primò semper pacem offerant. Cæterum vbi q̄ iure diuino possident, non possunt legibus aut amicis pacificationibus tueri ab hostibus & latronibus, tūc licebit armis tueri. Sic priuatus homo si quod iure possidet non potest amica conuentione à violentia aduersarij tueri, licebit ei implorare auxilia legum, & vti publicis iudicijs. Si autem priuata temeritate arma capeffit, iā egreditur limites suæ vocationis.

Noluit audire rex filiorum Ammon.

Hoc est iudicium Dei super impios q̄ adueniente hora perditionis ipsorum ita excæcantur & indurantur, quòd nec benè admonentes audiant, aut bonis consilijs obtemperent. Sic de filijs Heli dicitur: Non audierunt patrem suum, quia voluit Dominus occidere eos. Sic de Pharaone dicitur: Ego indurabo cor eius. Certissimum igitur signum est appropinquantis iudicij Dei, cum benè cōsulentes audire dedignamur. Cæterum sicut rex ille non cessat à stultitia sua, donec Dei iudicio impediatur, sic omnes impij faciunt. Sic Pharaon non cessabat ab impietate sua donec in mari sub-

2 an. 2.

1. Reg. 2.

Exod. 7.

sub.

submergeretur. Sic Nabuchodonosor. Sic Alexander. Sic Sennacherib. Et generaliter omnis impius si æternaliter viuere posset, in æternum non cessaret à peccatis. Sola mors iudiciumque Dei peccatis finem imponunt.

Spiritus Domini irruit in Iephte, &c.

Signanter dicit de spiritu Domini, vt sciamus quid virum hunc permouerit ad bellum, nempe non spiritus superbix, auaritiæ, ambitionis, &c. sicut nos, sed spiritus Domini, hoc est, fides in Deū, Zelus pro Dei cultu & honore, & charitas, cura & sollicitudo pro commissopopulo. Quicquid enim vel fides vel Zelus Dei rectus vel charitas suadet hoc reuera è spiritu Domini est. Sic spiritus Domini, id est, Zelus pro gloria Dei Dauidem incitabat ad pugnandum contra Philistæum. Quis (inquit) est incircumcissus ille qui audet exprobrare castris Dei viuentis? Ex eodem spiritu, id est, ex vera charitate Abraham processit in bellum vt liberaret Loth. Quali autem spiritu nos ducamur ad bella, nemo non videt, plerunque quidem prætendimus spiritum Domini, cum reuera sit spiritus mundanus, spiritus inuidiæ vel superbix, &c.

Votum vouit Domino, &c.

Hic iterum vides iudicium pij cordis. **Votum** vouit, id est, promisit se gratū futurū pro victoria. Quid iustius facere potest Christianus? cum & ethnici hoc frequenter fecisse legantur, Cum Deo igitur bellum incipit & in laude eius finire proponit. Contrariū nos facimus, nam & bella nostra cum blasphemijs incipimus, & maxima impietate finimus. Vide autē quomodo dicit: Si dederis (inquit) filios Ammō in manus meas, &c. Agnosco victoriam à Deo dari, nihil de se præsumit. Aliter loquuntur impij, vt in Exod. dicit Pharaō: Persequar inimicos & cōprehendam eos, diuidam spolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, & cæt. Omnia sibi tribuit, &c. Non sic Iephte, sed, si tu dederis. Sic & Dauid: Dominus dabit te iē manus meas, &c. Et iterum: hi in curribus &

ANNOTATIONES

in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus. Cæterùm de voto ipsius Iephthe duplex oritur quæstio, Prima, num fuerit bonum & laudandum, vel temerarium & vituperandum. Secunda, in casu quod fuerit temerarium, num obligatus fuerit ad implendum. Vtraque quæstio à multis & variè tractata est, nemo tamen ausus est certò diffinire, propterea quod nec scriptura hîc quicquam pronunciat, & quòd nescitur an spiritu diuino, vel proprio spiritu hæc fecerit. Communiter tamen tenetur quòd fuit votum temerarium & imprudens vel improuidum. Aliòqui Deo quippiam vouere (seruatis scilicet debitis circumstantijs ad votum requisitis) malum nō est, imò est actus latriæ, quòs frequenter vsi sunt sancti. Sic Iacob vouit votum. Si Dominus (inquit) fuerit mecum, &c. erit mihi Dominus in Deum, &c. Sic Dauid votum vouit, Si introiero in tabernaculū domus meæ, &c. Sic alibi dicit: Vota mea reddam in conspectu timentium eum, &c. Et generaliter: Vouete & reddite Domino Deo, &c. Et iterum: Te decet Hymnus Deus in Syon, & tibi reddetur votum in Hierusalem, vnde & Moyses specialē legem dat de votis Leuit. 27. Num. 30. Multa autem requiruntur ad bonitatem voti, vt scilicet fiat non impræmeditatè, sed cum deliberatione. Item vt non fiat coactè, sed cum voluntate. Item vt fiat de his rebus quæ sunt de genere bonorum. Item vt sit possibile. Cæterùm votū Iephthe sic in genere prolatū caruit diligenti præmeditatione, non enim cogitabat quòd vel canis vel aliud animal immundum fortè occurreret, quod immolando abominationem committeret. Non enim omnia animalia in sacrificio suo habere voluit Deus. Et in omni oblatione iussit sal apponi, hoc est, discretionē. Imò non desunt qui votum Iephthe planè impium esse pronuncient, maximè quia in textu nostro dicitur. Quicumq; exierit de domo mea, &c. quod videtur ad homines tantum referri debere. Quid autè crudelius & magis impium quàm homines offerre aut sanguinem humanum effundere? Nō delectatur Deus

noster

Gen. 28.

Psal. 131.
Psal. 21.

Psal. 75.
Psal. 64.

noster huiusmodi sacrificijs, hoc est, occisione homi- Hier. 7.
 num. Imò ne alijs quidē sacrificijs delectatus fuit, nisi
 propter fidem offerentium & significationem futuro-
 rum, quomodo igitur ei placeret occisio hominis? i-
 mò prohibuit sub magna pœna ne quis de semine suo
 immolaret, quod gentiles faciebant cōburentes filios
 suos idolo Moloch. Abrahæ quidē præcepit vt immo- Leuit. 20.
 laret filium suum, sed tantum vt ipsum probaret, nec Hier. 31.
 enim passus est vt hoc fieret. Et primogenitos iussit Gen. 22.
 sibi offerri, non tamen occidi sed redimi. Cōstat igitur Exod. 12.
 quòd votum Iephte. si de quibuscunque animalibus
 intellexit, fuit temerarium, si de hominibus, fuit im-
 pium. Nec obstat quòd dicitur spiritus sanctus in eum
 irruisse, non enim exprimitur quòd etiam ad hoc eum
 impulerit. Nec obstat quòd Paulus eum inter sanctos
 numerat, nam & Dauid & Gedeon & ipse Moyses pec-
 cauerunt. Ideò autem Deus etiam sanctos peccare si-
 nit, tū vt ipse solus sanctus & verax maneat, tum vt i-
 pși sancti humiliantur, tum vt alij peccatores eò mi-
 nùs desperent. Vide autē Dei bonitatem, qualiscunq;
 fuerit Iephte non tamen eum abiecit Deus, sed victo-
 riam illi dat propter ipsius fidē & pium cor, alia eius
 peccata dissimulat. Et hoc est q̄ Dauid dicit: Quomo- Psal. 102.
 do miseretur pater filiorum, miseretur Deus timentibus se. Sic multa in Dauide & alijs dissimulauit pro-
 pter fidē ipsius, multa in Apostolis tolerauit, quia cor
 malū non erat. Ob hanc causam dicitur patiens. Huc Rom. 8.
 pertinet q̄ Paulus ait: Nihil damnationis est his qui
 sunt in Christo Iesu. Et iterum: Non habemus ponti- Hebr. 4.
 ficem qui non possit compati.

Occurrit ei vnica filia eius, &c.

Non casu, sed Dei promissione & dispensatione fa- Matt. 10.
 ctum est vt filia primò occurreret. Sine nutu enim &
 voluntate Dei ne passerculus quidem in terram cadit.
 Ideò autem Deus hoc permisit vt & ipsius Iephte te-
 meritas puniretur, & alij à similibus absterrentur.
 Alioquin si impunita hæc temeritas māsisset, fortas-
 sis postea iterum sic fecisset Iephte, vel etiam alij ex-

ANNOTATIONES

Ezech. 18.
2. Reg. 12.
 emplo eius. Vnū enim puniendo Deus omnes alios monet. Sed inquis, Esto, Iephte meruerit punire, quia peccauerat puella cui propter eius temeritatem moriendum erat? Nōne scriptum est: Non portabit filius iniquitatem patris? Reuera sic scriptum est, verū intelligitur hoc verbum de pœna æterna quā nullus pro alio portat, sed vnusquisque in peccato suo moritur. Temporalis autem pœna sæpè puniuntur filij pro parentibus, vt patet in Dauide, propter cuius peccatū filius ei natus mortuus est. Nihil igitur iniustum circa filiam Iephte factum est. Quilibet homo Deo debet mortem, quam & Deus exigere potest quando cunque vult, quod si eam in iuuentute exegerit, nihil iniustū facit, nec quicquam decedit homini, imò prodest iuuenem mori, sic enim minus peccatorum secum ad diuinum iudicium affert. Non igitur iniuria, sed gratia est iuuenem mori.

Heu me filia decerpisti me, &c.

Act. 23.
 Hic est fructus & finis temerariorum votorū, nempe pœnitentia, scissio vestium, euulsio capillorum, luctus & fletus, perplexitas conscientiæ. Atque vtinam exemplum hoc omnibus incultatum esset. Vix enim est alia res in qua inconsideratiùs, imò & leuiùs & magis stultè nos agamus. Totus mundus votis plenus est. Multa stulta & puerilia vouemus, interdum & impia, quemadmodum & in actis quidam vouebant se non comesturos donec Paulum occidissent. Vouemus autem interdum magna, viresque nostras excedentia, idque vt plurimum sine præuia consideratione. Nonnunquā etiā ex leuib. causis, plerunque propter solum ventrem, id quod sæpè fit in votis monasticis. Vnde postmodum sequitur pœnitentia, &c. & tamen nec sic cessamus etiam pueros ad huiusmodi pericula allicere, vel nonnunquā etiā cogere. Omnia hæc præuenire voluit Deus puniēdo ipsum Iephte, vt quilibet cautè se in his gerat præcogitans ne similia sibi eueniant.

Aperui enim os meum & aliud facere non possum.

Putabat se Iephte hoc voto suo obligari, cum tamē
nihil

nihil minus esset. Votū enim non obligat, si sit vel impium, vel impossibile, vel coactum cōtra voluntatem & sine deliberatione. Item q̄; ex sola superstitione, aut mala intentione factum. Verūm impij putāt se etiam in illicitis & impijs votis & iuramētis obligari, vt Herodes putabat se iuramento obligari ad occisionem Ioannis, quia iurauerat filię se daturum, quicquid illa petijset, sed reuerā peccatum peccato addidit. Hunc imitantur, qui putant se illicitis iuramentis, fœderibus, promissis teneri, &c. sed errāt, imò dupliciter peccant. Contrā autem Dauid lætabatur se impeditum ab impletione temerarij iuramenti. Mar. 6.

Sic Iephte nō fuisset obligatus ad hoc votum, quia impium, vel ad minus temerariū erat, imò apertè contra præceptum Dei, Nō occides. Zelum igitur habuit, sed nō secundū scientiā. Et in hoc quidem laudandus est, quòd timore Dei ductus, putauit se voto obligari, cuius contrariū nos facimus. Quàm faciles enim, prompti & temerarij sumus ad vouendum, rā etiā leues sumus ad vota frangenda. Quilibet iam secum dispēsat in votis, non tantūm in impijs, quæ non ligant, nec tantūm in stultis illis & puerilibus, quæ secundū Augustinum magis irridēda sunt, quàm seruanda, sed etiam in bonis votis, & quæ publicè & spontè & præuia deliberatione emissa sunt, vt plurimū nihil aliud prætendentes, quàm libertatē Christianam, cui cōtrarium putamus quicquam ex voto agere. Sed erras mi homo. Christiana libertas non frangitur, si te ad bonum aliquod astringas. Imò Paulus summam libertatē vocat seruire iustitiæ, & omnia membra ei seruitio accommodare. Quid autem votis aliud agimus, quàm quod nos iustitiæ perpetuò accommodamus? In Isaia prædictum fuit de Christianis: Vota vouebunt Domino & soluent. Et Dauid dicit: Vouete & reddite. Et Saapiens: Si quid vouisti, redde. Quætamen intelligenda sunt de votis licitis, quæ cōditiones illas habent superius enumeratas. Nam vbi aliqua earum deest, nō obligat votum, id est, si votū aut est impium, aut simpli-

1. Reg. 23.

Exo. 20.

Rom. 6.

Isa. 19.

Psal. 75.

Eccl. 5.

ANNOTATIONES

citer impossibile (quod addo propter votum castitatis, quod quidam impossibile esse dicunt, sed nondum probârunt : Imò contrarium omnibus constat) aut coactum, &c.

Fecit ei sicut promiserat.

Gen. 22.

Hoc nostri communiter intelligunt, quòd filiã occiderit, & huic consonat textus, suprã enim dictum est, quòd in voto sic pronunciauerit: Quicumque exierit, &c. offeram illum Domino in holocaustum. Hic autẽ dicitur, fecit ei sicut promiserat, vel dixerat: Consequitur igitur, quòd eam occiderit. Nec Deus Iephthe impediuit ab occisione filiæ, quẽadmodum olim impediuerat ipsum Abraham ab immolatione filij, quia in Abraham ostendere voluit exemplum obedientiæ, in Iephthe autem absterrere à temerarijs votis. Hebræi autem dicunt, quòd eam non corporaliter occiderit, sed ciuilitate, hoc est, quòd eam incluserit ad perpetuã virginitatem seruandam, & hoc tenent etiã quidam ex nostris. De hoc autem nihil certò constat, nisi ex quibusdam coniecturis. Ideò ea omittamus. Ceterum operæpretium est attendere, quid in hoc negotio filia Iephthe fecerit, aut dixerit.

Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac quodcumque pollicitus es, &c.

1. Reg. 14.

1. Reg. 1.

Vide pium animum huius virginis, plenum & diuini timoris, & erga patrem pietatis. Primò enim nõ indignatur etiam, cum audisset se morti deuotã, nec patrem arguit, sed reuerenter & amanter appellat. Deinde non fugit, nec se abscondit, nec populi auxilium cõtra patrem inuocat, qui sine dubio eam protexisset, quemadmodum postea protexit Ionatham à violentia ipsius Saulis, sed spontè consentit. Prætereã non queritur, quòd vitam, gaudia, &c. relinquere debebat, nec mortem timet, sed tantum maledictum & opprobrium sterilitatis, quod tunc summum opprobrium erat mulierum, quemadmodum summa ipsarum benedictio erat fœcunditas.

Vides igitur insigne exemplum obedientiæ in hac
virgine,

virgine, quæ propter reuerentiam patris etiã in mortem se tradidit. Vbi nunc similem inuenies in pueris? Quòd si secundum Hebræos intelligamus eam ciuili- ter tantùm mortuam, & hinc laudanda fuit, & est eius obedientia. Non quidem tenebatur eo voto, quòd pater eius ea inscia vouerat, pater enim non potest filiũ aut filiam deuouere perpetuæ continentiæ sine eorum consensu. Ad votum enim exigitur vel maximè vt sit voluntarium. Attamen illa ad patris reuerentiã, & quia cogitabat Deũ sic voluisse & velle, spontè cõsensit in perpetuam castitatem, quando quidem eam seruare malum non est, sed bonum, licet tunc non nihil opprobrij haberet coram hominibus sterilem esse in populo Dei, &c. Sic commendantur & Rechabitæ, quòd ob præceptum parentis sui nõ biberent vinum. Sic & samuel, &c. Et reuerà cõsulendum esset his, qui Ier. 5. contra voluntatem suam à parentibus religioni deuouentur, & ad vouendum castitatem coguntur, vt exemplo huius virginis ob honorẽ parẽtum spontè cõsentirent, facientes ex necessitate virtutem, sic cogitarent, sicque acceptarent à Deo hæc fieri. Perpetuam Matt. 19. enim castitatem seruare per se malum nõ est, imò bo- 1. Cor. 7. num, & à Christo consultum, denique ad multa conducibile. Prætereà nec impossibile, quantumuis quidam contrarium asserant. Quòd enim vnus homo potuit, hoc possunt & alij. At qui cõstat multa millia hominum vtriusq; sexus castitatẽ seruasse, Nõ igitur est impossibile, nisi fortè otiosis, & luxui deditis, mundo- que & vanitati seruiẽtibus. His si castitas videtur impossibilis, non mirum est, &c. Optimum igitur consilium esset, religioni à parentibus addictis, vt exẽplum filiæ Iephte imitarentur. Interim tamen parẽtes illos nequaquam possum excusare, qui liberos suos necdum intelligentes ad vouendum cõpellunt, plerunq; etiam inuitos & reluctantes, & sæpè ad ea loca intrudunt, vbi sciunt, quòd malè viuunt. Omnia tamen hæc faciunt tantùm propter superbiam & pōpam, vt scilicet alios splendidius elocare possint. Hoc enim

ANNOTATIONES

Leui. 20.

reuerà est filios suos diabolo tradere, & de semine suo idolo Moloch offerre. Quid enim aliud faciunt huiusmodi parentes, quàm quòd filios suos perdunt & occidunt, & ad damnationem inducunt? Videant, qui tales sunt, & consideratius agant. Melius certè est filios pauperes esse, quàm diuites perire, &c.

Exinde mos increuit in Israel, &c.

Hebræi dicunt filias Israel annuatim hanc virginè inclusam visitasse, & consolationibus fouisse. Veteres autem patres nostri dicunt annuatim memoriam celebratam fuisse in Israel (maximè apud iuniores) insignis illius obedientiæ, qua patri suo in mortem vsque obediuit. Atque vtinam omnibus junioribus hoc exemplum crebrò inculcaretur, idè enim scriptum est. Obserua si filia Israel annuatim recolebant obedientiam filia Iephte seipfas ad similia incitantes, quid mirum, si nos Christiani obedientiam, & pietatis exempla in sanctis attendentes & recolentes, nos ipsos ad pietatem accendamus?

ALLEGORIA.

Iephte præfigurauit Christum.

Luc. 19.

Ioan. 19.

Ioan. 9.

Iephte à proprijs fratribus eicitur tanquam spurius, & hæreditate indignus, sic Christus à Iudæis. In propria, inquit, venit, & sui eum non receperunt. quin potius dicebant: Nolumus hunc regnare super nos. Et iterum: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Et iterum: Noli scribere rex Iudæorū, sed quia ipse dixit, &c. Et iterum: Nos scimus, quia Moyse locutus est Deus, hunc aut nescimus vnde sit. Imò, Non est hic homo à Deo, quia sabbatum nō custodit. Secundò Iephte eiectus congregauit ad se vagos & inopes, & factus est eorū princeps, sic Christus à pharisæis reprobatus, pauperes ad se conuocauit, imò & publicanos & peccatores. Venite, inquit, ad me, qui laboratis, &c. Sic postea abiectus à Iudæis, assumpsit gentes, & factus est eorum princeps. Vobis, inquit Paulus, oportebat primū predicari verbum Dei, sed quia illud repellitis, ecce conuertimur ad gentes. Tertiò quantumuis Iephte abie-

Matt. 11.

Act. 14.

Aus &

Aus & contemptus esset, nullus tamen in toto Israel
 inueniebatur, qui hostes posset vincere præter ipsum
 solum, sic solus Christus quantumuis cōtempus nos
 liberare potuit. Non est enim aliud nomen sub cælo, *Act. 4.*
 in quo oporteat nos saluos fieri. Hic est lapis, qui re- *Psal. 117.*
 probatus factus est in caput anguli. Quartò Iephte e-
 iectus à fratribus, ab eisdem postea requisitus fuit, &
 in principem constitutus, sic post resurrectionem mul- *Rom. 11.*
 ti Iudæorum crediderunt in Christum, quem in pas-
 sione contempserant. Et finaliter, cū intrauerit ple-
 nitudo gentium, tunc & ipsi agnoscent Christum. Vn-
 de Osee: Dies multos sedebunt filij Israel sine rege, si- *Osee 3.*
 ne principe, sine sacrificio, &c. & post hæc reuertentur,
 & quærent Dominum Deum suum, & Dauid re-
 gem suum. Et Psalmista: Conuertentur ad vesperam, *Psal. 58.*
 & famem patientur vt canes, &c. Quintò Iephte filiã
 suam obtulit, sic Christus suam humanitatem. Pro *Psal. 39.*
 eis (inquit) sanctifico me ipsum. Et iterum: Sacrificium
 & oblationem noluisti, tunc dixi, ecce venio, in capite
 libri scriptum est de me, &c. Vel filia Iephte ecclesia
 credentium est, quam & ipsam Christus obtulit, ac
 cruci & afflictionibus subiecit. In mundo, inquit, pres- *Ioan. 16.*
 suram habebitis. Et iterum: Plorabitis & flebitis. Et *Ioan. 12.*
 iterum: Qui amat animam suam, perdat eam. Et, Qui
 non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me
 dignus. Sextò sicut Iephte restitutus rebelles sibi E-
 phraïtas occidit & humiliavit, sic Christus rebelles
 Iudæos per Romanos destruxit & humiliavit.

CAPVT XII.



Nætenus dictum fuit, quid Deus olim
 populo Israel per Iephte & tēporali-
 ter præstitit, & spiritualiter præfigu-
 rauit: Fuit enim is Iephte vnus ex his,
 qui populum tēporaliter ab hostibus
 liberarunt, & insuper etiã fuit figura
 Christi. Tantæ enim bonitatis est Deus, q̄ suis nedum
 præsentia

ANNOTATIONES

præsentia bona dat, sed etiam futura & meliora promittit, id, quod & nos experimur, ut merito quilibet dicat cum psal. Mihi autem adhærere Deo bonum est, &c. Et iterum: Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Ecce autem in Ephraim orta est seditio, &c.

Supr. c. 1. Cur tribus Ephraim superbior & præsumptuosior fuerit alijs tribubus, supra dictum fuit. Pulchrè aut ipsorum ingratitude & pertinacia describitur. Ecce, inquit, &c. Q. d. quis tantâ ingratitudinè sperasset? nedû nō gratias agunt, laudât aut remunerant, sed in super seditionè mouent, deinde cōminantur, prætereâ & ipsum & omnes ei adhærētes cōuicijs incessunt. Fugitiuus est, inquit, Galaad. Postremò etiâ arma capiūt. Nec quicquâ causæ prætereâ possunt, non tyrannidem, non ignauîâ, sed tantùm q̄ ipsos non vocasset, in quo tamen mentiuntur, nā vocati noluerunt venire. In Ephraimitis igitur habes exēplum arrogantis ignauie, & ignauæ arrogantie, nā antea cū vocarentur à Iephte ad bellum; timidissimi erant, nunc cū met^o abest, inflati sunt. Eiusmodi est ingeniū ignauorum, qui cū nihil præclari faciant, aliorum tamē præclare factis inuidēt, detrahunt, & quoquo modo possunt, obscurare ea conantur. Habes aut contrâ in Iephte exemplum cursus rerum & casuum huius mundi, Nā antea cauerat magna prudentia & diligentia, ne à cognatis post adeptam victoriâ iterum eijceretur, & cū nunc victoriâ reportasset, videbatur omnium felicissimus. sed vide, quâta infelicitas hâc felicitatē sequatur. Primò enim perdit filiam, deinde seditione contra ipsum exorta maius discrimen vitæ suæ adit inter amicos, q̄ antea in bello inter hostes, & adeò, ut felicior pri^o fuerit in exilio, quàm nunc in principatu. Sic omnis felicitas in hoc seculo secum adducit multa mala. Patet in Iacob, Dauide, Moyse, &c. Itē adhuc in diuitibus, potentibus, &c. Hoc aut permittit Deus primò, ne in prospera fortuna supercilium attollamus, nos ipsos arroganter iactemus, & alios præ nobis fastidiamus. Quid enim

enim superbis ob fortunam paulò āpliores? Expecta paulisper & mox aderūt aduersa, vbi igitur fastus tuus? Secundò ideò permittit, vt in prospera fortuna agam⁹ gratias diuinę bonitati, precemurq; vt sicut felicē nobis successum rerum dedit, ita largiatur etiam vt queamus. in fide & spe imminentes calamitates sufferre. Tertiò vt deterreat nos ab impietate, & assuefaciat nos ne ad felicitates huius seculi per dolos & fraudes & iniquitates contendamus. Si enim etiam illę felicitates, quę iustè parātur, secum adferunt molem & felicitatem, multo magis hęc adferent felicitates iniustè partę.

Disceptatio mihi erat cum filijs Ammon.

Exemplum etiam hęc habes modestię, quemadmodum & suprā de Gedeone. Omnia enim prius verbis quam armis ex peritur, & dat operam vt seditiosos equitate causę compescat. Sed frustra laborat. Igitur, cum verbis nihil proficit, gladio vtitur contra rebelles idq; iure, nam gladius potestati datus est ad vindictam malorum, siue illi sint hostes siue ciues. Nec satis est potestati resistere hostib. nisi etiam puniat inquietos & malos subditos. Auferte (inquit) malum de medio vestri. Duobus igitur nominibus Iephthe potuit & debuit Ephraitas punire, tum quia erant seditiosi, tum quia priores gladium arripuerant Occiduntur autem in magno numero à paucis. Hic finis est seditionis quòd semper miserè pereunt eius auctores, id quod omnes historię docent. Nec armis tantum eos aggreditur, sed prudentia & consilio, imò astu quodam depræhendebat eos esse Ephraitas, vt nullus eorum euadere posset. Habebant enim Ephraitę Idiotismum & proprietatem loquendi diuersum ab alijs Israelitis: Vbi enim alij literam s. spumantem exprimebant, quasi duas sch, ibi Ephraitę s. blesum pronuntiabant, ac per hoc depræhendebantur, quemadmodum apud Germanos facilè ex loquela depræhenditur, quisnam sit Sueuus, aut Bauarus, aut Saxo, aut Heluctius, cum tamen omnes Germanicè loquantur.

Cæterum

ANNOTATIONES

Cæterum Schibolech significat vel spicā vel alucum fluminis. Fecerat enim vel Iordanis fluuius vel ager circumpositus, vt hæc vox prima occurreret.

Iudicauitque Israel sex annis

Hoc tertium officium magistratus est, & quidem summum & præcipuum. Non enim satis est debellare hostes, & reprimere malos & seditiosos, sed oportet etiam iudicare populum. Cæterum hoc verbo iudicare scriptura omnia illa comprehendit, quæ magistratus debet populo, qualia sunt, sollicitè præesse, publicā utilitatem promouere, subditos diligere, nulli iniuriam facere, iustitiam administrare, lites dirimere, pauperes & orphanos &c. defendere, iustitiam promouere, iniustitiæ resistere, bonas leges conseruare, superintendere vt omnia rectè fiant, officarios bonos instituire, populum ad pietatem & cultum Dei inducere, &c. Omnia hæc & similia verbo iudicandi comprehenduntur, & is tādē iudicat populum, qui hæc præstat. Contra non iudicat, sed potestate sua abutitur, qui in potestate constitutus alijs laborem imponit, posse otiaur, luxui & pompæ deditus, nihil interini de subditis cogitans. Huiusmodi principes egregiè depingit Amos. Nec iudicat, sed tyrannizat qui ad libitum occidit, eijcit, cogit, diripit, &c. Sic qui officiat, diuitibus, iudicibus, potentibus, vsurarijs, ludæis, &c. permittit quomodo volunt alios grauare, decipere, exugere, depauperare, &c. non iudicat, sed dissipat populum. Sic qui in iudicio munera accipit, personas respicit, diuitibus obsecundatur, pauperes repellit, imò in gratiam diuitū pauperibus iustitiā denegat vel differt, non iudicat, sed peruertit iudicium. Sic qui ad omnia coniuuet, dissimulat, & quemlibet sinit loqui, agere, viuere vt vult, nihilq; curat vel iustitiam, vel pietatē, non iudicat populum, sed dissipat. Contra huiusmodi, solo nomine iudices & magistratus scriptura ubiq; clamat, & maximè Isa. 1. & 5. Hierem. 5. Amos 6. Job 24. Sap. 6. Psalm. 81. Vides igitur quanta laus hic tribuatur ipsi Iephte cum dicitur, quòd iudicauerit populum.

per hoc enim ostenditur eum non nomen tantum iudicis habuisse, sed omnia præstitisse, quæ ad iudicem & magistratum pertinent, &c. Et quæ maior laus homini contingere potest? Alij principes memorias sibi constitunt vel ædificijs, vel ephitaphijs, vel vndique quæsitis titulis, &c. Interim nemo curat hunc titulum habere, vt de ipso verè dici possit: Hic homo tot annis piè iudicauit populum, &c. Hæc de verbo iudicandi dicta sint. Cæterum de morte & sepultura sanctorum sepè aliàs dictum est, vnde non opus hic immorari, nisi vt admoniti simus piè viuere, quò cum sanctis & benè mori, & resurgere non ad iudicium, sed ad vitam possumus.

Post hunc fuit Abessan de Bethleem, &c.

Tres hîc per ordinem describuntur iudices, sed ad modum breuiter, propterea quòd nihil memorabile temporibus eorum contigit. Præcipua tamen laus ipsorum est, quòd sub ipsis populus non legitur idololatrasse: Vnde patet quòd benè & piè iudicauerint populum. Vbi obseruandū quòd tam peccata quam pœnæ peccatorum per piã sollicitudinem bonorum principum præueniri possunt. Si enim populus ille verè duræ cervicis sub bonis iudicibus in pietate contineri potuit, poterunt & alij. Nihil igitur est, quod quidam solent dicere: Hic populus non est capax legum, hæc & hæc non possunt emendari. Imò possunt si volumus. Nec quicquam obstat nisi quòd volumus, sed spontè peccamus, &c. Obseruandum & hoc quòd tot iam iudices audiui mus, & ex diuersis tribubus, imò plerique ex infimis tribubus, vt Gedeo & Iepthe, &c. nullus tamen adhuc legitur fuisse è tribu Ruben, qui tamen primogenitus Israelis fuit, imò nec & in sequentibus quisquam fuisse legitur iudex aut rex de tribu Ruben. Et cur hoc, nisi ex maledicto quo cum Iacob onerauerat propterea quòd lectum patris sui poluisset, sicque patrem dehonestasset? Non crescas, inquit, quia ascendisti cubile patris tui. Hic vides quantum cauendum sic peccatum, & maxime dehonestatio

Gen. 49.

Deut. 27.

ANNOTATIONES

statio & iniuria parentum. Super huiusmodi enim ho-
 mines lata est maledictio, quæ nedum ipsis, sed etiam
 posteris eorum adhæret, vt patet hîc in tribu Ruben,
 qui solus in patrē peccauerat, & tamen omnes etiam
 eius posterî ob hoc à regiminis honore repelluntur,
 non solum ipse. Itidem patet in Chanaan maledictio
 propter iniuriam quam pater ipsius Cham ipsi Noë
 intulerat. Nec alia causa est quod multis etiam nunc
 infelicitè cedunt omnia, &c. Discamus igitur cauere
 iniuriam parentibus facere, &c. Certò enim sequetur
 maledictio vel in te vel in posteros tuos, vel in hoc se-
 culo vel in futuro, Scriptura enim nō fallit: quos enim
 maledicit, verè maledicti sunt. Signâter autem obser-
 uandum, quòd duo ex his tribus iudiciis recensentur
 hic, quòd plures habuerunt filios, imò magnam
 filiorum multitudinem. Hoc enim olim magna laus
 erat, & benedictio Domini reputabatur, id quòd & scri-
 ptura pronunciat. Benedicam, inquit, tibi & multipli-
 cabo semen tuum, &c. Et iterum: Vxor tua sicut vitis
 abundans, &c. Ecce sic benedicetur homo, &c. Nec
 immerito iudicatur esse benedictio Dei, primò quia
 dum liberi excitant in parētibus paternum affectum,
 eo ipso admonent parentes qualem affectum erga ip-
 sos Deus pater gerat. Secundò quòd quò plures libe-
 ros Deus donat, eò pluribus promissionibus pollice-
 tur se parentibus suo favore affuturum. Singuli enim
 liberi singulæ sunt promissiones diuinæ liberalitatis.
 At nunc ea sunt secula, ij mores, vt magna reputetur
 infœlicitas & calamitas numerosam habere prolem.
 Hinc est quod plerique data opera vxores steriles de-
 ligunt, alij venena sterilitatis procurant, &c. Hoc au-
 tem primò argumentum est humanæ impietatis. in-
 dicat enim homines planè exuisse omnem affectum
 parentum in liberos, id quod Paulus affirmat esse sup-
 plicium impietatis. Quia, inquit, non probauerunt
 Deum, &c. tradidit eos in reprobam mentem, &c. vt
 sint pleni iniustitia, sine affectione, &c. Cæterū quo-
 modo possunt huiusmodi homines dicere, pater no-
 ster

Gen. 9.

Gen. 12.
Psal. 127.

Rom. 1.

ster qui es in cælis, &c. Qui enim scis quid pater sit & quo animo Deus erga te affectus sit, cum tu exueris omnem paternum affectum? Secūdo arguit hoc ignauiam & incredulitatem hominum: Timent enim ne si plures habeant liberos, aut necesse habeant multas molestias in educatione eorum sufferre, aut non possint eos honestè nutrire, cum tamen nihil minus timendum esset, &c. Sic igitur vbique & incredulitas & impietas nostra depræhenditur, &c.

CAPVT XIII.

HActenus duodecim iudicum historias audiuius, quæ omnes eò tendunt, vt videamus Deum veracem & in promissis suis & in comminationibus. Comminatus fuerat transgressoribus legis omnia mala, contra pœnitentibus remissionem & liberationem promiserat. Hæc autem duo per totum hunc librum audiuius, quomodo scilicet Deus peccantes Israelitas punierit, & quomodo pœnitentes & ad se clamantes exaudiens liberauerit. Nunc in hoc capite incipit alia historia, nempe de Samson, & quidem insignis historia. Præter ea enim quæ litera ipsa continet, multa etiam mysteria de Christo inibi latent. Fuit enim Samson ex principibus illis qui Christum præfigurârunt.

Leuit. 26.

Rursumque filij Israël fecerunt malum, &c.

Huiusmodi exordium etiam omnes præcedentes historiae habuerunt. Filij enim Adam non aliter incipiunt quam à peccatis, imò etiam omnia sua negotia in peccatis deducunt, non cessaturi à peccatis nisi Deus obfisteret. Idè etiam Deus mortem imposuit homini, vt simul imponeret finem peccandi. Nam si homo æternaliter in hoc mundo viueret, æternaliter peccaret. Vnde vel ob hanc vnã rem mors pio homini optanda esset quòd terminum imponit peccandi. Obseruandum quòd in hoc toto libro semper hæc tria occurrunt & se inuicem consequuntur, peccatum

M m m

scilicet,

ANNOTATIONES

scilicet, pœna, & liberatio. Peccatum ex humana malitia, pœna ex diuina iustitia, liberatio ex diuina misericordia. Sic & in hac historia videbimus. Primo loco ponitur peccatum, quod tamen in speciali non exprimitur quale fuerit: Ex suprascriptis tamen colligitur quod fuerit idololatria, hæc enim propriè malum dicitur, quia gloriæ Dei maximè aduersatur. Dicit enim: Ego Dominus gloriam meam alteri non dabo. Atqui idololatria gloriam Deo aufert & alijs tribuit, summum igitur peccatū est, quod & Deus omnium maximè punit. Vnde cum prohiberet idololatriam, signanter addidit: Ego enim sum fortis Zelotes, &c. id quod alijs præceptis nō addidit. Cæterum quid sit idololatria, satis suprà dictum fuit.

Tradidit eos in manus Philistijm.

Nihil certius post peccatum perpetratum imminet, quàm pœna, quæ & pulchrè hic exprimitur, Primò cum dicitur eos tradidisse in manus hostium, quod quid sit ex superioribus patere potest. Deinde quòd addit quadraginta annis: nulla enim præcedentium tribulationum tam diu durauit. Vnde conijcitur quòd quàm grauius nunc peccauerint, quamquam aliàs & ipsæ crebra recediuatio peccata aggrauet & pœnam augeat, quod & ex verbis Christi colligitur, cum dicit: Noli amplius peccare, ne deterius tibi quicquam contingat. Et iterum: Erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. quod meritò omnes nos cautiores reddere deberet, ne tam facilè post acceptam gratiam relaberemur. Vnde & suprà audiuius tam facilè & crebrò relabentibus dictum fuisse: Non adiciam vt amplius liberem vos, &c. Verè enim terribile est hæc audire, multò autem terribilius est experiri. Magna igitur oscitantia nostra, qui hæc non attendimus, non tremur, non cauemus. Cæterum Philistæi residui erant populi quos filij Israel non expulerant, dicti Philistæi, à Palestijna regione in qua tam ipsi, quàm Israelitæ habitabant. Hi igitur multo tempore sub iugo & tributo Israelitarū fuerāt. Nunc autē propter peccata Israelita-

rum

Isa. 28.

Exod. 20.

Ioan. 5.

Matt. 12.

supr. ca. 10.

nam permissu Domini hostes eorum effecti in tantum
 praevalent, vt etiam Israeli dominantur & quidē cru- 1. Reg. 10
 deliter, id quod ex libris Regum magis patebit, vbi di-
 citur quod Philistæi ad eum oppresserant filios Israel, vt
 etiam nullum fabrum ferrarium sinerent inter ipsos
 esse, ne scilicet arma ad rebellandum facere possent. Sic
 igitur impletum fuit quod Deus prædixerat comminan-
 do: Ipsi me prouocauerunt in eo qui non est Deus, &
 ego prouocabo eos in eo qui non est populus. Deut. 32

Erat autem quidam vir de Saraa, &c.

Non leguntur hic filij Israel clamasse ad Dominum
 quemadmodum in præcedentibus tribulationibus,
 fortassis enim ad summum malitiæ peruenerant, vt
 nec Deum amplius curarent, vel potius extrema despe- supr. 10
 ratione fracti, quod Deus supra dixerat: Non adiciam
 ultra vt liberem vos. Et tamen Deus etiam non cla-
 mantibus illis succurrit, vt vel hinc videamus quàm
 perè dictum sit: Miserationes eius super omnia opera
 eius. Nemo igitur in peccatis desperet etiam si in pro- Psal. 144.
 fundum peruenerit peccatorum, nec ab orando Deo
 desistat etiam si videantur nolle audire. Si enim etiam
 non clamantibus spontè subuenit, quantò magis ex-
 audiet orantes? Hanc Dei misericordiam hic vltro im-
 pensam diligenter considera, docebit enim te locus i-
 ste quid de Deo tuo sentire debeas in summa despera-
 tione. Nempe id quod propheta dicit: Etiam cū iratus
 fueris, misericordiam recordaberis, id quod verissimum Abac. 3
 hic probatur.

Vide autem quàm pulchrè Deus opus suum incipiat.
 Deerat filijs Israel liberator, at Deus talem de nouo
 nasci facit, idque mirabiliter, de matre scilicet sterili,
 Q. d. quid dubitatis de potentia mea? vel ex lapidibus
 possem vobis producere liberatorem. Itaque si ex præce-
 dentibus iudiciis nolueritis aut non potueritis poten-
 tiam meam agnoscere, ecce nunc in hoc iudice ma-
 gnis & crebris miraculis potentiam meam osten-
 dā, vt sciatis quod ego sum Dominus. Et reuera multa

ANNOTATIONES

& magna miracula Deus ostendit in & circa Samsone. Horum primum est, quòd ex sterili matre natus fuit, id quod supra naturam, imò solius Dei opus est. Hoc autem miraculum Deus sæpè etiam aliàs in plerisque sanctis ostendit, Nam & Sara & Rebecca & Rachel & Anna Samuelis natura steriles erant, sed Dei dono & operatione fœcundæ effectæ. Huiusmodi autem exemplis Deus primò omnipotentiam suam ostendere voluit, & prælude ad futuram Christi natiuitatem, vt eò minùs incredibile esset ipsum è virgine nasci potuisse, cùm & alij è sterilibus matribus Dei potentia operante nati essent. Signanter autem Deus his exemplis sterilium matrum fidem nostram confirmare voluit in probris & aduersis. Erat enim sterilitas in lege magno probro. Itaque cùm Deus has mulieres è probro suo mirabiliter liberauit, cõcipiēda est fiducia, quòd & nos in nostris probris sit seruaturus. Non tamen ex his exemplis cuius mulieri sterili credendum est, quòd futura sit fœcunda: Non enim facta sunt ad significandum omnem mulierem sterilē fœcundam fore, sed ad confirmandum, quòd Deus sit auxiliator in probris tam magnis quàm paruis. Quare si ob naturale vitium expositus fueris probro, confide Dominus certissimè consolabitur te eo modo què ipse elegerit, & eo tempore quod ipse decreuerit. Liberatio certa est, sed modum tempusque liberandi Deus sibi reseruat. Multis enim modis consolari & liberare potest. Et non semper tempus liberandi est, cùm nobis videtur esse. Oportet vt priùs gustemus amaritudinem tribulationis, vt postea gratior nobis sit dulcedo consolationis. Oportet vt priùs discamus nos sine Deo nihil posse & omnem salutem nostram in manu eius esse. Oportet priùs orare, & cæt. Hæc vbi didicerimus, tempus ipsius est, vt nos liberet, & non antè.

Apparuit autem illi angelus. &c.

Quamuis autè nō hic tantum legatur angelos è cælo ad homines mitti ad Dei voluntatem manifestandam

dam, operaq; Dei exequenda, id enim etiam nomen ipsorum indicant. Nam angelus nuncium vel legatum significat. Et Paulus dicit ipsos omnes esse spiritus administratorios, &c. vix tamen aliud certius signum diuine erga nos charitatis habere possumus. Nam omnia ad ministerium nostrum ordinauit. Seruit nobis cælum cum suo cursu & syderibus, seruit terra cum suis fructibus & germinibus. Seruiunt animalia vel ad laborem vel ad cibum vel ad voluptatem. Seruiunt angeli. Denique & ipse Deus nobis seruit. Ego, inquit, in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Tanti nos aestimat Deus, quem nos tam vili aestimamus. Vtinam hæc simul pro merito expenderemus, certò nunquam nobis deesset occasio & laudandi Deum & nos ipsos condemnandi.

Hebr. 1.

Lucæ 22.

Quilibet igitur Christianus omni die hoc exercitiũ habere debet, vt ingressus in cubiculum dicat cum Dauid: Domine Deus quis sum ego, & quæ domus patris mei, &c. Et cum Iacob: Minor sum omnibus missionibus tuis, &c. Et postremò cum prodigo: Pater peccaui in cælum, &c. Hæc igitur circa missionem angeli considerata. Cæterum quòd idem angelus tam magnificè & natiuitatem ipsius Samsonis & totam ipsius vitam prænunciat, certò ad consolationem fidelium factum. Tam bonus enim est Deus, quòd fideles nõ tantum largitione, sed etiam promissione bonorum lætificat, hoc est, non expectat donec sua bona largiatur, sed diu antè ea promittit, nimirum vt prius corda eorum lætificet. Sic antequam Abraham filium daret, prius eum promissione nascituri filij lætificat. Sic antequam Christum daret prius promissione eius mundum lætificauit, iuxta illud: Abraham pater vester exultauit vt videret diem, &c. Sic & nobis antequam de vitam æternam prius eam promittit, vt interim vel de promissione eius gaudeamus. Itidem & hic fecit in Samson. Et quis hanc Dei beneuolentiam non toto corde exosculetur?

2. Reg. 7.

Gen. 28.

Lucæ 15.

Ioan. 3.

Sterilis es, & non paris: sed concipies, &c.

ANNOTATIONES

Tria annunciat angelus, Primò filium nasciturū, Secundò ipsius conditiones, & tertio quid mater agere debeat. Annunciaturus igitur sterili concipiendum puerum primò ipsius sterilitatem manifestat, ut vel hinc moueatur ad credendum, ac secum cogitet virū illum nunquam antea sibi visum maiorem homine esse oportere, imò vel angelum vel prophetam esse qui sciret eam esse sterilem. Sic & Samaritana illa audiens Christo secreta sua manifesta, adducta fuit ad credendum. Sic Sara conuicta per angelum quod occultè risisset, territa fuit, & ad credendum ipsi permota. Cæterum cōditiones pueri nascituri vno verbo explicat cū dicit: Erit enim Nazaræus ab infantia sua. Nazaræus sanctus interpretatur. Dicebantur autem Nazaræi, qui non tantū animalia bruta Deo offerebant, sed etiā seipsum vouebant Deo, & obligabāt ad certū vitæ genus, de quo in Num. præcipitur. In duplici tamen differentia erant Nazaræi, Nam aliqui ad certū tempus tantūm se deuouebant, Alij per totam vitam lege Nazaræorum viuebant, ut Samson. Hic autem cuius summum eius temporis reputabatur sacrificium, sic & reuera etiam nunc nihil maius fieri potest, quā cū homo seipsum totum Deo deuouet, eiusque seruitio. Quamquam aliās omnes Christiani Nazaræi esse debent, & legem Nazaræorum spiritualiter implere. Christianorum enim interest, ut nunquam operam dent crapulæ, & ebrietati. Nolite, inquit, inebriari vino in quo est luxuria. Deinde Christianorum caput non tangant nouacula, hoc est, nihil vanum aut abiectum sit in ipso, sed pili quoque capitis sancti sint. Præterea super mortuum non ingrediantur, id est, caueant à mortuarijs operibus, quæ sunt peccata, & sinant mortuos sepelire mortuos suos. Hæ sunt regulæ illæ viuendi, quas etiā in baptismo vouimus. Quare danda est opera, ne vnquā votū hoc violemus. Quod si omnib. Christianis hæc præstanda incumbūt, quātò magis his qui se religiosos & Deo deuotos appellati gaudent? &c. Vbi autem & in quàm paucis hæc videntur.

Ioan. 4.

Num. 6.

**Lucæ 21.
Ephes. 5.**

Matt. 8.

den.

dentur? &c. quid igitur prodest vanum nomen, si re ipsa contrarium faciamus? Obserua autem, quòd angelus duo quædã inter se valdè dissimilia cõiungit. Erit, inquit, Nazaræus, & incipiet liberare populum. Quid Nazaræo cum bellis? Cur non iubet eum potius armis, quàm lege Nazaræorum exerceri? Nimirum vt ostendat se sua opera longè dissimili ratione incipere, quàm mundus. Mundus enim magnificè incipit, sed tandem confusionem reportat, vt patet in ædificanti busturrim Babel, & in Holoferne, &c. Deus autè opera sua humiliter incipit, sed magnificè perficit. Sic Sãsonem ad religiosa exercitia applicat, vt magis futurus videretur esse monachus, quàm dux belli: Postea aut tanta fortitudine ipsum donat, vt multò maiora Nazaræus ille fecerit, quàm gentiles vnquam de suo Hercule fingere poterant, de quo & prouerbio dicunt, quòd ne Hercules quidè aduersus duos. Hic aut Samson contra mille viros ausus fuit pugnare vel solus, vt infra patebit. Ex hoc autem discere debemus, vt humilibus rerum exordijs non offendamur. Deinde, vt in afflictionibus impatientes nõ reddamur, per has enim solet Deus gaudium & consolationem inchoare. Nec eò minus hoc credendum, quòd non semper angelus apparet hæc nobis promittens, cùm Christus ipse, qui maior angelis hæc promiserit. Huic qui nõ credit, nec angelo crederet. Postremò angelus ipsam etiã matrem instruit, quid ipsa facere debeat, nempe non bibere vinum, &c. Sensus est: sanctum puerum paries, sancta igitur sis. Quales enim parentes sunt, tales & filij vt plurimum efficiuntur, & sicut moderatio cibi & potus non parum conferunt ad bonam dispositionem fœtus, sic ebrietas & crapula aliaq; intemperantia plurimum efficiunt. Christiana igitur mulier si pregnans est, semper cogitet prolem nascituram sanctam Domino futuram, ideò & ipsa sancta sit, oret, &c.

Venit mulier, & indicauit viro suo, &c.

Habet textus hic insignia exempla pro coniugatis: exempla inquam charitatis & vnitatis, pietatis &

ANNOTATIONES

solitudinis, quæ omnia necessaria sunt in Christiano coniugio, primò igitur, quòd mulier hæc noua, quæ audierat, statim ad virum defert, indicium est humilitatis, subiectionis, reuerentiæ & vnitatis. Mulier enim proba nihil debet agere, instituire, promittere, & cæt. sine scitu viri, quando quidem Deus dixit: Sub viri potestate eris. & Paulus dicat non virum, sed mulierem seductam esse. Deinde indicium est veræ inter ipsos vnitatis, quòd securè ausa fuit quæcunque etiam ad virum deferre, & ipsius consilium querere. Quòd autem tam diligenter ab angelo quæsisse se dicit, quis esset & vnde, & quis vocaretur, nec verbis eius plenum assensum dedit, donec & viri sui iudicium audisset, indicium fuit prudentiæ: Non cuius facillè credendum, sed probandi spiritus. Hoc si Eua fecisset, vel saltem ad virum detulisset verbum serpentis, non in tantum malum incidisset, imò adhuc multa mala præuenire possent, si indoctus doctioris consilio vteretur. Saluum enim vbi multa consilia. Contra autem væ soli dicitur: Ecclesiast. 4. Nemo enim sibi in omnibus sufficere potest, iuxta prouerbium: Sæpè etiam holitor est oportuna loquutus. Quòd autem Manue non arguit mulierem vanitatis, nec eam increpat, quòd cum alieno viro loquuta fuerat, nec quicquam mali suspicatur, sed boni consulit, & rem ipsam expendit, quòd Deus etiam olim similia effecerit, charitatis indicium est, quæ non est suspitiosa, nec cogitat malum, sed omnia credit, & cæt. In hunc modum Petrus docet viros conuiuere cum vxoribus suis in scientia, & cæt. Quòd autem Manue statim ad orationem conuertitur, exemplum est pietatis, Non enim ad ariolos, sed ad Deum recurrit, nec nascituro filio diuitias petit, sed quomodo secundum voluntatem Dei viuat. Solitudinis autem erat, quòd tam diligenter angelum secundò apparentem interrogat, quid puer facere debeat. Sic solliciti esse debent parentes pro filijs, & cæt. Ex omnibus his vides, cur potissimum hoc par hominum cle-

num cle.

num elegerit DEVS, ad quos & angelum mitteret, & filium miraculosè daret, erant enim pij. Et prædixerat Dominus: *Qui me glorificat, & glorificabo eum.* 1. Reg. 2.
 Si pietas cordi nobis esset, non tot infelicia coniugia videremus, imò & Deus & angeli subinde præsentiam suam rebus ipsis manifestarent. Nunc autem, cum omnem pietatem excludamus, non mirum, quòd in quolibet angulo diabolus stet, Deus autem & angeli procul sint, &c.

Obsecro te, vt acquiescas nobis, &c.

Videmus etiam hinc hospitalitatem veterum, qui non expectabant, donec rogarentur, sed præueniebant, (exemplum de Abraham & Loth) experti enim erant, Gen. 18. & 19.
 quod sæpè angelos pro hominibus susceperant, id, quod & in nouo testamento plerique experti sunt. Et adhuc experitemur, nisi obstaret auaritia nostra: Hæc enim Christo & angelis ianuas præcludit, cum pauperes excludit. Matt. 25.
 Quod vni, inquit, ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. Erubescendum tamen nobis, quòd ceteros etiam non rogati tam diligenter alijs subueniunt, nos autè etiam rogati claudimus viscera nostra erga fratres. quomodo igitur charitas Dei in nobis esse potest? 1. Ioan. 3.

Si me cogis, non comedam panes tuos.

Alibi leguntur angeli comedisse cum hominibus, vt cum Abraham, Loth, Thobia, hinc autem angelus non vult comedere, primò, ne Manue putet eum læto illo nuncio nihil aliud quæsisse, quàm cibum, quemadmodum solent adultores; secundò, vt Manue audiens eum respuere cibum, vel sic agnosceret eum homine maiorem esse, atq; ideò firmiter ipsius verbis crederet. Angeli enim cibo non indigent corporali. Nihil enim in se habent deficientes, quod cibo restaurari oporteat, què admodum homo humidum radicale deficiens cogitur cibo sumpto reparare. Vnde in Thobia angelus dicit: Videbar vobiscum comedere, &c. sed & cibo inuisibili fruor, &c. Thob. 12.

Offer illud Domino.

M m m §

Hic

ANNOTATIONES

Hic videmus bonum fuisse angelum, Nam diabolus Deo offerre non suadet. Iubet autem sacrificium offerre, quia circa ipsum volebat ostēdere miraculum ad confirmationem verbi sui, Et hoc quidem necessarium erat. Alioqui Manue dubitare poterat de nudo illo verbo. Nouæ enim visiones etiam nouis miraculis indigent, id autem verbum, quod ab initio confirmatum fuit, vt est lex & Euangelium, non indiget nouis miraculis, & qui hic miracula quæreret, Deum tētare. Hæc autem visio Manue ostenta noua erat & incredibilis. Annunciabat enim mulierem sterilem fecundam futurā, deinde promittebat per hunc filium liberationem à Philistæis. Non quidē nouum erat fecundam è sterili fieri, aut Israelitas ab hostibus liberari, sed hoc nouum erat, quòd hæc sterilis deberet fecunda fieri, & quòd hic filius liberare deberet Israël: idè miraculo egebat. Hinc discimus, quomodo affecti esse debemus ad conciones. Si vetus verbum afferatur, quod & Christus & Apostoli, &c. docuerunt, debemus credere etiam sine signis. Si aliud nouum afferatur, quod nec Christus, nec Apostoli, nec vetus Ecclesia habuit, imò his contrarium, non debemus credere. Vbi enim Deus nouum quid reuelare intendit, addit certa indicia, quibus certi efficimur ab ipso esse.

Quod est tibi nomen? &c.

Gratitudo videtur esse, sed reuerà ingeniū est carnalis hominis, qui semper plus curiosa quærit, quàm necessaria, id, quod hodiè quoque videmus. Sic & ingenium nostrum est, quòd in prædicatione plus respicimus in personam, quàm in ipsum verbum. Inquirimus conditiones personæ, num doctus, eloquēs, &c. non veritatem verbi. Hæc curiositatem reijcit angelus, & docet non in personam prædicatoris, sed in verbum Dei respiciendum. Quid, inquit, quæris nomen meum, quod est mirabile? q. d. non tuum est hoc scire. Ea potius inquire, quæ tua interest scire. Sic Paulus: Non plus sapere, quàm oportet. Reuerà autē nomen angeli mirabile dicitur. Non enim possumus ad ple-

num, vel

num, vel eorum naturam, vel ministeria, ad quæ mittuntur compræhendere. Docemur igitur diuina secreta cælanda esse, nec cuius reuelāda, nisi iuxta mensuram à Deo præfixam.

Tulit itaque Manue hædum de capris, &c.

Non hîc disputandum est, num peccauerit offerendo extra locum diuini cultus, cum insuper etiam non esset de sacerdotali tribu. Non enim propria temeritate hoc facit, quemadmodum Saul & Esaias, sed iussus ab angelo. Quod autem diuinitus iubetur, malum esse non potest, etiā si videatur legi contrarium. Qui enim legem dedit, potest & in lege dispensare. Cæterum in hoc sacrificio duo miracula ostēdit angelus, primum, quod flamma è petra surrexit: secundum, quod angelus in flamma ascendit, vtrunque ad confirmationem verbi, quod dixerat angelus. Atq; hîc videmus, cur nomen suum manifestare nō voluit, nempè quia certius signum monstraturus erat. Nā Manue etiā audito nomine angei potuisset dubitare de veritate promissi. Nunc autē visis duobus miraculis dubitare nō potuit. Videmus item hîc, ad quid Deus tot olim miracula fecit, nempè ad confirmationem verbi sui, cui miracula adiunguntur ceu sigillum Dei, ne quis dubitet Dei verba esse, quæ in scriptura sacra legit.

1. Reg. 13.

4. Reg. 15.

Morte moriemur, quia vidimus Dominum.

Hîc primùm vides, quàm infirma sit natura nostra, vbi in conspectum Dei venit. Sic Daniel apparēte angelo omnes vires perdidit. Sic discipuli audita voce patris in transfiguratione Domini ceciderunt in terram. Quod si homo non potest ferre præsentiam Dei etiā cum consolaturus adit, quomodo eā ferret, cum aduenerit iudicaturus, vbi & ignis ante ipsum præcedet, &c. terra mouebitur, mōtes colliquescent, &c, & si sic terretur homo ad cōspectum angeli sancti, quantò magis terretur ad cōspectum dæmonum in morte? Si stillam, inquit, sermonum eius non audire possumus, quomodo tonitruum feremus? Quod autē Manue dicit: Morte moriemur, puenit vel ex præpostero intellectu

Dan. 10.

Matt. 17.

Psal. 96.

Iob 26.

ANNOTATIONES

- Exo. 33.** intellectu eius, quòd Deus olim Moyſi dixerat: Nò videbit me homo, & viuet. quemadmodum & ſuprà dixi, Iudi. 6. Vel reuerà ſic ſenſit in corde, nimirũ in cognitionem peccatorum ſuorum ex viſione angeli inductus. Vbi enim peccata in memoriam veniunt, hic nihil aliud videt homo, niſi mortem. dicit igitur: Mor-te moriemur, non dubium, quin desperaturus fuerat,
- Supr. ca. 6.** niſi protinus accepiffet conſolationem. Itidem contingit Gedeoni. cõtingit & omnibus, qui per legem in cognitionem peccati adducuntur. Hinc niſi Euãgelium ſpem & animum reddat, actum de illo crit, ideo Chriſtus Euãgeliũ legi ſuperaddidit. Et Ioannes poſt prædicationem pœnitentiæ ſtatim ſubintulit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata, &c.

Si Dominus nos occidere vellet, &c.

Hic mira Dei opera conſideranda. Vir timidus eſt, mulier autem fortis, & virum conſolatur, adeò ſæpè Deus infirmiori dat, quod fortiori negat. Nemo igitur alterum contemnat, quandoquidẽ nullus omnia habet. Memorabile autem eſt verbum hoc huius mulieris, quod etiam nobis in omnibus tentationibus vti eſſe poteſt. Si enim peccata agnoſcimus, & ſentimus nos ob peccata damnatos, tunc verbum iſtud mulieris in conſolationem noſtram accommodandum eſt: Si Dominus nos damnare vellet, non duxiſſet nos in cognitionem peccatorum noſtrorum, ſed permiſiſſet nos in finem uſque ſecurè peccare. Reuelat enim peccata Deus, non vt condemnet nos, ſed vt ſeruet. Sic cum afflictiones imminet, & putamus nos perituros, cogitandum eſt: Si Dominus vellet nos perdere, nò affligeret nos. Affligit enim omnem filium, quem diligit.

Hebr. 12.

Peperit ergo filium, & vocauit nomen eius Samſon.

Quod Deus per angelum promiſerat, hoc etiã præſtat. Eſt enim Deus verax ſeruansque promiſſi. Cæterum, vocatur nomen filij Samſon, ſed rationẽ huius ſcriptura non tradit. Deducitur autem nomẽ hoc Hebraicè à Schemesch, quod ſolem ſignificat. Ideò autẽ
à ſole

à sole ipsum nominant, vt scirent homines per hunc
 puerum prospera toti Israel euentura. Nam sicut te-
 nebrarū & caliginis nomine scriptura sæpè aduersa
 intelligit, sic per lucem prospera, vt cū dicitur: Iudæis
 autem noua lux oriri visa est, nimirum cū precibus
 Hester liberati essent à periculo mortis. Ideò etiam à *Hester. ii.*
 sole ipsum puerum nominant, vt meminerit se in lu-
 cem aliorum positum, nec cesset vocationi strenuè in-
 seruire. Moraliter omnibus Christianis debet hoc no- *Matt. 5.*
 men esse, hoc est, vt alijs luceāt bonis operibus & ad-
 monitionibus, &c. Dupliciter autem Deus benedixit
 Samsoni. Primò quia insolitam fortitudinem dedit. *Hebr. ii.*
 Secundò quia etiam gratiam iustificantem ei contulit,
 ideò inter sanctos numeratur. Nam sola corporis for-
 titudo, quæ est gratia gratis data, eum Deo non com-
 mendasset. Sic & adhuc Deus dupliciter benedicit, dat
 enim gratias gratis datas, & insuper gratiam iustifi-
 cantem, & hæc quidem sine illis sufficit ad salutem, *Mal. 4.*
 non autem illæ sine hac. Allegoricè Samson Christum *Ioan. i.*
 significat, is enim est sol iustitiæ & lux vera quæ illu-
 minat omnem hominem. Sicut autem ante natiuita-
 tem Samsonis Israelitæ in peccatis & magna miseria
 erant, sic ante incarnationem Christi erat genus hu-
 manum. Et sicut Israelitis nihil tale cogitantibus aut
 sperantibus venit angelus & apparuit, nõ omnibus,
 sed sterili, promisitq; liberatorem: sic angelus Gabriel
 Mariæ. Natus fuit Samson è sterili: & Christus e vir- *Lucæ. i.*
 gine. Prædixit angelus omnes conditiones Samsonis:
 Et Gabriel conditiones Christi. Erit magnus coram
 Domino, &c. Confirmauit angelus promissionem su- *ibidem.*
 am duobus signis: Et Gabriel virginem confirmauit:
 Ecce (inquit) Elizabeth cognata tua &c. Diligenter in-
 terrogabat Manue quæ ad rem pertinebant: & virgo
 dixit: Quomodo fiet istud? &c. Territi erāt Manue &
 vxor eius primū, sed postea consolati recesserunt:
 & virgo primū turbata fuit, post in laudem Dei pro-
 rupit dicens: Magnificat, &c. Offerrebāt illi hœdum,
 Maria seipsam: Ecce (inquit) ancilla Domini, &c. post
 obtulit

Ioann. 1.
Lucæ 2.
Ma. 61.

obtulit filiū, Luc. 2. Benedixit Deus Samsoni: Et Christo datus est spiritus. Non in mensura creuisse dicitur Samson, & Christus profecit sapientia, &c. Samsoni aderat spiritus S. Et Christus dicit: Spiritus Domini super me, &c. Vides quam diligenter Christi incarnatio in Samstone expressa sit.

CAPVT XIII.



Descripta conceptione, natiuitate & adoleſcentia Samsonis, describuntur nunc Mauortia eius facta quibus iuxta vocationem suam incepit Israelitas à Philistæis liberare. Longè tamen maiora hic audietis facta, quàm olim fecisse legitur vel fingitur Hercules.

Descendit itaque Samson in Thamata, &c.

Sunt qui putent eum descendisse vt facta & cultū Philistæorum videret, non vt ea imitaretur, sed vt fortius in fide & cultu vnus Dei stabiliretur visa insania gentilium in suo cultu. Potissimum autem spiritu Deo ductus descendit. Iam enim tempus erat vt vocationem suam inciperet. Sic spiritus venit super Ioannem Lucæ 3. Primum autem quod de Samstone legitur, est quod vidit mulierem apud Philistæos, quam sibi in matrimonium poposcit. Hic igitur iterum videm⁹ quàm mirabiliter, imò quàm humiliter Deus opera sua incipiat, De Samstone prædixerat angelus, eum liberaturum Israelitas à Philistæis, sed ecce nūc Samson cum illis ipsis fœdus, connubiū, & amicitiam iungit. Quis hic non de promissione angeli dubitasset? Illéne Israelitas liberabit à Philistæis, qui ab Israelitis ad amicitiam hostium transit? Verùm sic Deus incipit opera sua, vt nihil minus videatur futurum, quàm quod promittit. (Reuerà tamen Samson non amicitiam Philistæorum quarit, sed occasiones contra ipsos per hoc coniugium. Quod factum ipsius pleriq; principes imitantur, qui interdum per coniugia & fœdera non pacem, sed occasionem inuadendi & occupandi alienas regiones

regiones quærunt. Et hi quidem imitantur astū Samsonis, sed eadē fide hoc agere nō possunt. Quod enim faciunt, non æqua vocatione faciunt, sed iniqua alieni imperij affectatione: quod autem Samson fecit, ex fide fecit, quia vocatus fuit, vt Israelitas à Philistæis liberaret, vnde & inter sanctos computatur à Paulo. *Hebr. 11.* Non igitur licet colligere: Samson, vel David hoc fecit, ergò & mihi licebit similia facere. Duo enim in sanctis consideranda sunt, Primò, quòd speciales suas vocationes habuerunt. Sic libuit Sāsoni Philistæis bellū inferre, & occasiones quærere, quia vocatus ad hoc erat: tibi non licet, quia tibi prohibitū à Deo. Secundò, in sanctis considerandum, quòd etiam fuerūt homines, atq; ad eò peccatores. Non igitur in omnibus, sed in bonis tantū imitandi sunt. Vide autem insignem prudentiam in Samson. Potuisset iure diuino absque vlla ciuili causa Philistæis arma inferre, quia ad hoc vocatus erat, non tamen hoc facit, ne vlli hominū offendiculum daret, item ne videretur contra iuramētum Philistæis præstitum agere. Quàm reprehendendū igitur sunt apud Christianos, qui nec iuramēta, nec iudicia curant, etiamsi simul sumant summum illud caritatis & vnitatis symbolum, corpus scilicet Christi, & interim tamen dicuntur sanctissimi, Christianissimi, Catholici, & c.

Vidi mulierem, &c. hanc quæso accipite mihi, &c.

Insigne exemplū in Samsonē obedientiæ & reuerentię erga parētes, quanq̃ enim spiritu Domini esset prædictus, non tamen ducit vxorē citra parentum consensum. Ab hoc exēplo lōgè absunt iuuenes nostri. Hi. n. laudi sibi ducūt, si in cōtrahendo matrimonio parentes suos contēnant, citra omnē verecundiā iactantes: Mihi (inquiunt) nō parentibus vxorē ducam. Verum Deus tantum contēptum non fert inultū, q̃ videmus q̃ rarò felicia sint huiusmodi coniugia. Et reuerà præstaret, vt Ecclesia oīa huiusmodi clandestina matrimonia cassaret ac irrita esse declararet. Per hoc enim multa mala præcauerētur. Habemus itē insignē hic exemplū

ANNOTATIONES

Deut. 7.

moderationis in parentibus Samsonis. Hi enim primum auctoritate sua deterrere conantur filium à matrimonio peregrinæ vxoris: Sciebant enim hoc prohibitum fuisse in lege. Timebant item ne Samson peccando in legem Domini gratiam perderet, sicque impeditur promissa liberatio populi. Nesciebant hoc à Domino fieri, quo verbo facile colligi potest, num Samson peccauerit in hoc, an non. Imò si spiritu & instinctu Domini hoc fecit (vt hic dicitur) non peccauit. Nihil igitur opus est de hoc disputationem instituere. Cæterum cum Samson ab animi sui sententia se dimoueri non sineret, parentes ipsius non eum exigunt è domo tanquam contumacem, non cogunt eum ad aliam ducendam, quia fortè ipsis dixerat à Domino hæc fieri. Magis igitur cōsultum putāt sua auctoritate administrare quod non approbant, quàm permittere filio, vt quod probat pro inconsulta animi sui temeritate administraret. Hic igitur discant parentes moderationem. Tametsi enim ea sit parentum auctoritas, vt sine ipsorum consensu liberi nō debeant contrahere matrimonium, & intersit parentum, vt pro sua prudentia imprudenti & subitaneo calori liberorum in contrahendo matrimonio cum inæqualibus personis obuiam eant, tamen ea auctoritas non debet ab ipsis mutari in tyrannidem, vt liberos cogant vel in totum abstinere à matrimonio, vel cum tali persona matrimonium inire, quæ parentibus tantum, non filiis placeat. Vtrobique enim periculum est. Cæterum sicut Samson contemptis Israelitarū filiabus alienigenam duxit vxorem: sic Christus reiectis Iudæis propter incredulitatem, gentium ecclesiam sibi agglutinavit. Et sicut parentes Samsonis ipsum propter hoc arguebāt, sic credentibus ex Iudæis indignum videbatur, vt gentes ad gratiam reciperentur. Non tamen ob id destituerunt Apostoli gentibus prædicare, sicut nec Samson hic à sua sententia recedit.

Actor. II.

Occurrit ei catulus leonis seuus & rugiens.

Hoc est primum stratagema Samsonis, quòd cum
nulla

nulla arma in manu habuerit, dilacerauit tamē solis
 manibus leonem in frustra. Stupenda fortitudo. Leo ^{Prout. 10.}
 enim fortissimus bestiarū ad nullius pauet occursum,
 & tamen à Samfone vincitur. Simile quiddam fingūt
 poetæ Herculem fuisse, verūm pro maiori parte fabu-
 losa sunt quæ de ipso dicuntur. Hic autem rei gestæ
 veritas est. Legitur & David interfecisse leonem, item ^{1. Reg. 17.}
 que & Banaias: neuter tamen sine armis vt Samson. ^{1. Par. 11.}
 Ideò diligenter describit hic primus eius actus, vt ma-
 gis appareat quanta fortitudine Deus Samsonem do-
 nauerit. Primò enim ne quis putet leonem fuisse do-
 mesticū & cicurē, dicit scriptura ipso in campo cu-
 currisse, secundò ne quis suspicetur leonē fuisse senē
 & viribus carentem, addit scriptura q̄ fuerit catulus
 leonis. Tertio ne quis putet fortē dormientem aut vul-
 neratum, à Samfone occisum, addit scriptura quòd
 occurrerit Samsoni sæuus & rugiens. Quarto ne quis
 putet Samsonem specialia aliqua arma habuisse qui-
 bus eum velociter opprimeret, addit scriptura quòd
 nihil omninò habuerit in manib. Postremò additur
 quòd leonem non tantūm occiderit, sed dilacerauerit
 in frustra, idq; non maiori negotio, quā si fuisset agnus
 aut hœdus. Addit tamen scriptura vnde Samson ha-
 buerit hanc fortitudinē. Irruit (inquit) in eum spiritus
 Domini. Hic vides quòd donū Dei fuit & gratia gra- ^{4. Reg. 3.}
 tis data, quæ tamen illi non semper affuit, quemad-
 modum nec prophetia Helizæo, sed tantūm mouen-
 te spiritu sancto. Ceterū diuina ordinatione factū
 est, vt Samsoni leo occurreret, in quo primò fortitudi-
 nem suam experiretur, idque primò ad cōsolationem
 ipsius Samsonis, vt minùs timeret Philistæos, nimi-
 rum apud se cogitans: Si Deus te à leone conserua-
 uit, seruabit & ab hostibus. Sic angelus olim ipsum
 Iacob consolabatur: Si contra Deum, inquit, fortis ^{Gen. 32.}
 fuisti, quantò magis contra homines præualebis? Sic
 David pugnaturus contra Philistæum, seipsum con- ^{1. Re. 17.}
 solabatur eo facto quòd per Domini assistentiam oc-
 ciderat leonem & ysum. Sic Moyses cōtra Pharaonē ^{Exod. 4.}

ANNOTATIONES

Iud. 6. **Matt. 4.** **Ioan. 14.** **Ioan. 12.** **Iob. 41.** **1. Pet. 5.** **Pfalm. 90.** **Luc. 10.** **1. Sa. 11.**

acturus primò confirmatur signis & miraculis. Itidè
& Gedeon. Secundò factū est hoc in figuram Christi.
Sicut enim Sāson fortitudinē suā primò in leone pro-
bauit, sicut Christus in diabolo. Ille prius vincēdus e-
rat antequā mundum sibi subijceret Christus. Deinde
sicut Samsoni ad vxorē ducendam pergenti occurrit
leo, sic Christo auspiciāti negotium Euangelicū primò
occurrit diabolus, in deserto scilicet eū tentans. Dein-
de Christo ad passionem eunti adhuc ferociùs occur-
rit leo ille. Venit, inquit, princeps huius mundi, &c. Id-
èò & tunc sathanas intrauit in Iudam, ipsumq; inci-
tauit ad prodendū Christū. Tertio sicut Samson leo-
nem illum nō tantū occidit, sed dilacerauit in frustra,
sic Christus diabolū omninò deuicit & eneruauit quā-
tum ad credentes attinet, vnde ait: Nunc iudicium est
mundi. Nūc princeps mundi eijcietur foras, &c. Ter-
tio autē hęc Samsonis contra leonē victoria ad con-
solationem nostram facta est. Leo enim diabolus est
forissimus bestiarum, quia non est fortitudo quæ ei
possit æquari. Semper autem est in via, credentibusq;
occurrit. Nam circuit mundum quærens quem deu-
ret. Cæterum quantumcunq; sæuus & fortis sit, ni-
hil tamen potest contra credentes. Imò vincitur & dil-
laceratur ab ipsis. Hinc Dauid de credente dicit: Super
aspidem & basiliscum ambulabis, &c. Et Christus: Ec-
ce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes &
super omnem virtutem inimici. Sic & Isaias prædixit
bestias nihil ampliùs nocituras pijs hominibus tem-
pore Christi. Hanc nobis consolationē adfert hęc vi-
ctoria Samsonis. Itaque cū tentaris à diabolo hinc
sume robur fidei tuæ, & causam orationis, &c.

Descendit, vt videret cadauer leonis.

Rom. 8.

Non ex curiositate, nihil enim voluptatis ex cadaue-
 re putrido capere poterat, sed vt de nouo confortare-
 tur in sua vocatione. occasionēq; haberet diuina ope-
 ra admirandi. Nihil enim tam abiectum est, ex quo
 pius non possit occasionem accipere ad bona cogi-
 tanda. Prius igitur miraculum ad memoriam reuoca-

re pergens, nouum inuenit miraculum, nempe quòd apes, quæ ex natura loca immunda horrent & fugiūt, in pùtrido leonis cadauere nidificauerant. Non tamè mirum est naturam cessare vbi Deus sua opera ostendere vult. Hoc autem ideò hìc describitur, vt videas vnde Samson ænigmatis sui occasionem acceperit.

Cæterùm etiam in hoc Samson fuit figura Christi, Christus enim est, qui patres ex ore leonis, ex inferno scilicet eripuit, & ad suã gloriam perduxit, quod nemo ante ipsum facere potuit. Ipse per Euangeliũ suum electos suos quos diabolus rapuerat per peccatũ, potenter ex ore eius eripuit. Ipse, inquit, eripuit nos de potestate tenebrarum, &c. Christus item in multis etiam hominibus occidit leoninã ferocitatem, & ex leonib. facit apes mellificantes, vt patet in Paulo. In multis etiam regibus ad fidem conuersis. Item vsque hodie per Euãgeliũ ex leonib. facit apes, ex auaris misericordes, ex superbis humiles, ex impudicis pudicos, &c. Hæc virtus Christi & Euãgeliĩ in hac humili historia figurata fuerunt. tam mirabiliter Deus sua mysteria scriptura occultauit, vt impij etiam legentes ea nõ viderent. Quis enim credidisset tãta mysteria sub hoc cadauere, & his apibus contineri, nisi Christus librum per seipsum aperuisset? tanto diligentius igitur & alia loca scripturæ scrutemur, &c.

Dederunt ei triginta sodales, &c.

Amicitia videtur hoc fuisse, sed reuera fuit infidelitatis. Ideò enim sodales ei addiderunt vt eum custodirent, ne quid contra ipsos inciperet. Sic mundus nunquam ex corde fidus est pijs, etiam si fingat amicitiam, hoc expertus est Dauid, & Christus in Iuda & Pharizæis, & multi etiam martyres hoc experti sunt. Nec mirũ, quomodo enim vera amicitia cohereret inter eos qui non vnus sunt fidei? Quæ cõuentio lucis ad tenebras? Christianus mudi amicitia semper suspectam habeat. Non potest enim mudi diligere Christum & suos. Hoc dolendũ est q̄ etiam apud nos hæc Philistæorum infida amicitia inualefcit, vt fermè in

ANNOTATIONES

Yere. 9. nobis impleatur nūc quod olim Ieremias dixit: vnūſ-
Osec. 4. quisque in fratre suo non habeat fiducia, quia omnes
 fraudulentem incedūt. Non est fides amplius in terra.

Proponam vobis enigma, &c.

Describitur hīc honestas nuptiarum, simulq; vides
 quæ olim etiam apud gentiles fuerint solatia, gaudia,
 & exercitia iuuenū. Nihil hīc audis de ebrietate, impu-
 dicis choreis, ludo aleæ, fornicatione, aut insanis cla-
 moribus quæ nostrorum sunt gaudia iuuenum, sed
 proponunt & dissoluunt inter se ænigmata, quæ vt
 honesta sunt exercitia, sic ingenium acuunt, instruunt
 mores, & interdum ad pietatē adiuuant. Tanta hone-
 state olim etiam apud gentiles celebrabantur nuptiæ.
 tanta erat modestia iuuenum etiam cū lætissimè a-
 gerent. Quid simile nunc videmus? Quid aliud in nu-
 ptijs nostris videmus, nisi insaniam & mūdum ipsum,
 imò meram barbariem? Et quidem nuptialia cōiuiua
 etiam veteres habuerunt, & sancti, sed cū timore Dei.
 Itidem & nos facere oportet. Nam filij sanctorum su-
 mus, & non decet nos gentibus similia facere. Semp̄
 illud cogitare & timere debemus, quòd angelus dicit
 dæmones potestatem habere in eos, qui ita coniuuiū
 ineunt, vt Dei obliuiscantur.

Thob. 8. Sic & in iuuenibus nostris nihil iam videtur nisi i-
Thob. 6. psa leuitas. In causa aut sunt parentes qui aut nimium
 ad dextram, aut nimium ad sinistram declinant, hoc est,
 aut nimium morosi sunt & difficiles omnē recreatio-
 nem iuuenib. negātes, sicq; eos ad omnia inutiles red-
 dunt, aut permittunt eis omnem licentiam ad lusum,
 scortationes, ebrietates, &c. Nō omninò negāda sunt
 iuuentuti sua solatia, ita tamen quòd ad mala eis fre-
 num non laxetur. Possent eis proponi honesta exerci-
 tia & solatia, quemadmodum & antecessores nostri
 fecerunt, imò illuc etiam præmijs adhortandi essent
 vt vel sic à noxijs gaudijs reuocarentur. Verū omnia
 hæc nos negligimus, & verè paganis quendam
 in filijs nostris crescere sinimus. Iusto igitur Dei iu-
 dicio fit, vt etiam tyrannidem Turcarum sentire coga-
 mur.

mur. Si enim mores eorum imitamur, iustè etiam ipsum tyrannidem sentimus. Nec vnquam Turcam à ceruicibus nostris depellemus, nisi priùs Turcicos mores & vitam relinquamus. Hic igitur inuigilèt parentes & etiam magistratus, quicquid enim iuuetus stultitia delinquit, in parentes & magistratus redundabit, qui prohibere possent & non faciunt, &c.

De comedente exiuit cibus, & de forti dulcedo.

Hoc est ænigma quod Samson proposuit. Est autem antithesis, quæ multò iucundiùs sonat in lingua Hebræa quam in nostra. Et est sententia: Quia omnia alia deuorat, is præbuit ex se cibum què alij deuorent, & qui in omnes est trux, crudelis & immanis, is exhibuit de se, quod valdè iucundum, suaue & delectabile est. Opponuntur enim inter se deuorans cibum, & præbens cibum, crudelis & iucundum. Cæterùm hoc problema indicat Samsonem alto animo infixisse quæ Deus circa leonem miracula fecerat, in quo & ipsum imitari debemus.

Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem.

Philistei non possunt soluere ænigma, nec mirum, nihil enim sciebant de his miraculis. Cæterùm quòd non possunt solerti prudentia scrutari, hoc conatur dolo & minus discere. Aggrediuntur uxorem Samsonis, rogant, conqueruntur, minantur donec persuadeant. Cæterùm quia dolo agunt contra datam fidem, ideo non tam se quàm vicinos suos, imò omnem gentem suam conijciunt in extrema mala. Sic nulla benedictio Dei est ubi res malo dolo geritur.

Patri & matri meis nolui dicere, &c.

Samson initio blanditijs vxoris fortiter resistit, & virum agit non tam fortem quàm prudentem, quòd secretum à parentibus absconditum nec vxori reuelat. Quanta enim mala viris, qui vxoribus suis secreta reuelarunt, euenerint testatur passim veterum historiæ. Verùm vt scias non eiusdem esse & corpore & animo fortem, persuadetur tandem & vincitur Samson lachrymis muliebribus, & qui secretum suum celauerat

ANNOTATIONES

parentes, tam imbecillis animi est, vt non possit illud vxorculam celare. Et qui vicerat leonem, nō potest vincere lachrymas muliebres. Hic igitur vides quā verē dixerit mulieres omnibus fortiores esse. Reuera enim fortis est, qui hīc non vincitur.

2. Esd. 1.

Descendit Ascalonem, & percussit triginta viros.

Secundum signum est inauditæ prius fortitudinis in Samsonē, vt qui solus 30. homines occidit, idq; in ciuitate hostium. Hic tamen videndum ne quis offendat. Si enim Samsonis hæc facta absq; ipsius vocacione consideraueris, nihil magis impiū fuit. Quid enim crudelius quā ad soluendum debitum tuum in proximos grassari & ipsos trucidare & spoliare? Quid inhumanius, quā ob futulitatem muliebrem vxorem derelinquere? Si enim tam malè habuit Samsonem quod vxor prodidit arcanum, cur nō ipse prior tacuit? Consideranda igitur est Samsonis vocatio, quæ erat vt Philistæis mala inferret, & quacūq; posset occasione opprimeret. Vnde additur hoc loco: Irruit in eum spiritus Domini, non spiritus Sathanæ. Proponuntur aut nobis hæc non vt similia faciamus, sed vt id studium camq; vehementiam & diligentiam quilibet in sua vocacione adhibeat, quam Samson adhibuit in sua.

CAPVT XV.

Post vindicatam primam sibi illatā iniuriam Samson paululum quiescit, si forte vltiorem sibi occasionem præstare vellent Philistæi. Quiescit, inquā, sed non in toto cessat. Non enim ipsius tantum res agebatur, sed totius populi, atq; ad eō etiam Dei. Nō tantum enim in ipsum peccauerant Philistæi, sed etiam in totum populum, maximè autē in Deum. Samson igitur & Dei & populi iniuriam vindicare debebat de Philistæis, vnde sequitur:

Post aliquantum autem temporis descendit, &c.

Signum hoc fuit sedati animi in Samsonē. Grauius fuerat

fuerat offensus ab vxore & Philistæis, spontè tamè remittit irā etiam non rogatus ab eis, in quo omnibus nobis datur exemplum vt faciliè remittamus iniurias.

Ephes. 4.

Lucæ. 6.

Psalm. 4.

Hinc Paulus: Sol non occidat super iracundiā vestrā. Et Christus: Dimittite, & dimittetur vobis. Et Dauid:

Eccl. 28.

Irafcimini & nolite peccare, peccatur autem cū ira reseruatur. Hinc Sap. Homo, inquit, homini seruat iram, & à Deo quærit vindictam, &c. Signanter autem exemplum hoc coniugati attendant, vt faciliè recōcilientur, postquam (vt solet) iræ aliquid inciderit. Ad hos enim vel maximè pertinet illud. Supportantes inuicē in charitate. item: Alter alterius onera portate. Signanter item viri discāt vxoribus vt infirmis vasculis iram remittere exemplo Samsonis, &c. Sicut autē Samson irā remiserat, sic credit & alios irā remisisse. Qualis enim quisq; est, talem iudicat & alium esse. Verūm Samson longè fallitur, Nam & vxor alium virum acceperat, & socer ipsum prohibebat, vnde planè cognoscebat nihil fidele in Philistæis esse.

Ex hoc die non erit culpa in me, &c.

Fatetur se nunc habere iustam causam, quando quidem non solūm vxor fefellerat, sed etiā eius cognati: deinde nemo Philistinorum eam iniuriā prohibuerat, vnde satis apparet vnam omnium fuisse voluntatem. meritò igitur simul puniēdi. Ceterū nemo in exemplū trahat q̄ Samson hic dicit: Faciā vobis mala. Nō hæc loquitur vt priuatus, sed vt vocat⁹ à Deo ad affligēdos Philistæos. Nobis autem dicitur: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, &c. Hic igitur videmus quo consilio Samson noluerit vxorem ducere de filijs Israel. Non id fecit libidine, aut contemptu parentum, sed vt hoc cōiugio exercendæ suæ vocationis occasionē inquireret. Videmus deinde quā malè cedat si quid circa cōiugiū temerè agatur. Sic socer suspicat⁹ Samsonem non rediturum ad vxorem, filiam suam alteri tradit, nō expectans reditū Samsonis, nec saltem nuncijs animū eius explorans. Hinc & Philistæos omnes in damnū cōijcit, & seipsum & totā familiā in ex-

Ma. 11. 5.

ANNOTATIONES

tremam internecionem. Monemur igitur vt in causis matrimonialibus nihil temerè & ex solis suspitionibus agamus. Sunt enim qui absente aliquando coniuge mox alium quærunt. Sunt item qui concepta suspitione adulterij statim diuortium quærunt. Ac verū est adulterium separare coniugium, verū de hoc prius publico iudicio cognoscendum, Nemo enim debet in sua ipsius causa esse iudex & reus seu actor.

Matt. 19.

Cepit trecentas vulpes, &c.

Deut. 20.

Cui ex vocatione licet bellare, etiam hoc licet vt omnibus belli iuribus in hostem vtatur, vt est depopulari agros, &c. Quanquam aliàs Iudæis inhibitu esset ne fructuosas arbores etiam hostium incidèrent, cum tamē nos Christiani nihil crudelitatis amittamus etiam erga fratres. Nemo igitur se hoc facto Samsonis palliare potest. Ipse vocatus fuit, tu propria libidine ad bellum properas. Ipse iustā habuit causam, tu aliquando nullam vel modicam, interdum propter solam auaritiam aut inuidiam bellum facis.

Combusserunt tam ipsam, quàm patrem eius.

Anteà focer Samsonis clarus habebatur apud Philistæos quod Samsonem circumuenisset, nec quise factum eius improbat: Nūc autē cum propter ipsam aduersis affliguntur, mutant fauorem in odium. Sic est ingenium mundi, &c. Itē timuerant focer & vxor Samsonis ne à Philistæis ænigma soluentibus perderentur, nisi Samsonem deciperent. q̄ autem timebant hoc eis accidit: Nam comburuntur cū putabant se minas eorum euasisse: Itidē contingit omnib. impijs, &c. Allegoricè Samson significat Christū, Philistæi Iudæos. Contraxerat cū illis Christus amicitiam prædicando Euangeliū, sanando infirmos, vocando ex ipsis primitias Ecclesie, verū grauitè ab ipsis offensus, & indignè tractatus, iratus ab ipsis discessit. Ascendit in cælum minitabundus. Multa, inquit, habeo de vobis loqui & iudicare. Tempore autem tristitiæ messis, id est, in die penthecostes redijt ad eos in Apostolis inuisere volēs vxorem, afferens ei hœdū, id est, prædicans ipsis poenitentiam.

Ioan. 8.

rentiam, tunc enim Petrus dixit: Pœnitementi igitur, Act. 2. &c. Verùm pater, id est, Pharizæi & pontifices Christum in Apostolis prohibuerunt ad vxorem suam accedere, hoc est, prædicare Euangelium. Cæsis, inquit, Act. 5. discipulis denunciauerunt, ne omninò in nomine Iesu loquerentur. Sic igitur habentes clauem scientiæ, Matt. 2. nec ipsi introibant, nec alios intrare sinebant. Ex eo igitur die Christus ipsos iustè reliquit, nec solùm reliquit, sed mala ipsis intulit, nec habent, quod contra ipsum querantur. Quoties, inquit, volui congregare filios tuos, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et post per Apostolos: Vobis oportebat primò prædicare verbum Dei, sed quia illud repellitis, ecce conuertimur ad gentes. Relictis igitur Iudæis, Christus gentium deserta petens vulpes trecentas cepit, hoc est, dæmones ex cordibus & templis gentilium eiecit suo verbo, eosq; in Iudæos immisit, qui & omnia ipsorum fata exusserunt, imò & templum & ciuitatem, & quicquid in ipsis viride erat. His vulpius irritati etiam postea in seipos sæuierunt, mutuisque seditionibus se inuicem perdidierunt, maximè in occasione ciuitatis à Romanis, &c. Vide Iosephum. Et non Christus in gratiam assumpsit. Cùm autem peccamus, nascitur nobis, sed non omninò deserit. Cùm autem perseueramus, tradit nos potestati dæmonum, qui omnia bona in nobis deuantant, & ad omnia mala nos incitant, & cæt. Non igitur imitemur perfidiam Philistæorum vel Iudæorum, ne in idipsum iudicium incidamus, &c.

Percussit eos, vt suram scemori imponerent.

Ad literam ita ipsos percussit, vt membra contractentes quoquo modo studerent euitare ictus eius. Vel metaphoricè, percussit in eis suram & scemora, id est, tam magnos, quàm paruos, tam equites, quàm pedites, tam nobiles, quàm plebeios. Vide quid possit homo, què Deus ad sua iudicia exequèda assumit. Quid hïc poterant omnes Philistæi contra vnum hunc hominem? Sic Deus per vnum hominem toti aliquando

ANNOTATIONES

regioni & benè & malè facere potest. Sic Deo æquè facile est per vnū hominē hostes suos occidere, vt per plures. Sic Samson vbique intrepidè hostes suos aggreditur, nihil motus aut territ⁹ ipsorum multitudine. Vnde igitur ei tanta fortitudo? Ex fide. Sic enim Paulus

Heb. 11.

de ipso & alijs dicit: Sancti per fidem fecerunt regna, &c. Sciebat ab angelo predictum, quòd per ipsum in-

4. Reg. 6.

cipere deberet liberatio Israelis. Sciebat item, quod plures sunt cum fidelibus, quàm cum impijs, & quòd maior est, qui in nobis, quàm qui in mundo habitat. Hac igitur fide armatus intrepidè pugnat, nec est, qui ei resi-

Matt. 17.

stat. At que hoc est, quòd Christus dicit: Omnia possi-

Phil. 4.

bilia sunt credèti. Et Paulus: Omnia possum in eo, qui

1. Ioan. 5.

me confortat. Et Ioannes: Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra. Ad hanc fidem & Christus nos

Matt. 11.

admonet, cum dicit: Habete fidē Dei, Amen dico vo-

bis, si dixeritis mōti huic, &c. An nō magnos montes,

id est, fortes hostes habebat Samson præ se, quos tamē

fide sua omnes repulit? Hinc igitur & nos robur colli-

gamus in his, quæ nobis accidunt. Si à Deo ad arduum

aliquid vocatus es, noli terri propter tuam infirm-

tatem. Ne tamen etiam in tua industria confidas, sed

in Deo. Reuela, inquit, Deo viam tuam, & spera in eo,

& ipse faciet. Cōstanter igitur perge in vocatione tua,

& videbis, quòd etiam nunc vnus Samson fidelis præ-

ualebit multis millibus Philistinorum. Hoc vides in

Dauide psal. 17. & 43.

Ascendentes ergo Philistijm castrametati sunt.

Satis videre potuissent Philistæi, si vel solam ratio-

nem consulissent, quòd non hominis, sed Dei opera

essent, quæ per Samsonem fiebant. Oportebat igitur

ipso terri, & de peccatis pœnitere, debebant dice-

re sicut olim dixerant Aegyptij: Fugiamus Israelē, Do-

minus enim pugnat pro eis. Verūm nihil horum vi-

dent aut faciunt, excæcauerat enim eos iudicium Do-

mini. Et quia minora flagella Dei ipsos non emenda-

uerant, coguntur ferre maiora. Sic enim peccata au-

gentibus Deus etiam flagella auget, quemadmodum

in Le.

Psal. 36.

Exo. 14.

in Leuit. comminatus est. Vnde facilè conijci potest, Leuit. 26. vnde nunc tanta mala abundant, & quotidie auge-
 scant, nimirum è peccatis nostris. Magna itaq; poten-
 tia Philistæi ascendunt aut Samsonem capturi, aut to-
 tum Israel debellaturi. Quid autem Deus de huiusmo-
 di hominibus dicit? Congregamini & vincemini, ini-
 ris consilium, & non stabit. Loquimini verbum & nō Is. 5.
 fiet, &c. Sic etiã nunc confunduntur, qui impios suos
 conatus per vim perficere conantur.

Quare ascendisti contra nos?

Terrètur Israelitæ ad ascensum hostium, vnde pa-
 tet, quòd non eã fidem habuerunt, quam Samson ha-
 buit, alioqui non opus fuisset timore. Quis, inquit, tu,
 vt timeas ab homine mortali? &c. Viderãt apertè Dei
 opera in Samsonè, vnde spem bonã de Deo concipe-
 re debuerant, & fortiter hostibus resistere, non dubi-
 tantes, quin Deus, quod per Samsonem inceperat, ip-
 sos planè liberaturus esset. Verùm deerat fides, ideò ti-
 ment. Et quia Deo nō credunt, ideò nec Samson ipsos
 ad plenum liberare potuit. Magis igitur puniendi erãt,
 quoniam nescerët Deo credere. Sic infidelitas omnia bo-
 na impedit. Sic impij trepidãt timore, vbi nō est timor.
 Hic timor mundanus etiã nunc multos impedit, quò
 minus audeant impijs resistere. Nec solùm ipsi timèt,
 sed etiam Samsonem terrere voluerunt. Nescis (in-
 quiunt) quòd Philistijm dominantur nostri? Sciebat
 hoc Samson, sed interim sciebat maiorè se Dominum
 habere, cui potius obediendũ, & qui potius timendus
 esset. Hoc & ipsi sciebant, verùm timor mundanus &
 incredulitas eos aliò trahebãt. Nec solùm Samsonem
 terrere venerant, sed insuper ligare, & hostibus trade-
 re, quod magnæ ingratitude erat & inconstantie.
 Prius probabant quæ Samson faciebat contra Philis-
 tæos, nunc cùm ipsis periculum imminet, non solùm
 obliuiscuntur benefactorum eius pro Israel, sed insu-
 per etiam eum hostibus tradunt. Hinc discè, quid à
 mundo expectandum tibi sit, nempe nihil nisi mera
 ingratitude. Non tamen ideò cessandum est à bonis.

Non

Psal. 13.

Act. 4.
Matt. 10.

ANNOTATIONES

Non derelictus erat Samson etiam si Israelitæ eum derelinquebant: nec in ipsis, sed in Deo fiduciam suam posuerat: nec à vocatione sua propter ipsorum ingratitude cessat. Hunc imitemur, &c.

Iurate mihi, quòd non occidatis me, &c.

Poterat eadem facultate, qua Philistæis restiterat, etiam Israelitis resistere, verùm hîc non vitur fortitudine sua contra fratres, quam sciebat se pro fratribus accepisse, quod & ipsum nobis exemplo esse debet, ne donis Dei contra Ecclesiam utamur, id, quod faciunt hæretici & impij, &c. Quòd autē ligari se permittit, primò magnæ charitatis indicium est, malebat enim se morti offerre, quàm alijs periculis obijcere, Contrarium faciunt principes nostri, &c. Deinde magnæ etiam fidei indicium. quam tantam in Dei promissionem habebat, quòd non dubitabat, se posse euadere etiã si in manibus hostium esset, &c. Hinc igitur discamus, quid de Deo sentire debeam⁹: nō quòd spontè & sine causa nos in pericula præcipitemus, sed ut in eisdem non desperemus, &c.

Philistæi vociferantes occurrerunt ei.

Putabant se iam vicisse legato Samsonem, iamque omni terrore liberi & securi, nihil aliud, quàm de predicta cogitabāt. Verùm longè aliter ipsis euenit, quam enim perditioni propiores fuerant. Nam eadem ipsa hora atque ad eò momento percunt & occiduntur. Hoc nimirū est, quod Paulus dicit de impijs. Cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Pulchrè autem impiorum feruor & studium & desiderium ad opprimendos pios exprimitur, cùm dicitur: Vociferantes occurrerunt: tanto enim impetu feruntur, quasi statim deuoraturi pios. Sic Saul tam cupidè Davidis mortem quærebat, ut etiam super abruptissimas petras ipsum quæreret. Etiam, inquit, si se in terrā obstruxerit, quæram eum, Nihil tamen proficit, quin potius ipso pereunte David nedum permāsit, sed etiam regnum ei successit. Itidē contigit Hieremiæ, quem omnes principes Iudææ occisum volebant,

1. Thes. 5.

1. Reg. 24.

1. Reg. 23.

bant,

bant, & tamen ipsi etiam percunti contingit. Ad eò Psalmi:
verum est quod Dauid ait: Qui habitat in cælis irridebit eos, &c. Et Petrus: Nouit Dominus suos de tenta-
tione eripere. Vnde hîc subditur.

Spiritus Domini eruit super eum.

Hîc vides quàm verè dixerit Dauid quòd Deus sit adiutor in oportunitatibus in tribulatione videbatur omninò actum esse de Samsonè, nec quisquam suspi-
cari potuisset ipsum euasurum quando & ab amicis derelictus & vinctus, insuper etiam ab hostibus circum-
datus esset. Verùm in tempore aderat Dominus. Spi-
ritus, inquit, Domini irruit super eum, præsentiam que suam magnis & manifestis signis ostendit. Nam sta-
tim dirupti sunt funes quibus ligatus erat Samson, quantumuis noui essent. Deinde quamuis gladium non haberet, casu vidit & leuauit mādabulam, & cum ea occidit mille viros. Quis non hîc obstupescat & admiretur tanta signa? Verè stupenda fortitudo Samsonis. Quis similia vnquam audiuit, vidit, legit? An non igitur meritò cum Dauide hîc exclamamus, Magnus Dominus & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Primo enim certum est nō Samsonis, sed diuinæ virtutis fuisse hoc opus. Ipse enim est qui suos præcingit virtute & docet manus ipsorum ad præliū. Deinde diuina præordinatione & sapientia factum est vt Samsoni ad hâc rem non aliud instrumentum occurreret, quàm putrida mandibula. Hoc inquam sic prouidit Deus nō tam propter mysterium, de quo infra, quàm vt opus ipsum coram omnib. admirabilibus esset. Videmus igitur hîc quòd Deo etiam natura cedere cogitur, quemadmodum hîc assistente Deo funes amplius ligare non poterant, sed dirumberantur. Hoc idem expertus est Petrus. Et Dauid: Dirupisti, inquit, vincula mea, &c. Deinde comprobatur ex hoc loco quòd is, qui in vocatione Dei ambulat, semper idonea instrumenta adipiscetur, quibus in periculis seruetur: vt exempli gratia, si quis ad bellandum contra hostes Dei vocatus est, is si careat armis ferreis, certè, præ-
uultis

Psalm. 14.

Psalm. 17.

Act. 12.

Psalm. 115.

ANNOTATIONES

Reg. 17. uultis sudibus poterit hostes opprimere, si modò in fide ipsos adoriatur. Sic Dauid non armis ferreis, sed funda & lapide deiecit Gigantem. Sic Moyses non gladio armatus, sed virgam tantùm & baculum in manu habens contra Pharaonem processit & vicit. Non opus habet Deus armis ferreis, &c. Aequè enim sua opera perficere potest vili instrumento vt idoneo, &c. Ex his videmus, quàm tutum sit ambulare in vocatione Dei. Duo itaque in causa sunt, quòd nihil prosperè nobis cedit, primùm, quòd non credimus Deo: secundùm, quòd non ambulamus in vocatione Dei. Hinc Christus ait: **Matt. 17.** Si potes credere, omnia possibile sunt credenti. Et iterum: **Ioan. 11.** Si credideris, videbis gloriam Dei.

In mandibula asini percussit eos, &c.

Sunt qui putent Samsonem his verbis vires suas iactare, & de fortitudine sua iuueniliter gloriari, ac propter hanc iactantiam à Domino siti punitur, vt diceret humanis viribus à Deo derelictis nihil imbecillius esse. Reuerà tamen carmen triumphale est, quo Samson commendat diuinam liberalitatem & gratiam, quòd Deus præstiterit victoriam & salutem, non fortitudine equi seu arcus, non acie gladij, sed putri mandibula antiqui asini, instrumento videlicet non solum ingili, sed etiam abominabili. Solet autem Deus fortissima per imbecillia, & sapientissima per stultissima operari. Ideò etiam in monumentum huius miraculi, locus, in quo hoc gestum fuit, dicitur Ramathlehi, id est, eleuatio maxillæ, vt quicumque audiat nomen huius loci admonetur miraculi in eo loco gesti, & confirmet fidem suam, quòd & Dominus ipsum in vocatione sua periclitantem per admiranda & nunquam cogitata media seruaturus sit. Discimus hinc, vt post accepta Dei beneficia gratias agamus.

Sitiensque valdè clamauit ad Dominum, &c.

Adepta mirabili victoria Samson siti cruciatur, sic enim semper felicitatem infelicitas, & contrà, & tentatio tentationem sequitur in hoc mundo. In hac autem siti Samson non ad maledicta, execrationes & desperatio.

sperationes (id, quod impij bellatores faciunt in rerumpenuria) sed vertit se ad Dominum per orationē. Oratio autem eius indicat ipsum plenum fide fuisse. Dedisti victoriam, dabis & potum. Dedisti salutē maximam, dabis & salutem minorem. Seruus tuus sum, ambulo in vocatione tua: Non igitur derelinques Domine seruum officio à te demandato fungentem perire. En morior siti, & incidam in manus incircuncisorum, sed longè aliter sonant promissiones tuæ. Quare obsecro te, ne me in hac rerum penuria auxilio tuo destituas. Vides orationem hanc ex fide profectam, ideò exauditur.

Aperuit Dominus dentem molarem, &c.

En aliud miraculum. Quis hoc vnquā sperare ausus fuisset? Hic igitur primùm vide, quanta sit efficacia orationis ex fide proficiscentis. Deinde, quòd Deus ne. 1. Cor. 10
 minem in diuina vocatione ambulanti auxilio suo destituat, nec sinat quenquā tētari supra id, quod pos-
 sit, &c. citiusq; ferat & efficiat, vt rerum natura inuertatur, quàm vt ambulantes in vocatione diuina & cō-
 fidentes in Deum in necessitate derelinquantur. Sic & Exo. 17.
 tibi eis dedit aquam de petra.

ALLEGORIA.

Samson præfigurauit Christum. Hunc primò Iudei, dein gentiles ligauerunt, imò etiam clauis ferreis cruci affixerunt, in resurrectione tamē sua omnia vincula dirupit & euasit. Ab eo tempore hostes suos percutere cœpit, idque non gladijs, aut armatura bellica, sed mandibula asini, id est, lingua, prædicatione Apostolorum & martyrum, qui coram mundo contempti & abiecti videbantur. Abiecit mandibulam, cum prædicatores suos occidi permisit. Et quamuis ob hoc solliciti essent credentes, ne per ablationem Apostolorū impij consurgerent ad delendum nomen Christi, miraculis tamen è sepulchris sanctorum factis à Domino consolationem receperunt, quemadmodum Samson è mandibula aquam accepit, qua refocillatus fuit, ne in incircuncisorum manus rueret.

ANNOTATIONES CAPVT XVI.



LN hoc capite consummatio & mors Samsonis describitur, quæ tamē mors magnificis ipsius factis minimè respōdit. Per mulierem enim in mortē datus miserabiliter occubuit. Contra omnes alios fortis erat, sed à mulieribus victus fuit. Vnde & caput hoc meritò admonere nos debet vt cauti simus.

Abijt quoque in Gazam, & vidit meretricem.

Haëtenus functus est Samson vocatione sua in timore Domini, nunc autem à timore Domini deficit, vt videamus nihil boni in homine esse, vbi à Deo derelinquitur, & quòd nemo sine peccato est. Et Deus quidem etiã adhuc pergīt opera sua facere per Samsonem, ille autem non amplius erat, qui fuerat. Vnde & paulò pòst perdit etiã gratiam & fortitudinē. Vbi enim à Deo receditur, non mirum, si gratia aufertur. Fortitudo nostra Deus est, & quò magis ipsi appropinquamus, eò fortiores sumus, & contrā. Duo autem in Samsonē hīc culpanda describuntur, primum est temeritas, secundum fornicatio. Temeritas, quòd sine causa se in periculum dat, intrans ciuitatem hostium, & ibidem etiã pernoctans. Iam enim quasi gloria batur de fortitudine sua, ac securè hostes irritabat, quod erat tentare Deum. Non idè nobis conferuntur Dei illa specialia dona, vt inde superbiam & gloriamur. Alioqui audiemus à Paulo: Quid habes, quod non accepisti? Et iterum: Qui stat, videat ne cadat. Et qui putat se aliquid esse, cū nihil sit, ipse se seducit. Quòd autem Samson ad meretricem ingressus dicitur, Hebræi quidem excusant, dicentes; non fuisse meretricem, sed hospitatricē. Verùm textus videtur sentire ipsum fornicationis gratia ad eam ingressum esse. Vidit (inquit) mulierem, &c. nimirum oculo concupiscentiæ. Et quia infrà etiã cum alia muliere fornicatus esse legitur, non opus est hīc eum excusare. Proponitur.

1. Cor. 4.
1. Cor. 10.
Gal. 6.

ponitur enim nobis hic vt homo & peccator, vt sciamus, neminem sine peccato esse quatumuis sanctum. In Samsonē igitur videmus ingenium humani cordis. Quia enim videbat sibi licere in Philistæos quoquo modo posset grassari, & in hoc hætenus prosperam habuerat fortunam, eò tandem licentiæ & temeritatis deuenit, vt existimaret sibi etiam licere cum scortis Philistinorum scortari. Sic in nobis quoq; videre licet. Si concesseris hominibus prædam, putant sibi licere homicidium. Si homicidium concesseris in hostes, putant sibi licere etiam in ciues. Si ab vna aliqua lege vnum exemeris, putat se ab omnibus exemptum. Si in vno dispēsaueris, putat in omnibus secum dispensatum. Si concedas conuiuia, putat sibi licere compotationes & ebrietates. Si permittitur alicui, vt puniat noxios, putat sibi etiam omnia alia licere. Hac autem opinione & licentia nihil sceleratius est aut iniurius. Sicut enim diuinæ vocationes suas habent personas, quas non transgrediuntur, sic & suos habent fines & limites, intra quos consistere oportet. Vocatus ad opprimendum hostem, non idēo permissum tibi est prædari ciues, scortari, blasphemare. In his enim transcendis limites tuæ vocationis, & idēo peccas. Sic in alijs quoque, &c. Quilibet igitur studeat intra limites suæ vocationis consistere, nec putet sibi quiduis contra omnes leges licere, si ab vna aut altera exemptus sit.

Tulit ambas portæ fores, &c.

Pertinet & hoc factum ad stupendam illam fortitudinem, qua Samson diuinitus præditus fuit. Nec quicquam etiam hic audebant Philistæi, etsi tota nocte vigilassent. Tantus erat in eis terror ex præcedenti clade, quam Samson ipsis intulerat. Misericordiæ autem Dei est, quòd etsi Samson peccasset, non statim ei auferretur fortitudo, sed etiam peccantem mirabiliter hic eripit Deus. Ex hoc autem, quòd tam felicē euentum suæ scortationis habuit, non sentiendum est fornicationem peccatum non esse. Facta enim hominum

ANNOTATIONES

non è præsentientu, sed è verbo Domini iudicanda sunt. Quod enim scriptura pium pronunciat, pium est, etiamsi in præsentia habeat euētum infelicissimum. Quod autem scriptura iniustum & impium pronunciat, hoc iniquum est, etiāsi in præsentia habeat euētum felicissimum. Quod autem Deus interdum iniustitiæ felicem euētum tribuit, non hoc agit, vt approbet iniustitiā, sed vt bonitate & lenitate sua iniustū ad pœnitentiam inuitet. Allegoricè. Cùm propter amorem ad humanum genus Christus in animo ad infernum, corpore autem ad sepulchrum descendisset, custoditus fuit ab incredulis Iudæis, ne denuò resurgeret & euaderet, verum ipse media nocte resurgēs, portas æreas inferni destruxit, & paulò post in montem, id est, cælum conscendit. Ad literam aut docet historia hæc q̄ nulli hostes tam multi, nulla potestas tam magna, nullæ insidiæ tam vehementes, nulli denique muri aut carceres tam fortes sint. quin Deus, si velit, suos inde eripere possit. Hæc de Deo nostro nobis polliceamur. Nec statim de ipsius voluntate bona desperemus etiāsi adhuc peccati alicuius conscij simus. Sed doleamus de peccato, clamemus in necessitate & meliora proponamus, sic enim non deerit Dominus.

Post hæc amauit mulierem nomine Dalilam.

Cadere inceperat Samson, nec amplius potest consistere, sed subinde profundius cadit. Hæc est enim peccati natura q̄ nisi statim per pœnitentiam diluatur, semper suo pondere ad alia & maiora trahat. Deinde

Deut. 17. qui nō semper timorē Dei ob oculos habet, is subinde cadit. Vnde in lege præcipitur regibus, vt quotidie legem Dei legāt. Vt discant, inquit, timere me & nō superbiant, &c. Hinc & Iosaphat iudicib. suis mādabat: Sit timor Domini vobiscū, &c. Sāson igitur abiecto timore Dei subinde cadit, vt appareat quod & homo & peccator fuit. Nam alioqui si non cecidisset & tamen tam ingētia fecisset, vix persuaderi potuisset q̄ homo fuerit. Vel fortè ipse sibijpsi diuinam gloriam attribuisset, sicut multi alij fecerunt. Nunc autem cūm

roties peccauerit, cogitur se agnoscere hominem, & cum alijs cogitur orare pro remissione peccatorum. Sic Deus omnia conclusit sub peccato, vt omnium misereatur. Hic igitur in Samsonē iterum se prodit impietas naturæ humanæ. Debuerat Samson ex liberatione sibi etiam peccatori facta ad pœnitentiam inuitari: Ideo enim Deus interdum etiam peccatores è periculis liberat, non quòd peccata ipsi placeant aut q̄ in peccatis manere debeant, sed vt ad pœnitentiam festinent. Exempla habes in adultera quam Christus è periculo liberauit, sed eidem dixit: Noli amplius peccare. Sic & alij cuidam dixit: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, &c. Impij autem homines in necessitate quidem clamant, promittunt, sed liberati peiores fiunt. Sic fecit & Samson. Imò quia in priori fornicatione felicem euentum habuit, putat nunc fornicationem non esse peccatū, & licere sibi impunè scortari. Atq; hoc est, q̄ Sap. ait: Quod nō profertur citò cōtra malos sententia, absq; timore vllō filij hominum perpetrant mala. quēadmodū & aliàs dicitur: Blanda parum segnes facit indulgentia natos. Et licentia omnes deteriores efficiunt. Hoc autem est abuti gratia & thesaurizare sibi iram. Poterat Deus omni die, hoc momento punire, sed parcat ex gratia. Hinc gratos nos esse oporteret, sed peiores efficiuntur. Quid aut sequitur in Salomone? Attamē (inquit) peccator ex eo quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quòd benè erit timentibus Deum. Quid autem malis nisi malè? Vnde etsi Samson diu in fornicatione toleretur, tamē eò grauiori tandem supplicio afficietur, &c.

Venerunt ad eam principes Philistinorum.

Samson securus in amore suo quiescit, nec Deum cogitat, nec futura præuidet. Sic enim amor carnalis excæcat. Sequitur, inquit, stultus vt bos ad victimam, & sicut auis festinat ad laqueum, & cæt. Cæterum Philistæi non cessant, imò stultitiam Samsonis in suum cōmodum trahūt, & quia vi aperta nihil audent cōtra

ANNOTATIONES

2. Pet. 5. cum, in fidijs fruunt. Sic & nobis ociatibus & lasciuientibus diabolus sua agit, circuit, insidiatur, & quod viribus non potest, in fidijs exequitur. Non ignoramus cogitationes eius ait Paulus. Duas autem res arripiunt Philistæi ad expugnandum animas validissimas, scilicet munera & mulierem, quibus Samsonem vincunt & in suam potestatem redigunt. Muneribus corrumpunt mulierem, muliere autem vincunt Samsonem. Pecunia & mulier fortia arma sunt diaboli. Munera placent Deum & homines. Item excæcant oculos etiam sapientum. Sic Philippus rex Macedonum arcem quandam inexpugnabilem audiens, interrogauit num asinus auro onustus illuc peruenire posset, ostendens auro omnia expugnari. Vnde & Sapiens beatum pronunciat eum, qui post aurum non abiit, nec in pecunijs sperat. Subdit autem: Quis est hic & laudabimus eum? De mulieribus autem manifesta sunt exempla ubique. Quod Sathan in Adamo nulla potentia aut viribus impetrasset, hoc impetrauit per Euam mulierem. Quod in Salomone nullus rex Babylonis viribus suis omnibus effecisset, hoc effecerunt mulieres, ut scilicet idola coleret. Quod Philistæi non poterant, hoc effecit Dalila, ut scilicet Samson caperetur. Huc pertinet quod Zorobabel de fortitudine mulierum pulchre differuit coram rege Dario, nec autem ideo recitantur, non ut admiremur aurum & mulieres, sed nec ut ea tanquam mala damnemus, sed ut admiremur nostram ipsorum imbecillitatem, imò & stultitiam & malitiam nostram. Quid enim potest esse imbecillius humano animo, quod a rebus longè omnium vilissimis & infirmis expugnatur? Quid enim est aurum & argentum nisi lutum, splendidum quidem, sed tamen lutum terræ? & mulierum imbecillitas publico etiam dicto notatur. Et Paulus mulierem vocat vas infirmum. Vnde autem hæc infirmitas quod homo tam infirmis rebus vincitur? è peccato. quod enim plus à Deo recedimus, è infirmiores sumus. Si igitur cupis consistere & inuictus permanere, adhære Deo, in ipso enim vinces mundum & omnia.

Locuta est ergo Dalila ad Samsonem.

Hic vides quid faciat cupiditas auri vel pecuniæ. Illecta mulier promissis statim animum ad proditiōem vertit amatores sui. Radix omnium malorum cupiditas. Quid nō mortalia pectora cogis auri sacra fames? **1. Cor. 6.** Sic propter pecuniam Balaā maledicere voluit Israel. Propter pecuniam Iudas Christum vendidit. in summa auaro nihil scelerius. Vide deinde hic quæ sit fides scortorum, dulcibus verbis alloquitur Samsonē, **Eccl. 19.** & interim hostes eius abscondit in cubiculo, studetq; omnibus modis quomodo eum in manus ipsorū victum tradat. Scripta sunt autem hæc in nostri doctrinā vt hoc exemplo à scortatione deterreamur. Quid enim amas amando scortum? Amas serpentem dulci veneno te inficientem. amas proditricem tuam si non corporis & vitæ temporalis, certè salutis animæ tuæ. Domus eius (inquit Salomon) viæ sunt infero-
rum. Illac iter ad mortem est. Samson enim ingredien-
do domum scorti, quò obsecro ingressus est? profectò in carceres, in excæcationem suam & in omnia genera malorum quæ ipsum mox consequuntur. Nihil tamen hic detrahitur honestis mulierib. aut ipso sexui, nam & mulierum non minus egregia facta spectataq; probè legitur quàm virorum. Fuit Dalila impudica, auara, infidelis, & proditrix: Contrà inuentæ sunt & aliæ multæ castitate & misericordia & fidelitate admirandæ, etiam inter paganos. exempla ponit Hier. lib. primo contra Iouinianum.

Si septem neruiceis funibus ligatus.

Prudenter quidē Samson aliquoties Dalilam elusit, & citra grande periculum suum experimentum fidei eius sumpsit. Nam quemadmodum hi, qui noua vascula explorare volunt, num qua perfluant, non vinum aut oleum. ne magno constet experientia, sed aquam infundunt. ita prudentia est, alterius incontinentiam re nec periculosa nec magni momenti experiri. Interim autem vide ad quantam stultitiam, imò insaniam peruenerit Samson, quanque ipsum dedecet

ANNOTATIONES

quod agit. Primò enim qui tanta fecerat & omnibus fortior inuentus fuerat, nūc omnis suæ vocationis & fortitudinis oblit' mulieri se in seruū quasi addicit, patitur se ligari & tā pueriliter cū ipsa nugatur. Secundò q̄ ita voluptate se vinci & trahi patitur vt etiam apud & inter hostes seortum quærat. Tertiò q̄ extraneæ fidi, & quā senserat semel & iterum & tertiò sefellisse. Quartò q̄ fortitudinem quam aduersus hostes acceperat tā scurriliter in gratiam mulieris ostentat faciendo se ligari & iterū rumpendo vincula, nihil interim cōtra hostes agēs. Quintò quòd muliebrib. blanditijs victus secretum suū cum suo etiam exitio reuelauit. Vides quò deuenit Samson & quā hęc ipsum dedecent. Interim tamen ipsam ignominia suam nō videbat. qui aut̄ historiam hanc legunt pro ipso erubescere coguntur. Etiā tamen non vnus Samson tam stultè egit. Imò nemo non ipsius stultitiam sequitur. Nemo iam fornicationē pro peccato iudicat. Nemo cogitat quam grauius per hoc offendatur Deus, quam grauius olim punierit luxuriam in diluuiò & in Sodomis quā seuerè Paul. fornicationem corripit & damnat &c. Meritò igitur nos monere deberet exemplum Samsonis vt & occasiones fugiamus & de nostra fortitudine & constantia non præsumamus, &c.

Quomodo dicit quòd ames me, &c.

Hæ sunt solennes illæ querimonias, quib. mulieres virorum animos aggrediuntur. Hæc enim verba acutiora fuerunt erga Samsonē omni gladio ancipiti. Vnde & scriptura dicit quòd angebant vsq; ad mortem animā eius, nec se continere potuit quin secretum cor disreuelaret. Et hoc igitur proponit nobis scriptura vt aliena fruamur insania, & caueamus ne huiusmodi querimonijs expugnemur.

Tunc indicauit ei cor suum, &c.

Non sic accipiendū est, quasi Samson fortitudinē suam haberet ex crinibus, quomodo enim res inanimata hoc præstaret? Sed nec fortitudinem habuit ex obseruantia legis Nazaræorum, alioqui omnes

Na-

Nazareus eam fortitudinē habuissent. Ex gratuita igitur misericordia Dei habuit donum hoc, & tantisper dum in sua vocatione ambulabat. Vocatio autē eius erat, vt & liberaret Israel, & viueret secundū legē Nazarorum. & quā diu in hac vocatione sua ambulabat, fortitudinis dono non carebat. Postquā autem omissa vocatione sua cœpit cum meretricibus scortari, ac fortitudine sua iā non aliter vteretur, quā vt tutus in sua scortatione esset, insuper etiā futilitate sua efficeret, vt contrā, quā lex Nazarorum habet, raderetur, iusto Dei iudicio factum est, vt perderet fortitudinē suam non quidē propter rasos crines, sed propter inobediētiā, scortationem & abusum doni diuinitus collati. Nemo igitur se putet donis Dei tutū in peccatis. Nec quisquā abutatur donis Dei, per peccatum. n. & abusū amittuntur. Dona igitur siue corporalia sūt siue spiritualia, nō alij, quā Deo ascribamus. Amissionē autē donorum peccatis nostris. Moraliter. Et nos Nazareus sumus, & dona Dei accepim⁹, vt sancti simus, & contra hostes pugnemus. caput nostrum Christus, hoc caput quā diu incontaminatū & integrum seruamus per fidē, omnia aduersa perripimus, nec à nobis recedit Deus, etiamsi interim nō sine peccatis simus. Postquā autē caput nobis radi patimur, & fidē auferri, aut volari perdimus Deū & omnia. Prudentia igitur Matt. 10. serpentina opus est, vt caput ante omnia seruemus.

Egrediar. sicut antè feci, &c.

Hæc est carnalium fiducia in peccatis. Quia enim aliquoties impunè euaserunt, putant se semper euasuros: sed contrarium hic experitur dāson. Deus quidē Psal. 7. longanimis est & patiens, sed interim etiā est, & manet iudex iustus & fortis. Hinc alibi dicit. Hoc fecisti, Psal. 49. & tacui. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis, &c. Et Eccl. 5. Sapiēs: Noli dicere: miseratio Domini magna est, &c. Misericordia enim & ira ab ipso subitò veniet, &c.

Statim eruerunt oculos eius.

Dupliciter punitus fuit Samson. Spiritualiter per amissionem doni diuini & gratiæ, corporaliter quia in

ANNOTATIONES

manus hostium traditus. Non statim eum occidunt quia nō morti tantū, sed etiā ludibrio eum exponere volebant in figuram Christi. Oculos autē erunt tum vt amplius nocere non posset, tum vt longa miseria affligeretur, tum etiam vt magis ludibrio aptus esset. Ligant eum cathenis quia nouerāt eum omnes funes dirupisse. Ducunt in Gazam vbi prius stupendam fortitudinem ostenderat in auferendis portis vrbis, vt idē locus & gratiæ & iræ Dei ipsum & omnes alios admoneret, discerentque quantum intersit inter seruientem Deo & non seruientem. Deniq; nec in carcere eum quiescere patiuntur, sed cogebatur molere, in illis enim regionibus erant molæ in carcerib. quas captiui circumagere cogebantur, vt & captiuitate & labore affligerentur, & vt panem gratis nō absumerēt. Iam vide quid miserius erat Samsonē si prius ora etiam fortia facta consideres. Verē secundum gloriam eius facta est etiā ignominia eius. Vidēsne hic quid intersit inter seruientem Deo & non seruientem? Quid gloriosius erat Samsonē cū Deum secum haberet? Quid nūc ergo ignominiosius? Discamus itaq; timorē Dei. Timentibus enim Deum nihil deesse poterit & cōtra. Vides etiam quā iustē iudicet Deus. Per quæ enim Samson peccauerat, per hæc & punitur. Cum mulieribus peccauerat, per mulieres hostibus traditur. Oculos spontē clauserat, ne videret quod iustum erat, Nunc ei inuito effodiuntur. Alienigenæ se crediderat Nunc in manus alienigenarum traditur. Deum dereliquerat, Nunc & ipsum derelinquit Deus. Dono Dei abusus fuerat, Nūc eodem priuatus est, cū maximē eo opus haberet. Spontē se à muliere idque sæpius ligari permiserat, Nunc ligatur inuitus. Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.

Hoc autem Samsonis supplicio Deus iram suam declarauit, primum aduersus scortationem vt alij terri à scortatione resipiscant. Hi enim etsi non mox perpetrata scortatione afficiantur externa pœna, tamen hoc exemplum certum sigillum est æternā maledi.

Psal. 33.

Sap. II.

seditionem nisi respuerint eos manere. Dicit enim **1. Cor. 6.**
 Paulus: Neque scortatores, neque adulteri regnum Dei
 possidebunt. Deinde declaratur hęc ira Dei aduersus
 impium abusum donorum Dei. Quod si Deus tā hor-
 rendo supplicio Samsonem electum puniuit, qui de v-
 tero matris sanctificatus fuerat, idque ob vnum tan-
 tum scortationis peccatum, quid de nobis fiet, qui o-
 mnibus virijs pleni sumus? Si in viridi ligno hęc, in a-
 rido quid fiet? Cæterum, quod Samsoni corporaliter
 contigit, hoc nobis spiritualiter contingit, cum voca-
 tionis nostrę obliuiscamur peccatis nos dedimus. Primò enim
 recedit à nobis Deus, peccata enim separant inter nos
 & Deum. Statim assunt hostes dæmones, hi etsi non
 statim occidunt, miserè tamen illudunt. Ac primò ex-
 cæcant, ne videamus periculum & magnitudinẽ pec-
 cati. Deinde ligant cathenis, id est, mala consuetudi-
 ne, quæ difficilè frangitur. Cõijciunt in carcerem ob-
 stinationis. Sicque molere faciunt, id est, in via pecca-
 torum sine fine laborare, qui in via Dei ne tantillum
 laborare volumus. Quid autem miserius est eo homi-
 ni, si vel ipsius conditionem primam vel adoptionem
 consideres? Hoc est, quod Hieremias deplorat: Quo- **Thren. 4.**
 modo obscuratum est aurum inquit, &c. Quis hunc
 hominem liberare potest, nisi solus Deus? Hic igitur
 clamandum: De profundis clamaui ad te Domine, &c.
 Item: Nõ me demergat tempestas aquæ, ne vrgeat su-
 per me puteus os suum, nec demergat me profundũ.
 Magna enim gratia opus est, vt quis hęc euadat.

Iam capilli eius renasci cœperant, &c.

Hic iam Deus respicere incipit Samsonem, quem
 nondum totum abiecerat, sed tantum paternè casti-
 gauerat. Sic enim Deus predixit: Visitabo in virga ini- **Psal. 119.**
 quitates eorum, &c. Misericordiam autem meam nõ
 dispergam ab eo, &c. Per renascentiam igitur capillo-
 rum scriptura innuere videtur Samsonẽ iam satis pu-
 nitum, de cætero iterum in gratiam restituendum, &
 pristina fortitudine donandum. Hinc discimus multò
 satius esse hęc puniri, quàm in futuro. Hic enim & o-

ANNOTATIONES

1. Reg. 14 omnes poenae temporales & breues sunt, & misericordiae Domini magnae, illic autem & poenae aeternae & nulla misericordia speranda.

Conuenerunt in vnum, vt immolarent Dagon, &c.

1. Pet. 4. Haecenus de peccatis & supplicio Samsonis. Deinceps describuntur peccata & supplicia Philistinorum. Sic enim iudicium incipit quidem à domo Dei, sed non manet semper in domo Dei, quin potius ab ipsis transit

Psal. 74. in impios, & super ipsos perpetuo manet. Sic ex calice suo Deus primum iustis propinat, verum fecerit ei bibent peccatores terrae. Vtitur quidem interdum Deus impijs ad punitionem & correctionem bonorum. Verum quia hoc non exequuntur ad intentionem Dei, sed vel ad propriam iniuriam vindicandam, vel ad satisfaciendum propriae superbiae, vel auaritia: fit, vt & ipsi iram Domini non effugiant. Lege omnes historias, & videbis, quod hi, per quos Deus aliorum vitia correxit, vt plurimum pessime interierunt. Ideo in scriptura nominatur virga seu flagellum Dei, virga enim pater tantisper vtitur, donec filius emendetur. Postea nulli vsui virga idonea est, nisi ad ignem. Sic impijs cum vsus fuerit Deus ad sua iudicia, post ipsos exurit. Exemplum in Pharaone, Antiocho, Sennacherib, Nabuchodonosor, &c. Sic & Philistaeis pro virga vsus est Deus in Samsonem corrigendo.

1. Sa. 10. Ipso autem emendato iam restabat, vt Philistaei in ignem conijcerentur. Prius tamen ipsorum peccata describuntur, ne conqueri possent, se iniuste punitos. Sic enim vbique peccata praemittuntur supplicijs in scriptura, ne quis conqueri posset contra Deum. Iudaei increduli audebant olim dicere, viam Domini non esse aequam, verum audierunt: Ecce ego iudicio contendam tecum, &c. Ad idem multa Ezech. 18.

Hier. 1.

Tradidit nobis Deus noster hostem nostrum.

Nulla gens vnquam tam fera fuit, quae non coleret aliquos deos, quantumuis in hoc errarent, quod verum Deum ignorabant, sciebant tamen superiori aliqua virtute omnia regi. Tanto reprehensibilior est Christianus, qui vel in corde suo dicit, non est Deus, vel

ita

ita viuit, quasi non esset Deus, quemadmodum multi omninò athei sunt. Sic Philistæi Deum suum, quē colebant, nominabant Dagon, quia eius simulachrum caput piscis habebat. Nam Dagon piscem significat Hebræis. Primum igitur peccatum Philistæorum erat, quòd prosperum euentum non Deo vero ascribunt. Deinde, quòd idolo ascribunt. Tertio, quòd simul etiã illudunt Deo vero. De^o, inquit, noster tradidit, Q. D. Iudæi putant se habere Deum verum. At nunc videm^{us}, quòd Deus noster fortior est. Itaque Dagon deus verus est, & cultus eius verus Dei cultus. Sic igitur ex prospero euentu impietatem suam iustificat, & eam maiori studio sectantur. Sic faciunt omnes impij, & qui verbo Dei carent. Sic Israelitæ cùm ad tēpus prosperè ipsis successisset in idololatria, cùm Hieremias Hier. 44. eos dehortaretur, dicebant: Non audiemus te, sed sacrificabimus reginæ cæli, quia melius nobis erat tunc, quàm nunc, & cæt. Sic in deserto, cùm in eam patērentur, præferēbant impiam vitam Aegyptiacam potitæ, quam Deus ordinauerat: cōstituamus, inquit, lucem, & reuertamur in Aegyptum, & cæt. Ibi enim Num 14. habebamus ollas carniū, & panes in saturitate, &c. Sic Turca, quia felicem habet successum, putat suam fidem esse veram. Sic hæretici propter felicem successum Deo sic permittente putant se iustam causam habere. Sic fornicatores, quia prosperum euentum habent, putant se non malè facere. Sic vulgus quancunque etiam causam ex euentu iudicat. Verùm fallit hoc iudicium. Non omnis causa bona est, quæ prosperum habet euentum. Nec omnis causa mala est, quæ infortunatum habet euentum. Arriani longo tempore prosperum habebant euentum, & tamen causa eorum mala erat. Sic Turca, & cæt. Sic adhuc interdum iustè permittente Deo fit, vt iustitia, veritas, &c. succumbant, iniustitia autem & falsitas ad tempus præualeant. Nihil tamen ad hoc decedit veritati, nec accrescit falsitati. Apostoli & prophetæ infortunatū euentum habuerunt, quò ad proprias personas, nō ta-

ANNOTATIONES

men ob id doctrina eorum mala fuit, &c. Sic hinc Deus dederat Philistæis victoriam super Samsonē, nō quod cultus eorum bonus esset, & religio ipsorum vera, sed quia Samson peccauerat. Itemq; vt in supplicio Samsonis Philistæi discerent seueritatem iræ Dei. Si enim etiam suis peccantibus non parcit: quid non faceret hostibus? Sic Turcæ Deus prosperum euentū dat propter peccata nostra, simul etiam ipsum admonet proprii iudicij. Sic & hæreticis permittit, &c. propter peccata nostra, &c. Impij tamen homines ex felicitate ad eō nō resipiscunt, vt etiam impietatem suam propter hoc iudicent esse summam pietatem & iustitiam.

Latantesq; per conuiuia & epulas, &c.

Alterum peccatum Philistæorum, quod Samsonē capto ita epulantur & conuiuantur, vt existimēt nullius hōminis potentiam tantam esse, quæ possit ipsis mali quippiam adferre. Nullus hinc Dei timor est. Idē morbus nobis peculiaris est, quod ex prosperitate efficiamur securi, & quod nec Deum timemus, si timor humanus cessauerit.

Præceperunt, vt vocaretur Samson, & luderet, &c.

Tertium peccatum, quod non contenti malis, quæ Samsoni intulerant insuper afflicto addunt afflictionem, & in afflictione maxima etiā illudunt. Sic mundus non contentus est punire, quos odit, sed & illudat. Sic Christo contigit, sic Samsoni. Cæterum calamitoso addere calamitatē grauissimum peccatum est, quod multis maledictionibus punitur. Constitue, inquit, super eum peccatorē, & diabolus stet à dextris eius, &c. Quare? Quia non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopē, &c. Cæterum ludus Samsonis nihil aliud fuit, quàm q̄ hinc inde impingēdo & cadendo hostibus mouebat risum. Hæc sunt peccata, quibus Philistæi iudicium Domini meruerunt. Videamus, ne inter nos quoque sint, &c. Timeamus igitur, pœniteamus, emendemus.

Dimitte me, vt tangam columnas, &c.

Post descriptum peccatum Philistæorum, sequitur

punc

aunc poena. Quomodo enim Deus ipsis parceret qui dilecto non pepercit Samsoni? Incipit quidem iudicium à domo Dei, sed in impijs cōsummatur. Circa supplicium autem Philistinorum tria notanda sunt. Primò quòd mala gaudia quæ cum iniuria Dei & oppressione pauperum fiunt, bonum finem habere non possunt. Exemplo sit Balthasar, &c. Secundò quòd Deus suos quidem punit cum peccat, sed tamen in finem non deserit. Tertio quòd malos quidem ad tempus fert, sed in fine grauius punit. Quarto quòd iudicium Dei quam occultissimè adrepat vt non sentiat nec credatur appropinquare: Venit enim sicut fur in nocte & sicut laqueus, &c. Quis igitur non libenter seruiret Deo qui suos sic curat? Quis non timeret in impia vita cum audit impios sic puniri? &c.

1. Petr. 4.

Dan. 5.

1. Theff. 5.

Lucæ. 21.

Domine Deus meus redde mihi fortitudinem, &c.

Non irascitur Samson, non murmurat, non blasphemat sed orat. Nihil aliud ipsi supererat quò contra hostes pugnaret, nisi oratio vocis, & fides cordis. Et reuera efficacissima sunt arma quæ nullus hostis nobis surripere potest. possunt ligare manus, &c. sed non linguam. Quod si etiam linguam amputent, cordis fiducia tamen auferre non possunt. Ea autem permanent nondum derelictus est homo etiam si in summo periculo sit. Hoc experta est Susanna. Item Daniel in lacu leonum. Item tres pueri in camino, & cætera. Cæterum circa hanc orationem Samsonis videmus primò quid operetur tribulatio in hominibus. Miserum quidem est audire Samsonem in tantam tribulationem venisse. At si attendas, tribulatio hæc vtilior ipsi fuit, quàm pristina eius fortuna. Prius enim prosperis successibus elatus in malam securitatem, imo etiam in manifesta peccata prolapsus fuerat, vt nihil amplius videret, neque Deum, neque vocationem, neque peccatum suum. Nunc autem in tribulatione aperiuntur ei oculi. Hic primò videt miseriam suam, sicut prodigus ille, secundò videt peccatū, tertio videt quòd Deus iustè hæc ipsi inflixisset, non tamen desperauit, sed ex

Dan. 13.

Dan. 3.

Lucæ. 15.

miseri-

ANNOTATIONES

misericordia Dei concepit fiduciam, ex fiducia cœpit
 orare pro venia, sicq; veniam meruit. Quod autē Deus
 in gratiam eum receperit, ex duob; patet, primò quod
 eum orantem exaudiuit, secundò quod fortitudinis
 donum ei restituit. Tantum possunt pœnitentia, fides,
 oratio. His recuperamus gratiam Dei. Quod autem
 Samson & pœnituerit & crediderit, patet ex eo qd ad
 Deum orauit. quomodo enim inuocaret in quem non
 crederet? & quomodo credere vel sperare posset veniã
 nisi peccatũ ipsi displiceret? Denique ipsa verba indi-
 cant eum credidisse. Nō enim simpliciter dicit: Domi-
 ne Deus, sed addit pronomen meus, quo innuit se et-
 iam si peccasset non tamen desperare de misericor-
 dia Dei. Hoc est quod Sapiēs dicit, etiam si peccamus,
 tui sumus. Non sic fecit Cain, nec Iudas p̄ditor. Uter-
 que enim desperauit, ideò non ausi fuerunt orare pro
 venia. Hic itaq; consideremus Dei misericordiam, qui
 etiam post magna peccata tam facilè recõciliatur pœ-
 nitentibus, credentibus & orantibus. Hoc autem non
 est ex merito pœnitentiæ nostræ, nec ex leuitate pecca-
 torum, sed ex merito Christi, is nobis hanc gratiam
 meruit. Vides deinde veram pœnitentiam, fidẽ & ora-
 tionem tantæ esse efficacix, vt etiam grauissima pecca-
 ta auferant. Postremo vides insaniam mundanã
 qui tã facilè possent Deo reconciliari & negligẽs, &c.
 Cæterum oratio Samsonis videtur non esse ex fide
 profecta, imò videtur esse impia in hoc quòd vindi-
 ctam petit, cum Deus dicat: Mihi vindicta, &c. Et Chri-
 stus iubeat vt oraturi remittamus proximis peccata.
 Vnde & his verbis orare nos iussit: Dimitte nobis de-
 bita nostra, sicut, &c. Videtur igitur Samsonis oratio
 perinde esse ac si fur aut latro diceret: Domine da mi-
 hi vt prosperè furer, vt latrocinium committere pos-
 sim, &c. Huiusmodi orationes non procedunt ex fide,
 quia petunt ea, quæ Deus prohibuit. imò planè sunt
 impiæ. Verum obseruandum est quòd cum Dominus
 ait, mea est vltio, significat quidẽ in sua solius potesta-
 te positam vltionem esse, & nulli hominũ licere eam
 priuata

Sap.
 Gene. 4.
 Matt. 27.

Marc. 11.
 Matt. 6.

priuata temeritate vsurpare, non autem negat eā non posse homini ad hoc vocato competere. Nam & alias dicit: Meum est consilium & æquitas, prudentia & fortitudo, quibus verbis significat, quòd ipse omnium horum autor est. Non tamen negat quòd hæc dona non conferantur hominibus, sicut igitur qui donum consilij aut prudentiæ accepit à Deo potest his vti, sic qui vocatus est ad vindictam malorum vt omnis magistratus, potest vindictam exercere, & orare vt possit. Priuato autem hoc non competit Non igitur malè orauit Samson, sed ex fide, quia vocatus erat ad vindictam Philistinorum. Ac propemodum talis fuit oratio, sicut discipuli orauerunt: Domine inquit, aspice minas eorum & da seruis tuis cum fiducia loqui, &c. Vt igitur discipuli vocati erant ad prædicandum, idè orant vt Deus vocationi eorum aspiret, Sic Samson vocatus fuit ad vindicandam iniuriam Dei & Israelitarum de Philistæis. Benè igitur orat, vt hoc possit. Sic & magistratus adhuc potest & debet orare pro fortitudine puniendi malos. Non autem hoc licet priuatis. Hi enim non ad hoc vocati sunt.

Prou. 9.

Actos. 4.

Moriatur anima mea cum Philistiim.

fecit & hoc quenquam mouere quod Samson se ipsum occidit, & ita loquitur quasi ex nimia vindicandi se cupiditate, etiam cupiat animam suam cum Philistæis mori & damnari, quo quid horribilius esse posset? Verum anima hinc tantum pro vita naturali sumitur. Hæc spontè impendere vult, vt vocationi suæ satisfaciat de infestandis Philistæis. Et quia aliter ipsos affligere non poterat nisi simul moriendo, spontè seipsum periculo & morti offert, vt & præcepto Dei satisfaciat, & Israelitas liberet ab hostibus. Non igitur ex temeritate aut desperatione hoc fecit, sed ex fide & vocatione quia aliter nō poterat. Idè igitur fecit quod hi qui contra Turcas proficiscuntur. Et hi enim se periculo obijciunt, verum hoc faciunt vel ex obediētia superiorum, vel ex Zelo Dei, vel ex desiderio liberandi miseros Chri.

ANNOTATIONES

Christianos à Turcis. Dicunt igitur & sentiunt, libentissimè moriar, dum Dei hostes opprimantur, & Ecclesia pacem habeat. Sic Samson hinc facit. Non igitur vituperandus, sed laudandus in hos, quòd pro gloria Dei & salute fratrum se morti obtulit. Contrà autem, qui se sine vocatione Dei, aut præcepto superiorum periculo obijciunt, peccant, quia tentant Deum. Nihil igitur voluntaria hæc mors Samsonis patrocinator his, qui vel ex temeritate se periculis obijciunt, vel ex desperatione seipsos occidunt.

Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, &c.

Hoc est vltimum opus Samsonis contra Philistæos, sed maius omnibus prioribus, in quo apertè videmus, quòd Deus ipsius orationem exaudierat, pristinaque fortitudinem illi restituerat, atque ad eò illi recòciliatus fuerat. Hæc est igitur vltio, quam Samson de Philistæis recepit, imò quam Deus ob peccata ipsorum in ipsos exercuit, & maximè propter idololatriam, & malà securitatem, & immisericordiam in miserum. Sine misericordia igitur iudicium sentiunt, qui misericordiam non ostenderant misero. Hic igitur videmus primò qualem exitum habeat mundanum gaudium, quàm mox vertatur in luctum. Videmus item quàm occultè adrepat iudicium Dei. Sic veniet filius hominũ in hora, qua nò putamus. Sic cum dixerint impij, pax & securitas, tunc superueniet eis repentinus interitus. Hoc ipsum innumeris à seculo exemplis ostendit, nec sic tamen terremur. Me ergo nò timebitis ait Dominus? Sed populo huic factum est cor incredulum, &c.

Videmus item hinc, quòd Deus longè aliter punit impios, quàm pios. Hos enim visitat in virga, sed misericordiam suam nò aufert ab ipsis, illos autè punit in ira, iustos deijcit quidem, sed iterum erigit, impios autè deijcit, vt nunquam surgant, sed tanquam vas figuli ipsos dispergit, imò tanquã puluerem à facie venti dispergit. Deniq; pijs cadētibus locum & tempus pœnitendi dat, impios autè repentè perdit, vt hinc vides. Cæ-

terum

Lucæ 17.
1. Thes. 5.

Iere 5.

Psal. 2.
Psal. 16.